SC.21.Pl.5.

37
31 C
8

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

P. F. JOANNIS VINCENTII
PATUZZI
ORD. PRÆDICATORUM
ETHICA CHRISTIANA
SIVE
THEOLOGIA MORALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Google

P. F. JOANNIS VINCENTII

PATUZZI

ORD. PRÆDICATORUM

IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS

ETHICA CHRISTIANA

SIVE

THEOLOGIA MORALIS

EX PURIORIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ DIVINÆQUE TRADITIONIS FONTIBUS DERIVATA, ET

S. THOMAE AQUINATIS DOCTRINA

CONTINENTER ILLUSTRATA.

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

Prodromum ad universam morum Theologiam de Locis Theologiæ Moralis, ac tractatus de Legibus, et de altera Regula Moralium actionum, nempe ratione Humana.



MEDIOLANI MDCCLXXXI.

APUD FEDERICUM AGNELLUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

MIRUM fortaſſe nonnullis videbitur, quod huic Operi Moralis Theologiæ conficiendo animum adjecerim poſt innumera Scriptorum de hac re differentium volumina, quibus totus pene Chriſtianus Orbis obruitur, ac poſt plures etiam de eodem argumento a me editas elucubrationes. Equidem ingenue fateor, alio jam pridem reſpexiſſe cogitationes, curaſque meas, illuſtrando ſcilicet nobiliſſimo DE MIRACULIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS argumento, cujus pluribus jam abhinc annis multa comparaveram, quæ vel neceſſaria, vel opportuniora viſa fuerant, ut illud pro rei dignitate tractarem. Quid vero? Cum iſtud præ manibus ferme haberem, authores mihi, impulſoreſque fuere non pauci prudentiſſimi viri, qui a ſuſcepto me conſilio revocarunt, gravibuſque momentis in medium productis, ad exornandam potius CHRISTIANAM ETHICEN permoverunt: quin etiam rationes meas omnes, quibus ab hoc perarduo, ac moleſtiſſimo labore capeſſendo deterrebar, penitus diluerunt. Quum enim præ cæteris objeciſſem, quamplurimos in hac adornanda provincia feliciter, & erudite admodum verſatos eſſe, ut nihil eorum laboribus adjici poſſe videretur; tantamque eſſe librorum ad Moralem Theologiam pertinentium copiam, quæ in dies continenter augetur, ut optandum plane foret, quod ſublatis de medio, ſin minus omnibus, plurimis ſaltem Ethices Caſuiſticæ ſcriptis, quæ faſtidium potius, ac nauſeam Lectoribus ingenerant, perpauca in uſu eſſent, atque haberentur præ manibus eorum omnium, qui diſciplinis moralibus imbui, atque informari deſiderant, aut etiam neceſſe habent vel ad conſcientiam propriam dirigendam, vel ad miniſteria officii ſui recte obeunda: cur igitur vaſto me pelago, in quo ſyrtes undique, charybdeſque plurimæ occurrunt, committere debueram abſque ulla utilitatis ſpe, aliorumve profectu? Cum hæc, inquam, & id genus alia objeciſſem, multa illi repoſuere, quibus præcipuam objectionem meam plane futilem, nulliuſque ponderis eſſe oſtenderunt. Duas ipſi in claſſes Moralis Theologiæ Doctores partiti ſunt, quarum altera illorum eſt, qui in tractanda hac divina ſcientia non eam methodum, ſive

ſcribendi rationem perſequuti ſunt, quam ſequi omnino oportuerat; & CASUISTÆ veluti per contemptum, atque etiam PROBABILISTAE vulgo nuncupantur, qui infinita propemodum diſputationum, atque opinionum farragine mundum impleverunt. Et horum quidem multitudinem parvipendendam eſſe dicebant, utpote qui Chriſtianam Ethicen non modo non illuſtrarunt, ſed implicarunt potius, ac ſaltem in pluribus, iiſque graviſſimis quæſtionibus corruperunt; adeoque imitandos non eſſe, ſed arguendos, atque confutandos. Sed aliam eſſe Moralium Theologorum claſſem, qui in hac excolenda diſciplina aliam prorſus viam, eamque ſecuriorem inſiſtentes, morum regulas, atque doctrinas e puriſſimis Scripturarum, divinæque Traditionis fontibus derivantes, Moralem Theologiam ad priſtinum ſplendorem, avitamque majeſtatem revocare pro viribus ſategerunt. Verum hos eſſe admodum paucos, ſi præſertim cum aliorum multitudine conferantur; adeoque, quantum fieri poteſt, horum numerum augendum, ut defæcatior, ſaniorque morum doctrina in Eccleſia Catholica diffundatur, & ubique in Chriſtiana gente dominetur. Falſa quippe æſtimanda, penituſque explodenda illa opinio eſt, quæ multorum animis inſedit, atque in illis a multo jam tempore inveteravit; morum nempe ſcientiam non eam eſſe, quæ tractari a doctis viris, eruditiſque debeat: cum potius nulla alia fortaſſe ſit, quæ majori in pretio haberi, atque operoſius tractari mereatur; idque vel ipſi perviderunt ſapientiores Ethnici Philoſophi tum Græci, tum Romani, atque inter alios omnium forte ſapientiſſimus M. Tullius, qui Moralem Philoſophiam ſummis præconiis extollit, in cujus ſinum veluti in ſuæ tranquillitatis portum a tempeſtate labentis in interitum Reipublicæ, Romanæque libertatis jactatum, quaſſatumque ſeſe recipere conſueverat, ut ipſe teſtatur (*); queriturque vehementer, eam *non ab omnibus laudari*, ut par erat, verum etiam *a ple-*

(*) En verba Tullii lib. V. Tuſculan. Quæſt. *Et hujus culpæ, & cæterorum vitiorum, peccatorumque noſtrorum omnis a Philoſophia petenda correctio eſt. Cujus in ſinum cum a primis temporibus ætatis noſtræ voluntas, ſtudiumque nos compuliſſet, his graviſſimis caſibus in eumdem portum, ex quo eramus egreſſi, magna jactati tempeſtate confugimus. O vitæ Philoſophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primum domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum, & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum: tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus: a te opem petimus: tibi nos, ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus, totoſque tradimus. Eſt autem unus dies bene, & ex præceptis tuis actus, pene totii immortalitati anteponendus, &c.*

a pleriſque negligi, *& a multis etiam vituperari* , ſed *nonniſi ob errorem* , quo turpiſſime tenebantur , *& indoctorum animis offuſam caliginem* , *quod tam longe retro reſpicere non poſſunt* . Quod ſi Ethnicorum doctiores tanti fecerunt morum Philoſophiam a ſolius naturæ principiis ductam ; quo animi ſenſu excipienda, quo mentis ſtudio excolenda erit ea doctrina, quæ divinitus afflata , ac veluti e cælo delapſa gravioribus, certioribuſque fundamentis innititur , penituſque neceſſaria eſt ad vitam recte tranſigendam, beatamque immortalitatem conſequendam ?

Hæc & alia plura dixerunt ſapientes viri, mihique amiciſſimi ; in Moralis Theologiæ commendationem, ut me ad ejus amorem accenderent, animumque a præconcepta ſententia revocarent , & ad hanc potius pro virili exornandam converterent. Cumque cunctarer adhuc, illudque denuo reponerem , ſatis jam ſuperque excultam eſſe morum Theologiam a Scriptoribus præſtantiſſimis, quibus ne comparandus quidem ego ſum, nec opus eſſe ut in eamdem ſtudium meum , curaſque conferrem, qui nihil melius, atque eruditius proferre jam poteram, nec excogitare quidpiam , quod ab aliis copioſe, & ornate dictum non fuerit ; nonnulla iidem adjecerunt , quæ ſeria animadverſione digna putarunt in illis ipſis Theologiæ Moralis Operibus, quæ majori habentur in pretio , & utiliora reputantur, a quibus , inquiebant , ego cavere poteram, ac debebam : res eaſdem planiore, ac faciliore methodo pertractare ; novas, quæ in dies prodeunt, opiniones diſcutere; quæ in multis Caſuiſtarum libris laxæ, & ab Evangelica ſimplicitate alienæ ſunt, refutare; eaſque ex libris optimis doctrinas ſeligere , quæ ſaniores ſunt, magiſque veritati conſentaneæ, ac in unum corpus Theologiæ redigere, quod omnium manibus tuto, & abſque ullo erroris periculo teri poſſet. Demumque ad cumulum illam mihi propoſuere S. Auguſtini ſententiam ex lib. 1. de Trinit. depromptam, ubi S. Doctor rationem reddens, cur edendis libris ſuis de ineffabili illo Myſterio operam navarit , de quo jam multi apte, ſapienterque diſſeruerant, ita hanc objectionem diluit : " Non omnia , quæ ab „ omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt ; & fieri po„ teſt, ut nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent , illos „ planiores non inveniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideo„ que utile eſt, plures a pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa „ fide, etiam de quæſtionibus iiſdem, ut ad plurimos res ipſa per„ veniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. " Quam rationem ad præſens argumentum noſtrum maxime pertinere multis palam fecerunt.

a 2 His

Digitized by Google

His, aliiſque de cauſis, quas ſilentio prætereo, in eam tandem ſententiam adductus ſum, ut ad illuſtrandam Chriſtianam Ethicen animum adjungerem; & argumentum, ſiquod aliud, laborioſiſſimum, multiſque difficultatibus graviſſimis circumſeptum, quantum imbecillitas virium mearum, parumque firma corporis valetudo permiſerit, explanarem. Ut autem illud majori, qua fieri a me poteſt, perſpicuitate diſcuterem, univerſum Opus in plures TRACTATUS dividere placuit. In duobus primis de morum regulis diſſero LEGE ſcilicet, & RATIONE, a quibus actionum noſtrarum moralitas vel maxime pendet. In tertio DE OFFICIIS HOMINUM late pertracto ſive bonis, ſive malis; adeoque DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, & VITIIS, ſive PECCATIS: tum vero in iis qui deinde ſequuntur DE THEOLOGICIS VIRTUTIBUS Fide Spe, & Charitate, DE DECEM DECALOGI PRÆCEPTIS, & DE QUINQUE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ: & in duobus demum poſtremis DE ECCLESIÆ SACRAMENTIS. Unumquemque autem Tractatum in quaſdam DISSERTATIONES tribuo, & Diſſertationes ipſas in plura CAPITA, quibus identidem brevem aliquam REFLEXIONEM ſubnecto ad ciendos pios affectus, ved ad animum inflammandum, aut inſtruendum idoneam. Ac tandem in fine totius Operis collectionem ſubjicio quarundam Conſtitutionum, Brevium, Decretorum, quæ Summi Pontifices edidere vel ad profligandos errores, vel ad mores fidelium informandos.

Verum, antequam huic Operi elaborando manus admoveam, de quibuſdam, quæ ſcitu neceſſaria mihi viſa ſunt, præmonere Lectorem operæ pretium exiſtimo. Atque in primis, quod titulum ſpectat, quem in libri fronte præfixi, ETHICAM CHRISTIANAM VOCO, quam excolendam aggredior in meis hiſce Tractatibus, & quam etiam THEOLOGIAM MORALEM appello, ut illud deſignem huc omnia collineare conſilia, conatuſque meos, ut divinam morum inſtitutionem ad ea principia cura omni revocarem, quæ divina ſunt, & ex iis intemeratis fontibus haurirem, quos nobis aperuit increata Sapientia Patris Chriſtus Dominus e cælo deſcendens, nedum ut nos a peccati, ac Diaboli ſervitute in libertatem filiorum Dei vindicaret, ſed etiam viam, quam ſequeremur, juſtitiæ, & ſanctitatis nos edoceret: & alii plane non ſunt, niſi Sacræ Scripturæ, ac præſertim Evangelia, & Apoſtolicæ, Divinæque Traditiones, quas Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores, Sanctique Eccleſiæ Patres continenti ſucceſſione tranſmiſere. Unde & conſulto adjeci: EX PURIORIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ, DIVINÆQUE TRADITIONIS FONTIBUS DERIVATA. Hæc enim ſola ETHICA CHRISTIANA, atque certa credenda eſt; ſecernitur-

que

que ab ea morum Philoſophia, quam veteres tradidere Gentiles pluribus erroribus involutam, ſoliſque humanæ rationis, & quidem peccato corruptæ, principiis innixam. Hæc enim THEOLOGIÆ, ſive ſcientiæ de rebus divinis nomen proprie ſibi vindicat; quæ cum una ſit, varias tamen appellationes excipit juxta rerum, de quibus tractat, tractandæque methodi diverſitatem. *Quem enim intelligimus Theologum?* inquit doctiſſimus Melchior Cano lib. 8. de loc. Theol. *Aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de Deo, rebuſque divinis apte, prudenter, e litteris, inſtitutiſque ſacris ratiocinetur.*

Huc itaque tendunt in hac conficienda morum Theologia ſtudia omnia, ac molimina mea, ut quæcumque a me traduntur, ex iis divinis, incorruptiſque fontibus derivem, vel iiſdem ſaltem conſentanea, aut proximiora producam. Sic enim veritatem attingam, quam unice quæro, & quæ ſola quærenda eſt in omnibus quidem diſputationibus, atque doctrinis, ſed præſertim in moralibus, in quibus non ſine ſalutis æternæ periculo ab illa errando deflectimus. An id revera aſſequutus fuerim, aliorum eſto judicium: illud aſſequi certè conatus ſum. Verum enimvero ut veritatem certius aſſequerer, & in hoc tam ſalebroſo, ac difficillimo itinere tuto progrederer; quem præ cæteris ductorem ſeligere poteram, ac debebam, niſi Sanctum Thomam Aquinatem eximium Eccleſiæ Doctorem, & jubar ſplendidiſſimum; in cujus quidem omnibus Operibus, ſed præcipue *in ſecunda parte Summæ*, in qua de principiis morum, & regulis agit, emicant fulgentiſſime omnes illæ dotes, quæ ad ETHICAM vere CHRISTIANAM, Scripturæ ſcilicet Divinæque Traditioni, adeoque veritati omnino conformem, neceſſariæ ſunt, cum admirabili judicii maturitate conjunctæ, atque eruditione plane incredibili; adeout utriuſque Teſtamenti libros, nec non Eccleſiæ definitiones, Sanctorum Patrum omnium textus memoriæ affixos, ſemperque ſibi præſentes habuiſſe videatur? Profecto quem alium Doctorem ſequendum mihi præſtituerem, ut ab errore longius abeſſem, niſi quem Eccleſia per Summos Pontifices eloquuta *abſque ullo prorſus errore ſcripſiſſe*, teſtatur, *ita ut qui ejus doctrinam tenuerit: nunquam inveniatur a tramite veritatis deviaſſe: & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus*: ut innumera alia laudum præconia taceam, quibus Sanctum Doctorem cumulatiſſime ornarunt nedum Summi Pontifices, ſed & celeberrimæ Academiæ, præclariſſimi Viri, imo totus Chriſtianus Orbis, qui ipſum veluti Scripturarum, ac Patrum omnium Compendium, & Epilogum abſolutiſſimum ſemper agnoverunt, ac profeſſi ſunt?

San-

Digitized by Google

Sancti igitur Thomæ Aquinatis in hoc Opere condendo doctrinam accuratiſſime me ſequi propoſui; unde & in ipſa fronte Operis hoc adnotandum cenſui: nec doctrinam ſequor duntaxat, verum etiam in iis, quæ docuit ille, tradiditque, quæ pleraque omnia fere ſunt, ſententias, ac verba ipſa integre exſcribo. Quod, ne quis methodum hanc meam vitio mihi vertat, duplici de cauſa a me factum eſſe declaro: quarum prima hæc eſt, quod ſcilicet S. Doctor in quæſtionibus ſuis reſolvendis, tradendiſque doctrinis tanta perſpicuitate præſtet una cum mirabili dicendi brevitate, ut nihil a me clarius ſimul ac contractius dici potuerit; quod non mea ſolum experientia didici, ſed aliorum etiam doctiſſimorum hominum, qui divinam ejus SUMMAM exponendam, atque interpretandam ſuſcepere. Facilius namque atque nitidius veritates ipſas profundiores, quas docet ille, percipio, ac intelligo, dum ejus ſcripta lego; quam dum aliorum commentaria, & expoſitiones in ipſius doctrinam, quam interdum mihi potius implicant, denſiſque tenebris involvunt. Nimirum hæc eſt illa, ut arbitror quidem, præclariſſima laus, quam Eccleſia in Præceptore ſanctiſſimo concelebrat, dum in ejus Feſtivitatis Officio de ipſo canit: " De excelſis fons ſapientiæ ,, Sancto Thomæ infudit copiam: tamquam flumen claræ ſcientiæ, ,, qui ſuſceptam refudit gratiam: dum fluentis ſummæ peritiæ rigat ,, totam ſanctam Eccleſiam. Stylus brevis, grata facundia; celſa, ,, clara, firma ſententia ". Doctrinam, quæ egregiis hiſce prærogativis excellit, quis non amplectitur, & colat? Quis non etiam ſententias ejuſdem, ac verba ipſa pro re nata tranſcribat?

Sed & alia me cauſa impulit, cur id præſtarem ſæpiſſime. Quum enim ſumma ſit in Eccleſia Catholica, & apud Viros quoſque ſapientiſſimos doctrinæ Sancti Thomæ exiſtimatio, omneſque tamquam illibatam, atque veridicam ſuſpiciant, ac venerentur; inde effectum eſt, ut quicumque de rebus Theologicis diſſerit, ad peculiares ſuas, propriaſque ſententias confirmandas Sanctum Thomam perperam adducat, quo iiſdem authoritatem, gravitatemque conciliet. Incredibile plane eſt, dum multorum Caſuiſtarum libros legerem (nam de aliis modo ſileo) in quot abſurdas, & a veritate prorſus alienas opiniones offenderim, pro quibus adſtruendis Sancti Thomæ allegatur authoritas, qui nedum illas minime docuit, ſed nec ſomniavit quidem; imo potius vel expreſſe refutavit, vel talia principia poſuit, ex quibus earum falſitas, legitima, ac neceſſaria conſecutione deducitur. Vidi ego non raro, atque intimo cordis dolore, animique indignatione, dum viderem, affectus ſum, Sanctum Do-

cto-

ctorem non invitum duntaxat, atque repugnantem; verum etiam diſertiſſime contradicentem in præſidium, ac patrocinium pertrahi quarundam ſententiarum, & magni quidem momenti, quæ jam ab Eccleſia damnatæ ſunt, & anathemate percuſſæ, vel certe dignæ ſunt, ut omnino damnentur, ac penitus a Chriſtianorum finibus proſcribantur. Nonnulla in hoc ipſo Opere exempla proferam, ex quibus perſpicuum fiet, quam perverſe Scriptores aliqui D. Thomæ authoritate abutantur, non ſine ingenti legentium damno, qui dum falſas hujuſmodi opiniones tanti Doctoris nomine inſignitas cernunt, tamquam tutiſſimas incunctanter abſque ulla dubitatione ſuſcipiunt. Sed alia longe plura exempla proferre fas eſſet, ſi omnia Scriptorum eorumdem loca percurrere, & ad accuratum examen revocare voluiſſem. Quapropter conſultum duxi, ut huic tam exitioſo malo remedium aliquod, ſi fieri quidem poſſet, afferrem, nedum ſenſum doctrinæ Sancti Thomæ, ſed & textum ipſum, & eadem verba ſæpe ſaltem proponere, ut certior fiat, quicumque legit, non aliam eſſe Angelici Præceptoris doctrinam, quam quæ a me traditur; nec alio ſenſu accipi poſſe, niſi quem verba ipſa produnt, ac manifeſtant.

Alterum, de quo præmoneo Lectorem, illud eſt, me in reſolvendis quæſtionibus, ſeligendiſque ſententiis ſtudium omne, ac diligentiam adhibuiſſe, ut viam mediam tenerem inter nimiam ſeveritatem, nimiamque benignitatem, quam & ipſe tenuit S. Thomas: ſatiſque aperte in lege ſua promulganda Deus ipſe præſcripſit, dum Deuter. c. 4. prohibuit tam Divinæ Legi ſuæ quidpiam addere, quam detrahere inquiens: " Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, " vel auferetis ab eo. " Quiſquis autem licitum aſſerit, quod eſt illicitum, detrahit legi: ei vero addit, qui aſſerit illicitum, quod illicitum reipſa non eſt. Cavenda proinde utraque extremitas tum laxiorum, tum ſeveriorum opinionum. Neque enim minus exitioſa moribus hominum eſt nimia benignitas, quam nimia ſeveritas: quippe quod utraque, tametſi via diverſa, eumdem tamen effectum parit relaxationis divinarum legum. Velle utique ultra modum reſtringere legem, non eſt ipſam revera reſtringere, ſed potius laxare. Nam, ut ſapienter advertit S. Gregorius Nazianzenus orat. 26., " virtutem defectus, & exceſſus peræque labefactant; non ſecus ac " regulam additio aliqua, aut ſubtractio. "

At enim vero quænam eſt hæc media via, quam in tradendis morum præceptionibus accurate, diligenterque tenere oportet? Nam ſunt plerique, quin etiam dicam omnes, Moralis Theologiæ Magiſtri, qui ſe huic ſedulo inſiſtere blandiuntur, ac magnifice jactant;

Digitized by Google

ctant; qui tamen a recto tramite longiſſime aberrant. Non ii certe medium tenent, ſiqui tamen ſunt inter Doctores Catholicos, qui zelo quodam, ſed *non ſecundum ſcientiam*, pietatis, ac juſtitiæ fovendæ abrepti, *onera importabilia imponunt ſuper humeros hominum*, ac juſtitiam ipſam, legumque obſervantiam difficillimam, ac pene impoſſibilem reddunt. Sed neque illi profecto, qui, cum novum opinandi modum in Ethicam Chriſtianam invexerint, alienum ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, Chriſti jugum plus nimio emolliunt, legemque hominum cupiditatibus attemperant, ac propterea *probabilitatem* ſtatuunt tamquam regulam opinionum ſuarum, quam & ipſi doceant, & alii tuto ſequantur. Hæc ſiquidem regula jam regula non eſt, ſed potius regulæ perverſio; ex qua, ut verbis utar Alexandri VII. " plures opiniones Chriſtia-
„ næ diſciplinæ relaxativæ, & animarum perniciem inferentes *pro-*
„ *dierunt, prodeuntque*; & quam ſi pro recta regula fideles in praxi
„ ſequerentur, ingens eruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela ". Quænam igitur erit media illa via, quam in docenda Theologia Morali ſequimur, ac ſequi debemus omnes, ne a recta ſalutis ſemita deflectamus, nimiumque devitemus rigorem, ac nimiam benignitatem? Non alia plane, niſi quam Veritas ſempiterna præſtituit; ipſam ſcilicet *veritatem*, ſive cum lege æterna conformitatem, ut ex innumeris Scripturarum teſtimoniis clariſſime conſtat: *Lex tua veritas ..... Viam veritatis elegi .... Omnes viæ tuæ veritas ....* & id genus alia ſexcenta: adeoque ſi ab hac regia via declinamus per nimiam ſive ſeveritatem opinionum, ſive benignitatem, in manifeſtum peccandi, ac ſalutis amittendæ diſcrimen adducimur. Atque hoc eſt magnum illud, ac ſummopere formidandum periculum, quod impendet Doctoribus præſertim Moralis Theologiæ, niſi in tradendis doctrinis ſuis veritatem aſſequantur; propter quod ab Apoſtolo Jacobo ſalubriter admonemur: " Nolite plures Magiſtri fieri,
„ fratres mei; ſcientes, quoniam magnum judicium ſumitis.

Quam magnum, quamque vere metuendum ſit hoc docendi periculum præſertim in materia tum Fidei, tum morum, quamque frequenter contingere ſoleat, ut dum ab uno errore declinare volumus, in errorem oppoſitum miſerrime impingamus; Sanctus Auguſtinus non modo authoritate ſua confirmat, verum etiam, plurimis in medium productis exemplis ex hominibus in Eccleſiæ Catholicæ ſinu degentibus, luculenter, ac fuſe demonſtrat lib. *de Fid. & oper.* cap. 4. " Errant, *inquit*, homines non ſervantes modum, &
„ cum in unam partem proclivitet ire cœperint, non reſpiciunt divi-

„ vinæ authoritatis alia teſtimonia, quibus poſſent ab illa intentio-
„ ne revocari, & in ea, quæ ex utriſque temperata eſt, VERITATE,
„ ac moderatione, conſiſtere. Nec in hac re tantum, de qua nunc
„ quæſtio eſt, ſed etiam in aliis multis. Nam quidam intuentes &c."
Atque ita perſequitur, plurima ſubjiciens exempla, quibus alia plura, & illa quidem recentiſſima adjicere facile foret.

Non minus periculum iſtud præ oculis ſemper habuit, & ab omnibus moralium quæſtionum Tractatoribus habendum eſſe admonuit Doctor Angelicus S. Thomas, dum gravem illam ſeria conſideratione digniſſimam ſententiam ſcripſit *quodlib.* 9. *art.* 15. his verbis:
„ Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi EXPRESSA
„ VERITAS habeatur, PERICULOSE determinatur; quia error, quo non
„ creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale,
„ conſcientiam non excuſat a toto, licet forte a tanto. Error ve-
„ ro, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex con-
„ ſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue vero PERICULOSUM eſt,
„ ubi veritas ambigua eſt". Vel ex hac ſola, ut hic obiter dicam, Sancti Thomæ ſententia colligi poteſt, ac debet, quam procul diſtet Sanctus Doctor ab illorum ſyſtemate, qui opiniones omnes, quas *probabiles* vocant, etiam in aliarum oppoſitarum concurſu ſecuras faciunt moralium actionum regulas; adeout nullum peccati, niſi ut ſummum *materialis*, ut ajunt, in iis ſectandis periculum immineat, quamquam mediam ſaltem earumdem partem a veritate alienam eſſe neceſſe ſit. Non ita plane ſenſit Præceptor Angelicus, ſed exerte docuit, periculum eſſe ſalutis in determinandis quæſtionibus, in quibus *expreſſa veritas non habetur*, ſed *ambigua eſt* ob rationum, ac Theologorum conflictum. Procul igitur abeat ejuſmodi methodus definiendi morales controverſias per opinionum probabilitatem; totiſque viribus enitamur ad inveniendam veritatem, quæ ſola *in dubiis*, ut idem ait opuſc. 73. *agnita ſalutaris eſt*, & *incognita periculum ingerit humanæ ſaluti*. Quamobrem, ut eodem loco Sanctus ipſe Doctor teſtatur, dum quæſtio aliqua diſcutienda occurrebat valde implexa, atque difficilis, divinam de cælo ſapientiam invocabat, ut cæleſti lumine mentem ſuam illuſtraret, ne in ea ſolvenda in aliquem errorem incideret. "Invoco ipſam (*verba ejus ſunt*) ne
„ me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum
„ aliorum; & illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo lu-
„ mine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis undequaque per-
„ tingere". Si tanto timore afficiebatur tam eximius Eccleſiæ Doctor, tamque excellenti, ac pene divino ingenio præditus in

Digitized by Google

dubiis morum reſolvendis ; quid non timendum ab aliis , qui pari haud potiuntur vi , & acumine mentis ? Quid non timendum a memetipſo , qui cæteris me longe inferiorem ſentio , & ignorantiæ caligine circumfuſum ? Timeo plane , ingenue fateor , & contremiſco : cumque de ingenii mei viribus præſumere nihil valeam, aliud mihi ſupereſſe non video , niſi ut in ſolo Dei auxilio ſpem meam collocans , illud exemplo Sancti Præceptoris ſuppliciter implorem , *ne me errare permittat in periculum animæ meæ , & in laqueum aliorum* ; ſed legem ſuam , quam explanandam aggredior , ſua luce demonſtret , ne unquam ad dexteram , vel ad ſiniſtram veritatis declinem , ſcilicet vel ad nimium rigorem , nimiamve benignitatem. Quoniam vero non ille ego ſum , qui mihi arrogem , in omnibus me aſſequutum eſſe veritatem ; quin potius vereor , ne ob peccata, & negligentias meas divinum lumen mihi ſubtrahatur : idcirco a Lectoribus meis efflagito , ne quidquid dicturus ſum , tamquam omnino certam regulam agendi ſuſcipiant , niſi prius ſupremæ regulæ conforme eſſe perſpexerint . Nam tametſi de principiorum , quæ ſtatuo , veritate , Scripturarum ſcilicet, Traditioniſque Eccleſiæ, ac probatiſſimæ S. Thomæ doctrinæ nullus mihi ſit dubitandi locus; in his tamen principiis applicandis ad peculiares caſus , eruendiſque concluſionibus ad praxim pertinentibus , quemadmodum & in deſcribendis ex aliorum libris , quorum me lectione profeciſſe non inficior , quæ mihi meliora viſa ſunt ; in his , inquam , aliiſque me decipi aliquando potuiſſe cognoſco : adeoque , ſiquod me doctiores, ac ſapientiores in hoc Opere deprehenderint , quod forte non ſit cum veritate conſentiens , illud nedum minime ſequantur , ſed potius abjiciant , aut corrigant . Neque enim illud mihi tribuere debeo , quod ſibi haud tribuendum putavit ſummus Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus , qui *Epiſt.* 32. ad Paulinum hæc de ſcriptis ſuis humili , ac ſincera animi demiſſione loquutus eſt : " Cum legis , mi „ Sancte Pauline (*libros meos*) , non ita te rapiant , quæ per noſtram infirmitatem Veritas loquitur , ut ea , quæ loquor ipſe , „ minus diligenter advertas ..... In iis enim ſi adverteris , quæ recte diſplicebunt , ego ipſe conſpicior : in iis autem .... quæ recte tibi placent in libris meis, ille amandus eſt, ille prædicandus „ eſt , apud quem eſt fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen .... In iis vero, quæ de veteri fermento eructavi ..... multo „ erit mihi gratior dilectio tua , ſi ex iis , quæ tibi diſplicuerint , „ emendaveris me juſtus in miſericordia , & argueris me. Non enim „ es , cujus oleo timeam impinguari caput meum " .

Pau-

Pauca alia antequam huic Præfationi finem imponam, animadvertenda exiſtimo, nequis forte aut meipſum, aut laborem meum carpendi occaſionem ſumat. Et primum quidem, cum Opus iſtud, ut jam prænotavi, in aliquos TRACTATUS dividam, Tractatuſque in plures DISSERTATIONES, ac Diſſertationes in multa CAPITA: quo res majori, qua poſſum, claritate diſcuterem, atque explicarem, huic methodo plerumque inſiſtere placuit, ut in altero quidem ex hiſce Capitibus doctrinam traderem ad materiam, de qua ſermo eſt, pertinentem; in altero autem Conſectaria deducerem ejuſdem doctrinæ. Verum hoc CONSECTARII nomen non ita preſſe intelligi velim, ac ſi in iſtis nonniſi meras doctrinæ conſecutiones exponerem: quum potius liberius interdum excurrere, & in ipſis Conſectariis quædam interſerere libuerit, quæ vel doctrinam continent, vel jam propoſitam magis confirmant, atque declarant; quemadmodum & in CAPITE ipſo DOCTRINÆ aliqua nonnunquam colligo, quæ propius ad eam referuntur, vel eamdem amplius illuſtrant. Equidem ex hac a me ſuſcepta methodo illud incommodum nonnunquam enaſcitur, ut quædam repetere cogar. Sed claritati mihi potius ſtudendum eſſe judicavi, quam illud omnino effugere. Quin addo, conſulto me, atque de induſtria iterum, atque iterum aliquando dixiſſe, quæ dicta jam fuerant, ut Lectorum animo altius infigerem veritates quaſdam, quæ parum ab hominibus obſervari ſolent; quum tamen ſint tota mentis conſideratione digniſſimæ, & ad æternam ſalutem perneceſſariæ.

Quoad ſtylum attinet, didaſcalico, ſive inſtruente, ac docente utor, prout a me poſcit materies ipſa, quæ eſt in manibus: adeoque nec barbaro quidem, nec omnino rudi; nec compto, aut floſculis rhetoricis, aut fucatis coloribus exornato; ſed temperato, nitido, atque leni; ut veritates, quas trado, pleniore, quo poſſum, in lumine collocentur, facilius in animos legentium influant, ac libentius recipiantur. Quandoque, licet raro, & hoc quidem in quibuſdam duntaxat alienis a veritate opinionibus refellendis, ſub deformi aſpectu ſuo, detracta larva, conſtituendis, ſtylum acuere, & concitatius, atque vehementius loqui mihi viſum eſt. Qua in re præclariſſimorum duorum inter alios Eccleſiæ Patrum, Auguſtini ſcilicet, ac Thomæ Aquinatis authoritatem, ac veſtigia ſequutus ſum. Prior namque in *lib. 4. de Doctr. Chriſt. c. 2.* methodum, ac ſtylum tradendæ doctrinæ proponens hæc habet verba, quæ ſedulo ab omnibus conſideranda ſunt: " Cum per artem rhetoricam, *inquit*, &
„ vera ſuadeantur, & falſa; quis audeat dicere adverſus mendacium

 „ in

„ in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem ; ut vi-
„ delicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint audito-
„ rem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio face-
„ re ; iſti autem non noverint ? Illi falſa breviter, aperte, veriſi-
„ militer ; & iſti vera ſic narrent, ut audire tædeat, intelligere
„ non pateat, credere poſtremo non libeat ? Illi fallacibus argumen-
„ tis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem ; iſti nec vera defen-
„ dere, nec falſa valeant refutare ? Illi animos audientium in er-
„ rorem moventes, impellenteſque dicendo terreant, contriſtent,
„ exhilarent, exhortentur ardenter ; iſti pro veritate lenti, frigidi-
„ que dormitent ? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat ? Cum ergo ſit
„ in medio poſita facultas eloquii, quæ ad perſuadenda ſeu prava,
„ ſeu recta valeat plurimum ; cur non bonorum ſtudio comparatur,
„ ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas, vanaſ-
„ que cauſas in uſus iniquitatis, & erroris uſurpant " ? *Additque ſubinde cap.* 4. " Si docendi ſunt, qui audiunt, narratione facien-
„ dum eſt (*quod & ego præſtare conſuevi*). Ut autem, quæ dubia
„ ſunt, certa fiant, documentis adhibitis, ratiocinandum eſt. Si
„ vero, qui audiunt, movendi ſunt potius, quam docendi, ut in
„ eo, quod jam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſen-
„ ſum, quas veras eſſe fatentur, accommodent, majoribus dicendi
„ viribus opus eſt. Ibi obſecrationes, & increpationes, concitatio-
„ nes, coercitiones, & quæcunque alia valent ad commovendos
„ animos, ſunt neceſſaria. "

Similia docuit, ac etiam exemplo ſuo confirmavit eximius Eccleſiæ Doctor S. Thomas. Atque equidem in ſcriptis ſuis planum, lenem, atque perſpicuum ſtylum plerumque adhibuit, & contentioſum Theologum vix unquam egit ; ſed quæ veritati in quæſtionibus innumeris diſcutiendis conſentanea erant, facili, moderata, brevique oratione complexus eſt. At aliquando & ipſe ſtylum erexit, & opiniones a vero abhorrentes ſeverioribus verbis confutavit, ut ex opuſculis ſuis, & etiam alicubi ex ipſa SUMMA THEOLOGIÆ liquido apparet ; ſimulque diſerte edocuit, quænam *vitioſa* dicenda foret in defendenda veritate *contentio*, quænam autem *laudabilis*. En ipſius doctrina, quam hac de re tradit 2. 2. *q.* 38. *art.* 1. *de Contentione* diſſerens : " Contrarietas, *inquit*, locutionis poteſt atten-
„ di dupliciter, uno modo quantum ad intentionem contendentis,
„ alio modo quantum ad modum. In intentione quidem conſide-
„ randum eſt, utrum aliquis contrarietur veritati ; quod eſt vitu-
„ perabile : vel falſitati ; quod eſt laudabile. In modo autem con-
ſide-

„ ſiderandum eſt, utrum talis modus contrariandi conveniat & per-
„ ſonis, & negotiis : quia hoc eſt laudabile. Unde Tullius dicit
„ in 3. Rhet. quod contentio eſt oratio acris ad confirmandum, &
„ confutandum accommodata. Vel excedat convenientiam perſona-
„ rum, & negotiorum : & ſic contentio eſt vituperabilis. *Et poſt*
„ *alia quædam* : Si autem contentio dicatur impugnatio falſitatis cum
„ debito modo acrimoniæ, ſic contentio eſt laudabilis ". Patet ergo quam maxime, nedum vitioſam exiſtimandam non eſſe ſcribendi rationem, quam perſequor; ſed potius laudabilem judicio duorum Eccleſiæ Doctorum, quorum authoritati nemo repugnare audeat.

At nihilominus aliqui fortaſſe non deerunt, quibus hæc alios Authores impugnandi ratio diſpliceat; & conquerantur, ea lædi Authorum famam, tenebras offundi Inſtituto, paciſque, ac charitatis jura violari. Sed hæc nugæ ſunt, commentaque vaniſſima. Primum omnium ab iis, qui Moralem Chriſtianam illuſtrant, ſpectandum eſt, ut veritas, ſine qua periclitatur hominum ſalus, in tuto ponatur, aſſeratur, vindicetur, ne animæ falſis, praviſque opinionibus deceptæ æternum pereant. Deinde ut honori, quantum fieri poteſt, Authorum, qui a veritatis via deflexerunt, conſulatur. *Diligite homines*, monebat omnes Eccleſiæ Theologos S. Auguſtinus; *interficite errores*. *Sine ſuperbia de veritate præſumite*; *ſine ſævitia de veritate certate*. Ego ſane fateor, ac ſincere teſtor, me *homines*, ſive Scriptores, quos refello, ex animo *diligere*; adeoque intentionem in ipſis erroribus, in quos pro humana infirmitate lapſi ſunt, piam ſanctamque fuiſſe non dubito : at ſimul *errores* eoſdem pro viribus meis *interficere* ſatago. Neque enim charitas prohibet, quin imò impellit, atque urget, ut veritatis jura ſarta tecta ſerventur, nec unquam pervertantur in rebus præcipue maximi momenti, ex quibus commune hominum bonum, ac felicitas æterna dependet. Sic quoque *ſine ſuperbia de veritate* eorum, quæ doceo, *præſumo*; aut illam, ſin forte in omnibus, in pleriſque ſaltem me aſſequutum eſſe confido : quoniam quod ſcripſi, totum ferme haurire ſtudui a Doctore Veritatis S. Thoma; cujus hæc, ut iterum dicam, præſtantiſſima laus eſt ſupra cæteros, ut eam ex limpidiſſimis fontibus, iiſque certiſſimis abſque ullo prorſus errore derivaverit. Demum & illud mihi jure tribuere poſſe arbitror, quod *ſine ſævitia pro veritate certaverim*; nedum quia veluti a natura comparatus ſum ad moderationem, ac lenitatem : ſed etiam quia ſtudioſe cavi, ne

quem-

Digitized by Google

quempiam offenderem vel conviciis, vel maledicis, aut mordacibus verbis, licet falſas aliquorum doctrinas acriter interdum improbaverim, atque rejecerim, ne in errorum laqueos incauti homines pertrahantur.

Unum illud poſtremo advertendum cenſeo, me in hoc Opere perficiendo præter Eccleſiæ Patres, ac præſertim S. Thomam, non pauca ex aliis etiam Scriptoribus decerpſiſſe. Sed illos potiſſimum ſelegi, qui rerum copia magis abundant, & morales quæſtiones ad amuſſim veritatis accuratius exegerunt. Quandoquidem perſuaſum habui, omni me culpa vacaturum, ſi ad inſtar Evangelici illius Patrisfamilias de ſuo theſauro vetera proferentis, & nova, ex Eccleſiæ Theſauro, ex univerſis veterum, recentiumque monumentis conflato, in hanc Ethicam Chriſtianam transferrem quidquid ad majorem doctrinæ ſoliditatem, ac veritatem explanandam, atque illuſtrandam conduceret. *Veritas* quippe, ut ait laudatus S. Pater Auguſtinus, *communis omnibus eſt*; nec a privato ullo tamquam propria vindicari ſibi poteſt: adeoque vituperari jure nequit, ſiquis eam, ubicumque reperta fuerit, in proprios uſus converterit. Id tamen me non præſtitiſſe affirmo, niſi diligenti, accuratoque examine præmiſſo, & poſt aliorum ſententias ad ſeveriorem trutinam expenſas. Quare illud uſurpare mihi poſſe videor, quod de ſuis Commentariis *in Canticum Canticorum* Theodoretus præfatus eſt: " Hoc a Lectoribus „ poſtulamus, ne furti nos inſimulent, ſi quid, quod ab aliis „ Authoribus dictum ſit, in hiſce Commentariis meis offenderint. Hoc autem non furtum appellari debet, ſed paterna „ hæreditas: quamquam ad illa, quæ ab eis accepimus, adjunximus, quæ noſtra ſunt; & quod latius a quibuſdam explicatum eſt, nos contraximus: quod autem diligentiam requirebat, dilatavimus &c. "

Quæcunque autem tum in hoc, tum in aliis Operibus meis ſcripſi, omnia, quanta maxima reverentia poſſum, ſubmitto judicio, & correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, cujus me filium obſequentiſſimum profiteor, ac teſtor.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM P. JO. VINCENTII PATUZZII ORD. PRÆD.
P. SIDENIO VERONENSI AUCTORE.

NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE VIRO

MARCHIONI ALOYSIO SALE

P. SIDENIUS VERONENSIS

S. P. D.

QUUM is invaluerit mos, quemadmodum optime noſcis Marchio præclariſſime, ut inluſtrium Virorum poſthumis Operibus aliquid etiam, quod ad Auctoris notitiam pertineat, adjungatur, officii mei rationem confidens poſſe aliquibus ſaltem probari, Chriſtianæ huic Ethicæ, quam Patuzzius ſcripſit, quamque modo docti hominis ſtudio vulgatam habemus, pauca de ejuſdem Auctoris moribus ſcriptiſque adjicere conſtitui, cura ejuſdem præclaris Sodalibus relicta cætera in vulgus emittendi, quæ illius memoriam magis magiſque valeant conſecrare. Dum itaque Patuzzii Elogium perſequor, dumque hoc modo mihi, Tibique videor tanti Viri deſiderium aliquantulum levare, ne quis nobis hoc genus ſolatii invideat, aut culpet velim. Vale & me Tui amantiſſimum amare perge.

Scribebam Veronæ Nonis Septembris MDCCLXIX.

„ *Hono-*

Digitized by Google

Honoratorum Virorum laudes memorentur.

Cic. Lib. II. de Leg.

NAtus eſt Joannes Vincentius Patuzzius Veronæ ex honeſta familia anno Dominicæ Incarnationis MDCC. die Julii decimanona. Quum eſſet ipſi egregia indoles & diſcendi cupiditas ſingularis, humanis litteris egregie in Patria imbutus eſt, maximamque illico injecit expectationem ſui. Hinc mira facilitate & eleganter loqui latine didicerat, & carmina felici vena fundebat, quæ vel ipſis in poeſi provectioribus probarentur. Grandiuſculus effectus conveniebat ſæpiſſime P. Tachettium, Concivem ſuum e Dominicana Familia morum ſanctitate celebrem. Hujus perſuaſionibus effectum eſt, ut adſciri in Congregationem B. Jacobi Salomonii flagitaret. Verum diuturno capitis dolore fere proſtratus, afflictuſque acerbius per eos dies, quibus illi Congregationi nomen dare cogitabat, hærere viſus eſt, ſeque imparem ad ſuſcipiendi Inſtituti obeunda munera prædicare. At Tachettii monitis facilem ſe præbuit, atque in propoſito manſit; nam dolore capitis ejuſdem manus attactu precibuſque levatus ita eſt, ut poſtea vix aliquando leviſſime eo permoleſto morbo tentatus ſit, quo adeo fuerat prima ætate divexatus. Hæc narrare ſolebat Patuzzius ipſe.

Ergo quum decimum & ſextum ætatis annum attigiſſet in celeberrimam illam Congregationem Conelliani admiſſus eſt die ſecunda Octobris A. 1717. ibique probationis anno exacto ſacris ſe Deo votis obſtrinxit. Tum philoſophicis theologiciſque diſciplinis addictus ea inter æquales ingenii ſubtilitate eminere cœpit, ut verius earumdem profeſſor, quam tyro videretur; adeo ſcilicet implexas, difficillimaſque quæſtiones intime penetrabat, dilucideque explicabat. Prompta illi erat memoria, ut quæ vel ſemel oculis uſurpaviſſet, ea diu ſervaret animo, & inſigni plane dicendi facilitate & elegantia proponeret. Hinc brevi iiſdem diſciplinis tradendis adlectus eſt. Quo munere multorum annorum ſpatio, Venetiis præcipue in Conventu Sanctiſſimi Roſarii, hoc eſt in Gymnaſio ſuæ Congregationis principe, defunctus eſt, ingenti diſcipulorum, qui eumdem frequentes audiverunt, utilitate. Sed licet acutiſſimo feracique eſſet ingenio, quo qui gaudent luxuriari plerumque ſolent, & novitates diligere, nunquam tamen a recta S. Thomæ Schola receſſit, illibatæ Thomiſtarum doctrinæ ſemper inhærens, & inconcuſſa ejuſdem dogmata ſtrenue propugnans; uti animadvertere Docti iis in Operibus poſſunt, quibus inſignis vereque ſummi Theologi communi Sapientum conſenſu nomen adſecutus eſt. Horum Operum Syllogen, quantum equidem polliceri audemus, adcuratiſſimam huic Elogio adjiciemus, ceu monumentum Patuzzio quovis marmore æreque perennius.

Hæ porro Patuzzii Scriptiones duas in claſſes partiri commode poſſunt; aliæ enim ad dogmaticam polemicamque Theologiam ſpectant, quarum aliquot gra-

Digitized by Google

graviſſima capita adverſus Heterodoxos vindicavit; alia morum doctrinam reſpiciunt, in cujus ſolidioribus tuendis propugnandiſque ab immani Catuiſtarum furore principiis eventu omnium feliciſſimo incubuit. Prima in claſſe numerantur *de Futuro Impiorum Statu Libri tres*; in quorum primo veritatem divinæ vindictæ, quæ improbos poſt mortem manet, invictis momentis ex Dei ſanctitate, juſtitia & providentia deſumptis; ex omnium nationum gentiumve conſenſu, fide, ac perſuaſione; ac denique luculentis perſpicuiſque ſacrarum Litterarum teſtimoniis oſtendit. In ſecundo libro de qualitate pœnarum diſſerit, quibus Impii in futura vita puniendi ſunt. Pœna illa expoſita & explicata, quam *Damni* Theologi appellant, ſive etiam *privativam*, quod in claræ Dei viſionis, omniumque bonorum privatione conſiſtat, ad pœnas *Senſus*, ſeu poſitivas progreditur, quibus Impii omnes pro ratione criminum plectendi ſunt. Tum his expoſitis luculentiſſime in pœna ignis vere proprieque dicti, quæ nunc in diſputationem ab inſanis hominibus revocatur, adſtruenda potiſſimum immoratur. In tertio demum libro de pœnarum alterius vitæ æternitate egregie diſputat, Opuſque abſolvit omnia Socinianorum, ac novorum Origeniſtarum argumenta ſolvendo. Tanto porro acumine ingenii, doctrina, eruditione demum ſelectiori argumentum propoſitum, quod nullus hactenus Theologus plene excuſſerat, pertractavit Patuzzius, ut meritiſſime Viri doctiſſimi Opus hoc inter inluſtriores, quæ hoc ſæculo prodierunt, elucubrationes enumeraverint. Ad egregii porro Operis hujuſce complementum, confecto fere jam bello cum Probabiliſtis, diſſertationem edidit adverſus Swindenium *de Sede Inferni in terris quærenda*, tributam in partes tres; in quarum prima nova refellitur opinio Doctoris Angli Inferni Sedem in Sole collocantis. In ſecunda communis veriorque ſententia de Sede Inferni ſubterranea defenditur, & illuſtratur. In tertia poſtremo ſenſus, & doctrina Eccleſiæ Catholicæ de Articulo Symboli Apoſtolici *Deſcendit ad inferos* propugnatur cum contra Swindenium, tum contra Voſſium, Bochartum, alioſque Heterodoxos. Egregia elucubratio, in qua nihil deſideres quod in Catholicæ Eccleſiæ dogmatum vindice optari poſſe videatur.

Sed multo plures ſunt elucubrationes, quas ſcripſit, ut caſtigatiorem Ethicen, ejuſque præclarum & apologiſtam & profeſſorem Danielem Conciniam, defenderet, & ſuſtineret. Eminent tamen inter iſtas *Epiſtolæ Theologico-Morales* plura in volumina diſtributæ, alterumve Opus *de Regula proxima humanarum actionum*. Rectiſſime porro de Epiſtolarum Theologico-Moralium præſtantia, pondere, ac pretio judicaſſe cenſeo Dionyſium Sandellium in notiſſimo Commentario *de vita & ſcriptis Danielis Concinæ*, Brixiæ primum anno 1767. tum alibi ſæpius typis expreſſo, & Italice etiam facto anno 1768. Integrum hujus Commentarii caput XXVIII. exſcribere operæ pretium fuerit. „ Anno MDCCXLVIII. „ *inquit Sandellius*, P. Jacobus Sanvitalis libellum edidit in vulgus, mole quidem exiguum, ſed odii acerbitate, & maledicendi licentia adeo immanem, ut tantum ignis ac ferocitatis in homine exactæ ætatis, atque jam jam ſupremi Judicis conſpectum ſubituro extitiſſe omnes ſummopere admirarentur .... At habuerat duces ipſe & quidem maximos quos ſequeretur, quorumque aſpera atque amarulenta veſtigia premeret. Præiverant ipſi P. Hercules Montius, Cocconatus auctor infamis Palinodiæ,

„ & alii , quorum jam a nobis men-
„ tio eſt habita . Hiſce ſcriptionibus
„ fere nihil Concina repoſuerat , par-
„ tim adverſariorum gratia ac poten-
„ tia præpeditus , partim vero quod
„ iis libellis unice ſui perſonam lace-
„ rari diſſiparique vir humillimus no-
„ ſceret ac lætaretur . At vero quam-
„ quam ea maledictorum ſors ſit , ut
„ in eximia ac ſingulari dignitate ho-
„ minem jacta ſua ſponte extinguantur,
„ quemadmodum ignis in aquam con-
„ jectus , fuerant tamen ea calliditate,
„ atque arte in eum ſparſa , ut ejus
„ adverſarii præter ſpem benignos le-
„ ctores auditoreſque , qui portentoſa
„ mendacia devorarent , ſe eſſe nactos
„ conſpicerent , atque brevi Concinam
„ ſummam in invidiam adductum iri
„ ſecum ipſi geſtirent . Accedente li-
„ bellis editis contumelioſa eorumdem
„ jugique vociferatione ſeverior in eum
„ concepta rabies, quam laxioris Ethi-
„ ces nimius incendebat amor , ita de-
„ mum exarſerat , ut multi in eximium
„ virum perfectiſſime furere viderentur.
„ In compitis & circulis cuncta in ip-
„ ſum conferebantur maledicta , non
„ illa quidem nobilioris ſpeciei , ſed
„ e triviis ac fornicibus deſumpta . In-
„ ſidiæ erant ubique ſtructæ , & ca-
„ lumniæ quam appoſitiſſime ad verita-
„ tis imaginem confictæ . Quæ quidem
„ primum domos nobilium , aliorum-
„ que exinde cujuſvis generis multo-
„ rum hominum circumlatæ celebra-
„ tæque ſermonibus (quippe quaspar-
„ tim in deterius perſuaſio , partim ad-
„ verſariorum exquiſitum artificium ex-
„ citabat) ad Romanæ Eccleſiæ pro-
„ ceres, ſæculique principes non ita
„ ſero pervenerant . Vulgus ut eſt plu-
„ ma & folio levius , quem ſæpe mul-
„ to cum gaudio e ſacro pulpito di-
„ centem , aliaque pietatis opera exſe-
„ quentem conſpexerat , repente con-
„ temnere & exſecrari acerbius in die
„ cœpit . Plerique vero , licet magna
„ ex parte fictas eſſe hujuſcemodi cri-
„ minationes arbitrarentur , tamen rati
„ ſubeſſe profecto neſcio quid ſanioris
„ Ethices vindicandæ ſtudio contectum,
„ quod tantæ invidiæ flammam fove-
„ ret , & aleret , vel immutata , vel
„ labefactata in eum penitus voluntate
„ ferebantur ; atque ut paucis multa
„ complectar, talis erat Conciniani no-
„ minis exſecratio, ut in pleriſque Ci-
„ vitatibus , iiſque maxime , in qui-
„ bus Patres Societatis ſumma rerum
„ potiuntur , horrerent multi ad tanti
„ Viri memoriam , pauci vero vix
„ tacita admurmuratione auderent Con-
„ cinæ nomen in aures inſuſurrare , ne
„ in adſtantium incurrerent reprehen-
„ ſiones . Tanta erat PP. Societatis in
„ Concinam acerbitatis , atque odii
„ magnitudo . Sed tanto in diſcrimine,
„ quo veritatis , atque Chriſtianæ do-
„ ctrinæ ſectatores trepidare , atque ti-
„ mere fere cogebantur , Deus Opti-
„ mus Maximus , qui veritatem oppu-
„ gnari quidem , expugnari vero nun-
„ quam ſinit, eam egregiis Viris mentem
„ injecit , ut dum Concina uberiorem
„ Eccleſiæ navaret operam , ipſi veri
„ patres ſuſciperent , & Chriſtianam
„ Ethicen tot ſcriptionibus vocibuſque
„ pulſatam ſuſtinerent , ac Concinam
„ præclarum illius adſertorem vindica-
„ rent . His tamen Apologiſtis , quos
„ ſuo loco nominabimus, palmam præ-
„ ripuiſſe viſus eſt P. Joannes Vincen-
„ tius *Patuzzius* , qui multa ac ma-
„ gna , quæ ad juvandam Eccleſiam
„ Concina præſtiterat , atque aggredi
„ impoſterum meditabatur, mente ac
„ cogitatione complexus , veritusque ,
„ ne ſi quid ſuſpicionis incommodæ ,
„ aut ſi qua dedecoris nota ipſi adhæ-
„ reſceret , vel omnes ipſius conatus
„ irritos redderet , vel magnum cæte-
„ ris pro Dei Eccleſia agendis rebus
„ impedimentum afferret , cauſſæ ejus
„ pa-

Digitized by Google

„ patrocinium ſuſcipere conſtituit. Itaque ejus adverſariorum artium apprime gnarus, inſtructuſque iis omnibus, quæ ad ſolidam abſolutamque conficiendam Apologiam requirebantur, bonis plane avibus conſcripſit, evulgavitque epiſtolas, quibus ut aliorum magis quam ſuo indulgeret genio hunc titulum indidit ſub adſcititio nomine Euſebii Eraniſtis: *Lettere Teologico-Morali di Euſebio Eraniſte all' Autore della* Raccolta *delle molte propoſizioni ec. in difeſa della Storia del Probabiliſmo del P. Daniello Concina ec.* Momenta in præfatione recenſet, quibus permotus Concinæ vindicias aggreſſus eſt, idque cum ibidem, tum alibi adeo diligenter & vere exſequitur, ut nemo ſanus ipſum aut Concinam protracti certaminis incuſare poſſit ...... Harum epiſtolarum dignitatem ac pondus agnovere quotquot præjudiciis vacui ſunt homines, agnoverunt & Jeſuitæ ipſi, qui amariſſime earum evulgationem pertulerunt. Sane ea doctorum hominum ſententia eſt, nihil in hoc genere poſt celeberrimas Blaſii *Paſchalis* ad Provincialem Epiſtolas politius ſolidiuſque adverſus Jeſuitarum Caſuiſtas prodiiſſe. Elucet ubique firmiſſimæ doctrinæ ſupellex, mira rerum Theologicarum atque Caſuiſtarum eruditio, admirabilis propemodum ratiocinandi vis, qua Concinæ adverſarios inſequitur, & in deſperationem adducit. Cumque ab apologeticis hujuſce generis libris modeſtia & urbanitas longius abeſſe plerumque ſoleant, ita Concinæ vindicias egit Patuzzius, ut de ſtylo, deque ſcriptionis ratione queri nonniſi ii injuria poſſint, qui mollioris Ethices magiſtros lepore, pauloque aſperioribus verbis excipi ægre ferunt. Cæterum tanto bonorum gaudio hæ exceptæ epiſtolæ ſunt, ut gratias Deo maximas plerique egerint, quod talem tantumque Virum adeo opportuno tempore excitaſſet. Ego certe, quamvis Concinæ ingenium, ejuſque Opera poſt viros celeberrimos maxime ſuſpiciam, arbitror tamen nedum opportunas, ſed vero maxime neceſſarias fuiſſe *Patuzzii* epiſtolas, ne Chriſtiana Ethice tam multiplicibus impetita ſcriptionibus apud minus doctos tantis cavillationibus atque tricis ſuccubuiſſe videretur. Etſi enim multæ adverſus Concinam PP. Societatis ſcriptiones profecto miſerrimæ eſſent, illotumque cauſſæ proderent apertiſſimam deſperationem, erant tamen nonnullæ, quæ plurimos deceperant, ex eorum utique numero, qui aut ingenio ad fallacias ac ſophiſmata dignoſcenda non valent, aut utriuſque certantium partis momenta æqua lance librare nunquam didicerunt, aut denique quorum mens mirabili artificio ita fuerat infuſcata, ut pecudes æmulati omnia adverſus Concinam ſcripta tamquam veriſſima prædicarent. Ita ſane quorumdam Opuſculorum pondus, ſi quod in ipſis reperiebatur, jugi auctorum commendatione erat auctum per quaſcumque partes, & eorum falſitas a nemine eo, quo neceſſe erat, modo patefacta, ſe ſe quodammodo ſupra pulcherrimam veri naturam erigere, caputque extollere videbatur. Mala ſane res non in Concinam tantum, ſed in ejus univerſum Ordinem parabatur, niſi ſtatim *Patuzzius* accurriſſet ad Ethices incorruptæ dogmata, quæ ſemper Prædicatorum Familia conſectata eſt, ſuſtinenda atque vindicanda. Hinc ſingulari prorſus commendatione atque laude talis tantuſque Vir ab tam clara, deque Eccleſia meritiſſima Familia proſequendus eſt. Ac quemadmodum olim ce-

„ lebratus eſt, & nunc etiam jure efferturr Thomas *Lemoſius*, qui in celeberrimis Congregationibus *de divinæ Gratiæ Auxiliis* tutiſſimam veriſſimamque SS. Auguſtini & Thomæ ſententiam egregie defendit, ita *Patuzzii* memoria annalium honore excipienda eſt, qui in furioſiſſimis de Probabilitate concertationibus caſtigatiorem morum doctrinam admirabili perſpicuitate ita tutatus eſt, ut magnifice ſatis oſtenderit, vetus illud in Ordine Prædicatorum pro recta morum doctrina pugnandi ſtudium nec poſſe ſopiri temporibus, nec unquam extingui. Quare ſingulari Dei providentiæ id maxime tribuendum eſt, Concinæ vero non inter poſtremas laudes ponendum, quod in magno nominis doctrinæque diſcrimine talis, tantuſque ſurrexerit Apologiſta. Quæ viri celeberrimi in harum epiſtolarum Auctorem elogia protulerunt, notiora ſunt quam ut in iis recitandis ipſe laborem. Multorum laudibus ergo tantum adjiciam, jam non amplius Italiam queri uti antea poſſe, neque tam aperte Galliæ *Paſchalis* epiſtolas invidere. Habet enim, ſi quidem ſanis uti oculis velit, in *Patuzzii* epiſtolis quid quid gratiæ, leporis, elegantiæ, eruditionis, atque doctrinæ in Gallo Scriptore tantopere demiratur. Hominem habet ſine livoris & doctrinæ ſuſpicione innocui hominis cauſſam agentem, & firmam probatamque doctrinam eximia methodo, atque nervi plena oratione ubique proponentem. Ita laceratum crudeliter Concinæ nomen celeberrimi hujus Apologiſtæ laboribus clarum cœpit exſurgere, & fugatis nebulis maculiſque aliquot nigris vividius quam antea coruſcare. Atqui quod magni faciendum eſt, ii qui captioſis ſcriptionibus decepti a Concinæ caſtris diſceſſerant, veritati apertis luminibus, in eadem ſe denuo receperunt . . . Jeſuitæ autem ſicuti editos a Concina libros refellere, & carpere quotidie cogitabant, ita *Patuzzii* epiſtolas, quarum inſigne pondus eorum multi agnoſcebant, exiſtimatione dejicere primum pertentarunt; publicis in Gymnaſiis compitiſque vociferando illas *ex Diaboli officina* prodiiſſe. Quum voce nihil fere proficerent, Magiſtratus adverſus eaſdem armarunt, ut ſæculi Principum favore obtinerent quod ab Eccleſiæ judicibus ratione ſe adſequi poſſe deſperabant. At fruſtra. Eas igitur exagitare adniſi ſunt quaquaverſum, ſed infeliciſſimo eventu ". Hæc Sandellius, qui poſtea aliis in Capitibus ejuſdem Commentarii cæteros Patuzzii libros, quibus plane de adverſariis ſuis triumphavit, enumerat, & fata recenſet ſcriptionum, quas PP. Societatis Patuzzio & Concinæ objecerunt.

Interim quum varios Theologiæ morum pertractatores, ut Danielis Concinæ inimicis reſponderet, evolviſſet, multaſque ac fere infinitas Caſuiſtarum artes perſpectas haberet, ſtatuit extremum elaboratiſſimo Opere Probabiliſmo fatum inferre. Tractatum hinc ſcripſit *de Regula proxima humanarum Actionum*, quatuor in partes diſtributum. In prima utrumque ſyſtema Anti-probabiliſtarum ſcilicet & Probabiliſtarum exponit. In ſecunda novum horumce ſyſtema primis Patribus ac magiſtris incognitum fuiſſe, abſurdum denique & exitioſum fore oſtendit, cum multis rationibus & momentis, tum præcipue ex omnium Eccleſiarum & Epiſcoporum conſenſu. Quod maximi ponderis argumentum, a nemine antea pro dignitate illuſtratum atque propoſitum, in tota urget tertia Tractatus parte. In poſtrema denique a ratione & auctoritate depromptis argumentis proba-

babiliorem ſententiam in delectu opinionum & humanarum actionum regula ſeligendam eſſe demonſtrat, plureſque rectiſſime conſecutiones deducit, quæ ad publicum privatumque bonum maxime conducunt, ſummique ſunt uſus, atque neceſſitatis. Sed de præcipuis Patuzzii libris hæc dixiſſe ſufficiant. Ultra Elogii fines excurrerem, ſi ad cæteras Patuzzii elucubrationes oratio dilaberetur.

Supereſt, ut de ejus morte moribuſque dicamus, quod paucis abſolvemus. Atque in narrando extremo ejus morbo, ac fato verbis utemur P. Petri Fantinii, qui encyclicam epiſtolam, qua Patuzzii funus acerbum nunciatum eſt, eleganter conſcripſit. " Nervo-
„ rum convulſionibus, inquit Fantinius,
„ jam a pluribus annis excruciabatur,
„ quibus ut aeris immutatione, & mi-
„ neralium aquarum potu mederetur,
„ Vicentiam, uti ſolebat, perrexit apud
„ nobiliſſimum ſimul ac Clariſſimum
„ Virum ſibi arcta benevolentia con-
„ junctum, quocum rus ab urbe non
„ admodum diſtans conceſſit, ut inibi
„ tum animi tum corporis quiete ab
„ incommoda valetudine levaretur. Ve-
„ rum inopinato illum dira apoplexis
„ invaſit, & omnibus repente viribus
„ deſtitutus non prius ægrotus quam
„ morti proximus apparuit. Ubi de
„ tam repentino morbo rumor ad nos
„ pervenit, licet & Religionis Socius,
„ & duo ex proximo S. Coronæ Cœ-
„ nobio Patres adeſſent, miſſi tamen
„ ſunt viri concellitæ ex noſtro Col-
„ legio, qui tam venerando Capiti &
„ amantiſſimo Conſodali opem ſi quam
„ poſſent ſtudioſiſſime ferrent. At acer-
„ bum illis fuit & magni mœroris aſ-
„ picere tantam mentis aciem hebetem
„ omnino & obtuſam, ut vix eos di-
„ gnoverit. Jam ſtatim in ipſo morbi
„ initio ſacram exomologeſim peregerat,
„ divinam Euchariſtiam ſuſceperat,
„ ſanctoque Oleo fuerat delibutus, quæ
„ Sacramenta adhuc ſui compos ſum-
„ ma pietate ac religione ſuſceperat,
„ ſed paulò poſt vi morbi invaleſcen-
„ te, & mentem penitus obruente,
„ diutiſſimum, atque acerbiſſimum ſu-
„ ſtinuit agonem, quo vere mortem
„ guſtaſſe viſus eſt, donec tandem ſub
„ veſperas feriæ ſextæ ſolemnitatem
„ Corporis Chriſti ſubſequentis ani-
„ mam ſuo reddidit Creatori anno æta-
„ tis ſuæ ſexageſimo nono nondum ex-
„ pleto, & ab emiſſa profeſſione quin-
„ quageſimo. Juſta pro loci exiguita-
„ te & anguſtia ſolemniter perſoluta
„ ſunt. Depoſitionis officium peregit
„ Reverendiſſimus Vicentinæ Cathedra-
„ lis Canonicus Archipreſbyter nobi-
„ liſſimi Hoſpitis filius, adſtantibus Pa-
„ rochis, aliiſque cum ex Ordine no-
„ ſtro, tum ex Clero Seculari presby-
„ teris. In ſepulcro clariſſimæ Fami-
„ liæ conditum cadaver, capſa inclu-
„ ſum, & ſcheda membranacea mu-
„ nitum; noluit ſiquidem amantiſſima
„ Hoſpitis Familia nec a ſe in morte
„ diſſociatum Virum, quem tanto ami-
„ citiæ fœdere ſibi viventem copula-
„ verat. Ipſi ruſtici, quorum bene-
„ volentiam ſua humanitate, pietate,
„ ac ſpirituali beneficentia ſibi conci-
„ liaverat, de ejus obitu tum uberi
„ lacrymarum effuſione, tum in Eccle-
„ ſia ad ei bene precandum affluxu
„ mœrorem atque triſtitiam patefecere."

Capſæ hæc fuerat una cum corpore condita inſcriptio, quam heic exſcribimus; nam eadem ejus viri nomen innoteſcet, qui adeo Patuzzium coluit & dilexit.

Cineres.

R. A. P. Jo. Vincentii Patuzzii Veronenſis O. PP. ex Veneta Congregatione, Viri pietate, doctrina, zelo conſpicui, libriſque editis celeberrimi. Obiit

apud

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

apud Marchionem Aloyſium Sale brevi morbo conſumptus Sacramentis munitus adſtantibus tribus ſuæ Congregationis FF. anno 1769. ſexto Kalend. Junias.

Fuit Patuzzius eximia erga Deum pietate, integerrimis moribus, ſumma ingenuitate, atque animi candore prope ſingulari. Ea vero corporis ſtatura, & habitu, ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectoque eodem quærerent, famam pauci interpretarentur. Pertinaciſſimum tamen tot annorum ſtudium, tot vigilias, quæ ſæpe alios labefactare, aut conficere etiam ſolent, athletica ille quadam corporis firmitate facile ſuperabat. Sed præclaras doctrinæ ingeniique laudes, proſequitur laudatus Fantinius, religioſi animi dotes, & probatæ ac incorruptæ vitæ ingenui mores comitabantur & exornabant. Præcipue in eo evangelica ſimplicitas emicabat, quæ tantum & tam acris ingenii virum vix in communi convictu dignoſcere ſinebat. Magnanimus ſiquidem in eo cernebatur humanarum rerum & ſui contemptus, ſolida & ſine fuco pietas, candor animi ingenuus ſimulationis expers, neſcius calliditatis, morum facilitas, modeſtia, & humanitas ſingularis. Ab omnibus ſemper dignitatibus, & præfecturis abhorruit, ad quas ſe ineptum omnino modeſtiſſime agnoſcebat, & prædicabat. Lectoris tamen munere per plures annos functus eſt. Conciones etiam frequentes habuit tum in noſtris, tum in alienis Eccleſiis, & aliquando etiam fidelium Confeſſiones excepit. A quo tamen officio poſtremis annis omnino abſtinuit, Ethicæ Chriſtianæ, quæ nunc editur, conſcribendæ totus intentus. Sed ad cætera Patuzzii Opera enumeranda accedamus, & accurata eorumdem ſylloge finem ejuſdem Elogio tandem imponamus.

CATALOGUS

Operum editorum a P. Jo. Vincentio Patuzzio Ord. Præd.

1. *Vita della Venerabile Serva di Dio Fialetta Roſa Fialetti del Terz' Ordine di S. Domenico, coll' aggiunta di alcune ſue Lettere, Canzoni ed altre ſpirituali Operette. In Venezia appreſſo Simone Occhi* 1740. *in* 4. Probatiſſima hæc Virgo veſtes exterius induta ſeculares omnes vitæ ſuæ annos exegit, ſed intus laneum Scapulare, cyclademque laneam geſtabat. Delicatioris conſcientiæ ſcrupulis acta Regulæ Sororum Tertii Ord. Prædicatorum profeſſionem non emiſit, quam tamen pro viribus diligenter colere & obſervare ſtuduit. Ita Vir Cl. P. de Rubeis in Comment. de rebus Congregationis B. Jacobi Salomonii pag. 190.

2. *Difeſa della Dottrina dell' Angelico Dottor S. Tommaſo ſopra l'Articolo quarto della q.* 154. 2. 2. *In Lucca per Filippo Maria Benedini* 1746. *in* 4. abſque nomine Auctoris. Edidit autem hoc Opus adverſus eas omnes ſcriptiones, jam antea ab Eccleſia ſolemni ſententia anathemate confixas, quas nonnulli Scriptores Societatis ediderant in vindicias doctrinæ P. Bernardini Bentii Jeſuitæ, qui in explanatione Caſuum in Veneta Diœceſi reſervatorum putide docuerat, vellicare genas & mammillas tangere Monialium actus eſſe ſubimpudicos de ſe veniales, & ſolum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. Hanc ſcandali plenam doctrinam S. Thomæ P. Polius Jeſuita adſcripſerat in Opuſculo furtivis typis edito atque inſcripto *Dottrina di S. Tommaſo* &c. quod Patuzzius hoc in Opere præcipue excuſſit. Cæteri Theologi, *Mammillariſtæ* propterea appellati, qui ex Societate ea

in

in concertatione proſcriptam doctrinam defenderunt, celebriores fuerunt PP. Faurius, Turanius, Curtius, Caſtellinus, & Auctor cerbereæ Palinodiæ editæ ſub nomine Danielis Concinæ.

3. *De futuro Impiorum Statu Libri tres, ubi adverſus Deiſtas, nuperos Origeniſtas, Socinianos, alioſque Novatores Eccleſiæ Catholicæ doctrina de Pœnarum Inferni veritate, qualitate, & æternitate aſſeritur, & illuſtratur. Typis Seminarii Veronenſis* 1748 *in* 4. Opus inſcriptum Jo. Bragadeno Veronenſi Epiſcopo, & denuo editum cum pluribus additionibus Venetiis ex Typographia Remondiniana 1764. in 4.

4 *Lettere Teologico-Morali di Euſebio Eraniſte all' Autore della Raccolta delle molte propoſizioni &c. in difeſa dell' Iſtoria del Probabiliſmo del P. Daniello Concina. Si aggiugne un diſtinto ragguaglio delle controverſie Letterarie paſſate tra il detto P. Daniello Concina, ed i ſuoi Avverſarj, e dei libri ſtampati dall' una, e dall' altra parte. In* 8. 2. *tom. in Trento* (Venetiis apud Simonem Occhi) 1751. Eodem anno ter typis recuſa fuerunt hæc duo Epiſtolarum volumina. P Jacobus Sanvitalis, his in Epiſtolis præ cæteris exagitatus, adverſus Patuzzium plures ſcriptiunculas Tridenti & Lucæ evulgavit. Sanvitali reſponderunt Auctores anonymi Opuſculorum ita inſcriptorum *Note Anticritiche di Eudoſſo Filenio* &c. & *Lettere di Adelfo Cariteo, e Filarmindo Arenio &c.*; at demum Patuzzius ipſe, qui capta occaſione librum etiam in examen vocavit editum adverſus Concinam a P. Carolo Noceto, Poeta e Societate Jeſu, atque inſcripto *Veritas Vindicata*. Edidit itaque Patuzzius

5. *Lettere Teologico-Morali in continuazione della difeſa della Storia del Probabiliſmo, e Rigoriſmo &c. del P. Daniello Concina Tomo terzo e quarto. Si aggiungono alcune Oſſervazioni ſul nuovo libro pubblicato col titolo di* Veritas Vindicata. *In Trento* (Venezia appreſſo Simone Occhi) 1753. 2. tom. in 8. Quum Sanvitalis adverſus ſuperiores Epiſtolas, & aliorum adverſus cæteras ejulatus nihilo meliorem Probabiliſtarum cauſſam effeciſſent, & Patuzzi Epiſtolæ ubique collaudarentur, PP. Societatis fortiores milites excitarunt adverſus Patuzzium & Concinam. Hos inter præcipuus fuit P. Philibertus Balla Pedemontanus, in Taurinenſi Societatis Collegio Rhetor exercitatus, qui an. 1753. Epiſtolarum Theologico-Moralium confutationem aggreſſus eſt. Huic nervoſe & ſolide reſpondit primo cum Patuzzius, tum inde cæteris Ballæ epiſtolis Camillus Migliolius.

6 *Lettere Teologico-Morali in continuazione della difeſa della Storia del Probabiliſmo e Rigoriſmo* &c. *del Padre Daniello Concina, ovvero Confutazione della Riſpoſta pubblicata dal M. R. P. B. della Compagnia di Gesù contro i due primi tomi delle Lettere di Euſebio Eraniſte. In Trento* (in Venezia appreſſo Simone Occhi) 1754. 2. *tom. in* 8. Quum interim P. Franciſcus Antonius Zacharias in famoſa *Hiſtoria Litteraria* perpetuo Concinam inſectaretur, & canino dente lacerare conaretur, univerſas ejuſdem male ſanas cenſuras Patuzzius examinandas ſuſcepit ſequenti Opere, in quo Ballæ etiam quintam adverſus ſe Epiſtolam expendit, dimiſſa cura plenæ confutationis laudato Migliolio, qui eandem jam ſuſceperat. Vulgavit itaque Patuzzius

7. *Oſſervazioni ſopra varj punti d'Iſtoria Letteraria, eſpoſte in alcune Lettere da Euſebio Eraniſte dirette al M. R. P. Franceſco Antonio Zaccaria con due Appendici, altra in riſpoſta alla quinta Lettera del M. R. P. Filiberto Balla, altra di documenti* &c.

In

Digitized by Google

In Venezia preſſo Simone Occhi 1756. 2. *tomi in* 8. ac denuo apud eumdem 1760.

8. *De Re Sacramentaria contra perduelles hæreticos Libri decem &c. cura & ſtudio R. P. F. Renati Hyacinthi Drouven Doctoris Sorbonici Ord. Præd. Editio ſecunda cum Notis & additionibus P. F. Jo. Vincentii Patuzzii . Venetiis apud Thomam Bettinelli* 1756. 2. *tom. in fol.*

9. *Lettera Enciclica del Sommo Pontefice Benedetto XIV. diretta alla Aſſemblea Generale del Clero Gallicano, illuſtrata e difeſa da Euſebio Eraniſte contro l'Autore de' dubbj , o queſiti propoſti ai Cardinali , e Teologi della Sagra Congregazione di Propaganda . In Lugano nella Stamperia privilegiata della Suprema Superiorità Elvetica* 1758. *in* 8. ac denuo Venetiis 1759. apud Joſephum Bettinellum . Hæc Editio Collectioni ſextæ rerum inſerta eſt , quæ ad Jeſuitas Luſitaniæ ſpectant . Denuo cum additionibus & monumentis Venetiis apud eumdem Bettinellum 1761. ac tandem Gallice *à Utrecht aux depens de la Compagnie in* 12. Patuzzi Opus , quod quinque in epiſtolas diſtributum eſt , probaverat , antequam ederetur , Pontifex ipſe ſapientiſſimus Benedictus XIV. Nota eſt praxis & norma ab eodem an. 1757. die 5. Septembris conſtituta , atque ſervanda in adminiſtratione Sacramentorum erga eos , qui Bullæ illi , quæ incipit *Unigenitus* , adverſari dicuntur . At Pontificis eximiam Epiſtolam reprehendere auſus eſt P. Faurius Jeſuita famoſorum libellorum celebris , & notiſſimus architectus , cui propterea ceu proculcatæ Pontificiæ Majeſtatis reo hoc opus objecit Patuzzius . Porro inter cætera , quæ docuit noſter, duo ſunt , quæ licet veriſſime dicta, diſplicuerunt tamen nonnullis hominibus , minime quidem malis , ſed minus Theologis quam par ſit . Docuit ſcilicet Patuzzius , Bullam *Unigenitus* nec regulam Fidei dici poſſe , nec eſſe , Conciliumque Romanum Benedicto XIII. in Lateranenſi Eccleſia celebratum tit. 1. cap. 2. ubi eadem Bulla ceu regula Fidei proponitur , corruptum ac depravatum fuiſſe . P. Joſephus Antonius Ferrarius T. ſecundo *Theologiæ Scholaſtico Critica-Hiſtorico-dogmaticæ ad mentem ſubtiliſſimi Magiſtri & Doctoris Mariani Joannis Dunſii Scoti* diſſ. V. ad tract. IV. q. VIII. multa congerit , ut Bullam Unigenitus ceu Fidei regulam ſtatuat , quod Romani Pontifices nunquam declarare voluerunt , Romanique Concilii corruptionem , a Patuzzio firmis argumentis confirmatam , *temere prorſus confictam* fuiſſe probare leviſſimis duobus argumentis adnilus eſt . Erunt fortaſſe qui Ferrario in utroque capite ſatisfacient . Interim qui Ferrarium hac in re , aliiſque multis , quæ de ſummis doctiſque viris enarravit , accurate legerit , facile cognoſcet eumdem multa *temere prorſus* & inconſiderate eo in tomo complexum fuiſſe .

10. *Trattato della Regola proſſima delle azioni umane nella ſcelta delle opinioni , in cui ſi dimoſtra la falſità, improbabilità , e aſſurdità del Siſtema Probabiliſtico , e il grave pericolo di chi in pratica lo ſegue . In Venezia preſſo Simone Occhi . An.* 1759. 2. *tomi in* 4. Idem latine factum prodiit apud eumdem 1761.

11. *Breve inſtruzione ſopra la Regola proſſima delle azioni umane nella ſcelta delle opinioni , neceſſaria a tutte quelle anime , che bramano di camminare la via ſicura della ſalute , eſtratta dal trattato ec. In Venezia appreſſo Gio: Tevernin* 1759. *in* 8. Idem cum additionibus Neapoli apud Joſephum Dominici 1761. in 8. Mediolani apud Federicum Agnelli 1763. Idem deni-

que

que latine Venetiis ex Typographia Remondiniana 1762. atque denuo in tribus Theologiæ Moralis Voluminibus, a Gaſpare Vattolo ſcriptis, editiſque Venetiis.

12. *De Indulgentiis, & requiſitis præſertim ad eas recipiendas diſpoſitionibus, & Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ in conferendis, ac recipiendis iiſdem illuſtratio. Romæ apud Fratres Palearinos* 1760. *in* 16. Laudat hanc elucubrationem, adverſus Societatis Theologum ſcriptam, Jo. Lamius in Ephemeridibus Florentinis an. 1761. col. 327. Prodiit primo ſub adſcititio nomine *Nicolai Giunchi de Raſpantinis Presbyteri Romani*, ſed in editione Ratisbonæ, & Viennæ apud Emericum Felicem Bader an. 1760. verum Auctoris nomen, Patuzzii ſcilicet, adparet.

13. *Eſpoſizioni ſulla dottrina Criſtiana, opera utiliſſima ad ogni genere di perſone, sì Eccleſiaſtiche, che Secolari ec. Nuova Edizione riveduta, e corretta. In Venezia* 1761. *nella Stamperia Remondini*. Hoc opus primum Gallice editum fuit a Cl. Viro Ab. Mezengui, ac deinde Italice verſum prodiit Neapoli. Novam hanc editionem curavit Patuzzius, in qua ita Opus totum ſedulo emendavit, ut non amplius Romanæ cenſuræ obnoxium eſſet.

14. *Lettere ad un Miniſtro di Stato ſopra le morali dottrine de' moderni Caſiſti, e i graviſſimi danni che ne riſultano al pubblico bene, alla Società Civile, e a i diritti, autorità, e ſicurezza de' Sovrani. In 8. 2. Tomi. In Venezia* 1761. Eadem Editio ibidem caſtigata & aucta apud Thomam Bettinellum 1763. Utraque prodiit ſub nomine *Euſebii Eraniſtis*.

15. *Lettere Apologetiche, ovvero difeſa della dottrina dell' Angelico Dottor della Chieſa S. Tommaſo d'Aquino, contro le calunnie de' ſuoi accuſatori ſulla materia del tirannicidio. Si aggiugne la difeſa del R. P. Daniello Concina ſullo ſteſſo argomento contro l'Autore delle lettere ad un Conte. In Venezia nella Stamperia Remondini* 1763. *in* 8. præfixo nomine pariter *Euſebii Eraniſtis*.

16. *De Sede Inferni in terris quærenda diſſertatio ad complementum Operis de futuro Impiorum Statu, tributa in partes tres. In quarum prima nova refellitur opinio Swindenii, Doctoris Angli, ſedem Inferni in Sole collocantis. In altera communis ſententia de Sede Inferni ſubterranea defenditur, & illuſtratur. In tertia ſenſus ac doctrina Eccleſiæ Catholicæ de articulo Symboli Apoſtolici* deſcendit ad inferos *propugnatur, tum contra Swindenium, tum contra Voſſium, Bochartum, alioſque heterodoxos, Venetiis ex Typographia Remondiniana* 1763. *in* 4.

17. *La Cauſa del Probabiliſmo richiamata all' eſame da Monſignor Don Alfonſo de Liguori, e convinta novellamente di falſità da Adelfo Doſiteo; ovvero riſpoſta alla breve diſſ. dell' uſo moderato dell' Opinione probabile ec. In Ferrara* (in Venezia) *a ſpeſe Remondini* 1764. *in* 8. Idem opus denuo Neapoli apud Joſephum de Dominicis 1764. in 8. in qua editione: *Si aggiugne oltre la breve diſſ. dell' uſo moderato dell' Opinione probabile, pienamente confutata colla preſente riſpoſta, una lettera edificante del Sig. Abate Du-Barail, ratificata dal Reverendiſſimo P. de la Valette, in teſtimonio della pietà, e Religione di Monſignor di Sciſſons, contro le calunnie ſparſe da' ſuoi Detrattori.* Cum vero Ligorius huic confutationi reſpondiſſet, Patuzzius iterum in arenam deſcendit ſequenti Opuſculo.

18. *Oſſervazioni Teologiche ſopra l'Apologia dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignor D. Alfonſo de Liguori contro il libro intitolato* la Cauſa

Digitized by Google

del Probabiliſmo &c. *nelle quali ſi eſpongono con maggior lume la falſità, e inſuſſiſtenza del nuovo ſiſtema Probabiliſtico, da Monſignore propoſto e difeſo. In Ferrara* (in Venezia) *a ſpeſe Remondini* 1765. *in* 8. præfixo nomine *Adelphi Doſithei*. Quum vero nihil Ligorius, contra ac Probabiliſtis mos ſit, jam ultra haberet, quod validiſſimis hiſce Patuzzii ſcriptis opponeret, velletque tamen omnino aliquam, quam ſuis ſcriptiunculis haud poterat, adverſario ſuo conflare invidiam, Patuzzii omnia adverſus ſe ſcripta, ad Sacram Indicis Congregationem deferri procuravit, ut ab eadem ceu Epiſcopali dignitati, ſibique admodum injurioſa damnarentur. At quis Ligorium tuliſſet de ſtylo Patuzzii forti, ac vehementi conquerentem? Quum ipſe Ligorius Theologiæ ſuæ Benedicto XIV. nuncupatæ, & tertio Remondinianis Typis editæ P. Franciſci Antonii Zachariæ diſſertationem *de Caſuiſticæ Theologiæ originibus* præfixerit, cujus Auctor in Concinam & alios furit, ac debacchatur? Liceat hæc duo verba perdidiſſe. Patuzzii igitur modo memorata adverſus Ligorium ſcripta Romæ oculis ſubjecta fidelibus omnem effugere cenſuram, dignaque prorſus ſunt habita viro Theologo, qui ſtrenue ſaniorem opinandi methodum nullo perterrefactus titulo, aut gratia permotus perſonarum defendiſſet.

Hæc ſunt Patuzzii ſcripta uſque modo typis vulgata; quibus adjicere quis poterit, ſi velit, plures Libellos continentes philoſophicas theologicaſque Theſes, elegantiſſimis plerumque carminibus exornatas ad viros ampliſſimos. Poſt abſolutam *Ethicam Chriſtianam* ingens Opus *de Miraculis* ſcribere cogitabat, multaque ad hanc ſpartam exornandam jam paraverat documenta.

PRO-

Digitized by Google

PRODROMUS
AD UNIVERSAM
MORUM THEOLOGIAM
DE LOCIS
THEOLOGIÆ MORALIS.

QUandoquidem *de Locis Theologicis* multa ſapienter, & accurate diſputata ſunt a præſtantiſſimis viris, ac præſertim a doctiſſimo Melchiore Cano in inſigni Opere ſuo de hoc argumento; paucis ego complectar omnia, quæ ad inſtitutum meum proximius pertinere poſſunt, tradendæ ſcilicet Theologiæ, non quidem univerſim, ſed quæ morum duntaxat diſciplinam ſpectat. Quamquam vero plura ſint, quæ aſſignari frequentius ſolent, Loca Theologica, ex quibus idonea argumenta promuntur ad divinam hanc Scientiam tractandam, moreſque hominum inſtituendos; mihi tamen lubet ad duo præcipua contrahere, *Sacram* videlicet *Scripturam*, ac *Divinas Traditiones*, quibus omnis, quæ facta nobis a Deo revelatio eſt, continetur: quæcunque enim alia afferuntur, de quibus etiam nonnulla dicemus, ad hanc vel *certo*; vel *probabiliter* cognoſcendam duntaxat inſerviunt. De his itaque in hoc præliminari Tractatu potiſſimum diſſeremus, uſumque indicabimus, qui de his fieri poteſt, ac debet in Morali Theologia: ac primum de neceſſitate divinæ revelationis ad hominum mores recte informandos quædam prænotabimus.

CAPUT I.

De neceſſitate Divinæ Revelationis in Morum Theologia.

PRæclara S. Thomæ animadverſio eſt, quam tradit in limine *Summæ* ſuæ *Theologicæ*, præter philoſophicas diſciplinas neceſſariam fuiſſe ad humanam ſalutem aliam ſcientiam, ſive doctrinam, quæ per Dei revelationem haberetur : quam neceſſitatem duabus, hiſque efficaciſſimis rationibus adſtruit, atque declarat. Prima eſt ; " quia homo ordinatur ad Deum ſicut ad quemdam finem, qui comprehenſionem rationis excedit. Finem autem oportet eſſe præcognitum hominibus, qui ſuas intentiones, & actiones debent ordinare in finem. Unde neceſſarium fuit homini ad ſalutem, quod ei nota fierent quædam per revelationem divinam, quæ rationem humanam excedunt ". Ex fine ergo, ad quem ordinatur homo, quique comprehenſionem humanæ rationis excedit, deducit S. Doctor neceſſitatem revelationis divinæ, qua & finem ipſum cognoſcamus, & media, quibus illum aſſequamur; ea ſcilicet, quæ credenda, & agenda propoſuit.

Ratio altera, qua S. Thomas ea quoque comprehendit, quæ abſolute per humanam rationem cognoſci valent, hæc eſt : „ Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, neceſſarium fuit homini inſtrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem inveſtigata a paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret : a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis ſalus, quæ in Deo eſt. Ut igitur ſalus hominibus & convenientius, & certius proveniat, neceſſarium fuit, quod de divinis per divinam revelationem inſtrueretur. Neceſſarium igitur fuit, præter philoſophicas diſciplinas, quæ per rationem inveſtigantur, ſacram doctrinam per revelationem haberi.

Rationem hanc, determinate loquens de neceſſitate ad humanas actiones dirigendas, amplius illuſtrat Sanctus Præceptor 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. inquiens: *Neceſſarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam; quia propter incertitudinem humani judicii præcipue de rebus contingentibus, & particularibus contingit de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa judicia, ex quibus etiam diverſæ, & contrariæ leges* (ſicut etiam diverſæ, & contrariæ hominum opiniones) *procedunt. Ut ergo homo abſque ulla dubitatione ſcire poſſet, quid ei ſit agendum, & quid vitandum, neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat, quod non poteſt errare.*

Ecquis profecto eſt, qui veritatem hanc jugi experientia firmatam minime perſpiciat? Equidem morum præcepta, quæ a Deo revelata ſunt in Scripturis, ac Traditionibus, originem plerumque trahunt ab æterna illa Dei lege, cujus *lumen ſignatum eſt ſuper nos*, ac omnium hominum animis alte impreſſum. At vero nemo non experitur, quam denſis tenebris offuſum fuerit divinum hoc lumen propter originale peccatum, &, quod ex illo conſequutum eſt, ignorantiæ vulnus : quam facile a veritate aberremus in cognoſcendis, & diſcernendis nedum præceptis remotioribus, ſed & in ipſis, quæ ſunt proximiora primis principiis actionum moralium, & in horum ad peculiares caſus applicatione : quotque modis paſſiones, præjudicia, conſuetudines, pravaque exempla nos ſeducant, abducantque a recto veritatis tramite quoad obligationes ipſas ma-

gis

Digitized by Google

gis manifeſtas, adeo ut ſæpe juſtæ, atque innocentes videantur actiones, quæ evidenter injuſtæ ſunt, ac certa peccata. Ut omittam aberrationes turpiſſimas, in quas de moribus agentes lapſi ſunt ſapientiores inter Gentiles Philoſophi; nonne exemplum locupletiſſimum infirmitatis rationis noſtræ, ac tenebrarum, in quibus verſatur, ſuppeditant opiniones, aut potius opinionum portenta, quæ in Ethicam Chriſtianam invexerunt moderni Caſuiſtæ in rebus ipſis maximi momenti, quarum permultæ jam ab Eccleſia damnatæ, atque proſcriptæ fuere: aliæ etiam permultæ doctiorum, ac piorum hominum judicio damnari, atque proſcribi merentur? Exemplo hoc ſane terribili quis non convincitur, rationem humanam ſibi ipſi relictam ſatis non eſſe ad ea cognoſcenda, nedum quæ ſublimiora Fidei dogmata ſpectant, ſed neque quæ ad morum regulas, vitamque ad normam divinæ legis tranſigendam referuntur; adeoque neceſſariam fuiſſe Dei revelationem, quæ mentis humanæ tenebras diſſiparet, viamque tutam certo manifeſtaret, quam inoffenſo pede ſequeremur, ut *abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobrie, juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo?*

Ex quibus omnibus luculenter infertur diſcrimen, quod verſatur inter cæteras quaſcunque humanas diſciplinas, & ſacram doctrinam, ſive Theologiam; quod nimirum in aliis diſciplinis primum locum *ratio* teneat, poſtremum *authoritas*: e contra vero in Theologia ſive Dogmatum, ſive Morum primum ſibi locum vendicet *authoritas*, poſtremum humana *ratio*; quod ſapienter illuſtrat idem Sanctus Doctor eadem quæſtione *art. 8. ad 2.* his verbis: *Argumentari ex authoritate eſt maxime proprium hujus doctrinæ; eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habeantur. Et ſic oportet, quod credatur authoritati eorum, quibus revelatio facta eſt.* Subditque appoſite: *Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ. Nam licet locus ab authoritate, quæ fundatur ſuper ratione humana, ſit infirmiſſimus; locus tamen ab authoritate, quæ fundatur ſuper revelatione divina, eſt efficaciſſimus.* Quoniam Deus hujus revelationis author nec falli, nec fallere poteſt.

At numquid Sacra Theologia omnem penitus excludit, ac reſpuit humanam rationem? Nequaquam, addit ibidem Sanctus Præceptor: „ Quin immo ea neceſſaria eſt ad eruendas concluſiones ex principiis divinæ revelationis, eademque utitur ſacra doctrina non quidem ad probandum Fidem, ſed ad manifeſtandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, ſed perficiat, oportet, quod naturalis ratio ſubſerviat Fidei; ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur charitati. Unde & Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Et inde eſt, quod etiam authoritatibus Philoſophorum ſacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoſcere potuerunt: ſicut Paulus *Actor.* 17. inducit verbum Arati dicens: *Sicut & quidam Poetarum veſtrorum dixerunt: genus Dei ſumus*. Sed tamen ſacra doctrina hujuſcemodi authoritatibus utitur, quaſi extraneis argumentis, & probabilibus: authoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur proprie ex neceſſitate argumentando; authoritatibus autem aliorum Doctorum Eccleſiæ quaſi arguendo ex propriis, ſed probabilibus ". Hæc ille diſertiſſime. Non igitur humana ratio in hac ſacra doctrina judex eſſe poteſt, vel arbitra divinæ legis, ſed tantummodo diſci-

diſcipula, ac pediſſequa; cujus non eſt coarctare Dominum ad ſuam voluntatem, nec excipere quidquam a generalitate præcepti ipſius, ſed eidem unice ſubſervire, ejuſque ſubmiſſe obſequi voluntati, ac obtemperare præceptis.

Ex his porro colligere debemus, quam longe a recta via tractandæ Theologiæ Moralis aberrent Caſuiſtæ plurimi, qui in Operibus ſuis, quæ ad mores hominum informandos evulgant, vix aut ne vix quidem de revelatione divina, unde principia, morumque regulæ petendæ ſunt, cogitant, aut mentionem faciunt; ſed omnia, quæ docent, a naturali ratione infirma, ac per peccatum corrupta depromunt, ejuſque dictatis caſus omnes conſcientiæ vel maxime diſcutiunt, ac diriment. Quid de hiſce ſenſerit ſapientiſſimus Cano *lib.* 9. *de Locis Theologicis cap.* 1. audiamus: " Qui Theologiæ dogmata humanis metiuntur „ argumentis, nec eis, quæ a ratione „ ducuntur, volunt præponderare au„ thoritatem, hi primum omnem vim „ Theologiæ, & gravitatem amittunt. „ Deinde faciunt, ut Theologia, de„ tracta authoritate, non ſolum con„ temnatur, ſed nec Theologia qui„ dem ſit. Nam ſi vera, & legiti„ ma Theologia eſt, a Fide deſcen„ dat oportet, ubi hujus facultatis „ propria principia reſident. Fides „ autem tota Scripturarum, & Eccle„ ſiæ authoritate continetur. Quamo„ brem ſatis exploratum habere poſ„ ſumus, quam male valeant ii de re „ Theologica aut ſcribere, aut diſpu„ tare, qui ſacros libros, Apoſtolo„ rum traditiones, Conciliorum dog„ mata, Juris Pontificii decreta, San„ ctorum veterum doctrinam vel reji„ ciunt, vel ignorant. Itaque hoc „ quidem opinantium genus pellatur e „ medio: eſt enim totum improbabi„ le, & impium, qui opinantur ap„ tiora Theologo ea argumenta eſſe, „ quæ ex ratione, quam ea, quæ ex „ authoritate ducuntur ".

Et rurſus materiam eamdem verſans *lib.* 8. *cap.* 1. " Tales (inquit) „ Auctores ſunt adſcriptitii Theologi, „ qui quæſtiones Theologicas trivolis „ argumentis abſolvunt, & cum in his „ Sanctorum Bibliorum teſtimonia ra„ riſſima ſint, Conciliorum mentio nul„ la, nihil ex antiquis Sanctis oleat, „ nihil ne ex gravi Philoſophia qui„ dem, ſed fere ex puerilibus diſci„ plinis, *Scholaſtici* tamen, ſi Supe„ ris placet, *Theologi* vocantur: nec „ Scholaſtici ſunt, nec Theologi, qui „ ſophiſmatum fæces in Scholam in„ ferentes, & ad riſum viros doctos „ incitant, & delicatiores ad contemp„ tum .... quos ego probare nec de„ beo, nec poſſum ". Quis autem humanæ rationis uſus legitimus fieri oporteat in Theologia, clarius infra demonſtrabitur.

Illud interim animadvertendum eſt, quod jam ex iis, quæ diximus, liquido conſtat; Dei ſcilicet revelationem nobis innoteſcere tum ex libris Canonicis Sacræ Scripturæ, tum ex Divinis Traditionibus, quæ a Chriſto Domino, & Sancto Spiritu per Apoſtolos, eorumque Succeſſores tranſmiſſa ad nos pervenere. Neque enim alia publica revelatio a Deo facta Eccleſiæ eſt, aut fiet ad uſque ſæculi conſummationem. Et in his tantum, tamquam in puriſſimis fontibus continentur omnia, ſive quæ a nobis credenda ſunt, ſive quæ agenda, ut finem aſſequamur æternæ beatitudinis. Utraque proinde ſive dogmata ſint, ſive regulæ agendi, ſunt veluti partes divinæ revelationis, eademque divina authoritate potiuntur: adeoque non minori reverentia, ac ſubmiſſione excipienda ſunt, quæ in Scriptura, ac Traditione

Digitized by Google

ne præſcribuntur pro directione morum, & actionum noſtrarum, quam myſteria, aut dogmata Fidei ad credendum propoſita. De his ergo intemeratis fontibus *Theologiæ Moralis* quædam dicamus; primumque de Sacra Scriptura.

CAPUT II.

De primo, ac principe Moralis Theologiæ loco, Sacra videlicet Scriptura.

SAcra Scriptura, quatenus a Traditione diſtinguitur, definiri poteſt *Verbum Dei ſcriptum*; ſive, ut cum Eccleſiæ Patribus loquar, Epiſtola a Deo hominibus miſſa, qua ipſis & ſecreta ſua revelare dignatus eſt, & viam rectam oſtendere, qua ad æternam felicitatem in clara ſui viſione poſitam pervenirent. *De illa Civitate*, inquit S. Auguſtinus in pſ. 90. *unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt, quæ nos hortantur, ut bene vivamus; ipſæ ſunt Scripturæ*. Eodem modo loquitur S. Joannes Chryſoſtomus hom. in epiſt. ad Theſſal. *Non creditis, quia quæ dicuntur, a Deo ſint? Epiſtolæ illæ ſunt Dei*. Et fuſius *hom. 2. in Geneſ.* " Humani generis Conditor ab initio per ſe ipſum hominibus loquebatur, quemadmodum homines audire poſſibile eſt ..... At ubi in magnam malitiam omnis hominum natura delapſa eſt, neque ſe totum ab humano genere avertit Opifex univerſi. Sed quia ſua familiaritate indigni fuerant, ſuam erga illos amicitiam renovare volens, *quaſi longe abſentibus litteras mittit*, conciliaturus ſibi humanum genus ". Eadem habet S. Gregorius Magnus *lib. 4. Epiſt. 84.*

Atque hinc etiam vocatur *Scriptura Divina*; quod a Deo ſcripta, aut dictata fuerit, vel *immediate* per ſe ipſum, ſicut fecit cum Moyſe in Teſtamento Veteri, ut legitur Exod. cap. 31. *Dedit Dominus Moyſi, completis hujuſmodi ſermonibus in Monte Sinai, duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei*; & in Novo per Filium ſuum Unigenitum, qui eſt Sapientia Patris: vel *mediate*, ut in novo fœdere, ſive mediantibus Sanctis Viris, ac Prophetis, quos Spiritu ſuo impleverat. *Non enim*, ut ait Apoſtolus Petrus 2. cap. 1. *voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines*. Solet etiam antonomaſtice appellari *Biblia*, quæ græca vox eſt, ac ſignificat *libros*; quod Scriptura ſit *liber* inter cæteros omnes præcipuus: & *Teſtamentum* Dei, quod per ipſum ſempiternam nobis hæreditatem repromittat.

Libri, qui Divinam hanc Scripturam continent, ſeptuaginta duo recenſentur: ex quibus quadraginta quinque *Vetus Teſtamentum* conficiunt; quorum alii ſunt *Hiſtorici*, alii *Legales*, alii *Sapientiales*, alii demum *Prophetales*: Cæteri viginti ſeptem *Novum Teſtamentum* complent. Qui omnes enumerantur, atque probantur tanquam *Canonici* a Sacroſancta Synodo Tridentina ſeſſ. 4. in Decreto *de Canonicis Scripturis*, iique continentur in *Editione Vulgata*, quam *authenticam* declaravit his verbis: *Sacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ, ſi ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferunt, Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat*,

Digitized by Google

deat, *vel præſumat*. Prohiberque ſubinde: *Ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, & contra eum ſenſum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sanctam interpretari audeat*.

Quum multiplex ſenſus ſit, in quo intelligi poſſunt Sacræ Scripturæ verba, atque ſententiæ; prima, eaque præcipua diviſio illa eſt, quam probant Theologi cum S. Thoma, in ſenſum ſcilicet *litteralem*, & *ſpiritualem*. Sancti Præceptoris doctrinam, quam habet *1. p. q. 1. art.* 10. ad utriuſque ſenſus explicationem placet hic exſcribere. Itaque reſpondens ad quæſtionem, quam ſibi propoſuerat: *Utrum Sacra Scriptura ſub una littera habeat plures ſenſus?* Hæc habet. " Author „ Sacræ Scripturæ eſt Deus, in cujus „ poteſtate eſt, ut non ſolum voces ad „ ſignificandum accomodet (quod etiam „ homo facere poteſt), ſed etiam „ res ipſas. Et ideo cum in omnibus „ ſcientiis voces ſignificent; hoc ha„ bet proprium iſta ſcientia, quod „ ipſæ *res ſignificatæ per voces*, *etiam* „ *ſignificent aliquid*. Illa ergo prima „ ſignificatio, qua voces ſignificant „ res, pertinet ad primum ſenſum, „ qui eſt *ſenſus hiſtoricus*, vel *littera*„ *lis*: illa vero ſignificatio, qua res „ ſignifiatæ per voces, iterum res alias „ ſignificant, dicitur *ſenſus ſpiritua*„ *lis*, qui ſuper litteram fundatur, & „ eum ſupponit ".

Senſus litteralis dividitur in *grammaticalem*, quem verba ipſa materialiter ſumpta efferunt; & iſte falſus quandoque eſſe poteſt juxta illud, *littera occidit*: & *theologicum*, quem ſcilicet Theologi conſiderant, utpote per voces reapſe ſignificatum, ſolumque intentum a Spiritu Sancto. Qui rurſus duplex eſt: *proprius* videlicet, & *improprius*, ſive metaphoricus, aut tropicus. *Proprius* eſt ille, quem ipſa verba preſſe accepta exprimunt, ut *In principio creavit Deus cælum, & terram ..... Diliges Dominum Deum tuum* &c. Illa quippe verba proprie ſignificant, Mundum a Deo, & non ab aliquo alio ex nihilo factum eſſe: hæc autem præceptum exhibent non ſolum colendi Deum, ſed & ipſum diligendi. Senſus *improprius*, ſive etiam tropicus ille dicitur, cujus verba a propria ad impropriam ſignificationem transferuntur, ut eſt in metaphoricis, aut aliis figuratis locutionibus; *v. g. plantaverat Deus paradiſum voluptatis*; quod proprie litteraliter ſignificat hortum deliciis omnibus affluentem, qui futurus eſſet habitatio Adami innocentis. *Oves meæ vocem meam audiunt*: per *oves* namque denotantur fideles, qui audiunt vocem Chriſti; aliaque hujuſmodi.

Pergit deinde S. Thomas, atque explicat eodem loco ſenſum alium Scripturæ, quem *ſpiritualem* vocat; aitque: „ Senſus *ſpiritualis* trifariam dividitur. „ Sicut enim dicit Apoſtolus ad Hebr. „ 7.: Lex vetus *figura eſt novæ legis*, „ & ipſa nova lex, ut dicit Diony„ ſius, *eſt figura futuræ gloriæ*; in no„ va etiam lege ea, quæ in Capite „ ſunt geſta, ſunt ſigna eorum, quæ „ nos agere debemus. Secundum ergo „ quod ea, quæ ſunt veteris legis, „ ſignificant ea, quæ ſunt novæ legis, „ eſt ſenſus *allegoricus*: ſecundum ve„ ro quod ea, quæ in Chriſto ſunt „ facta, vel in iis, quæ Chriſtum ſi„ gnificant, ſunt ſigna eorum, quæ nos „ agere debemus, eſt ſenſus *moralis*: „ prout vero ſignificant ea, quæ ſunt „ in æterna gloria, eſt ſenſus *anagogi*„ *cus*. Quia vero ſenſus litteralis eſt, „ quem author intendit: author autem

„ Sa-

Digitized by Google

„ Sacræ Scripturæ Deus eſt, qui omnia „ ſimul ſuo intellectu comprehendit, „ *non eſt inconveniens*, ut dicit Auguſtinus 12. Confeſ., *ſi etiam ſecundum* „ *litteralem ſenſum in una littera Scripturæ plures ſint ſenſus* “. Hæc S. Thomas. Porro recenſitos omnes ſenſus duobus ſequentibus verſiculis comprehendi ſolent.

Littera *geſta docet* : *quod credas*, Allegoria :
Moralis *quid agas* : *quo tendas*, Anagogia.

Concors Theologorum omnium cum eodem S. Thoma ſententia eſt, ſenſum tantummodo *litteralem*, qui a Spiritu Sancto intentus eſt, regulam eſſe tum fidei, tum morum noſtrorum, & ex eo duntaxat deſumi argumenta idonea, atque certa pro adſtruendis iis, ſive quæ a nobis credenda ſunt, ſive quæ agenda. Unde quæ ad alios ſenſus enumeratos pertinent, vim & efficaciam aliquid certo probandi non habent, niſi quatenus *ſenſum litteralem* interdum continent, qui vel ex aliis Scripturarum locis innoteſcat, vel ex Eccleſiæ Traditione, aut infallibili judicio. *Omnes ſenſus*, inquit S. Doctor in reſp. ad 1. *fundantur ſuper unum*, *ſcilicet litteralem* ; *ex quo ſolo poteſt trahi argumentum* : *non autem ex iis*, *quæ ſecundum allegoriam dicuntur*, *ut dicit Auguſtinus contra Vincentium Donatiſtam*. *Nec tamen ex hoc aliquid deperit Sacræ Scripturæ* : *quia nihil ſub ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium*, *quod Scriptura per litteralem ſenſum alicubi manifeſte non tradat* ...

Sic etiam *ad* 2. cuidam objectioni ex quibuſdam verbis Auguſtini depromtæ reſpondens idem S. Doctor : *Tria illa*, inquit, *Hiſtoria*, *Ætiologia*, *Analogia ad unum litteralem ſenſum pertinent*. *Nam Hiſtoria eſt*, *ut ipſe Auguſtinus exponit*, *cum ſimpliciter aliquid proponitur* : *Ætiologia vero*, *cum cauſa dicti aſſignatur*, *ſicut cum Dominus aſſignavit cauſam*, *quare Moyſes permiſit licentiam repudiandi uxorem*, *ſcilicet* propter duritiem cordis ipſorum *Matth.* 19. *Analogia vero*, *cum veritas unius Scripturæ oſtenditur veritati alterius Scripturæ non repugnare*.

Pro recta intelligentia ſenſus *litteralis* Scripturarum hæc animadvertenda traduntur. Primo : quotieſcumque Scripturæ verba abſque ullo incommodo in ſenſu proprio, ut ſonant, accipi poſſunt, ita accipienda ſunt ; neque ad ſenſum improprium, ſive ad metaphoras, ſive ad figuratas alias locutiones detorquenda, niſi ex iiſdem verbis proprio in ſenſu intellectis abſurdus aliquis ſenſus conſequatur, aut quidpiam fidei, vel morum doctrinæ repugnans. Ita inter alios docet S. Auguſtinus *lib.* 5. *de Doctr. Chriſt.* & *lib.* 3. *de catechiz. rudib.*

Secundo : ſi locus aliquis Scripturæ paulo obſcurior occurrat, & alibi clarioribus verbis proponatur ; id, quod ex locis ad marginem adnotatis facile perſpici valet ; ad hæc loca confugere oportet, ut textus obſcurus, aut ambiguus per clariorem explicetur.

Tertio : in legendis Scripturis debet diligenter attendi, quænam mens fuerit, aut ſcopus, quem ſibi in eo loco præfixit Scriptor Canonicus: nam ex ſcopo, & intentione, ſive etiam ex circumſtantiis ſcribentis plerumque colligitur, quid ille ſenſerit.

Quarto : conferenda ſunt antecedentia, & conſequentia cum loco, cujus ſenſus inquiritur, & qui varias interpretationes ſubire valet ; ut ex hac collatione tota, ſi fieri poteſt, in ejus intelligentia removeatur difficultas.

Demum : plurimum etiam prodeſſerit ad legitimos Scripturarum ſenſus intelligendos callere idiotiſmos hebrai-

cos, & græcos, qui ſæpius in Vulgata Editione occurrunt. Ex eorum quippe cognitione genuinus verborum ſenſus frequenter eruitur. Atque his præmiſſis, ad regulas nonnullas aſſignandas accedo, neceſſarias aut admodum utiles ad uſum Divinæ Scripturæ in rebus moralibus: quibus etiam, quæ mox indicavimus, amplius manifeſta fient.

CAPUT III.

Quædam regulæ traduntur pro neceſſitate, uſuque Sacrarum Scripturarum in rebus moralibus.

REGULA PRIMA.

ILLUD in primis perſuaſum debet eſſe omnibus quidem, ſed præcipue Theologis, Scripturam Sacram nedum nos edocere myſteria, aut dogmata Fidei; ſed ea etiam, quæ ad mores noſtros informandos, officia, quæ Deo debemus & proximis, obeunda, rectamque ſalutis viam capeſſendam, utilia ac neceſſaria ſunt. Hoc diſertiſſimis verbis teſtatur Apoſtolus Paulus in *Ep. 2. ad Timoth. Cap.* 3. ſcribens: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum, ut perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus*. Quæ verba eleganter exponit in hujus loci commentario S. Thomas, ad quod Lectorem remitto.

Sed & hoc peculiare habet doctrina morum, quæ in Sacra Scriptura traditur ſupra dogmata, & myſteria Fidei, quod ſatis pervia ſit homini recto, & ſimplici corde, atque ad intelligendum facilior, quemadmodum obſervatum eſt a S. Auguſtino *lib. 2. de doctr. Chriſt. Cap.* 9., & a S. Joanne Chryſoſtomo *hom.* 3. de Lazaro: *Cui enim*, inquit iſte, *non ſunt manifeſta, quæcumque in Evangelio ſcripta ſunt? Quis autem audiens, beatos eſſe mites, beatos eſſe miſericordes, beatos mundo corde, cæteraque hujuſmodi; deſiderabit præceptorem, ut aliquid eorum diſcat, quæ dicuntur?*

REGULA SECUNDA.

Culpæ reus exiſtimandus eſt, qui ſingulari Dei beneficio per Divinas Scripturas hominibus collato in moribus ſuis dirigendis non utitur. Hæc culpa, quæ ab omnibus Chriſtianis, maximeque a Morum Magiſtris attente perpendenda foret, egregie declaratura mox laudato S. Joanne Chryſoſtomo *hom.* 1. *in cap.* 1. *Matth.* ubi hæc habet: "Oportuerat quidem, nihil nos indigere auxilio Litterarum, (ſacrarum) ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus Sancti uteremur: & ſicut atramento illi, ita corda noſtra inſcriberentur a Spiritu. Quia vero hanc a nobis excuſſimus gratiam, age vel ad ſecundam navigationem animos adjiciamus. Equidem quod primum illud fuerit profecto ſublimius, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit. Nam & Noe, & Abrahæ, ejuſque poſteris, & Job, & Moyſi non per litteras, ſed per ſemetipſum loquutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda repererat. Poſtquam vero omnis populus in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſario jam inde litteræ dantur: & hoc non tantum Veteris Teſtamenti Sanctis, ſed etiam Novi accidiſſe perſpicimus. Siquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquod tradidit Chriſtus; ſed pro litteris Sancti Spiritus ſe daturum gratiam repromiſit. *Ille*, inquit, *docebit vos omnia*. Atque ut diſcas, quia hoc multo ſit illo melius, audi Dominum per Prophetam loquentem: *Et diſponam*, inquit, *vobis teſtamentum novum*.

„ *rum. Dabo leges meas in mente eorum, &*
„ *in corde eorum perſcribam eas : & erunt*
„ *omnes docibiles Dei.* Paulus quoque hanc
„ eminentiam deſignando dicebat, ſe
„ accepiſſe legem non in tabulis lapi-
„ deis, ſed in tabulis cordis carnalibus."

„ Quia vero progrediente jam tem-
„ pore, alii quidem propter dogmata,
„ alii propter vitam, & dogmata gra-
„ viter impegerunt, ea rurſus, quæ
„ conſtat litteris, admonitione fuit opus.
„ Jam vero conſidera, quam ſit extre-
„ mæ omnino dementiæ, ut qui tanta
„ deberemus vitæ perfectione pollere,
„ ut nihil prorſus litteris egeremus, ſed
„ ſcribenda Spiritui Sancto corda pro
„ paginis præberemus; quale, inquam,
„ eſt, ſi, quia illam perdidimus digni-
„ tatem, & minoribus indigemus, *ne*
„ *ſecundo quidem remedio* ad noſtram
„ utamur ſalutem? Si enim illis egere,
„ & non gratia Spiritus Sancti ſplen-
„ dere culpabile eſt; *vide quanti ſit*
„ *criminis*, nec per illud auxilium
„ velle proficere, ſed quaſi fruſtra,
„ ac vane poſita cæleſtia ſcripta deſpi-
„ cere, & *majus abſque dubio ſubire*
„ *ſupplicium*". Hactenus eloquentiſſi-
mus Pater, cujus præſertim poſtrema verba utinam ſerio ponderarent Chriſtiani omnes, maximeque plures, qui Divinis Scripturis, quæ pro ſecundo, & poſtremo remedio ad errores vitandos, & agnoſcendam veritatis viam nobis a divina benignitate tributæ ſunt, prorſus neglectis, totum vitæ ſuæ tempus impendunt in legendis libris aut inutilibus, aut etiam noxiis! *Vide, quanti ſit criminis* ejuſmodi Scripturarum neglectus, clamat Chryſoſtomus.

Regula Tertia.

Præ cæteris Chriſtianis Sacerdotes ad hauriendam divinæ legis notitiam Sacras Litteras legere, atque ſcrutari tenentur. Legem hanc legendæ Sacræ Scripturæ Spiritus Sanctus impoſuiſſe, ſatis aperte liquet, dum per Apoſtolum Paulum in cariſſimo Timotheo Sacerdotes omnes ad eccleſiaſticum miniſterium informavit: *Dum venio*, ait, *attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ*. Sed clarius id expreſſit Concilium Toletanum IV. cujus verba ita referuntur in Decret. diſtinct. 38. cap. 1. *Ignorantia mater cunctorum vitiorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apoſtolus .... Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones; & omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat.*

Profecto abſque Sacris Litteris nullas Hierarchici muneris obligationes perſolvere Sacerdotes, ac potiſſimum Sacri Paſtores valent, nec populos ſibi commiſſos purgare, illuminare, atque perficere. Legant igitur Divinam Scripturam, quam S. Ambroſius *Librum Sacerdotalem* graviter appellat. Cum enim Deus loquatur in Scripturis, nihil iis melius ad diſcendum, docendumque excogitari poteſt. *Quidquid homo*, ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. de doctr. chriſt. c. 42. *extra Scripturam didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; & cum ibi damnatur; & cum ibi quiſque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nunquam omnino alibi, ſed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.*

Regula Quarta.

Quum omnibus Sacerdotibus neceſſaria ſit Scripturarum ſcientia ſtudiumque, potiſſimum tamen neceſſaria eſt Magiſtris Chriſtianæ Theologiæ Moralis, Confeſſariis, & animarum Directoribus. Hoc primum colligendum eſt

Digitized by Google

ex doctrina S. Thomæ, qui 1. *p.* *q.* 1. *art.* 8. generatim definit: *Argumentari ex authoritate eſt maxime proprium hujus doctrinæ*, nempe Theologicæ; *eoquod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur ..... Aliis authoritatibus utitur, quaſi extraneis argumentis. Authoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur proprie ex neceſſitate argumentando ..... Innititur enim fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt; non autem revelationi, ſiquæ fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Auguſtinus in Epiſt. ad Hieronymum*; " Solis eis
„ Scripturarum libris, qui *Canonici* ap-
„ pellantur, didici hunc timorem, ho-
„ noremque deferre, ut nullum Au-
„ thorem eorum in ſcribendo errare
„ aliquid firmiſſime credam. Alios au-
„ tem ita lego, ut quantalibet ſancti-
„ tate, doctrinaque præpolleant, non
„ ideo verum putem, quod illi ita ſen-
„ ſerunt; vel ſcripſerunt " &c. Solum ergo ex ſacris libris morum Magiſtri, cæterique haurire argumenta poſſunt pro conſcientiis dirigendis, quæ certa penitus, ac firma ſint: adeoque eos potiſſimum legere, ac pervolvere debent. Idem S. Doctor *Opuſc.* 65. eamdem neceſſitatem Medicorum corporis exemplo, ac paritate declarans ait: *Si videmus Medicos corporum revolvere quotidie, & legere libros ad artem ſuam pertinentes; magna ſtultitia eſt non legere libros Sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras.*

Vehementiore ſtylo eamdem obligationem inculcat alter Eccleſiæ Doctor S. Bonaventura *in Prol.* ſui *Confeſſ.* hæc ſcribens: *Cum ſecundum B. Gregorium ſit ars artium regimen animarum, & occultiora ſint vulnera cogitationum, quam viſcerum, horrendum profecto eſt, videre quoſdam Sacerdotes noſtri temporis, qui Sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars ſufficientiſſime traditur &c. vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam neſciunt. Et tamen cordis Medicos in audiendis Confeſſionibus ſe profiteri impudenter non metuunt.* Nonne idem potiori titulo ſcripſiſſet S. Doctor de pluribus etiam Confeſſariis, & animarum Rectoribus noſtri temporis, qui vel Tamburinum, vel Sporerium, vel Eſcobarium, vel Buſembaum legiſſe contenti, ſibi munus regendi animas incaute aſſumunt, *angelicis etiam humeris formidandum?*

Itaque ut quæ dicta ſunt in quatuor iſtis regulis, paucis complectar, doctrina Dei, quæ in Sacris Scripturis ad mores hominum recte inſtituendos continetur, neceſſaria animæ eſt, quemadmodum cibus, & porus neceſſarius eſt corpori. Verum, ſicut parvuli non propria manu, ſed aliena alimenta ſumunt; ita Scripturæ Sanctæ rudes, & idiotæ, qui vel legere ſæpe neſciunt, proprio ſtudio intelligentiam aſſequi minime poſſunt: adeoque Doctorum, Parochorum, aliorumque miniſtrorum opera indigent, qua ſacra ipſis doctrina communicetur. Proinde Magiſtri morum, conſcientiarum arbitri, cæterique potiſſimum tenentur inveſtigare, ſcrutarique Scripturas, quibus & ſeipſos, & alios certo dirigant in viam ſalutis.

REGULA QUINTA.

Epiſcopi ſedulam navare operam debent, ut ea, quæ in Concilio Tridentino circa lectionem Scripturarum ſalubriter conſtituta ſuht executioni demandentur. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 5. *C.* 1. *de Reformat.* decretum edidit, quo plura ſtatuit admodum utilia ad promovendam in populo Chriſtiano lectionem Scripturæ Sacræ; quæ ego, ne ſim prolixior, hic peritringam: " Sa-
„ croſancta Synodus (inquit) piis Sum-
„ morum Pontificum, & probatorum
„ Con-

Digitized by Google

„ ciliorum conſtitutionibus inhærens, „ eaſque amplectens, & illis adjiciens, „ ne cæleſtis ille Sacrorum Librorum „ theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſum- „ ma liberalitate hominibus tradidit, „ neglectus jaceat; ſtatuit, & decrevit, „ quod in illis Eccleſiis, in quibus „ præbendæ . . . . ſtipendium pro Le- „ ctoribus Sacræ Theologiæ deputatum „ reperitur, Epiſcopi &c. eos, qui „ præbendam, aut præſtimonium obti- „ nent ad ipſius Sacræ Scripturæ ex- „ poſitionem, & interpretationem per „ ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin „ per idoneum ſubſtitutum &c. etiam „ per ſubtractionem fructuum cogant, „ & compellant ".

Urget deinde omnes Epiſcopos, ut *in Eccleſiis Metropolitanis*, *vel Cathedralibus*, ac etiam in *Collegiatis* ſaltem inſignioribus præbendam, ubi non eſt deſignata, inſtituant ad eum uſum exponendi Sacram Scripturam, aliaque decernit ad eumdem finem valde opportuna, quæ huc recidunt, ut nimirum in Monaſteriis Monachorum, & in Conventibus Regularium, in Academiis, in Univerſitatibus Cathedræ interpretandæ Scripturæ Sacræ erigantur, ejuſdemque ſtudium excolatur ſumma cum diligentia. Epiſcopos tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatos monet, ut hoc in negotio exequendo vigilantes ſint, eoſque ad hoc munus promoveant, qui ſunt digniores, ac doctiores; ex quibus aperte conſtat, Concilio Tridentino cordi magnopere fuiſſe ſcientiam, ſtudiumque Litterarum Sacrarum, quantumque Epiſcopi incumbere debeant, ut in ſuis Diœceſibus ſemper vigeat ad animarum ſalutem, quæ eorumdem curæ, & paſtorali zelo concreditæ ſunt.

Regula Sexta.

Quamquam nullus Scripturæ Sacræ liber ſit, qui ſuperfluus cenſeri debeat, & quæcumque in illa ſcripta ſunt, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, ut ait Apoſtolus ad Romanos; aliquorum tamen frequens lectio, & accuratior magis prodeſſe poteſt ad mores hominum componendos. Et ex iis quidem qui Vetus Teſtamentum conſlant, magnam poſſunt utilitatem afferre libri Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, qui *Sapientiales* vocantur, quod veram homines ſapientiam doceant: itemque Prophetarum majorum, minorumque. In iis namque permulta reperire eſt documenta, & inſtructiones pro iis addiſcendis, quæ Deo debemus, amorem ſcilicet, timorem, cultum, ac venerationem: tum quæ ſpectant officia, quæ erga nos, ac proximos noſtros exercere tenemur. Alii libri hiſtorici plurima exempla ſuppeditant actionum virorum ſanctorum, quas imitari oportet; ſicut etiam malorum, quas Sacræ Litteræ redarguunt, ac damnant: adeoque pro virili devitare.

Sed fructus longe amplior percipietur ex Libris Novi Teſtamenti, qui propterea attentiori ſtudio, ac diligentia legendi a nobis ſunt. Atque in primis præ cæteris ſunt habenda præ manibus Evangelia, in quibus ipſa Sapientia Patris Chriſtus Dominus factus homo, ut viam nos doceret juſtitiæ, & ſanctitatis, loquutus eſt: ac nobis quidem in his divinis libris revelavit myſteria illa fidei, quæ in veteri lege adumbrata tantum erant, ſed potiſſimum rectam mandatorum ſuorum ſemitam oſtendit, legis naturæ præcepta luculentius manifeſtavit, & a falſis Judæorum traditionibus vindicavit, virtutes, quas ſequeremur, perfecit, evexitque ad ſtatum ſublimiorem, ac vitia occultiora, quæ vitaremus, plena in luce collocavit, adeout veriſſime ſcripſerit S. Ambroſius, quod *Evangelium non ſolum fidei doctrina, ſed etiam morum eſt magiſte-*

Digitized by Google

giſterium. Quin immo ſapienter advertit S. Joannes Chryſoſtomus *hom. 12. in Matth.* quod *Chriſtus Dominus rarius de dogmatibus diſſeruit : ſæpius, imo vero ubique, & ſemper de vivendi ſinceritate* ; rationemque hujus reddit : *Nullo enim ad illud labore opus eſt. Hoc, quoniam impugnatur quotidie, idcirco continuis laboribus indiget*, præceptiſque, ne propriis appetitionibus decepti, & excæcati, puriſſimas morum regulas aut ignorarent, aut non adverterent.

Non minori attentione, ac ſtudio legendæ ſunt Epiſtolæ S. Pauli, aliorumque Apoſtolorum, in quibus doctrinæ a Chriſto traditæ expreſſæ fuerunt, atque amplius expoſitæ : cumque illæ directæ fuerint ad Epiſcopos, Paſtores, Milites, Judices, Mercatores, ad populum denique omnem doctum, & indoctum, exhibent regulas ſalutares pro omnium vita recte, & ad normam Evangelii tranſigenda, ac ad ea quævis præcavenda, quibus hominum ſalus æterna periclitatur. In ipſo libro *Apocalypſis*, qui innumera continet, eaque altiſſima myſteria, utiliſſimæ non deſunt inſtructiones, ne quiſquam ſibi blandiatur, aut illudat in via ſalutis ſectanda; ut illa inter alias, quæ ad Epiſcopum Laodiceæ ſcripta eſt.

REGULA SEPTIMA.

In legendis Libris Veteris Teſtamenti, ac præſertim *Legalibus*, qui habentur in Pentateucho Moyſis, cautione opus eſt, qua diſtinguamus ea quæ nunc quoque obligant, ab iis quæ jam obligare ceſſarunt, licet in antiqua Lege ſub præcepto caderent. Cum enim tria ſint præceptorum genera in illa propoſita, alia ſcilicet *Cæremonialia*, alia *Judicialia*, alia demum *Moralia* ; *Cæremonialia*, quibus cultus erga Deum in illa lege dirigebatur, abrogata jam ſunt ; ſiquidem præfigurabant Chriſtum venturum, & ea, quæ ad Myſteria Chriſtianæ Religionis pertinent, quæ jam impleta ſunt in adventu Chriſti. Unde nedum minime modo obligant, verum etiam nefas eſt ad uſum revocare. *Judicialia*, quibus dirigebantur Judæi erga alios homines, nunc quidem non obligant, quoad determinationes particulares in libris Moyſis expreſſas, ſed tamen abſque peccato aliqua eorum ad uſum aſſumi poſſent, ut in loco dicetur. Solum itaque præcepta *Moralia*, quæ legem ab Authore Naturæ nobis inditam continent, & explanant, atque in *Decalogo* comprehenduntur, vim & efficaciam obtinent obligandi omnes. Verum iſta ſumenda non ſunt in ea limitatione, qua ſunt in Exodo deſcripta, nec juxta falſam Scribarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem ; ſed exponenda, atque intelligenda cum ea amplitudine, qua illa intellexerunt & Moyſes ipſe, & alii Canonici Scriptores, maximeque juxta illam interpretationem, qua expoſita ſunt a Chriſto Domino in Evangelio, & a Sanctis Apoſtolis.

REGULA OCTAVA.

In legendis Sacris Scripturis hac methodo utendum eſt, a S. Auguſtino præſcripta *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap.* 2. ut nimirum a manifeſtis textibus ad difficiles intelligendos pergamus, & poſteriores per priores explicemus. *Quæ in Scriptura poſita ſunt*, inquit, *præcepta vivendi, vel regula credendi, ſolertius, diligentiuſque inveſtiganda ſunt. In iis enim, quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, moreſque vivendi, Spem ſcilicet, & Charitatem. Tum in ea, quæ obſcura ſunt, adaperienda, & diſcutienda pergendum eſt, ut ad obſcu-*

rio-

Digitized by Google

riores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant. Methodus iſta facilis eſt, atque utilis præcipue pro explicandis quibuſdam Veteris Teſtamenti locis paulo obſcurioribus, & implicatis. Nam ſententiæ, quæ proſtant in libris Teſtamenti Novi plerumque adeo claræ ſunt, & apertæ, ut ſimplici lectione ſatis intelligantur, niſi impediant præjudicia, turbidæque animi affectiones.

Regula Nona.

Siquæ aliquando non ſatis pervia, aut perſpicua occurrunt in Scripturis legendis teſtimonia, legitimus eorum ſenſus exemplis Sanctorum Virorum, qui in iiſdem commendantur, explicandus, & determinandus eſt. Hæc quoque regula traditur a Sancto Auguſtino *lib. de Mendacio* ita dicente: *Divinæ Scripturæ non ſolum præcepta Dei continent, ſed etiam vitam, moreſque juſtorum; ut ſi forte occultum eſt, quemadmodum accipiendum ſit quod præcipitur, in factis juſtorum intelligatur*. Nullus ſane Sanctorum eſt in Divinis Litteris, qui viam ſalutis arduam, & anguſtam non calcaverit, qui ſibi vim non intulerit in ſubigendis pravis affectionibus, qui plurimarum virtutum præclara exempla non præbuerit: idemque cernere eſt in Sanctis omnibus, tum qui in libris, aut Epiſtolis novæ Legis referuntur, tum qui ab Eccleſia Sanctorum faſtis adſcripti ſunt; quorum proinde vita, moreſque magno adjumento ſunt ad ſanam Scripturarum intelligentiam.

Regula Decima.

Neque tamen prædicta regula ita univerſim accipienda eſt, ut quaſcumque actiones particulares juſtorum hominum, quas Sacra Scriptura commemorat, ad exemplum nobis proponere debeamus. Sunt enim hiſtoriæ nonnullæ in antiquo præſertim fœdere, in quibus a Scriptura exhibentur Viri Sancti aliquid præſtitiſſe, quod vel malum eſt, vel ſpeciem ſaltem mali præfert: adeoque hæ in exemplum adhibendæ neutiquam ſunt pro reſolvendis conſcientiæ caſibus, prout advertit idem S. Doctor Auguſtinus eodem *lib. de Mendacio* cap. 8. *Non omnia*, ſcribit, *quæ a Sanctis, vel viris juſtis legimus facta, transferre debemus in mores*. Non enim iſta Dei voluntatem nobis manifeſtant, prout agendi regula eſt, ſed ſolum ut eſt rerum omnium cauſa. Sic quamvis juxta plures Abraham mentitus fuerit, dum affirmavit, Saram eſſe ſororem ſuam; & Judith ſimulatione, ac mendacio deceperit Olophernem; Samſon ſe ipſum interfecerit, & alia multa a Sanctis Viris facta legamus, quæ ſaltem ſpeciem mali præferunt, & cum præſcriptis nobis a Deo certiſſimis regulis minime conſentiunt; ad imitationem tamen trahenda non ſunt.

Regula Undecima.

Cavere omnino oportet, ne Scripturarum locutiones, quæ depravatæ noſtræ voluntati non favent, aut appetitui noſtro repugnant, ad ſenſus alienos violenter detorqueamus, aut iis ſententiis ad eumdem finem utamur, quæ clariſſimis aliarum documentis adverſantur. Ut enim ſcribit ſæpe laudatus S. Auguſtinus in Pſal. 48. *Omnia Divina Eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus, periculoſa vero his, qui ex volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere potius, quam ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere*. Propterea *lib. contra Fauſt. Manich. cap.* 32. redarguit illos, qui ad ſenſus, quos ſemel animo

mo imbiberant, confirmandos Scripturas vel repugnantes pertrahebant. *Videtis*, inquit, *id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, ut ſuus cuique animus author ſit, quid in quacumque Scriptura probet, quid improbet; ideſt, ut non authoritati Scripturarum ſubjiciatur ad fidem; ſed ſibi Scripturas ipſe ſubjiciat*. Hos quoque perſtringit S. Hieronymus, qui ad præconceptum ſuum ſenſum incongrua aptant Scripturarum teſtimonia; *Quaſi*, inquit, *grande ſit, & non vitioſiſſimum diſputandi genus depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem*. Hujus plane generis culpæ rei dicendi ſunt, qui ad probandum probabiliſticum ſyſtema, & emolliendum Evangelii rigorem, ea utuntur, aut potius abutuntur ſententia Chriſti Domini: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; quæ procul omni dubio alio in ſenſu prolata a Chriſto fuit.

Regula Duodecima.

Quærendæ non ſunt in Sacris Scripturis quæſtiones omnes, caſuſque particulares, & controverſiæ illæ, quæ ſæpe numero agitantur in Caſuiſtarum libris; ſed principia, ac regulæ generales, ex quibus ab homine Chriſtiano bene diſpoſito, ac ſolius veritatis ſtudioſo elici haud difficile poteſt peculiarium caſuum occurrentium reſolutio ad vitam ſuam recte inſtituendam. Et quidem, ut animadvertit S. Thomas *de legibus* diſſerens 1. 2. ea ſapiens, ac prudens eſt Legiſlatorum omnium praxis, ut leges conſtituant, quin caſus omnes proponant, qui ſub ea lege comprehenduntur: hoc enim incredibilem plane confuſionem pareret; adeoque nec id fieri debuit a ſupremo Legiſlatore Deo. Satis itaque eſt, quod Sacræ Litteræ principia expreſſerint, & generales regulas, ex quibus animus bene comparatus, & ſincerus veritatis amator illa colligat, quæ ad agendum neceſſaria ſunt, & dirimendas morum quæſtiones, quæ aliquando occurrere poſſunt. Quid enim, ut exemplo aliquo hoc illuſtrem, homini cum ſimplicitate legenti, nec diſputare quærenti, ſed unice, quid ſibi faciendum ſit pro adipiſcenda ſalute, addiſcere volenti colligendum non ſuppetit ex mirabili illo ſermone Chriſti *in monte*, qui refertur a S Matthæo, & a S. Luca? Nonne ſublimes illæ veritates, quas in illo omnibus aperuit, ac manifeſtas fecit, complectuntur præcipua Chriſtianæ vitæ documenta, ut certo dirigamur in viam ſalutis? Quid etiam Chriſtus non edocuit ad finem eumdem in poſtremo alio ſermone, quem habuit ad ſuos Diſcipulos in ultima Cœna, antequam ad pretioſum Sanguinem ſuum pro omnium Redemptione in Cruce fundendum pergeret? Quæ ſalutares doctrinæ ad mores quorumcumque formandos non eliciuntur ex illis Inſtructionibus, ac Parabolis, quas ad turbas direxit, de Virginibus prudentibus, & fatuis, de invitatis ad nuptias, de talentis negotiandis, de paucitate Electorum, de via anguſta, per quam itur ad vitam, ac de lata, ac ſpatioſa, per quam ad perditionem tenditur; aliiſque id genus innumeris veritatibus, quibus quæſtiones, caſuſque complures certius reſolvi, ac definiri poſſunt, quam ſi multa evolvantur Caſuiſtarum volumina, quæ diſputare potius docent, quam recte, & chriſtiane vivere? Verum de his fuſius, cum de Lege nova ſermo erit.

Regula Decimatertia.

Non præcipit Scriptura, niſi charitatem; nec culpat, niſi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum, Ver-

Digitized by Google

Verba ſunt graviſſima, ſimulque regula certiſſima S. Patris Auguſtini *lib.* 3. *de Doctr. Chriſt. cap.* 7. quam etiam tradunt alii Patres cum S. Thoma. Quamvis igitur multa in Scripturis Sanctis contineantur præcepta hominibus impoſita, ut ad æternam beatitudinem perveniant; ad hæc duo tamen univerſalia revocantur, quæ cætera comprehendunt; ad *charitatem* nimirum Dei, & proximi habendam, & ad *cupiditatem*, quæ charitati inimica eſt, removendam: ita ut quidquid ex laudabili charitate dimanat, id omne, & ſolum ſanctum ſit, atque Chriſtianum; quidquid autem ex damnabili cupiditate profluit, id totum vitioſum, damnabile, & reprobum habeatur: atque adeo charitas, & cupiditas dicendæ ſint veluti duo cardines, in quibus tota morum Theologia vertitur, atque inſiſtit. Quæ quidem ut magis innoteſcerent, ambas ibidem definit S. Doctor. *Charitatem voco*, inquit, *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum: Cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*.

Cum hæc duo in tota Chriſtianorum vita utramque paginam faciant, eo tendunt omnia Scripturarum oracula, ut charitas adſtruatur, & deſtruatur cupiditas, quæ pugnat cum charitate. Nam cum multa afferat Scriptura, omnia ad eamdem charitatem fovendam, nutriendam, atque corroborandam; cupiditatem autem impugnandam, vincendam, ac, ſi fieri quidem poteſt, extinguendam conſpirant, ut ait idem S. Doctor: *Quiſquis Scripturas divinas, vel quamlibet ejus partem intellexiſſe ſibi videtur, ita ut iſto intellectu non ædificet iſtam geminam charitatem Dei, & proximi, nondum intellexit*. Vult igitur ſcientiam omnem, ac morum diſciplinam, qua pervenitur ad incommutabile bonum, quod Deus eſt, gemino charitatis præcepto ita contineri juxta Sacram Scripturam, ut quiſquis duplex illud mandatum impleverit, in quo *univerſa* continentur, *ac pendet lex, ac Prophetæ*, ut teſtatus eſt ipſe Chriſtus Dominus, omnem Veterum de moribus Philoſophiam ſupergreſſus, omnem Sanctorum ſcientiam aſſequutus eſt. *Quæ enim*, docet ille Epiſt. 37. ad Voluſian. *diſputationes Veterum Philoſophorum, quæ leges quarumlibet Civitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem, Prophetaſque pendere, ullo modo ſunt comparandæ cum illa*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tamquam te ipſum? *Hic phyſica, hic logica, hic ethica: quoniam vita bona, & honeſta non aliunde formatur, quam cum eà, quæ diligenda ſunt, diligantur, hoc eſt Deus, & proximus*.

Hoc idem vero amplius explicare pergit *lib.* 1. *de Doctr. Chriſt.* ubi probat, ſolo Deo *fruendum eſſe*; cæteris autem rebus, qualeſcumque ſint, *utendum*: ideſt Deo inhærendum eſſe propter ſeipſum: utendum vero creaturis, ſcilicet creaturas ad Deum, quo fruendum eſt, eſſe referendas. Siquis aliter ſe habeat erga creaturas, ſi nempe propter ſe creaturas dilexerit, procul dubio peccabit. *His bonis*, ait, *quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc, propter quod inſtituta ſunt, utitur; peccat alias venialiter, alias damnabiliter. Quiſquis vero propter hoc utitur, propter quod data ſunt, bene facit*. Ratio evidens eſt: quia qui non utitur bonis creatis, puta ingenio, doctrina, cibo, potu, & aliis non in eum finem, ad quem ſunt deſtinata, ideſt ad Dei gloriam propter quam omnia facienda eſſe præcipit Apoſtolus; jam non utitur creatura, ſed fruitur.

tur . Siquidem ille creaturæ uſus , aut verius abuſus ad Deum referri nequaquam poteſt .

Ex quibus pulcherrimam hanc regulam colligit Auguſtinus *lib. de Mor. Eccl. c.* 21. “ Habet igitur vir temperans in hujuſmodi rebus mortalibus, „ & fluentibus vitæ *regulam utroque* „ *Teſtamento firmatam* , ut eorum nihil „ diligat , nihil per ſe appetendum „ putet , ſed ad vitæ hujus , atque of- „ ficiorum neceſſitatem , quantum ſatis „ eſt , uſurpet utentis modeſtia , non „ amantis affectu “ . Ille itaque erit ſecundum Sacram Scripturam vere Chriſtianus , & vere ſpiritum Filiorum Dei accepit , qui bene utetur rebus creatis, veluti quibuſdam adjumentis , quibus ad Deum ſumme in hac vita diligendum inardeſcat , atque ita uno Deo incommutabili bono perfruatur . E contra is erit Chriſtianus nomine tenus , & hoc ipſo tanto nomine indignus, qui ambulans ſecundum deſideria carnis contra primum , & maximum charitatis mandatum , creaturas propter ipſas diligit , & in ipſis tamquam in ultimo fine conquieſcit, eaſque Deo anteponit. In hac doctrina tota Chriſtianæ vitæ , morumque ſumma conſiſtit , quam idcirco in hoc Opere non ſemel repetam , & ad mentem Lectorum reducam.

Regula decimaquarta .

Hæc non eſt niſi major explicatio præcedentis , deſervitque magnopere , ut ex ipſa Scriptura *præcipiente nonniſi charitatem* juxta laudatam Auguſtini ſententiam , & *non culpante* , *niſi cupiditatem* , diſcernere ſaltem in genere valeamus , quodnam dicendum ſit peccatum *mortale* , *ſive damnabile* , ut ait ille ; quodnam *veniale* . Ex ea itaque inferre debemus , tunc mortale perpetrari peccatum , quoties creatura finis eſt non tantum *actionis* , verum etiam *ipſius hominis* ; cujus animus tanto impetu fertur in creaturam , quæcumque illa ſit , ſive honores, ſive divitiæ, ſive voluptates , ut ejus fruendi cauſa inſtiganti , atque imperanti cupiditati potius , quam prohibenti , aut minitanti Deo obtemperare malit ; & voluptatem , ſive quodvis aliud creatum bonum ſupra ipſum diligat , atque ita præpoſtera dilectione Creatori creaturam præponat . *Veniale* autem peccatum admittitur , cum quis , licet aliquod creatum bonum plus æquo diligat , affectu tamen præponderante magis diligit Deum ; e. c. cum quis levioribus mendaciis , inani garrulitate , jocoſa confabulatione &c. plus æquo delectatur ; & in ea quidem leviter mentiendi , & in ea garriendi voluptate ut in ultimo fine *hujus actionis* veluti tranſeunter ſiſtit ; ita tamen , ut ſemper Deum & illi voluptati , & cuilibet alii creaturæ præferat in corde ſuo , & in habituali animi diſpoſitione , ac reapſe oblata occaſione , Deum ex toto corde , totoque animo dilectum omnibus rebus , rerum omnium jacturæ , ſuæ etiam vitæ diſpendio , ſe anteponere declaret . Qui igitur peccat *lethaliter* , & qui peccat *venialiter* , creatura quodammodo fruitur : ſed inter utrumque nimium quantum intereſt ! Peccans enim *lethaliter* pervicaciter , & proterve creaturam anteponit Deo abjecto , & repudiato ; ipſique ſummam contumeliam irrogat , dum præſtantius bonum , & amabilius , quod ipſe Deus eſt , longe inferiori , ac falſo bono poſtponit . Peccans autem *venialiter* ex quadam naturæ corruptela , & fragilitate , leviter inhæret rebus creatis, quas tamen nihili facit præ Deo ſuper omnia dilecto uſque adeo , ut ſi in minoribus hiſce peccatis ſe illi graviter diſplicere putaret , ſtatim ab actu illo reſiliret . Verum de hoc ſermo redibit , cum de peccatorum diſtinctione .

Nunc

Digitized by Google

Nunc ad quaſdam alias regulas aſſignandas pro Scripturarum intelligentia progrediamur.

Regula Decimaquinta.

Nefas omnino eſt Sacras Litteras nedum in Fidei myſteriis, ſed in iis etiam, quæ mores ſpectant, inmere, aut interpretari contra ſenſum, quem tenet Eccleſia, aut contra ſenſum unanimem Sanctorum Patrum. Hoc diſerte prohibetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 4. *de Reformat.* his verbis: *Præterea ad coercenda ingenia decernit* (Sancta Synodus), *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, Sacras Scripturas ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a Jure ſtatutis puniantur*. Quare etiam ex hoc capite rejicienda eſt illa interpretatio textus Chriſti Domini, quam nuper adduximus: *Jugum meum ſuave* &c. Nemo quippe ex Patribus eſt, qui illum eo ſenſu interpretati fuerint, quem ipſi modo perperam affingunt Probabiliſtici Syſtematis defenſores, ſed in alio penitus adverſo: quemadmodum & plures aliæ interpretationes aliarum Scripturarum productæ tum in dogmatibus Fidei, tum in morum regulis a nuperrimis Scriptoribus *Harduino*, & *Berruyero*, quas in eximia ſua *Inſtructione Paſtorali* collegit, confutavitque Illuſtriſs. Epiſcopus Sueſſionenſis; quas propterea proſcripſerunt, atque damnarunt duo Summi Pontifices Benedictus XIV. & Clemens XIII.

Regula Decimasexta.

Nemini quoque licet ſola humana ratione ducto, a generalibus Scripturæ ſententiis excipere non ſolum in materia Fidei, ſed neque etiam in materia morum. Et quidem in materia Fidei nullus Catholicorum eſt, qui ſine grandi piaculo credat, ſe ullam arbitrio ſuo facere poſſe exceptionem in fidei dogmatibus, aut ſententiis generalibus Scripturæ Sacræ. Cur igitur ſibi licitum quiſpiam putaverit eamdem facere in iis ſententiis, quæ morum rectitudinem ſpectant, cum omnes Verbum Dei ſint, adeoque eadem divina polleant authoritate, pari veneratione, ac ſubmiſſione excipiendæ? Quin addo, periculoſius id eſſe in materia morum, quam fidei; eo quod humana mens in hoc corruptæ naturæ ſtatu difficilius admittat rectum de moribus judicium, quam de fidei veritatibus; quia ſcilicet homo divina non averſatur myſteria, licet ea minime capiat: morum vero averſatur præcepta, quibus concupiſcentias ſuas, & paſſiones legi repugnantes compeſcere, atque in officio continere jubetur.

Regula Decimaseptima.

In æſtimanda qualitate actionum, ſive quæ laudantur, ſive quæ vituperantur, judicium vulgi, aut conſuetudo attendenda non eſt; ſed Scripturarum locutiones in proprio ſuo, ac nativo ſenſu intellectæ. Divina namque Scriptura errori obnoxia non eſt; & quod *grave* peccatum eſſe declarat, nunquam *leve* erit, quamquam aliter judicent homines propter mores contrarios, aut conſuetudines, quæ jam invaluerint. Sapiens hoc monitum traditur a S. Auguſtino *lib. de morib. Eccl. cap.* 9. ubi hæc ſcribit: *Quoniam proclive eſt humanum genus non ex momen-*

Digitized by Google

tis ipſius libidinis (aut peccati gravitatis.) , *ſed potius ſuæ conſuetudinis æſtimare peccata ; fit plerumque , ut quiſque minus ea tantum culpanda arbitretur , quæ ſuæ regionis , & temporis homines vituperare, atque damnare conſueverunt : & ea tantum probanda , atque laudanda , quæ conſuetudo eorum , cum quibus vivit , admittit : eoque contingit , ut ſiquid Scriptura vel præceperit quod abhorret a conſuetudine audientium , vel quod abhorret , culpaverit , ſi animum eorum jam verbi vinxit authoritas , figuratam locutionem putant . . . . ſi animum præoccupavit alicujus erroris opinio , quidquid aliter aſſeruit Scriptura , figuratum homines arbitrantur &c.* Hoc attendere quoque ſummopere debent Confeſſarii , ne in ſuis de morum actionibus judiciis ferendis a veritate aberrent. Sunt enim actiones aliquæ , quas graviter Scriptura reprehendit , aut damnat , de quibus multi aut plane non cogitant , aut peccata leviſſima putant , adeout nec de ipſis in Sacramentali Confeſſione ſe accuſent .

Regula Decimaoctava .

Quum quædam in Sacris Litteris tradantur, quæ *ſub præcepto* cadunt, alia autem tantum *ſub conſilio* ; ideo utraque confundenda non ſunt , ſed magna circumſpectione diſcernenda ; ne, quæ *præcepta* ſunt, *conſilia* credantur , aut e contra . Pro horum recta diſcretione generalem regulam , atque doctrinam aſſignat S. Thomas 1. 2. *q.* 108. *art.* 4. quæ conſentit cum ea , quæ ſupra tradita a nobis eſt ex S. Auguſtino : " Hæc eſt , inquit , differentia inter conſilium, & præceptum; quia *præceptum* importat neceſſitatem: *conſilium* autem in optione ponitur ejus , cui datur . . . . . Oportet igitur , quod præcepta novæ legis intelligantur eſſe data de his , quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum finem æternæ beatitudinis , in quam lex nova immediate introducit : Conſilia vero oportet eſſe de illis , per quæ melius , & expeditius poteſt homo conſequi finem prædictum . Eſt autem homo conſtitutus inter res mundi hujus , & ſpiritualia bona , in quibus æterna beatitudo conſiſtit; ita quod, quanto plus inhæret uni eorum , tanto plus recedit ab altero , & e converſo . Qui ergo totaliter inhæret rebus hujus Mundi , ut in eis finem conſtituat , habens eas quaſi rationes , & regulas ſuorum operum, totaliter excidit a ſpiritualibus bonis: & ideo hujuſmodi *inordinatio tollitur per præcepta* . Sed quod homo totaliter ea , quæ ſunt Mundi , abjiciat , non eſt neceſſarium ad perveniendum in finem prædictum : quia poteſt homo utens rebus hujus Mundi , dummodo in iis finem non conſtituat , ad beatitudinem æternam pervenire; ſed expeditius perveniet , totaliter bona hujus Mundi abdicando : & ideo de hoc dantur *Conſilia* Evangelii . " Quod poſtea magis declarat ; & nos ſuo loco cum illo declarabimus .

Itaque juxta doctrinam S. Doctoris Sacræ Scripturæ præceptum, & quidem negativum , quod *ſemper* , & *pro ſemper* obligat , eſt , quod homo nunquam ita affectu ſuo adhæreat creaturis , ut in eis ſuum ultimum finem ſtatuat , ſive juxta Auguſtinum , *ut eis fruatur.* Licitum vero eſt , quod iiſdem creaturis moderate , & juxta finem , ad quem inſtitutæ ſunt, utatur : *Conſilium* autem, ut bonis temporalibus renunciet , quo expeditius ad æternam beatitudinem tendat . Sic in communi *præceptum* eſt, ut divitiis non inhæreamus : licitum , ut eis moderate utamur : *Conſilium* , ut eis totaliter renunciemus per votum *paupertatis* . Quare dicitur Matth. 19.

Si

Digitized by Google

Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: Atque ita de voto *caſtitatis*, & *obedientiæ*, quæ præcipua *Conſilia* ſunt, ad quæ cætera revocantur. Hæc autem ſive præcepta, ſive mera conſilia, quæ habentur in libris Novi Teſtamenti, ex ipſis terminis, quibus proponuntur, & ex circumſtantiis ſecernere facile eſt.

Quapropter diligenter cavendum eſt, ne illud, quod in Scriptura tamquam veri nominis *præceptum* omnibus præſcribitur, loco ſolius *conſilii* habeamus; quod ſæpe faciunt aliqui, ac præſertim, qui Probabiliſmum ſectantur, cum ingenti animarum periculo. Hoc ut exemplo aliquo oſtendam, Chriſtus Dominus expreſſe prohibet in Evangelio S. Matthæi vindictam inimicorum illis verbis: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos &c.* Eademque habent clariſſima verba tum Paulus, tum Petrus in ſuis Epiſtolis, quæ omnibus eſſe directa, nemo unquam dubitavit, & Eccleſia, & Patres ſemper tenuerunt. Quid tamen? P. Berruyerus noviſſime inventus eſt, qui *p. 2. T. 2. lib* 4. ſcribere non eſt veritus, hoc præceptum non fuiſſe, niſi relate ad Apoſtolos, primoſque Eccleſiæ Præſides: quoad alios vero merum eſſe *conſilium*. Vide laud. Inſtruct. Epiſcopi Sueſſionenſis *p.* 4. *c. 6. pag.* 497. Edit. Gallicæ.

Hinc vero obiter inferas, Authorem *Prodromi* præmiſſi Theologiæ PP. Buſembaum, & Lacroixii diminute admodum proceſſiſſe, dum inter quoſdam Canones pro uſu Scripturarum obſervandos ita hunc propoſuit n. 2. *Videndum, ne Scripturæ verbis, quibus pium aliquod conſilium proponitur, præceptionis vim ineſſe incaute velimus*. Quamquam enim Canon iſte abſolute verus ſit, dignus tamen animadverſione ex eo eſt, quod omittat Author, quod haud omittere debuerat, ne illo imperiti aliqui abutantur; nempe duos alios Canones, qui cum illo jungi debent; ſcilicet: *Videndum e contra eſt, ne Scripturæ verbis præceptum continentibus conſilii tantum rationem, vimque tribuamus*; ſicut frequens mos eſt penes Probabiliſtas. Ac deinde: *Cavendum, ne in dubio, num Scripturæ verba conſilium, an præceptum contineant, perinde agamus, ac ſi conſilium continerent; ſed in eo dubio, ubi de animæ ſalute agitur, tutiora eſſe ſequenda, non conſilii, ſed certi præcepti loco habeamus*. Cæterum ſunt alii quoque Canones pro uſu Scripturarum ab eodem Authore producti, qui cenſuræ ſubjiciendi forent. At quoniam id ab aliis jam factum eſt, idcirco ab hoc labore abſtineo; ſolumque Lectorem admoneo, ut nonniſi cum magna cautione illos adhibeat, quippe qui falſo, quod Author adoptat, ſyſtemati ſuffragantur.

CAPUT IV.

De altero Moralis Theologiæ loco; Divinis *nempe* Traditionibus.

MUlta jam diximus de primo, ac præcipuo loco Theologiæ Moralis: paucioribus, quæ ad ſecundum pertinent, *Traditiones* ſcilicet *Divinas*, abſolvemus. Atque in primis præmittendum cenſeo, quæ de hoc in Decreto Concilii Tridentini ſtatuta ſunt *ſeſſ*. 4. quibus utriuſque loci, Scripturæ nempe, ac Traditionis, authoritatem in rebus theologicis complexum eſt. " Sacroſancta (ait) Œcumenica, „ & Generalis Tridentina Synodus .... „ hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut, ſublatis erroribus, „ puritas ipſa Evangelii in Eccleſia con-

Digitized by Google

„ conſervetur , quod promiſſum ante per „ Prophetas in Scripturis Sanctis , Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit; deinde per ſuos Apoſtolos tamquam fontem omnis , & ſalutaris veritatis , & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit , perſpicienſque hanc veritatem , & diſciplinam contineri in libris ſcriptis , & *ſine ſcripto traditionibus , quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ , aut ab ipſis Apoſtolis , Spiritu Sancto dictante , quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt* , Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta , omnes libros tam veteris , quam novi Teſtamenti , cum utriuſque unus Deus ſit author ; *nec non Traditiones ipſas tum ad Fidem , tum ad mores pertinentes , tanquam vel oretenus a Chriſto , vel a Spiritu Sancto dictatas* , & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas , pari pietatis affectu , ac reverentia ſuſcipit , & veneratur “ .

Plura habemus ex hoc Sacri Concilii Decreto , quæ animadverſione digna ſunt . Atque in primis , haud ſolam Scripturam regulam eſſe infallibilem tum Fidei , tum morum , ſed & ipſi adjiciendam *Traditionem* ; ac utramque eſſe *Verbum Dei* . Hoc proterve negarunt Lutherus , & Calvinus , eorumque Diſcipuli . Calvinus enim , ut Lutheri verba omittam , hæc temere ſcribit *lib.* 4. *Inſtit.* §. 8. *Eſto hoc firmum axioma , non aliud habendum eſſe Dei verbum , cui detur in Eccleſia locus , quam quod in lege primum , & prophetis , deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur ; nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum , niſi ex ejus verbi præſcripto , & norma . Hinc etiam colligimus , non aliud permiſſum fuiſſe Apoſtolis , quam quod olim habuerant Prophetæ* . Quod & aliis locis affirmat . Hic error verbis allatis a Sancta Synodo penitus reprobatur . Et ſane quot leguntur in ipſa Scriptura , ad quam hi hæretici appellant , quæ præter Verbum Dei ſcriptum , traditum quoque luculentiſſime adſtruunt ? Ipſe Chriſtus Dominus a Diſcipulis ſuis diſceſſurus nonne ipſis præcepit , ut *euntes in mundum univerſum , docerent gentes ſervare omnia , quæcumque iiſdem mandaverat* ? Nihil ipſe ſcripſerat , nec quidpiam ab aliquo alio ſcriptum adhuc fuerat . Quænam ergo erant , quæ docenda mandavit , niſi quæ oretenus tradiderat ? Deinde S. Paulus in ſuis Epiſtolis plures Divinas *Traditiones* commemorat , earumque neceſſitatem inculcat . Nam 1. *ad Corinth. cap.* 11. ait : *Ego accepi a Domino , quod & tradidi vobis* . 1. ad Theſſal. c. 11. *Itaque ſtate , fratres , & tenete Traditiones , quas didiciſtis , ſive per ſermonem , ſive per epiſtolam noſtram* . 2. ad Timoth. c. 1 , *Formam habe ſaniorum verborum , quæ a me audiſti in Fide , & dilectione in Chriſto Jeſu* . Et iterum cap. 8. *Tu vero fili mi , confortare in gratia , quæ eſt in Chriſto Jeſu : & quæ audiſti a me per multos teſtes , hæc commenda fidelibus hominibus , qui idonei erunt & alios docere* . In his profecto adeo evidenter diſtinguit verbum ſcriptum S. Paulus a verbo tradito ſive per ſermonem , ſive per epiſtolam , ut plane cæcutire in meridie dicendi ſint , qui hoc inficiantur . Alia plura ad idem probandum proferre fas eſſet , quæ brevitati conſulens prætermitto .

Habemus ſecundo ex verbis Concilii Tridentini haſce Traditiones complecti nedum ea , quæ Chriſtus ſua voce docuit Apoſtolos , ſed illa quoque , quæ hi didicere a Spiritu Sancto , quem illis ſe daturum promiſit , ut aperte teſtatus illis fuit in ultima cœna ; dum , ut habetur apud *Joan. cap.* 16. ait : *Adbuc multa habeo vobis*

bis dicere; ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo; ſed quæcumque audiet, loquetur: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Quod potiſſimum factum eſt in ſacro die Pentecoſtes, in quo Apoſtoli repleti ſunt Spiritu Sancto. Hoc Apoſtolus de ſeipſo loquens ſatis exprimit, dum 1. *ad Cor, cap.* 7. ait, cum quoddam de ſuo conſilium dediſſet: *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*. Et rurſum 2. ad eoſdem *cap.* 13. *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?* In his porro Traditionibus utpote divinis, ac divina authoritate potientibus recte Melchior Canus *cap.* 5. animadvertit, „ ab earum vinculo Eccleſiam fideles „ eximere non poſſe, nec illas contra„ria aliqua conſuetudine abolere. Si „ enim e. c. materias, & formas Sa„cramentorum Confirmationis, Ordi„nis, Extremæ Unctionis a Chriſto „ Apoſtoli, nos ab Apoſtolis accepi„mus; ſi ad eumdem quoque modum „ Matrimonia non conſummata per ſo„lemnem caſtitatis profeſſionem dirimi, „ conſummata vero per converſionem „ ad Fidem, conjuge infideli diſceden„te, Chriſtus Dominus Apoſtolis, illi „ nobis edixerunt; in his tamquam in „ divinis inſtitutis Eccleſia nihil habet „ poteſtatis.

Habemus tertio, divinas hujuſmodi Traditiones vel a Chriſto Domino acceptas, vel a Spiritu Sancto Apoſtolis dictatas, per Apoſtolos Eccleſiæ fuiſſe concreditas, & continua ſucceſſione in eadem fuiſſe conſervatas. Quapropter illas nos, ſive ad Fidem pertineant, ſive ad mores, recipimus, ac recipere debemus: & qui illas aut recipere abnuit, aut non eo in ſenſu recipit, quem Catholica Eccleſia proponit, inter hæreticos, ſive alienos a Fide Chriſti accenſendos eſſe. Quemadmodum enim hæreticus dicendus eſt, qui aliter interpretatur Scripturam, quam ab Eccleſia exponatur; ita etiam qui Traditionem. Utriuſque quippe Divini Verbi ſive ſcripti, ſive traditi expoſitio, & intelligentia Eccleſiæ, non ſingularibus fidelibus commiſſa eſt. Atque adeo tum de Scriptura, tum de Traditione accipienda eſt illa S. Petri ſententia, ut explicant Interpretes: *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ*, ſcilicet expoſitio, quæ *prophetia* dici meretur *propria interpretatione non fit* .... *ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines*. " Hæc Petri ſententia (inquit „ Eſtius in hunc locum) flagellat hæ„reticos, & omnes eos, qui, con„tempto, & poſthabito ſenſu Eccle„ſiæ, cui Spiritum ſuum Chriſtus pro„miſit, privatos ſenſus vel ſuos, vel „ ſuorum Magiſtrorum ad Scripturas „ interpretandas afferunt. Cur nemo „ Scripturas ſuo ſenſu, & modo in„terpretari debeat, ſubdit Apoſtolus: „ *Non enim voluntate humana &c.* Nam „ eodem Spiritu interpretandæ ſunt; „ ideſt Spiritu divino, quem Chriſtus „ nunquam non Eccleſiæ ſuæ affuturum „ eſſe omnimoda certitudine promiſit". Sed de hoc plura infra.

Ex quibus omnibus colligere poſſumus germanam divinæ Traditionis definitionem, de qua in præſenti loquimur. Non enim modo ſermo eſt de aliis traditionibus, quæ factæ ſunt antiqui Teſtamentis Patribus, ac majoribus. *Traditio divina eſt doctrina, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus Eccleſiæ tradita ad nos uſque pervenit*.

Hac definitione, quantum quidem arbitror, aperte diſtinguitur Traditio *divina* a quacumque alia traditione, quæ

quæ divina non eſt, ſed *humana*. Atque in primis diſtinguitur a traditione humana Eccleſiaſtica, quæ nempe originem trahit ab aliqua inſtitutione facta ab ipſa Eccleſia; ut traditio de celebrando Paſchate die Dominico conſequente Lunam decimam quartam, quæ ſemper extitit in Eccleſia Romana, & ab aliis deinde recepta eſt.

Diſtinguitur etiam a traditione mere *Apoſtolica*, quæ conſiſtit in illis inſtitutionibus, quas fecerunt Apoſtoli ut Eccleſiæ fundatores ad ejuſdem majorem utilitatem; ut Quadrageſimæ jejunium, quod licet nonnulli Patres ad Chriſtum Dominum referre videantur, revera tamen juxta communiorem ſententiam mere Apoſtolicum inſtitutum fuit; quod tamen ad Chriſtum referri poteſt, quatenus hujus jejunii ipſe exemplum præbuit. Traditiones ergo *divinæ* eæ tantum dicendæ ſunt, quas vel Chriſtus Dominus proprio ore communicavit Apoſtolis, & hi ſucceſſoribus; vel iidem Apoſtoli Spiritu Sancto dictante acceperunt, & abſque ſcripto communicarunt Eccleſiæ. Unde dicuntur etiam *Apoſtolico-Divinæ*: *divinæ* quidem, quia a Deo revelatæ: *Apoſtolicæ* vero, quia Apoſtolis communicatæ.

Ad inveſtigandas divinas traditiones ſive Fidem, ſive mores ſpectantes, quæ in Eccleſia conſervantur, quatuor vias indicat ſapientiſſimus Melchior Cano, quas hic ſummatim deſcribo. Primam aperit S. Auguſtinus *lib. 4. contr. Donatiſt.* in hæc verba: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica traditum doctrina rectiſſime creditur*. Cujus hæc ratio aſſignari poteſt. Si enim diſciplinæ, aut conſuetudinis cujuſquam diu in tota Eccleſia obſervatæ originem, & principium nec ad Summos Pontifices, nec ad Concilia Epiſcoporum referre poſſumus; ſed ea diſciplina, aut conſuetudo ad Apoſtolorum uſque tempora retro trahitur; conficitur plane, illam ab Apoſtolis eſſe profectam. Sic parvulorum baptiſma, conſecratio Virginum, Monaſtica Profeſſio, Sanctorum veneratio, cultus ſacrarum imaginum, aliaque multa ab Apoſtolis tradita comprobantur. Hoc autem tum in Fidei dogmatibus, tum in morum regulis ſervandum eſt, licet quidpiam vel ab hæreticis, vel a novitiis Scriptoribus afferatur contrarium.

Secunda via eſt: Si quod vel Fidei dogma, vel aliquid ad mores pertinens Patres ab initio ſecundum ſuorum temporum ſucceſſionem concorditer tenuerunt, & oppoſitum ut hæreticum, aut falſum refutarunt; quod tamen ex Sacris Litteris non habeatur: id ſcilicet per Divinam Apoſtolicam traditionem habet Eccleſia. Exempla ſunt perpetua Beatiſſimæ Matris Dei Virginitas, Confeſſio auricularis, communio ſacratiſſimi Corporis Chriſti etiam a Laicis facienda, deſcenſus Chriſti ad inferos, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, in libertatem vindicaret, quatuor Evangeliorum numerus, & alia. Omnia ſiquidem Fidei, aut morum dogmata ab Apoſtolis accepit Eccleſia vel ſcripto, vel verbo: quoniam ii miniſtri fuere ſermonis; nec ullas in Fide novas revelationes habet Eccleſia, ſed eas conſervat, quas Apoſtoli per Chriſtum, aut Spiritum Sanctum fideli populo reliquerunt.

Tertia ad inveſtigandas divinas traditiones via hæc eſt: Si quidquam nunc eſt in Eccleſia communi tum Paſtorum, tum fidelium conſenſione probatum, quod tamen humana poteſtas efficere minime potuit, id ex Apoſtolorum traditione neceſſario derivatum eſt, ut vota diſſolvere, & relaxare juramenta non erat humanæ poteſtatis: quoniam jure naturæ vota nuncupata Deo reddere tenemur, ſicut & juramenta ſervare. Humana autem facultas ea, quæ jure

jure naturæ debita , & conſtitura ſunt, condonare, ac tollere non poteſt : eademque eſt ratio de Matrimonii diremptione per Monaſticum ſolemne votum . Cum enim Matrimonium etiam non conſummatum ante Evangelicam legem eſſet jure naturæ indiſſolubile , nec eſſet in Repubblica humana facultas ulla ejuſmodi matrimonii dirimendi ; conſequens ſit , hunc Eccleſiæ morem ex Chriſti , & Apoſtolorum inſtituto deſcendiſſe . Nec enim credi poteſt , Eccleſiam ſibi aliquam poteſtatem uſurpaſſe in his , quæ ad jus naturæ pertinent , niſi quam Chriſto , & Apoſtolis tradentibus accepiſſet . Vide laudatum Cano .

Quarta demum via ad finem eumdem inveſtigandæ divinæ traditionis eſt hujuſmodi : Si viri Eccleſiaſtici , aut Fidei doctrinam, aut aliquam morum regulam uno ore ſemper , & ubique teſtati ſint , ac teſtentur , eam ab Apoſtolis accepiſſe ; ſine dubio certum argumentum eſt , ut ita eſſe credamus : ut imagines ab Apoſtolis eſſe traditas Patres in VII. Synodo Generali *act. 6.* dixerunt : & Symbolum Fidei , quo vulgus Fidem ſuam profitetur , Eccleſiam , Apoſtolis tradentibus , habuiſſe Patres communiter aſſerunt. Quæ omnia celeberrima illa Vincentii Lirinenſis ſententia concludo , ***Quod ab omnibus , quod ſemper , quod ubique creditum eſt*** , non minus certo tamqnam Dei verbum eſt habendum , quam certum ſit verbum Dei, quod habetur in Evangeliis , in epiſtolis Apoſtolorum , atque Prophetis .

Porro quamquam verbo Dei tradito , ſeu divina traditione utamur ad cognoſcendas , ac probandas plures veritates , quæ in Eccleſia docentur ad Fidem , aut mores pertinentes , præcipuus tamen , ac principalis ejuſdem uſus eſt in interpretando verbo Dei ſcripto . Neque enim niſi deſipiens negare poteſt , nonnulla eſſe loca in Sacris Litteris , quæ ob mirabilem eorum profunditatem plures ſenſus ſubire valeant , ac diverſimode explicari , ac interpretari : quod exemplo hæreticorum abunde compertum eſt , atque exploratum . Neceſſaria proinde eſt certa aliqua , ac tuta regula , cujus ope omnium ingenia in vero Scripturarum ſenſu conveniant ſaltem relate ad illa , quæ Fidem ſpectant , & recte vivendi diſciplinam ; quæ regula alia non eſt, niſi Traditio . Hinc in Evangelio S. Lucæ *cap. 24.* Jeſum Chriſtum poſt Reſurrectionem ſuam legimus *aperuiſſe ſenſum* ſuorum Diſcipulorum , ***ut intelligerent Scripturas*** . Ac ſubinde Diſcipuli veram Scripturarum intelligentiam communicarunt Eccleſiis media exteriore inſtructione , quæ in ipſa Eccleſia conſervata ſemper fuit , & per Sanctos Patres , per Concilia , per definitiones Summorum Pontificum ad nos uſque intemerata pervenit : unde falſitatis , ac erroris in interpretanda Scriptura ſectatores convincere valeamus .

CAPUT V.

De auctoritate Eccleſiæ , in qua tum Scripturæ , tum Divinæ Traditiones conſervantur .

SCriptura , & traditione omnis concluditur , quæ facta a Deo eſt, ut non ſemel diximus , revelatio ad communem hominum utilitatem tum eorum , quæ credenda ſunt , tum eorum , quæ agenda , ut ad beatiſſimum illum finem æternæ felicitatis perveniamus : & utramque Chriſtus in ſinu dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ cuſtodiendam depoſuit , ut ſalutares , quas continent , veritates fidelibus notas faceret , quæque ſuboriri dubia circa earumdem intelligentiam poſſent , dirimeret, atque genuinum ſenſum manifeſtaret . De hac igitur Eccleſia (quo no-

Digitized by Google

nomine Congregationem Fidelium ſub Paſtoribus a Chriſto inſtitutis intelligimus), ex qua in homines tam inſigne, planeque neceſſarium beneficium derivatur, pauca quædam adnotanda exiſtimo hoc capite quinto.

Et primum quidem nemo non videt, & experientia ipſa manifeſta comprobante, non percipit, quemlibet Doctorem tametſi ſapientiſſimum, quemlibet Theologum licet doctiſſimum, errare poſſe, & graviſſime quidem, in ſuis eruendis ex revelata doctrina concluſionibus tum in Fidei, tum in morum controverſiis. Quin non modò ex imbecillitate rationis, ſed aliquando etiam ex malitia, ex falſis præjudiciis, ex pertinacia contradicendi veritati privatus quiſque Doctor ab ea deflectere valet, & hæreticus fieri, animaſque propterea in ſempiternam perditionem detrudere. Quid hinc igitur colligendum eſt? Illud profecto, juxta ſuavem Dei providentiam exiſtere in vera Dei Eccleſia debuiſſe fidelem interpretem fallere, ac falli neſcium, qui judicium in cujuſcumque privati Doctoris quantumvis ingenio, & doctrina præcellentis, ſententias, & interpretationes ſive Scripturarum, ſive divinarum traditionum ferat, cui ſupremo, certo, & infallibili judicio ſtare omnes, ac parere debeant.

Supremus iſte divinæ revelationis interpres, ac judex infallibilis juxta Catholicos omnes, non alius eſt, nec alius a ſummo proviſore conſtitutus, quam Sancta Mater Eccleſia, quæ organum eſt, quo Spiritus Sanctus nos inſtruit, corrigit, atque errantes in veritatis ſemitas reducit. Ut alia ad hoc probandum momenta prætereeam, duo tantum proferam ex ipſis Scripturæ textibus deprompta teſtimonia, quæ rem omnino conficiunt. Primum illud eſt, quod habetur apud S. Matthæum Capite ultimo, ubi Chriſtus Dominus a ſuis diſcipulis jam diſceſſurus conceptis verbis promiſit ſe affuturum cum ipſis, eorumque ſucceſſoribus ad uſque finem Mundi, & infinita poteſtate ſua præſervaturum Eccleſiam ab omni errore: *Data eſt mihi* (dixit) *omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos .... docentes ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. His verbis adeo evidenter Chriſtus patefecit infallibilitatis privilegium, quod Eccleſiæ ſponſæ ſuæ reliquit, duraturum uſque ad finem mundi, ut neceſſe ſit oculos prorſus claudere, ne ejus veritatis lucem clariſſimam videamus. Chriſtus enim ſe futurum dixit cum Apoſtolis *docentibus, quæcumque ipſis mandaverat*; adeoque eorum doctrina, quæ tradenda ab ipſis erat, tali Chriſti protectione fulta deficere, aut errore aliquo permiſceri minime poterat. Sed cum dixit *uſque ad conſummationem ſæculi*, ſignificavit etiam ſemper futurum cum Apoſtolorum ſucceſſoribus, adeoque Eccleſia: neque enim Apoſtoli uſque ad finem mundi duraturi erant. Hoc teſtimonium inter alios tam egregie declaratum eſt, vindicatumque ab ineptiſſimis hæreticorum commentis a Viro clariſſimo Boſſueto, ut nonniſi delirus, aut pervicaciſſimus poſſit illud alio in ſenſu intelligere, Ac certe ſiqnid dubitationis in alicujus mente remaneat ob intelligentiam illorum verborum: *uſque ad conſummationem ſæculi*, totum evaneſcere debet ex aliis ejuſdem Chriſti verbis, quæ paulo ante mortem Apoſtolis dixerat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis ..... ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Ubi cum dixerit, Spiritum ſuum manſurum *in æternum*, nedum hoc intellexit de ſolis Apoſtolis, qui æternum manſuri in

hoc

hoc mundo non erant, verum etiam de eorumdem ſucceſſoribus; quod luculenter patet ex verbis, quæ ibidem dixit, Patrem orans: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*; Paſtores ſcilicet, & gregem, ſive *Congregationem* fidelium, ex quibus tota conflatur Eccleſia Chriſti, expreſſe deſignans.

Ex his duo neceſſario profluunt. Primum Eccleſiam nunquam probaturam eſſe errorem: quoniam continenter ſecum habet Chriſtum, qui veritas eſt, & cujuſque erroris incapax. Alterum nunquam fas eſſe ab Eccleſia ſecedere. Quicumque enim ab ea ſecedit, a Chriſto ſe ſeparat, qui eidem ſemper adeſt omnibus diebus uſque ad ſæculi conſummationem. Atque hæc ab Eccleſia ſeparatio germanus Hæreticorum, & Schiſmaticorum character eſt, qui ſecum affert ea omnia terribilia conſectaria, deſcripta a S. Apoſtolo Juda in Epiſtola ſua hiſce verbis: *Vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes &c.* Adducit Sanctus Apoſtolus in hujus veritatis confirmationem omnium Apoſtolorum teſtimonium. Sicut enim omnes teſtes erant promiſſionis factæ a Chriſto permanendi cum a ſe inſtituta ſocietate uſque ad mundi finem; ita omnes uno ore definierunt a Chriſto recedere illos omnes, qui ab hac ſe ſocietate, quæ Eccleſia ipſa eſt, ſepararent.

Eccleſiæ porro infallibilitas, quæ precipuum eſt ex eſſentialibus ſuis attributis, non ſe extendit niſi ad doctrinam Fidei, & morum determinandam, certoque proponendam; non autem ad facta particularia, quæ ex aliis principiis ducuntur. Duplex autem infallibilitas Eccleſiæ in rebus Fidei, & morum diſtingui poteſt, ac ſolet: altera nempe *activa*, ac judicii; altera *paſſiva*, ac profeſſionis. Prior exercetur, quoties ad tribunal Eccleſiæ aliqua quæſtio, ſive controverſia defertur, & in hoc tribunali ad examen vocatur, diſcutitur, ac tandem definitur, quid de illa ſentiendum ſit. Sic ſæculo proxime elapſo ad tribunal Summorum Pontificum Alexandri VII. Innocentii XI. & Alexandri VIII. permultæ in genere morum delatæ ſunt Caſuiſtarum propoſitiones, & poſt maturum, ac diligens examen, tota Eccleſia plaudente, declaratæ ſunt falſæ, ſcandaloſæ, & alienæ ab Evangelica ſimplicitate, ac Sanctorum Patrum doctrina. Alia infallibilitas, quam *paſſivam*, & *profeſſionis* vocamus, habetur, atque perſpicitur in communi inſtructione, prædicatione, uſuque, & profeſſione publica, quæ fit ab Eccleſiæ miniſtris, alicujus doctrinæ ad Fidem, aut ad mores pertinentis. Utraque tuta, ac certa, ſimulque facilis regula eſt, ut veritatem, omni dubio ſublato, cognoſcamus.

Audiamus de hoc argumento egregie de more diſſerentem nunquam ſatis laudatum, nec ſatis laudandum Illuſtriſſimum Epiſcopum Boſſuetum, cujus verba, quæ habentur art. 19. *de Eccleſiæ Authoritate*, ex gallico ſermone latine reddo. " Cum penitus
„ (inquit) devincti ſimus, atque ſub-
„ jecti authoritati Eccleſiæ, medianti-
„ bus Scripturis, quas ex ejus mani-
„ bus accipimus, ex ea quoque di-
„ ſcimus *traditionem*, & media tradi-
„ tione verum Scripturarum ſenſum.
„ Hac de cauſa profitetur Eccleſia,
„ nihil ſe ex ſemetipſa loqui, nec
„ quidpiam novi excogitare in doctri-
„ na ſua. Siquidem nihil aliud præ-

Digitized by Google

„ ſtat ipſa, quam ſequi, ac declarare „ divinam revelationem ob internam „ directionem, atque adſiſtentiam Spi- „ ritus Sancti, qui ipſi datus a Chri- „ ſto eſt tamquam Doctor. “

„ Quod ſane Spiritus Sanctus lo- „ quatur per ipſam Eccleſiam eviden- „ ter conſtat in diſputatione illa, quæ „ oborta eſt inter Apoſtolos circa le- „ gales cerimonias; & illorum acta „ documento fuerunt poſterioribus ſæ- „ culis omnibus eo modo definiendas „ eſſe, & ea authoritate, qua prima „ illa quæſtio definita eſt, cæteras quaſ- „ cumque controverſias, quæ circa Fi- „ dem, ac mores ſubnaſci poſſunt. „ Quam ob rem, quouſque diſputatio- „ nes exiſtent, quæ fidelium animos „ dividant, ſuam Eccleſia interponet „ authoritatem, & Paſtores congregati, „ ſicut Apoſtoli dixere, ipſi quoque „ eodem modo definient: *Viſum eſt* „ *Spiritui Sancto, & nobis*. Cum vero „ ſuum judicium expreſſerit, filios ſuos „ docebit ad examen revocandum non „ eſſe, quidquid ipſa definierit, ſed „ deciſiones ſuas humili ſubmiſſione re- „ cipere. Atque in hoc D. Pauli Apo- „ ſtoli, ac Silæ fideles ſequentur exem- „ plum, qui primum hocce Apoſtolo- „ rum judicium ubicumque detulerunt, „ haud ipſis permittentes iterum diſcu- „ tere, quod fuerat definitum. *Paulus,* „ *electo Sila, profectus eſt*, ut dicitur „ in Act. Apoſt. cap. 15. *perambulabat* „ *autem Syriam, & Ciliciam, confir-* „ *mans Eccleſias, præcipiens cuſtodire* „ *præcepta Apoſtolorum & Seniorum* “.

„ Hoc modo veri filii Dei judi- „ cio Eccleſiæ acquieſcunt, pro certo „ habentes ſe ex ejus ore audiviſſe „ oraculum Spiritus Sancti. Et hac „ Fide ducti, poſtquam Symboli Apo- „ ſtolici ea verba recitavimus: *Credo* „ *in Spiritum Sanctum*, addimus im- „ mediate: *Sanctam Eccleſiam Catho-* „ *licam*; quibus nos agnoſcere profi- „ temur veritatem infallibilem, atque „ perpetuam univerſalis Eccleſiæ. Quo- „ niam hæc eadem Eccleſia, quam „ omni tempore credimus, jam Eccle- „ ſia eſſe defineret, ſi veritatem a Deo „ revelatam docere quandoque deſiſte- „ ret. Omnes proinde, qui dubitant, „ num poteſtate ſua illa abutatur ad „ docendum mendacium, Fidem pro- „ ſecto non habent in Deum, a quo „ regitur, & gubernatur. “

„ Quoties ergo Proteſtantes rem, „ prout revera eſt, intueri vellent, „ fateri ſane deberent, Catholicam Ec- „ cleſiam nedum ſe non erigere in do- „ minam, & arbitram Fidei noſtræ, „ quemadmodum ipſi falſo affingunt; „ quin potius ſe ipſam hac lege devin- „ xit, ut media omnia invehendæ no- „ vitatis abs ſe removeret. Quando- „ quidem nedum illa ſe Scripturis San- „ ctis omnino ſubjicit, verum etiam, „ ut omnes earumdem eliminaret in- „ terpretationes arbitrarias, quibus homi- „ nes cogitationes ſuas habent veluti do- „ ctrinas Scripturarum, ſibi hanc obli- „ gationem impoſuit, non alio in ſen- „ ſu eas explicandi, ſive Fidem ſpe- „ ctent, ſive mores, niſi juxta ſen- „ ſum Sanctorum Patrum, a quo nun- „ quam ſe receſſuram profitetur; aper- „ te declarans & in Conciliis ſuis, & „ in Fidei profeſſionibus, quas edit, „ atque evulgat, nullum ſe dogma re- „ cipere, quod traditioni præceden- „ tium omnium ſæculorum conforme „ non ſit „. Hactenus doctiſſimus E- piſcopus.

Quoniam vero de doctrinis mora- libus, quæ in Eccleſia Catholica con- ſervantur, atque docentur, in hoc ope- re præſertim agimus; præſtat hic ad- nectere pulcherrimum quoddam ſpeci- men illibatæ ejuſdem in rebus morali- bus doctrinæ, quod exhibet *lib. de mor. Eccl. cap.* 33. Sanctus Auguſtinus eam- dem Eccleſiam alloquens. En ejus ver- ba: „ Merito Eccleſia Catholica, ma-

„ ter

„ ter Chriſtianorum veriſſima, non ſo-
„ lum ipſum Deum, cujus adeptio vi-
„ ta eſt beatiſſima, puriſſime, atque
„ caſtiſſime colendum prædicas; nul-
„ lam nobis adorandum creaturam in-
„ ducens, cui ſervire jubeamur, &
„ ab illa interrupta, & inviolabili
„ æternitate, cui ſoli homo ſubjicien-
„ dus eſt, cui ſoli rationalis anima
„ cohærendo non miſera eſt; excludens
„ omne, quod factum eſt, quod ob-
„ noxium commutationi, quod ſubdi-
„ tum tempori; neque confundens,
„ quod æternitas, quod veritas, quod
„ denique pax ipſa diſtinguit; nec rur-
„ ſum ſeparans, quod majeſtas ſua
„ conjungit: Sed etiam proximi dile-
„ ctionem, atque charitatem ita com-
„ plecteris, ut variorum morborum,
„ quibus pro peccatis ſuis animæ ægro-
„ tant, omnis apud te medicina præ-
„ polleat. Tu pueriliter pueros, forti-
„ ter juvenes, quiete ſenes, prout cu-
„ juſque non corporis tantum, ſed &
„ animi ætas eſt, exerces, & doces.
„ Tu fœminas viris ſuis non ad explen-
„ dam libidinem, ſed ad propagandam
„ prolem, & ad rei familiaris ſocieta-
„ tem caſta, & fideli obedientia ſubji-
„ cis. Tu viros conjugibus non ad il-
„ ludendum imbecilliorem ſexum, ſed
„ ſinceri amoris legibus præficis. Tu
„ parentibus filios libera quadam ſer-
„ vitute ſubjungis, parentes filiis pia
„ dominatione præponis. Tu fratribus
„ fratres religionis vinculo firmiora, ac
„ arctiore, quam ſanguinis, nectis.
„ Tu omnem generis propinquitatem,
„ & affinitatis neceſſitudinem, ſervatis
„ naturæ, voluntatiſque nexibus, mu-
„ tua charitate coſtringis. Tu domi-
„ nis ſervos non tam conditionis ne-
„ ceſſitate, quam officii delectatione
„ doces adhærere. Tu dominos ſervis
„ ſummi Dei communis Domini con-
„ ſideratione placabiles, & ad conſu-
„ lendum, quam ad coercendum pro-
„ penſiores facis. Tu cives civibus,
„ gentes gentibus, & prorſus homines
„ primorum parentum recordatione,
„ non ſocietate tantum, ſed quadam
„ etiam fraternitate conjungis. Doces
„ Reges proſpicere populis, mones po-
„ pulos ſe ſubdere Regibus. Quibus
„ honor debeatur, quibus affectus,
„ quibus reverentia, quibus timor, qui-
„ bus conſolatio, quibus admonitio,
„ quibus cohortatio, quibus diſcipli-
„ na, quibus objurgatio, quibus ſup-
„ plicium, ſedulo doces, oſtendens, que-
„ madmodum & non omnibus omnia,
„ & nulli debeatur injuria".

" Jam vero cum hæc humana di-
„ lectio inhærentem uberibus tuis nu-
„ triverit, & roboraverit animum ſe-
„ quendo Deo factum idoneum: ubi
„ ejus majeſtas ex tanta parte, quanta
„ homini, dum terræ hujus inhabita-
„ tor eſt, ſufficit, aperire ſe cœperit,
„ tantus charitatis ardor innaſcitur, &
„ tantum divini amoris conſurgit incen-
„ dium, ut exuſtis omnibus vitiis,
„ & homine purgato, atque ſanctifi-
„ cato ſatis appareat, quod divine di-
„ ctum eſt: *Ego ſum ignis conſumens*;
„ &: *Ignem veni mittere in terram*.
„ Quæ duæ voces unius dei in duo-
„ bus Teſtamentis ſignatæ ſanctificatio-
„ nem animæ concordi atteſtatione de-
„ clarant, ut fiat aliquando illud, quod
„ item in novam Scripturam de veteri
„ aſſumptum eſt: *Abſorpta eſt mors in*
„ *victoria. Ubi eſt, mors, aculeus tuus?*
„ *ubi eſt, mors, contentio tua?* Quod
„ unum iſti hæretici intelligere ſi va-
„ lerent, nuſquam profecto Deum, niſi
„ apud te (Eccleſia Catholica), atque
„ in tuo gremio minime ſuperbi, &
„ bene pacati venerarentur. Merito
„ apud te divina præcepta late, diffu-
„ ſeque ſervantur. Merito apud te be-
„ ne intelligitur, quam ſit gravius co-
„ gnita, quam incognita lege pecca-
„ re. *Aculeus enim mortis peccatum*
eſt

Digitized by Google

„ *eſt : virtus autem peccati lex* ; quam „ gravius feriat, & interimat contem„ pti præcepti conſcientia. Merito apud „ te viſum eſt, quam ſit ſub lege ope„ ratio vana, cum libido animum va„ ſtat, & cohibetur pœnæ metu, non „ amore virtutis obruitur. Merito tibi „ tam multi hoſpitales, multi officioſi, „ multi miſericordes, multi docti, „ multi caſti, multi ſancti, multi uſ„ que adeo Dei amore flagrantes, ut „ eos in ſumma continentia, atque „ mundi hujus incredibili contemptu „ etiam ſolitudo delectet “. Hæc S. Doctor, qui ita deſcribens Chriſtianæ Eccleſiæ moralem diſciplinam, poſtquam præcepta retulit, pergit ſubinde ad illam comprobandam egregiis exemplis ſanctorum virorum tunc temporis vitam agentium, qui eam mirifice illuſtrabant, quæ ibidem legi poſſunt; ac demum concludit, virtutum omnium exempla hominum ſanctiſſimorum, quos ſinu ſuo complectebatur Eccleſia, inſigni charitate perfici, atque formari. *Charitas*, ait, *præcipue cuſtoditur : charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coitur in unam, conſpiraturque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur : huic ſiquid reſiſtit, expugnatur, atque ejicitur : hanc ſiquid offendit, unum diem durare non ſinitur. Sciunt ita commendatum eſſe a Chriſto, & Apoſtolis, ut ſi hæc una deſit, inania : ſi adſit, plena ſint omnia*.

CAPUT VI.

Quibus præſertim mediis certa tum Fidei, tum morum doctrina Eccleſiæ in Chriſtiana gente propagetur.

Infallibilis Eccleſiæ Catholicæ doctrina tum circa Fidem, tum circa mores a Chriſto Domino, & a Sancto Spiritu Apoſtolis communicata, per eorumdem Apoſtolorum ſucceſſores in omnium ſæculorum populos, & in omnium populorum animos diffunditur, & propagatur, ac continenti ſerie propagabitur ad uſque Mundi finem. Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi ſunt, quorum caput, & Princeps eſt Summus Romanus Pontifex Petri ſucceſſor; quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*; & quos Chriſtus ipſe *juſſit nos audire*, veluti ſemetipſum, eorumque vocem ſequi, veluti oves Paſtores ſuos, ne a recta ſalutis via declinemus. Apoſto'i ſunt primi Eccleſiæ Patres, & Epiſcopi, qui iis ſuccedunt, ſunt filii eorum, & ſimul Patres aliorum, quos in Chriſto generant, & ipſorum loco deinde ſuccedunt; quod pulchre admodum declarat S. Auguſtinus exponens illud Pſal. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii : conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. “ Genuerunt te „ Apoſtoli (inquit Eccleſiam alloquens): „ ipſi miſſi ſunt: ipſi prædicaverunt: „ ipſi Patres. Sed numquid nobiſcum „ corporaliter ſemper eſſe potuerunt? „ Numquid uſque ad hoc tempus? „ Numquid uſque impoſterum? Ergo „ illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? „ Abſit. *Pro Patribus tuis nati ſunt* „ *tibi filii*. Patres miſſi ſunt Apoſtoli: „ per Apoſtolos tibi nati ſunt filii: „ conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim „ Epiſcopi, qui ſunt per totum mun„ dum, unde nati ſunt? Ipa Eccleſia „ *Patres* illos appellat: ipſa illos ge„ nuit; & ipſa illos conſtituit in ſe„ dibus Patrum (nempe Apoſtolorum). „ Non ergo putes te deſertam : quia „ non vides Petrum: quia non vides „ Paulum: quia non vides illos, per „ quos nata es. De prole tua tibi „ crevit paternitas : *Pro patribus tuis* „ *nati ſunt tibi filii : conſtitues eos* „ *principes ſuper omnem terram*. Hæc „ eſt Catholica Eccleſia. Filii ejus „con-

„ conſtituti ſunt Principes ſuper omnem terram. Filii ejus conſtituti ſunt „ pro Patribus ".

Eccleſia igitur per Epiſcopos, & Paſtores nos generat Chriſto fideles: per ipſos nos nutrit, ut ſimus *perfecti in Fide, & dilectione*: per ipſos nos docet, quæ credenda a nobis ſunt, quæ agenda, quæve vitanda, ne a ſalutis via aberremus. Ex hac Epiſcoporum, quæ in vera Eccleſia Chriſti eſt, ſemperque erit, doctrinæ ſalutaris ſucceſſionem infallibilem, atque inconcuſſam firmitatem intulere Patres. Revera illibatam hanc Scripturæ, ac traditionis doctrinam ſive ad Fidem, ſive ad mores pertinentem huic Epiſcoporum non interruptæ ſucceſſioni acceptam referimus, ac referre debemus. Quid enim eſt aliud Apoſtolica Traditio, quam doctrina ſeu ad Fidem, ſeu ad mores, ſeu ad ſacros ritus pertinens, quæ vel expreſſis veteris, aut novi Teſtamenti Scripturis continetur, vel certe viva voce, aut exemplo, praxique ab primis Eccleſiæ Paſtoribus, ideſt Apoſtolis data, & per legitimos eorum ſucceſſores, ideſt Epiſcopos continenti prædicatione tradita ad nos uſque pervenit, & ad fideles omnes eo pacto ad finem ſæculi perventura eſt?

Si quis ergo, ſubdit appoſite S. Greg. VII. lib. 3. epiſt. *doctrinas ſive ad Fidei certitudinem adſtruendam, ſive ad morum rectitudinem inſtituendam, præter Apoſtolicas ad nos continua ſucceſſione propagatas, diſſeminari videat, obſiſtat, dimicet pro divina Traditione, ut pro aris, & focis; dicatque cum Tertulliano: hæ ſunt doctrinæ demoniorum prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem philoſophiæ ipſius elegit*.

Tria porro media ſunt, quibus Eccleſia in Epiſcopis, & Paſtoribus ſuis continuo perſeverans, tamquam in Patribus, ac Doctoribus, depoſitum doctrinæ ſibi ab Apoſtolis traditæ incorruptum, & intactum conſervet, & ab iis, qui Fidem, aut morum regulas corrumpere moliuntur, aſſerat, atque defendat: nempe Conciliorum definitiones, Decreta Summorum Pontificum, & documenta Sanctorum Patrum, ſive Epiſcopi ſint, ſive alii, quos ipſa hoc titulo Patrum cohoneſtavit, qui ſanam, puramque doctrinam Fidei, ac morum in ſcriptis ſuis ipſi reliquerunt: de quibus propterea pauca quædam a nobis dicenda ſunt.

§. I.

De Conciliorum authoritate.

QUandoque Epiſcopi, & Paſtores, qui regunt Eccleſiam, quibuſque commiſſum doctrinæ depoſitum eſt, congregantur in unum ad dirimendas, quæ inter fideles inſurgunt circa Fidem, aut mores, difficultates, vel ad damnandos errores, qui ab aliquibus novitatum amatoribus diſſeminantur. Et hujuſmodi congregatio appellatur *Concilium*, quod etiam græce *Synodus* dicitur. Unde Concilium definiri ſolet *Congregatio Prælatorum Eccleſiæ in unum locum ad cauſas, quæ vel ad Fidem, vel ad mores, vel etiam ad diſciplinam pertinent, examinandas, ac definiendas*. Si Prælati ex univerſis Chriſtiani Orbis partibus convocantur, Præſide Romano Pontifice, *Generale* Concilium eſt. Si ex aliqua Natione, vel Regno, in quo Primas, aut Patriarcha præſideat, *Nationale*. *Provinciale* vero dicitur, quod coaleſcit ex Epiſcopis, ſive Prælatis alicujus Provinciæ, quibus præſidet Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus. His additum eſt Concilium Diœceſanum ex Presbyteris, & Parochis alicujus Diœceſis, cui præeſt ejuſdem Epiſcopus.

Sed

Digitized by Google

Sed hoc *Concilium* preſſe dictum non eſt, cum ſolus Epiſcopus jure ſuffragii gaudeat, ejuſque ſola poteſtate nitatur. Illud tamen advertendum eſt, ne aliqua in vocibus æquivocatio ſuboriatur, *Nationalia* Concilia nonnumquam in Eccleſiaſtica Hiſtoria appellari *Generalia*, non quia abſolute ejuſmodi ſint reſpectu univerſæ Eccleſiæ, ſed quia talia ſunt reſpectu vel Nationis, vel Regni.

Concilia *Generalia*, quibus præſidet Romanus Pontifex ſaltem per Legatos ſuos, & ab ipſo approbantur, ſupremam habent in Eccleſia authoritatem in definiendis iis, quæ ad Fidem, & mores ſpectant; adeout nemo fidelium ab eorum definitionibus diſſentiri valeat, & qui diſſenſerit, tamquam hæreticus ſit habendus. Nam hæc Concilia ſunt ipſa Eccleſia congregata, quæ ex infallibili Chriſti promiſſione nulli errori in Fidei, morumque decretis obnoxia eſt. Atque hac ſemper extitit praxis Eccleſiæ, ut pro hæreticis habuerit omnes, qui definitionibus Generalium Conciliorum pertinaciter reſtiterunt. Sic tamquam hæreticos execrata eſt Arianos poſt Concilium Nicænum, Macedonianos poſt Concilium Conſtantinopolitanum, Neſtorianos poſt Epheſinum, Eutychianos poſt Chalcedonenſe; ac ut de aliis ſileam, Lutheranos, & Calvinianos poſt Concilium Tridentinum.

Cætera Concilia, quæ *Generalia* non ſunt, nec Summi Pontificis, aut univerſalis Eccleſiæ conſenſione probata, aut confirmata, errori abſolute ſubjecta ſunt, ac eorum decreta aboleri aliquando poſſunt: ſed tamen tanta pollent authoritate, ſi Eccleſia, aut Caput ipſius non obſiſtat, aut refragetur, ut citra temeritatem Canonibus ab iiſdem editis circa Fidem, & mores nemo non acquieſcere, aut illos parvi pendere valeat. Quæ temeritas eo gravior cenſenda eſt, quo major eſt Epiſcoporum congregatio. Si enim, duobus, aut tribus in Chriſti nomine congregatis, in medio eorum ſe futurum Chriſtus ipſe promiſit; quanto magis Deus adſiſtet tot Epiſcopis, tot Paſtoribus, ac Sacerdotibus, qui in ejus nomine adunantur pro iis ſtabiliendis, quæ ad Fidem, aut mores fidelium ſuorum conducunt, ejuſque auxilium ad hunc finem ſuppliciter implorant? Illud profecto experientia ipſa compertum eſt, nedum Concilia Nationalia, & Provincialia, quæ ſunt majoris authoritatis, ſed & ipſa *Diœceſana* Concilia rariſſime in aliquem errorem eſſe prolapſa, quoad aliquam definitionem ad mores præſertim pertinentem; adeo ut, quemadmodum a docto viro obſervatum eſt, ſiquis laborem ſuum, atque operam impenderet in colligendis Decretis, quæ in hiſce Conciliis, ſive Synodis univerſi orbis Chriſtiani edita fuere circa regulas morum generales, & caſus etiam particulares, næ ille optimam, ac perfectam conficeret Moralem Theologiam ab omni tot fallacium opinionum fæce prorſus immunem. Quis deplorare, inquit propterea admodum appoſite modernus author, ſatis valet non paucos Moraliſtas, qui, dum ſibi opponi Synodorum Decreta audiunt, continuo reponunt, Synodos eſſe *Provinciales*, *Diœceſanas* infallibilitatis privilegio deſtitutas? Sed ab illis percontamur, num infallibilitatis dono præditi ſint *Caramuel*, *Bonacina*, *Masbadus*, *Eſcobarius*, *Caſtropalaus*, *Tamburinus*, & ſexcenti alii? Pluris iſti faciunt cenſum quemdam etiam non numeroſum Caſuiſtarum, quam unius Diœceſanæ, & etiam Provincialis Synodi Decretum. Cedo: quos *poſuit Spiritus Sanctus Chriſtianam Eccleſiam dirigere*? Caſuiſtas? minime gentium: ſed Epiſcopos. Nulla in Synodis laxa opinio. Vix duas a tot ſæculis reperire Synodos licet, er-

errorem aliquem continentes. Caſuiſtarum plura volumina laxitatibus, & erroribus ſcatent. Epiſcopi, e Parochi Paſtores ſunt populi Chriſtiani; ſecus Caſuiſtæ. Paſtorum voces audire oves debent. Quot Caſuiſtæ ſcripſerunt, ut ſcriberent, ut diſputarent, ut præjudicatas opiniones, & domeſtica ſyſtemata propugnarent? Certo ſcimus, Synodos ſacras ſpiritualem fidelium utilitatem, & morum ſanctitatem inculcare, regulas honeſtatis, & pietatis præſcribere, miſſis diſputationibus, & ſophiſticis argutationibus.

Hinc colligas, pergit ille, quam hallucinentur Confeſſarii, qui legentes Genetum, Pontaſium, Natalem Alexandrum, Merbeſium, alioſque ſimiles, qui morales controverſias Synodorum Decretis reſolvunt, flocci faciunt, & quorumdam Caſuiſtarum ratiunculas, & ſophiſticas argutationes venerantur, perdiſcunt, memoriæ commendant. Quid ad nos, inquiunt, Synodi Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, illius aut alterius Diœceſis? Rationum momenta afferenda ſunt. Synodi non decidunt caſus practicos, ut noſtri Moraliſtæ. His præſtigiis non pauci faſcinati tenentur. Adeo mos prævaluit, & conſuetudo inveterata hominum mentes infecit, ut ſperare vix liceat, in ſemitam veritatis revocandos fore.

§. II.

De authoritate Summi Pontificis in definiendis, quæ ad Fidem, & mores pertinent.

NON hic ego attingam celeberrimam quæſtionem, quæ vertitur inter Catholicos, num ſcilicet ſolius Romani Pontificis conſtitutiones, atque decreta infallibili authoritate potiantur: Neque enim hæc ad præſens inſtitutum neceſſaria eſt. Satis mihi eſt id, in quo Catholici omnes conveniunt, tantam ſcilicet eſſe in his determinandis Summi Pontificis authoritatem, ut, accedente Eccleſiæ conſenſu, nemo Decretis ſuis adverſari audeat, aut ab eis diſſentire, quin hæreſis notam incurrat, & a Fide Chriſti alienus exiſtimari mereatur. Illud certe apud omnes in confeſſo eſt, quod, cum infallibile ſit Eccleſiæ judicium, in ea intacta conſervetur divina revelatio, quæ per verbum ſcriptum, & traditum ipſi a Chriſto commiſſa, & concredita eſt, eaque, ut diximus, communicetur, & communicanda ſemper ſit omnibus fidelibus per Apoſtolorum ſucceſſores, qui ſunt Epiſcopi; in cæteris longe præeminet Romanus Pontifex; quod caput omnium, ac Princeps exiſtat; quod ejus Fides nunquam defectura ſit; quod omnes in credendis veritatibus revelatis confirmare debeat. Hoc Eccleſiæ Romanæ privilegium ſemper agnoverunt Sancti Patres, & Concilia, quorum aliqua afferre præſtat teſtimonia.

Vulgatiſſimum in primis eſt teſtimonium S. Irenæi *lib.* 3. *adv. hær.* c. 3. his verbis expreſſum: " Quoniam omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones valde longum eſt, *maximæ*, & *antiquiſſimæ*, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis, Traditionem, & annunciatam hominibus Fidem pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, *in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Traditio* ". Hac re perſuaſus S. Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi c. 4.

Multa ſunt, ait, *quæ in Eccleſiæ gremio me juſtiſſime tenent. Tenet ab ipſa Sede Apoſtoli Petri, cui curam paſcendi oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, Sacerdotum ſucceſſio &c.* Plura alia ejuſdem generis habet S. Doctor in aliis ſuis libris. Paria tradunt cæteri Patres Cyprianus, Ambroſius, Cyrillus, Hieronymus, Bernardus, aliique, quorum textus legi poſſunt apud eos, qui hanc diſcuſſere controverſiam.

Ut aliqua etiam in eamdem rem ex Conciliorum authoritate delibemus, Concilium Chalcedonenſe relatum a S. Thoma in Opuſc. cont. errores Græcorum hæc habet: *Veneramur ſecundum Scripturas, & Canonum definitiones ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum Epiſcoporum*. Et infra: *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugii, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi ſecundum claves a Domino ſibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tamquam a Vicario Apoſtolici Throni*. Et *act.* 2. cum lecta eſſet Epiſtola S. Leonis, Patres Concilii conclamaverunt: *Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem loquutus eſt*. Et *act.* 3. Romanum Epiſcopum *Dominum noſtrum* vocant, eique acclamantes *Apoſtolicum & univerſalem* appellant. Et cum Leo Dioſcorum condemnaſſet, Synodus ait: *Sanctiſſimus Archiepiſcopus magnæ Romæ una cum ter beatiſſimo Petro, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum Epiſcopatu*. Et in *Epiſtola Synodali* ad Leonem gratulantur Patres, quod tantum Antiſtitem Dominus dederit Apoſtolicæ Sedi: *Unde Religionis noſtræ fons & origo manat*. Legantur etiam teſtimonia Synodi V. Generalis, & VI. Synodi pariter Generalis, ſicut & VII. & VIII. ubi eadem veritas diſertiſſime comprobatur.

Atque hinc eſt, quod cum Summi Pontifices Innocent. X. Alexand. VII. Innocent. XI. & Alexand. VIII. elapſo proximo ſæculo damnaverint, atque proſcripſerint propoſitiones plurimas, quarum aliquæ ad Fidem, pleræque vero ad morum doctrinam pertinent, cujuſmodi ſunt propoſitiones traditæ a Michaele de Molinos, & decerptæ ex multis modernorum Caſuiſtarum libris; hæc Decreta ſumma reverentia univerſa Eccleſia recepit, ut juxta ea mores hominum reformaret, & ſaniorem doctrinam fidelibus traderet. Atque utinam omnes eo in ſenſu intelligerent, quo ſunt ab Eccleſia proſcriptæ; illaſque conſecutiones inferrent, quæ naturaliter fluunt. Verum non deſunt plures ex Theologis maxime *Probabiliſtis*, qui in ſenſu alieno a mente Summorum Pontificum, & a veritate interpretantur; & , ut vel a præconceptis opinionibus minime recedere teneantur, vel authores propriæ familiæ a turpi damnationis nota ſubducant, perfricte negant ab illis fuiſſe traditas, cum in ipſorum libris vel quoad ipſa formalia verba, vel quoad ſenſum evidentiſſime contineantur.

CAPUT VII.

De Sanctorum Patrum authoritate, atque uſu in Morali Theologia.

Eccleſiæ Patres, ac Doctores, ut jam diximus, ſunt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi, qui commiſſas ſibi peculiares Eccleſias gubernarunt, fideique ac morum doctrinas ab Apoſtolis continenti ſucceſſione acceptas in Chriſtianam gentem propagarunt. Verum hoc ipſo nomine placuit etiam Eccleſiæ inſignire non Epi-

ſco-

Digitized by Google

ſcopos tantum, qui viva voce doctrinam ſuam fidelibus tradidere; ſed eos quoque, qui ſcriptis ſuis Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam illuſtrarunt, & luci publicæ conſignarunt: qui equidem ferme omnes Epiſcopi & ipſi fuerunt; ſed nonnulli hac dignate ornati non ſunt. Hi omnes nomine *antiquorum*, ſeu *veterum Patrum* veniunt, quorum præcipui ſunt Clemens Papa, Ignatius, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Hilarius, Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Gregorius Niſſenus, Joannes Chryſoſtomus, Leo Magnus, Auguſtinus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Proſper, Fulgentius, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Magnus, Dionyſius, Theodoretus, Theophylactus, Damaſcenus, & ſiqui ſunt alii, quorum agmen claudit S. Bernardus: quibus tamen duo alii adjungendi ſunt, quos Eccleſiæ *Doctores* Eccleſia ipſa per Summos Pontifices declaravit, nempe S. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura; quorum prior ſemper habitus eſt veluti Patrum omnium antiquorum compendium. In horum Doctorum claſſe non accenſentur. Tertullianus, Origenes, Euſebius Cæſarienſis, & Ruffinus: ſiquidem, ut ait Ildephonſus Baptiſta O. P. in ſua Apologia Patrum, *doctiſſimus fuit Tertullianus, ſapientiſſimus Origenes, eruditiſſimus Euſebius Cæſarienſis; & tamen Eccleſia nunquam Doctores ſuos appellavit eos, nec aliquis unquam auſus eſt eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit non ſolum doctrina, ſed etiam ſanctitate præſtantibus*. Nonnulli quidem hos in Catalogo Patrum, & Doctorum collocant. Sed quamvis non ille ſim ego, qui abnuam, eos in multis audiendos eſſe, in quibus Eccleſiæ authoritatem ſequuti ſunt, quia tamen non ſemper illimis fluxit ipſorum doctrina, idcirco caute legendos eſſe communi Catholicorum ſententia admonemur.

His poſitis non modo Lutherani, & Calviniſtæ parvi fecerunt Patrum veterum authoritatem; ſed quidam etiam ex Catholicis in morum præſertim regulis, qui ipſi anteferre auſi ſunt modernos Theologos, ex quibus potius addiſcendam eſſe Chriſtianam Ethicam ſcripturierunt. Hinc dictum illud P. Reginaldi: *Quæ circa Fidem emergunt, difficultates a veteribus haurienda: doctrina morum a recentioribus ſumenda*. Hinc ſolemnis illa proteſtatio Caramuelis: *Tota Theologia noſtra nova eſt*; ac rurſus: *Non multum temporis impendo, aut perdo in veterum libris legendis*; cujus effati ſui rationem reddiderat, cum *in Theolog. fundam. n.* 1330. ſcripſerat, *ſe in omnibus plus rationi, & dialecticæ, quam authoritati detuliſſe*. Et certe licet alii idipſum expreſſis verbis non audeant aſſerere, facto tamen idem confirmant. Nam eorum libri de Theologia Morali tractantes aperte atteſtantur, ſe plus ipſos humanæ rationi, quam authoritati deferre. In iſtis quippe vix aliud invenias, niſi ſtudioſe collectam ratiunculαrum humanarum farraginem, denſamque recentiorum Scriptorum turbam; raro autem, aut nunquam Patrum authoritatem.

Quoniam vero circa uſum authoritatis Patrum in rebus Theologicis ſive ad Fidem, ſive ad mores ſpectantibus aliquæ ſubnaſci poſſunt difficultates, ideo ad eas diſcutiendas, remque claro in lumine ponendam, quaſdam hic regulas ex Cano, aliiſque Scriptoribus deſumptas apponere conſultum judico. Sit igitur

REGULA PRIMA.

In rebus philoſophicis, aut alias humanas diſciplinas ſpectantibus non

Digitized by Google

plus authoritatis habent Sancti Patres, quam exigant prolata ab ipſis rationum momenta. Siquidem in his non ſunt traditionis divinæ cuſtodes, nec lumen habent magis ſpeciale, quam habeant cæteri homines in his doctrinis explanandis. Unde & ſæpe decepti ſunt, & ipſorum error certiſſime deprehenſus eſt, ut patet in illis, qui *Antipodas* eſſe negarunt.

Regula Secunda.

In Theologia aliqua diſputantur, quæ ad doctrinam neque Fidei, neque morum inſerviunt, adeoque neque in Sacra Scriptura, neque in Divina traditione contenta. In his ergo diſputationibus poſſumus quidem, ſi nobis placeat, Patrum authoritatem ſequi, ſed amplecti nulla neceſſitate adſtringimur. Nititur hæc regula Vincentii Lirinenſis *cap.* 32. *Commonitorii* ſapienti animadverſione: *Antiqua*, inquit, *Sanctorum Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum in Fidei regula*, ſive in his, quæ per Scripturam, aut traditionem habentur, *nobis certo eſt ſequenda, atque in his præcipue quæſtionibus, quibus Catholici dogmatis fundamenta nituntur.*

Regula Tertia.

Generatim loquendo quoties agitur *de Fide, ac morum regulis*, potius tenendum eſt, & amplectendum, quod viſum eſt Sanctis Patribus, quam quod videtur aut nobis, aut modernis Theologis. Hæc regula ſolidum fundamentum habet in ipſorum Patrum doctrina. Aliquos ſaltem afferre præſtat de iis, quæ ad mores attinent, præſertim loquentes. Tertullianus in primis lib. *de Præſcript.* quem ſemper probavit Eccleſia, ſcribit: *Nobis nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere, quod aliquis ex ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores* (quos imitari oportet), *qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio elegerunt; ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter poſteris adſignarunt.*

S. Baſilius Magnus *in Regulis* Reg. 85. *Nos mentis noſtræ fœtus non audemus obtrudere; ſed quæ a SS. Patribus edocti ſumus, ea nos interrogantibus annunciamus*. De eodem Baſilio, ſimulque Gregorio Nazianzeno refert Rufinus, quod tametſi forent præſtanti ingenio ornati, Scripturarum ſententias non ex propria præſumptione, aut arbitrio, ſed ex majorum ratione, & authoritate interpretati ſunt. De iiſdem pariter, quemadmodum & de SS. Cypriano, & Ambroſio teſtatur Auguſtinus cont. Julian. cap. 10. *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod a Patribus acceperant, hoc filiis tradiderunt.*

Atque eumdem fuiſſe ſenſum totius antiquitatis, teſtatur itidem laudatus Lirinenſis: *Intelligebant enim*, inquit, *nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ Fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem filiis conſignarentur .... idque proprium eſſe Chriſtianæ modeſtiæ, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare.*

Regulam eamdem amplius confirmant Petri ſucceſſores Summi Pontifices. Innocentius I. Epiſt. ad Victricium ſic ait: *Non noſtra præcepta imperantur, ſed ea, quæ Apoſtolica, & Patrum traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad Theſſalonicenſes, Paulo monente: State, & tenete traditiones veſtras, quas tradidimus vobis ſive per verbum, ſive per epiſtolam.*

Gelaſius Epiſt. 3. *Ubi eſt, quod ſcriptum eſt*: Terminos Patrum tuorum ne tranſgrediaris? *Et*: Interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi? *Quid ergo tendi-*

dimus ultra definita majorum? Aut cur nobis non ſufficit, ſiquid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus ſingula quæque vel vetita, vel præcepta ſunt, vel aptata catholicæ veritati? Numquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus? Sedulo hæc verba a pluribus Caſuiſtis conſideranda ſunt, qui parum, aut nihil Patres curant. Sed non minori conſideratione digna ſunt, quæ ſequuntur.

Zozimus Papa apud Ivonem Carnotenſem *Epiſt.* 60. hæc profitetur: *Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid, vel immutare, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Si nec ſummi Eccleſiæ Catholicæ Pontifices ſibi fas eſſe ducunt contra Patrum ſtatuta aliquid decernere; fas ne hoc eſſe poterit quibuſdam Theologis? Sed audiamus etiam alium Summum Pontificem gemina proferentem, nempe Gregorium VII qui lib 3. Ep. 10. *Videntes*, ait, *ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales, ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente Diabolo conculcatas, concuſſi periculo, & manifeſta perditione gregis Dominici, ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuentes, ſed primam, & unicàm Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam, & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus . . . . ab ipſo monſtratum .... & ab Apoſtolis prædicatum, & a Sanctis Patribus obſervatum in Evangelicis, & in omni Scripturarum Divinarum pagina didicimus.*

His quoque addenda cenſeo, quæ in Conſtantienſi Concilio ſancita fuere *in Præf.* his verbis: *Cum plerumque in rebus dubiis ad utramque partem rationes plurimæ adducantur, ad tollendas lites, & contentiones opportuna cernitur Veterum authoritas, & quæ ab antiquo facta legitur Sanctorum definitio Patrum. Sic enim ſcriptum eſt: Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam.* Non ita plane ſe gerunt Probabiliſtæ, quoties controverſiæ *dubiæ* de moribus occurrunt, quæ inter ipſos frequentiſſimæ ſunt, & *in utramque partem rationes adducuntur*; quin potius intrepide affirmant, eo in caſu alterutri parti unicuique liberum eſſe adhærere, & quæ ſibi magis favet, ſectari abſque ulla peccandi formidine.

REGULA QUARTA.

Qui in aliqua nedum Fidei, ſed etiam morum tradenda doctrina recedit ab unanimi Sanctorum Patrum ſententia, veluti hæreticus habendus eſt, & a Fide Catholica alienus. Hæc regula ex iis, quæ mox dicta ſunt, conſequitur; ſed clarius ex verbis jam ſupra relatis Concilii Tridentini comprobatur. Seſſ. quippe IV. Decretum illud editum fuit *ad coercenda petulantia ingenia; ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium interpretari audeat contra ſenſum, quem tenuit, ac tenet S. Mater Eccleſia, nec etiam contra unanimem conſenſum Patrum.* Cujus rei evidens ratio eſt, quia unanimis Patrum ſenſus etiam in aliquo morum dogmate, ac divina traditio ita connexa ſibi ſunt, ut divelli invicem, ac diſſociari non poſſint. Et ſi Sancti omnes in rebus hujuſmodi decepti fuiſſent, ipſa quoque Eccleſia fuiſſet decepta: neque enim

Digitized by Google

enim aliunde apertius quam ex Sanctorum Veterum teſtimoniis pleraſque Apoſtolicas traditiones, & quid ſemper Eccleſia tenuerit, agnoſcimus.

REGULA QUINTA.

Si pauci aliqui ex Patribus inveniantur ſive in Fide, ſive in aliqua morum doctrina ab aliorum Patrum communi conſenſu diſſidere, his omnino adhærere debemus, nulla habita illorum ratione. Hæc regula traditur a Vincentio Lirinenſi *Commonit. cap.* 4. dicente: *Quid ſi ipſa vetuſtate duorum, aut trium error deprehendatur? Curabimus omnino, ut paucorum inſcitiæ univerſalis Concilii decreta præponantur. Quæ ſi deſint, collatas inter ſe majorum ſententias Lector conſulat eorum, qui diverſis licet temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, ac Fide permanentes, Magiſtri probabiles* (ſeu digni approbatione) *extiterunt: & quod non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit; id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum.*

REGULA SEXTA.

Fides integra SS. Patribus adhibenda eſt, cum loquuntur non tantum ut Doctores præſcribentes quid credere, quidve agere debeamus, verum etiam ut teſtes rerum, quæ temporibus ſuis in Catholica Eccleſia vel credebantur, vel obſervabantur: affirmantque, talem Fidem, vel talem praxim in Eccleſia Catholica viguiſſe, vel eam ad depoſitum Sacræ Doctrinæ a Chriſto, aut ab Apoſtolis commendatæ pertinere. Non enim quiſquam, niſi temere admodum, Patribus, qui nedum doctrinæ, ſed etiam ſanctitatis laude floruerunt, Fidem præſtare abnuat. Nec neceſſe tunc eſt, ut Patres omnes idem aſſerentes citentur, ſed ſufficit, ut unus, aut alter adducatur, de cujus Fide nullus ſit ambigendi locus.

REGULA SEPTIMA.

Si aliqui Patres in aliqua doctrina vel Fidei, vel morum ab aliis æque gravibus diſſideant, probabilem quidem ſententiam efficiunt, non autem omnino certam, niſi Eccleſiæ accedat definitio. Hæc regula exemplis pluribus confirmari poſſet. Nam quidam ex Patribus aliquid docuerunt, ut ad diſciplinam pertinens, in quo poſtea, re accuratius expenſa, inventi ſunt a veritate deſciviſſe; quod ſubinde Patres omnes communi conſenſu declararunt, & Eccleſia tamquam Fide certum definivit; ut patet in illa controverſia, quam habuit S. Cyprianus cum Stephano Papa de rebaptizandis hæreticis. Hinc S. Hieronymus Epiſt. 4. ad Cteſiphontem ſcripſit: *Si quid in meo ingeniolo vitii repererint*, qui contra ſentiebant, *proferant in medium: aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ: aut reprehenſibilia, & confitebor errorem, malens emendari, quam perſeverare in pravitate ſententiæ*. Similia habet S. Auguſtinus lib. *de don. perſeverant*. Cap. 21. *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi*.

REGULA OCTAVA.

Eo ſolidior, ac gravioris authoritatis æſtimanda eſt authoritas unius, aut paucorum Patrum, quo conſtat, illos in aliqua controverſia Fidei, vel morum magis verſatos fuiſſe; aut majori lu-

lumine a Deo donatos. Sic authoritas S. Auguſtini magni præ cæteris Patribus pendenda eſt in libris, quos ſcripſit ad profligandam hæreſim Pelagianorum, ac Semipelagianorum, & in aliis, quos edidit *contra Mendacium* &c. Sic etiam inter poſtremos Eccleſiæ Doctores nemo non plurimi faciat doctrinam S. Thomæ Aquinatis, nedum quia in ſuis Operibus reliquorum Patrum doctrinas mire complexus eſt, verum etiam propter peculiarem exiſtimationem, quam ejus doctrina conſequuta eſt in Eccleſia Catholica, & ſingulares laudes, quibus illam condecorarunt Summi Pontifices, & omnes antiſtites, & celebriores Univerſitates.

CAPUT VIII.

Quædam in Prodromum *P. Zachariæ circa uſum SS. Patrum in rebus moralibus animadverſiones.*

AD majorem regularum, quas dedimus, & hujuſce de Patrum uſu in moralibus argumenti lucem, proderit huc corrivare animadverſiones factas a Viro doctiſſimo in *Prodromum* P. Zachariæ ad Theologiam Moralem PP. Buſembaum, & Lacroixii, in quibus diſſipantur objecta præcipua, quæ fieri ſolent a recentibus Caſuiſtis in favorem methodi tractandæ Theologiæ Moralis abſque Patrum veterum teſtimoniis, ſive authoritatibus. Hæc ſcribit ille pag. XIV. paucis, prout viſum fuerit, immutatis, aut prætermiſſis, aut etiam adjectis.

Quemadmodum probabiles opinatores a Sacris Scripturis, ita a Sanctis Patribus, quorum doctrina a puriſſimo illo divino fonte derivata eſt, diſſentiunt; qua in re P. Zacharia eos fruſtra tueri conatur. Ipſa enim eorum lectio evidenti teſtimonio eſt.

Eorum Theologia ab omnibus *nova* vulgo dicitur; nec ſine ratione. Nec enim eo ſolum nomine *nova* eſt, quod *novas*, ſed quod, ut ait Alexand. VII. in Præf. ad theſes a ſe proſcriptas, *alienas ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina* opiniones commenta ſit. Quapropter Zacharia incaſſum clamat: *In iis frequentius nihil, quam aut Patrum teſtimonia deſcribere, aut locos indicare, ubi de hac, illave re loquantur Patres.* Quod oppido falſum eſſe, ſaltem in pluribus, ipſius Buſembaum, & Lacroixii, quos ille illuſtrare ſuo *Prodromo* molitur, lectione compertiſſimum eſt: neque enim in his plerumque invenias, niſi Juniorum allata teſtimonia. Quod ſi loca Patrum aliqui quandoque citant, aut etiam, quod rariſſimum eſt, quandoque afferunt, eos ſibi, non ſe illis accommodant. Ex quo fit, ut, dum Patres venditant, non Patrum, ſed a Patribus longe diverſam doctrinam propinent, ſuoſque Lectores aut inſcite, aut ex induſtria decipiant.

Contra vero ſaniores Theologi, ut Genetus, Natalis Alexander, Beſombes, Concina, aliique his ſimiles Patres appellant, eorum ſententias proferunt, & verba, iiſque, ut neceſſe eſt, religioſe inhærent.

At inquit Zacharia *Sexcenta quotidie dubia enaſcuntur, quorum qui in Patribus quærat explicationem, ridiculus ſit*. Poſt ſubdit: *Atqui oſtendet vir eruditus* (P. Concina), *caſuiſticas controverſias in Patrum libris reperiri?* Concina *appar. Tom.* 1. *pag.* 278. *n.* 7. objectionem his verbis antevertit. *Quemadmodum hæreſum monſtra, poſtea invecta contra Fidem ab hæreticis, non occurrunt in Patribus antiquioribus; ſic laxarum opinionum portenta, quæ excogitarunt Moraliſtarum nonnulli, expreſſe non profligarunt Patres: quia non eo laxitatis prolapſi tunc homines erant, ut talia propugnare paradoxa auderent.*

Ve-

Verum ſicut in Patribus reperiuntur doctrinæ , quibus prodigioſa hæreticorum deliria adverſus catholica dogmata conteruntur ; ita SS. Eccleſiæ Patres documenta ſplendidiſſima , & regulas ſanctiſſimas nobis porrigunt , quibus laxarum opinionum commenta , & novum opinandi modum omnium malorum fontem labefactemus .

His Patrum documentis a vero aberrare Caſuiſtas idem P. Concina in ſua *Theologia* ſæpe numero demonſtrat, ita ut mirum ſit P. Zachariam dicere auſum: *Errare nos , niſi alios ab iis , quos habemus , Patrum libros proferat , non demonſtrabit , ne millenos quidem ſi effundat Theologiæ Chriſtianæ Tomos .* Dum Zacharia hæc traſonice ſcriberet , non illud meditabatur ut recte diceret , ſed ut aliquid diceret . Enim vero in Patrum libris neceſſarias ad mores formandos doctrinas deſiderari quis niſi imprudenter affirmet, & cum inſigni tam venerabilium Patrum injuria ? Quis enim dicat , defuiſſe tunc temporis Moralis Theologiæ Magiſtros ? An tum Chriſtiani , ut alibi obſervat , non exercebant contractus , mercaturam , emptiones , venditiones , commercia , ludos ? An matrimonia non inibant ? An non & ipſi ſagaces, aſtuti , & acuti erant in excogitandis opinionibus , prætextibus , cavillationibus , ut ſuas honeſtarent uſuras , pompas , choreas , comœdias , luxum , divitiarum cumulationes, opipara convivia ? Ortum ne vitium aliquod novum eſt , quod Patres non damnaverint ? Cur ergo haurienda a Patribus non eſt morum Theologia ? Cur illorum doctrina dirimi præcipuæ ſaltem morum quæſtiones minime poſſunt ?

Equidem concedere non abnuo Caſuiſticas controverſias in Patrum ſcriptis haud reperiri , ut illam , quam profert P.Zacharia *de trino contractu* (quibus alias id genus adjicere potuiſſet) . Sed hoc in cauſa eſt , quod Patrum tempore non eo laxitatis adhuc deventum erat , ut *trini contractus* paradoxum excogitare , nedum propugnare tamquam *juſtum* homines auderent . Trinus contractus novum inventum eſt, luxuriantibus noſtrorum temporum ingeniis reſervatum . Sed cum trinus contractus in uſuræ damnatione includatur, nec niſi palliata uſura ſit ; hoc ipſo illum quoque damnarunt Patres , quod uſuram damnaverint . Fatemur etiam omnia , quæ ad jus humanum poſitivum pertinent, quæſtioneſque plurimas , quæ circa ipſius præceptiones agitari ſolent , in Patrum libris non inveniri ; adeoque ex recentibus Scriptoribus eſſe repetendas , prout animadvertit etiam ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in Littera Encyclica anni 1749. quoniam *hujuſmodi controverſiæ* , ut ait , *nonniſi a modernis Scriptoribus excitatæ ſunt* . Verum quæ ad juris naturalis , ac divini poſitivi intelligentiam pertinent , luculenter evoluta deprehenduntur . Cur igitur in his ſaltem quæſtionibus ex doctrina Patrum reſolutio caſuum occurrentium deſumi nequit ?

Pluribus omiſſis , quæ ibidem habet laudatus Author , quibus ſtrenue P.Zachariam refellit, Auguſtinum, ac Bernardum in defenſionem ſui ſyſtematis perperam detorquere molientem , quæ ſubinde tradit adverſus ipſum pro uſu SS. Patrum , deſcribo . Tamquam *canonem* propoſuerat ille , *Quæ ex Patrum homiliis , aſceticis libris , & orationibus , idque genus lucubrationibus ſumuntur , non eam Theologo Fidem faciunt , quam quæ in dogmaticis inſtructionibus , epiſtolis &c. facere poſſunt* . Hunc canonem ad examen vocans ita ſcribit .

Hic vero P. Zacharia inſignem SS. Patribus injuriam irrogat , perinde ac ſi illi minus caute , minuſve accurate prio-

prioris generis documenta ſcripſerint, quam poſterioris. Itane vero? Modus quidem doctrinæ alius, & alius pro perſonarum, & circumſtantiarum varietate eſſe debet. At doctrina ſemper eadem: eadem in ſuggeſtu, ac pœnitentiæ tribunali: eadem apud ignobile vulgus, & rudes, ac apud nobiles, delicatos, & doctos. An alia via eſſe poteſt eundi in Cælum, ac doctrina veritatis, ut eadem omnibus ubique, & ſemper tradenda non ſit? Immo vero ſi ad rudem populum verba facias, major in tradendis morum doctrinis cautio adhibenda eſt, quam ſi cultos, & doctos homines alloquaris. Quia hi, ſiqnid erraveris, facilius corrigere poſſunt, quam imperitum vulgus, quod ab homine religioſo multæ authoritatis, & exiſtimationis deceptum vix unquam errorem deponit.

At inquit Zacharia *Multa in ejuſmodi libris exaggeratius proferuntur: neque id mirum, cum oratoribus omnibus id ſolemne ſit: multa quoque conſilium potius ſpectant, quam præceptiones.* Hanc oppoſitionem inflatis genis obtrudunt Proteſtantes, & Calviniani omnes, quos inter Joannes Dallæus *de uſu Patrum* integro Cap. V. eam amplificat. Pudeat proinde Zachariam hominem non ſolum Catholicum, ſed facium, & religioſum ab hæreticis cavillationes deſumere, quibus Patrum authoritatem elevet. Amplificant quidem Patres, ubi opus eſt, non inſtar præſtigiatorum, & ſophiſtarum, qui fallacibus pigmentis res ſupra meritum attollunt; ſed inſtar graviſſimorum oratorum, qui copioſo dicendi genere, verborum pondere, rationum momentis rei dignitatem, vel indignitatem in auditorum animos fortiter imprimunt; adeoque Patribus ſophiſticam exaggerationem, qua levia crimina cum gravibus, conſilia cum præceptis confundant, adſcribere nihil aliud eſt, niſi eos e venerando Patrum conſeſſu, graduque dejicere, ac inter garrulos, leviculos, fallaces, imperitos, ſciolos detrudere.

At pergit adverſarius, & Canone octavo ſcribit: *Dent tamen mihi hanc veniam Caſuiſtarum reprehenſores, ut confidenter pronunciem, quo magis in diligentia, & critica* (in Patrum citatione) *antiquioribus Caſuiſtis antecellant Natalis Alexander, Genetus, aliique hujuſmodi, eo magis iſtis illos præſtare teſtimoniorum delectu, & ratiocinandi vi.*

Sed appoſite reponit Author. Dum P. Zacharia hæc ſcriptis conſignabat, ut credulis, ac imperitis Lectoribus fucum faceret, in mente ſane non habebat illud Alexandri Papæ VII. quod nos non ſine ratione ſæpius inculcamus. *Modus opinandi irrepſit* (hic ſermo eſt de Caſuiſtis ab duobus circiter ſæculis obtinentibus) *alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina &c.* Hic eſt antiquiorum Caſuiſtarum delectus in Patrum doctrina, & citatione. Quod ad ratiocinandi vim attinet, acutiſſimi illi certe fuerunt; ſed ingenii ſoliditate, ac judicii maturitate gloriari non poſſunt, utpote qui innumeris cavillationibus libros impleverint.

Concludamus igitur nihil eſſe, quod Moraliſtam Theologum retrahere debeat a SS. Patrum lectione, ut ſanam morum doctrinam tradat; imo ut illam ad primævum ſuum ſplendorem, & antiquam majeſtatem revocet, illorum opera continuo ſtudio verſet, ac legat, neceſſe eſt. Ab iis ſiquidem certas regulas addiſcet, quibus tuto dirigat conſcientias hominum, & peculiares etiam, qui in dies occurrunt, caſus reſolvat. Quod ſi omnes in hoc ſtudium incumbere nequeant, ſaltem præ manibus habeant S. Thomam, qui cæterorum omnium abſolutiſſimum com-

pendium eſt, illorumque doctrinas mira perſpicuitate, atque ordine in *ſecunda parte ſuæ Summæ* congeſſit, & explanavit.

CAPUT IX.

De uſu rationis humanæ in morum Theologia.

QUoniam de neceſſitate, & utilitate juris Canonici, quod inter alios Moralis Theologiæ locos accenſetur, dicenda a nobis plura ſunt in Tract. *de Legibus*; idcirco, eo nunc prætermiſſo, nonnulla ſubjicere præſtat de uſu rationis humanæ in hac morum diſciplina, de qua obiter aliqua dicta ſunt initio hujuſce *Prodromi*. Itaque circa uſum humanæ rationis in rebus præſertim moralibus duo ſunt errores, quos fugere omnino debemus: alter eorum eſt, qui uſque adeo humanæ rationi, & argumentis ab ea ductis ſeſe addixerunt, ut ſive diſputent, ſive ſcribant de morum controverſiis, Scripturam Sacram, Traditiones Patrum, Conciliorum, & Eccleſiæ Decreta ne legiſſe quidem, aut noviſſe videantur. Alter vero error pariter illorum eſt, qui ſolis Scripturarum teſtimoniis, aut etiam Scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis rationis haud aliter abhorrentes, quam ſi eſſent Theologiæ adverſa, & inimica. Quo in errore fuiſſe quoſdam teſtatur Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. his verbis: *Nonnulli, qui ſe putant eſſe ingenioſos, nec philoſophiam attingere volunt, nec Dialecticam, ſed nec contemplationem diſcere naturalem, ſed ſolam, & nudam Fidem requirunt*. Tribuitur etiam hic error Luthero, aliiſque.

Verum quicumque ſint, qui in hac poſtrema opinione verſantur, quos paucos admodum eſſe puto, hi profecto in errore ſunt adeo evidenti, ut confutatione non egeant. Satis illud ſit, quod animadvertit doctiſſimus Cano *lib. 9. de Loc. Theol. cap. 4.* inquiens:

„ Cum nec humanarum rerum intelligentia divinarum cognitioni obſit, nec divinarum cognitio humanarum intelligentiæ, neutram debemus in alterius propria functione abjicere, niſi volumus eſſe ſtulti. Porro qui Theologiam ſic inſtituit, ut nihil habeat cum naturæ ratione conjunctum, omniaque egregiæ diſciplinæ dogmata ſola Scripturarum Fide metitur; hic, ſi in ea opinione perſiſtat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, nec Theologiam colere, tuerique poteſt, nec Fidem, nec humanitatem. Non *humanitatem*: Sæpe enim dicendum eſt: quia ſine ratione humanitas extirpatur; qui autem rationales diſciplinas Theologo auferunt, hi ſuam illi rationem eripiunt. Quoniam ſi veritatem, quæ in diſciplinis cernitur, & hominis intelligentiam a ratione tollas, jacebit profecto, vel nulla erit potius. Nec *Fides* rurſum ſe ipſa ſola ſine doctrina, & ratione tutari poteſt. Nam Philoſophia, & omni ratione diſputandi ſublata, cum Fide ſancta ruſticitas manet; quæ ut Hieronymus ad Paulinum ſcribit, *quantum prodeſt vitæ merito, tantum ſimplicitate nocet, ſi adverſariis non reſiſtat*. Itaque vacillabit Fides, niſi fidelis, quod Petrus ait, *paratus ſit reddere rationem*; id, quod ſola Fide ſine ratione fieri non poteſt. *Theologia* denique citra naturæ rationem non conſtat. Cum enim ſit homo rationalis, eſt illi ingenita ratiocinatio, ſive agat ſecum quid, ſive cum altero; ſive velit humana, ſeu divina cognoſcere. Quare ubi homines diſſerent, rationem naturalem repellere non debent, nec vero poſſunt, niſi homines eſſe deſierint. Ratio enim

res

Digitized by Google

„ res omnes continet; quoquo te ver-
„ teris, præſto eſt; nulla diſputatione
„ excluditur. Quamobrem qui natura-
„ lem rationem ab uſu Theologiæ re-
„ motam eſſe volunt, ii omnem a Theo-
„ logis diſputationem excludunt, ſine
„ qua tamen quid in unaquaque re
„ verum ſit, diſcerni, & comprehen-
„ di non valet. "

Subinde vero obſervat, quod *quamvis* omnis *inſtitutio Theologiæ humanæ rationis adjumenta deſideret, illa tamen in primis, in qua de rebus naturæ diſſeritur: diſſeritur autem de hujuſmodi ſæpe numero*. Ut enim alia omittam, *ſacra doctrina mores naturæ moderationi conſentaneos præſcribit, vitia rationi contraria refutat: quo loco ſive in ſchola de hiſce definias quidquam, ſive populo in concione perſuadeas recta, prava diſſuadeas, naturæ, rationis, philoſophiæ opem contemnere, amentis erit*. Verum de hoc ſatis.

Ad alium errorem profligandum pergamus, qui ſane multorum eſt, maximeque Caſuiſtarum, qui adeo humanæ rationi deferunt, ut omnia, aut ferme omnia, quæ tractant in morali Theologia, nonniſi ab humana ratione ductis argumentis, definiunt, atque reſolvunt, neglectis omnino propriis, ac præcipuis Theologiæ fontibus, Scriptura, Traditione, Patribus, aliiſque. De his, ut ab initio ex Cano *cap.* 1. ejuſdem *lib.* 9. notavimus, qui Theologiæ dogmata (ſive myſteria Fidei ſint, ſive morum præceptiones) humanis metiuntur argumentis, ne Theologi quidem dicendi ſunt. Nam vera, & legitima Theologia a Fide deſcendat oportet, ubi hujus facultatis propria inveniuntur principia. Fides autem tota Scripturarum, & Eccleſiæ authoritate nititur. Quapropter ratione abutuntur, qui de rebus theologicis ſive ad Fidem, ſive ad mores pertinentibus Sacros Libros, Traditiones, Conciliorum dogmata, Juris Pontificii decreta, Sanctorum Veterum doctrinam] prætermittunt; totoſque ſe dedunt reperiundis rationibus humanis, quibus, quæ ſcribunt, adſtruant, atque confirment. Hos appellat ille non Theologos, ſed *Sophiſtas*. *Sophiſtice enim nihil habet, niſi argutationes vanas, quarum nullus in Theologia fructus eſt. Quin adeo nulla pernicies Theologiæ major inveniri poteſt, quam in ſophiſmatum fæce ſimulatio Theologiæ*. Errant igitur hi, ac maximopere errant in uſu, ſeu potius abuſu humanæ rationis.

Quinam ergo erit rationis humanæ, ac philoſophiæ legitimus uſus in rebus Theologicis, ac præcipue moralibus, de quibus hic agimus? Non alius ſane, quam qui deſignatus ſuperius a nobis eſt ex S. Thoma, ut videlicet authoritas divinæ revelationis, quæ habetur in verbo Dei ſcripto, & tradito, nobiſque ab Eccleſia communicatur per Concilia, Patres, Decreta Summorum Pontificum, & ad genus alia documenta; ut hæc, inquam, authoritas *primas partes obtineat*, ratio vero humana *poſtremas*: hæcque, quemadmodum & cæteræ naturales diſciplinæ, quibus inſtructa eſt, illi ſubſerviat tamquam dominæ ſuæ. Quod explicari amplius poteſt diviſione rationis, quam tradit idem Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 2. *ar.* 10. nimirum in *antecedentem*, & *conſequentem*. Ratio *antecedens* ea dicitur, quæ oracula divinæ revelationis non habet tamquam regulas, quibus dirigatur in ſuis actionibus, quas vel elicit, vel imperat, ſeque illis accommodat omnino juxta naturalem ſenſum, quem præferunt: ſed illa potius ad id, quod præconcepit, torquet, & inflectit; ſicque ea ſibi ſubjiciat potius, quam illis ſubjiciatur, inſerviat, & ancilletur. Ratio *conſequens* vocatur, quæ e contrario in oraculis verbi divini, ſive præceptionum, quæ ab ipſis

Digitized by Google

traduntur, fundatur, accommodaturque ad legis præſcriptum; & ſi quas rationes ad hanc conſtabiliendam inveniat, iis utitur, magiſque illuſtrat, ac declarat veritates, quæ in Scripturis, ac Eccleſiæ documentis habentur: atque ita non ſibi divina oracula, ſed ſe, ſuaſque rationes illis ſubjicit, & accommodat; id quod inter cæteros Patres maxime præſtitit nunquam ſatis laudatus S. Thomas, qui in ſuis omnibus operibus, ac præſertim in ſua *Summa Theologica* divinas, quas acceperat ex Scriptura, Sanctiſque Patribus, veritates egregiis rationibus ex philoſophia, aliiſque ſcientiis deſumptis explanat, atque confirmat: ſive potius, ut ejuſdem verbis utar 1. p. q. 1. art. 5. ad 2. *Ad majorem eorum manifeſtationem: & hoc ipſum*, ut ait, *quod utitur eis, non eſt propter defectum, vel inſufficientiam* divinæ ſcientiæ, *ſed propter defectum intellectus aliorum, qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ ſcientiæ] cognoſcuntur, facilius manuducitur in ea, quæ ſunt ſupra rationem*. Quod ab omnibus obſervandum apprime eſt, nequis fortaſſis inveniat, quod culpet in methodo tradendi Theologiam, quam ille perſequutus eſt.

Hæc itaque ratio *conſequens* revelationem commendanda eſt; ſed *antecedens* jam deſcripta abjicienda penitus, & eliminanda a Theologia, ſive myſteria, ſive mores edoceat. Quæ tamen ratio tractandi res theologicas adoptata videtur, atque in deliciis habita a pluribus inter Morales maxime Theologos, ut eorum libros legentibus aperte conſtat. Patet namque ex ipſorum methodo, quam ſequuntur, ſemper, aut fere ſemper prius quid ſibi humana ratio dictaret, conſuluiſſe, quam quid Scriptura, vel Traditio præſcriberet; adeoque ſententias ſuas in ratione pure humana fundarunt potius, quam in Sacra Scriptura, vel accepta a majoribus, & Sanctis Patribus doctrina, qua ſolum aliquando utuntur ad eas, quas jam animo imbiberunt, opiniones confirmandas, ſæpe illam detorquentes a nativo ſenſu quibuſdam vanis diſtinctiunculis, quas nunquam non ſuppeditat ratio humana. Atque hinc factum eſt, quod *non ſine magno animi ſui mærore* Sanctiſſimus Pontifex Alexander VII. perceperit *complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*. Quibus verbis Summus Pontifex digito veluti monſtrat fontem, unde opiniones laxæ, quas ipſe damnavit, aliæque, quas ſubinde damnaverunt Summi Pontifices, prodierint, ac præſertim Probabiliſmus, qui per illa verba: *Modus opinandi irrepſit*, deſignatus eſt: nimirum quia Theologi complures ſumma ingeniorum luxuriantium licentia humanæ rationi ſuæ ſolum deferentes, nec Scripturas, & Patres curantes, receſſerunt *ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, qua morales controverſias tractare debuerant.

Neque aliud profecto contingere poterat ex hac methodo definiendi, ac ſtatuendi morum regulas per hanc rationem *antecedentem*. Hoc namque modo ſe gerere nihil eſt aliud, quam procedere inverſo locorum theologicorum, atque adeo theologicæ veritatis ordine, ex quo nata eſt multiplex in intellectu confuſio, & ex confuſione intellectus multiplex error. Quemadmodum enim in familiis, Civitatibus, ac Provinciis ſi ordine inver-

ver-

Digitized by Google

verſo dominis ſervi imperarent, ingens oriretur confuſio, nec niſi deſolatio, inſolentia, divinarumque, & humanarum legum ſubverſio; ita quoque in theologicis rebus contingat neceſſe eſt, ſi humana ratio, ac philoſophica diſciplina dominentur Theologiæ, neque iſti tamquam dominæ ſubjiciantur, aut ſubjici detrectent. Quapropter Clemens Alexandrinus ajebat lib. 1. Strom. *Sæcularem amplector doctrinam, ſed ut juniorem, & conſervam: Scientiam autem tuam* (Deus) *ut perfectam dominam honoro, & colo. Ecce ancilla in manibus tuis: utere ea, ut lubet* (Sara dixit Abrahamo); *& afflixit eam Sara, quod perinde eſt, ac correxit*. Et Melchior Canus lib. 9 cap. 9. *Quoniam ancillas, ut vocarent* ad arcem, Sapientia miſit (ut *Proverb. cap.* 9. legitur); *admonuere Patres, diſciplinas, quas vocant liberales, Theologiæ ſubſervire oportere, non dominari. Curaturum itaque illarum ſtudioſum, ne ancillarum amatoriis delectatus, dominam, hoc eſt veram ſapientiam negligat. Quin etiam curaturum, ut ſi Agar Ægyptia Abrahami complexibus inſoleſcit, ejiciatur foras, atque exulet; nec ſinatur aut Iſmael Iſaaci ſimplicitatem irridere, aut Agar Saræ bonitatem contemnere. Affligat ancillam domina, & corrigat, habeat in manibus, utatur ea, ut libitum fuerit. Sic enim modeſta, erit utilis: quæ cum ei præter modum indulgetur, eſt etiam pernicioſa*.

CAPUT X.

De Scholaſtica Theologia.

TAmetſi nonnulli ſint, qui Scholaſticam, adeoque & Caſuiſticam Theologiam contemptui habeant, ac Theologos Scholaſticos omnino negligendos putent; ſi tamen quid illa revera ſit, & quodnam ejus officium, probe teneamus, nec diſciplinæ abuſus, & hominum vitia in ipſam regeramus; nedum improbanda non eſt, ſed commendanda potius, & tamquam utilis admodum judicanda: Quodnam enim proprium, ac legitimum ejus officium eſt? Non aliud plane, niſi doctrinam Eccleſiæ tum Fidei, tum morum in Scripturis, in Conciliis, in Decretis Pontificum, Sanctiſque Patribus diſperſam in unum colligere, in varios tractatus diſtribuere, & diſtributam recta ratione, atque ordine explanare; quæ in verbo Dei ſive ſcripto, ſive tradito deliteſcunt, in lucem revocare, rationum momentis illuſtrare, & ſophiſmata tum hæreticorum, tum aliorum quorumcumque diſſolvere. Cæteræ, quæ a quibuſdam in hac diſciplina intermiſcentur, maximeque futiles, diſputationes, & inanes verborum pugnæ tamquam ipſi extraneæ reputandæ ſunt, ac merito a ſapientioribus Theologis improbantur.

Primi, qui viam tractandi Theologiam methodo hac *ſcholaſtica* inſtitere, ſunt S. Joannes Damaſcenus, S. Anſelmus, ac Petrus Lombardus, vulgo *Magiſter Sententiarum*, qui præ cæteris tantam ſibi exiſtimationem comparavit, ut qui deinde ſubſequuti ſunt Theologi honori ſibi duxerint in ejus libros commentaria edere: ſed tamen, ut animadvertit Cano *lib.* 12. *de Loc. Theol. cap.* 3. ipſius Opus in multis peccat. Nam *in ſuis libris multa quidem lectio apparet, & pro tempore illo haud mediocris ſane eruditio. Sed præter diſtinctionum vocabula, in quas libri illi diviſi ſunt, nihil diſtinctum fere videtur, recteque, & ordine diſtributum. Teſtimoniorum congeriem dicas potius, quam diſpoſitionem, & rationem diſciplinæ . . . . . Quapropter Scholaſticis, qui hujus veſtigiis inhæſerunt, confuſa etiam fere, ac perturbata ſunt omnia &c.*

Sed

Sed & *Sententiarum Magiſtro*, & Commentatoribus ejus palmam præripuit ſæculo XIII. Sanctus Thomas, qui nedum præclara edidit in illum Commentaria, verum etiam *Summam* confecit *Theologicam*, quæ omnium ejuſdem Operum veluti epitome eſt, in qua tantum ingenii acumen emicat, tanta Scripturarum, Patrum, Conciliorum una cum naturalis Philoſophiæ eruditione, ac doctrinæ copia collecta eſt, ut nemo ſit inter doctos homines, qui illam veluti opus in hoc genere Scholaſticæ Theologiæ abſolutiſſimum non arbitretur. „ In ea *Summa*, inquit idem „ Melchior Canus, mirabilis eſt con„ textus rerum, ſummus quæſtionum, „ & articulorum ordo, & compoſitio „ diſciplinæ incredibilis. Adeo re„ ſpondent extrema primis, media „ utriſque, omnia omnibus. Nam de „ argumentorum copia quid attinet di„ cere? Cum de infinitis prope quæ„ ſtionibus in utramque partem diſſe„ rendi tanta illi facilitas, & abun„ dantia fuerit, ut non contra omnia „ ſemper, ſicut Archeſilas, diſputarit; „ & tamen in omnibus rebus, quid„ quid ex utraque parte dici poſſet, „ expreſſerit.

Equidem non deſunt, qui vitio vertant Angelico Doctori, quod Ariſtotelis philoſophia frequentius utatur, quam par eſſet. Sed ii plane non conſiderant, quo ſæculo ille ſcripſerit; eo nempe ſæculo, quo illa ſummo in pretio erat apud omnes, nec philoſophi audiebant, qui ejus ſtudio haud operam navarent, nec ipſius ſequerentur præcepta, atque doctrinas. Unde plane neceſſarium ipſi erat Ariſtotele uti ad profligandos præſertim errores, qui tunc obtinuerant ob ejus doctrinam perperam aut explicatam, aut intellectam; quod maxime præſtitit in libris contra Gentes. Audiamus iterum Melchiorem Cano eodem *lib. 12. cap. 12.* „ D. Thomas, inquit, Theologiæ ne„ gotium conficere ratione debuit: quia „ Scripturæ teſtimonia (apud Gentes) „ vel ſecundo, vel etiam nullo loco „ ſunt. At apud nos, qui Chriſtianos „ diſcipulos inſtituimus, primas partes „ authoritas habet, ſecundas ratio. Quia „ & hunc diſſerendi ordinem tamquam „ naturæ noſtræ conſentaneum magis „ Auguſtinus probat *de morib. Eccl.* „ *Cath. cap.* 11. quamvis Manichæis „ ſeſe attemperans id agat interdum, „ quod in diſputando fatetur eſſe vi„ tioſum. *Naturæ*, inquit, *ordo ita* „ *ſe habet, ut cum aliquid diſcimus,* „ *rationem præcedat authoritas. Sed* „ *quoniam cum iis nobis res eſt, qui* „ *omnia contra ordinem & ſentiant, &* „ *loquantur, nihilque aliud maxime* „ *dicunt, niſi rationem prius eſſe red*„ *dendam; morem illis geram, & quod* „ *fateor in diſputando vitioſum eſſe,* „ *ſuſcipiam*. De verit. Relig. cap. 34. „ Quo exemplo Thomas ad eumdem „ modum ſe Gentibus accommodavit. „ Nam in *Summa Theologiæ* authoritas „ fere rationi præparat hominem; ra„ tio deinceps ad intellectum, cogni„ tionemque perducit ". Sed jam proximius ad inſtitutum noſtrum accedamus.

CAPUT XI.

De Theologia Caſuiſtica, & Caſuiſtarum uſu.

Theologia, quæ *Caſuiſtica* dicitur, non in alio a *Scholaſtica* differt, niſi quod *Scholaſtici* appellentur, qui *primam Theologiæ partem*, in qua de Deo, Diviniſque attributis, de Trinitate, aliiſque ſimilibus, ſicut & *tertiam*, in qua de Incarnatione agitur, explanandam ſuſcipiunt, ii vero, qui exornandam aſſumunt *ſecundam Theologiæ partem*, in qua de vitiis, & virtuti-

tutibus, de lege naturali, & poſitiva de Decalogo, de Sacramentis &c. ſermo eſt, appellari ſolent *Caſuiſtæ*, quamvis convenientius *Theologi Morales* dici deberent. Unde reapſe *Caſuiſtarum* nomine non veniunt omnes, qui de morum Theologia pertractant, uti S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, aliique complures, qui morum doctrinam expoſuerunt, uti neque Suarez, neque Vaſquez, neque Valentia &c. ſed ii tantummodo, qui Caſibus decidendis operam dedere, aut ſaltem Caſibus Moralibus ſua Opera impleverunt, cujuſmodi ſunt Sanchez uterque, Laymanus, Filliucius, Diana, Bonacina, Eſcobarius, Sporerius, Bulembaum, Lacroixius, & alii innumeri.

Circa uſum Caſuiſtarum tres ſunt contrariæ ſententiæ: Alii namque nullos Caſuiſtas legendos, & pro directione in rebus Moralibus adhibendos putant: Alii vero indiſcriminatim & legendos, & ſuſcipiendos exiſtimant. Extremum utrumque alii vituperantes mediam viam tenendam eſſe docent. Quid de hoc ſentiam ego, ſequentibus expono.

Atque in primis ſi inter Caſuiſtas adnumerare velis etiam antiquos, qui de morum Theologia diſſeruerunt, D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Raymundum, ac D. Antoninum præſertim cum Diſſertationibus, & Adnotationibus huic *Summæ Morali* adnexis ab inſigni Viro Petro Ballerinio, abſque ullo timore, & inoffenſo pede legere potes. Opera namque horum toto Orbe Chriſtiano nota adeo ab omnibus celebrantur, ut commendatione noſtra non egeant. Alios deinde inferioris notæ Caſuiſtas legendos eſſe non crederem, niſi cum ea cautione, quam præſcripſit celeberrimus Conventus Cleri Gallicani habitus anno 1700. cujus hæc ſunt verba: *In rebus theologicis ad Fidei, & morum dogmata ſpectantibus: Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas Sanctis Patribus tradant ſententias. Deinde, ut ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur authoritas.* Denique *ut nemini liceat eam ſententiam ſequi, quam non veritati magis conſentaneam duxerit*. Quare ſi quis vel experientia propria compererit, vel ex communi fama didicerit, aliquos authores eſſe, qui nunc certe pauci non ſunt, qui conſonas Sanctis Patribus ſenteatias doceant, vel ab illis in tradenda morali doctrina non recedant, quin potius ipſorum authoritatibus eam muniant, atque confirment, eam tuto ſequi poterit, & juxta ejuſdem normam ſuas actiones dirigere. Quod ſi contra ſe gerant, Patribus poſthabitis, aut ad ſenſum proprium violenter detortis, nulla horum ratio habenda eſt, niſi aliunde conſtet a veritatis tramite non aberraſſe in iis, de quibus Patres mentionem non fecerunt, uti ſunt potiſſimum quæ pertinent ad jus humanum, ſive Eccleſiaſticum, ſive Civile.

Cæterum cum Clerus Gallicanus in poſtremis Decreti verbis aperte ſignificet reprobationem, ac damnationem, quam ediderat, *Syſtematis Probabiliſtici*; idcirco de libris Caſuiſtarum, qui juxta hoc ſyſtema ſcripſere ſuam de moribus Theologiam, nonnulla advertenda præcipue ſunt. Caſuiſtas omnes plus minuſve in aliquibus de morum doctrina ſententiis tradendis erraſſe, ſive propter nimium rigorem, quod perrarum eſt, ſive propter nimiam benignitatem, quod eſt frequentiſſimum, nemo, ut quidem arbitror, in dubium verterit. Hoc enim nunquam errandi privilegium peculiare Eccleſiæ eſt a Chriſto Sponſo ſuo ipſi conceſſum. Sed aliud eſt aliquando errare, aliud erra-

Digitized by Google

errare ex falſo ſyſtemate aſſumpto tradendi morales reſolutiones, ac decidendi caſus conſcientiæ . Ex hoc enim, quemadmodum ex errore in principiis cujuſque diſciplinæ, innumeri alii errores in conſequentiis deducti prodeant neceſſe eſt . Hoc porro ſyſtema elegerunt, & amplexi ſunt ii omnes , qui *Probabiliſtæ* vocantur . Neque enim iſti in rebus non prorſus evidentibus , ſed ambiguis, aut obſcuris juxta principia ſua *veritatem* quærunt , aut ſequuntur tamquam humanarum actionum regulam, ſed *probabilitatem* , quæ æque ad veritatem , & falſitatem indifferens eſt; & ejus ope infinitos propemodum caſus morales facile, prompteque reſolvunt : unde illis præſertim *Caſuiſtarum* nomen vulgo tribuitur . Hinc vero eorum aberrationes non fortuitæ dicendæ ſunt, & ex humani ingenii imbecillitate profectæ, ſicut in aliis Theologis veritatem ubique quærentibus; ſed *voluntariæ* , ſaltem *in cauſa* , adeoque non raræ , ſed *frequentiſſimæ* , quibus tota ferme morum doctrina fœdata, & corrupta eſt , & doctiſſimorum hominum contemptui expoſita .

„ Horum igitur *Caſuiſtarum* , in„ quit vir prudens , ac ſapiens , Mo„ ralis Theologia tyronibus , & ho„ minibus craſſi , & exigui ingenii , „ non ſolum inutilis , ſed & valde no„ xia eſſe poteſt : ideoque iis prohi„ benda , aut diſſuadenda . Cum enim „ ſinceras , & ſanas doctrinas ab im„ puris , & corruptis ſecernere, quod „ vel ipſis eximiis, & eruditis inge„ niis ſæpe difficillimum eſt , non poſ„ ſint ; in magno verſantur periculo , „ ne argutiſſimis , & in ſpeciem pul„ chris, & captioſis argumentationibus „ decepti, multa falſa eorum axioma„ ta , plurimaſque fallaces, & pericu„ loſas opiniones imbibant , quas ve„ luti rectas regulas non ſine magno „ ſuæ, & aliorum ſalutis detrimento „ ſequantur “ .

Verum cum hocce argumentum *de uſu recentium Caſuiſtarum* , qui ſyſtema probabiliſticum conſectati ſunt , magni momenti ſit , liceat mihi huc conferre ex Opere, quod edidi *de Regula proxima* &c. quædam ſaltem ſummorum virorum elapſi proxime ſæculi, eorumque maxime , qui Magiſtri, & Doctores Traditionis Eccleſiæ ſunt, judicia , atque ſententias; ex quibus , qua cautione legendi ſint ipſorum libri , luculenter apparet; quas tamen , ut nimiam prolixitatem evitem , contrahendas exiſtimo . Itaque imprimis D. Anna de Levi de Vantadour Patriarc. Archiepiſcopus Bituricenſis , & Aquit. Primas in Cenſura lata contra *Apologiam Caſuiſtarum* ; poſtquam multis oſtendit, quam pugnantes cum Evangelica doctrina recentes Probabiliſtæ opiniones docuerant ; Sacerdotes , ac fideles ſuæ Diœceſis ab eorum Operum lectione, uſuque omnino avocat ; prohibetque pluribus, quæ in ea Cenſura legi poſſunt . Item D. Ludovicus De Rechegne Voiſin Epiſcopus Tutelenſis in ſua Cenſura præcipit *omnibus Diœceſis ſuæ Confeſſariis* , *Concionatoribus* , *Catechiſtis* , *Theologiæ Lectoribus*, *& Caſuum Conſcientiæ Conſultoribus* , *ut Sanctum Evangelium ad ſuas conſultationes adhibeant a Patribus explicatum* , *ſibique a novorum Phariſæorum fermento caveant*, *qui tot ſuis legis interpretationibus totam corruperunt* , *& quo magis eam ad hominum ſenſus*, *aut cupiditatem accommodare voluerunt*, *eo magis Dei ſpiritum extinxerunt* . *Conſiderent ſemper* , *benignos hos Interpretes Evangelio*, *magis*, *quam apertos ejus hoſtes* , *ſæpe adverſari* . . . . *Caveant* , *ne ſcandaloſis iis* , *ex quibus pravæ opiniones ducuntur* , *principiis capiantur &c.*

Lu-

Digitized by Google

Ludovicus Henricus de Gondrin Archiepiſcopus Senonenſis in Decreto edito anno 1658. hæc ait : " Si falſæ Caſuiſtarum opiniones divinæ legis violatores vere a culpa purgarent, non eſſemus ſolliciti de compeſcenda, quam ipſi ſibi arripiunt, pervertendæ Chriſtianæ Ethicæ infinita licentia. At quoniam in hoc ipſo pejus, & pernicioſius errant, divinitus attributa nobis authoritate non uti non poſſumus ad cavendum, ne concrediti nobis homines tot perverſis principiis, quæ Caſuiſtæ innoxia, & tuta jactitant, miſere decipiantur. Nihil fere his non perturbari, aut corrumpi deprehendimus: firmiſſimas enim duas agendi regulas, *æternam Dei legem*, *& propriam cujuſque conſcientiam* Probabilitatis commento labefactant " .

Quinque alii Epiſcopi ſimul eodem anno congregati hæc inter alia in *inſtructione Paſtorali* decreverunt: „ Tota doctrina (Caſuiſtica) generalibus duobus principiis nititur, quibus conſtitutis nihil jam eſt in Evangelica Morali intactum, & firmum, falſaque pax conciliatur, quæ homines naturæ corruptæ vitio in malum pronos in æternum exitium præcipites agit : *probabilitas*, *& intentionis directio* in rebus ſuapte natura malis.... *quæ falſa eſſe cenſemus*, *Spiritus Chriſti ſimplicitati, ac ſinceritati contraria*; *falſæque ſecuritatis promiſſione animas in æternæ ſalutis diſpendium impellere* ". Par quoque judicium tulit Card. de Janſon Dinienſis primum, dein Bellovacenſis Epiſcopus. Sed alios referamus, qui expreſſius de argumento noſtro loquuti ſunt.

Felix Epiſcopus, & Comes Cabilonenſis, poſtquam in Paſtoralibus ſuis litteris datis anno 1659. anathemate percuſſit *Caſuiſtarum Apologiam*, deplorat primo *nimiam*, *quam ſibi Caſuiſtæ uſurpaverant*, *licentiam vanas, periculoſaſque quæſtiones excitandi, Evangelium in problema vertendi, Chriſti Scholam, quæ æternæ veritatis Schola eſt, in quamdam mutandi academiam, unde tot illæ ſubtilitates, poſitiones, animi directiones, probabilitatum ſcientia, aliæque artes, atque figmenta prodierunt, quæ illos ad præpoſtera multa traduxerant*. Suum Clerum ſubinde ſic inſtruit: „ Violati officii rei nobis ipſi videremur, ſi poſt damnatam *Apologiam*, pernicioſamque pravorum Caſuiſtarum Ethicen, vos per charitatem Chriſti enixe non hortaremur, ut morum doctrinas ex germanis earum fontibus hauriatis, *Divinis ſcilicet Litteris*, *veneranda Patrum traditione*, & ſanctarum precum frequentia, quibus inſiſtentes & vos, & alios ad beatam vitam deducetis. Ex ipſis derivabitis omnino puras, neque fucatas doctrinas, quæ vobis abuſus, pravoſque mores, vanas ſubtilitates, & carnales indulgentias aperient, quibus ſæculi hujus ſapientia veritatem corrumpere nititur. Ex ipſa Scriptura Sacra prima vobis principia ſuppeditabit, & generales vitæ Chriſtianæ regulas, quæ aliæ non ſunt a ſanctiſſima ipſa Chriſti doctrina, & exemplis. Traditio Eccleſiaſtica verum vobis Scripturæ ſenſum, tutamque præbebit intelligentiam : precibus vero non obtinebitis ſolum, ut hiſce regulis recte uti ſciatis, ſed ut & ſancte velitis .... Attenta divinæ legis meditatione percipietis, qui exagitandi ſint errores, quæ corrigenda vitia, quæ aliis tradendæ veritates. Ad earum lectionem Traditionis, & Patrum, ſi vobis ad manus ſunt, ſtudium adjungite. Iis, qui eximiorum horumce Doctorum ſtudio vacare nequeunt, auctores ſumus, ut veræ Ethices, legitimæ Sacramentorum admi-

Digitized by Google

„ miniſtrationis, rectæque aliorum di-
„ rigendorum rationis ſcientiam fami-
„ liari, atque pia *Librorum novi Fœ-
„ deris*, *Tridentini Concilii*, *Catechiſ-
„ mi Romani*, *Paſtoralium D. Grego-
„ rii*, *Pœnitentialium Canonum*, *Theo-
„ logiæ Moralis D. Thomæ*, *Inſtitutio-
„ num S. Caroli, & Ritualis* hujus *Diœ-
„ ceſeos* lectione ſibi comparent,

„ Neque tamen, ſubdit poſtea, ab
„ Authorum caſuum conſcientiæ lectio-
„ ne abſtinere vos abſolute jubemus,
„ quam vobis haud raro nonnihil uti-
„ litatis afferre poſſe non inficiamur.
„ Monendi duntaxat eſtis, in hujuſ-
„ modi præſertim Scriptoribus illud
„ Apoſtoli locum habere: *Probate ſpi-
„ ritus, an ex Deo ſint*. Ad eorum
„ delectum adhibenda Sapientum ſen-
„ tentia: legendi quoque caute, & cir-
„ cumſpecte. Conſultius deniqne, ſem-
„ perque tutius, veras morum, alio-
„ rumque moderandorum regulas a Deo,
„ ab Eccleſia, & ab eximiis iis Do-
„ ctoribus, quos mox indicavimus (S.
„ Gregorio ſcilicet, S. Thoma, &
„ S. Carolo &c.), quam a privato ali-
„ quo libro percipere, cujus Author
„ falſa doctrina ſua in errorem indu-
„ cere legentes poteſt, in quem ipſe
„ prius aut fallacibus ſuis præjudiciis,
„ aut animi temeritate, aut alia de
„ cauſa inductus fuerit". Hæc ille.

Quido de Seve de Rocheuovart Attrebatenſis Epiſcopus in ſuis Paſtoralibus Inſtitutionibus ann. 1691. vulgatis, quas triginta circiter Archiepiſcopi, & Epiſcopi probavere, Parochos, & Confeſſarios plura ad argumentum hoc noſtrum attinentia docet, quorum pauca tantum decerpimus. „ In Caſi-
„ bus, inquit, ſingularibus, ac diffi-
„ cilibus ſatagite, quantum poteſtis,
„ conſcientiam in tuto collocare, ad
„ Deum recurrite, conſulite Scriptu-
„ ras, Canones, Patres, S. *Thomam*.
„ Si autem difficile ſit fontes adire, le-
„ gite Authores etiam hodiernos, ſed
„ *probatos*, qui veritatem præ oculis
„ ſemper habent. *A prioribus illis non
„ eſt metuendus error*: ſed ſi ſatis vo-
„ bis rem non dilucidaverint . . . . .
„ audite, ac ſequimini doctrinam po-
„ ſteriorum . . . . Sæpe utiliter quo-
„ que legi poſſunt Authores etiam re-
„ centiores Moralem tractantes: nam
„ & horum opinionibus aliquid tribui
„ poteſt, bonique duces eſſe poſſunt,
„ dum fideliter ſequuntur mentem Pa-
„ trum, Conciliorum, & Sacræ Scrip-
„ turæ &c. . . . . Dum Evangelium
„ aperte loquitur, non eſt opus Ca-
„ ſuiſtarum libris. Quiſquam ne melior,
„ aut tutior ipſo Christo? . . . . Me-
„ mores eſtote poſt vocem Dei in Evan-
„ gelio uti Conciliis, SS Patribus, &
„ Eccleſiæ Capite viſibili, cujus certe
„ mentem, & ſenſa ſequimur, dum
„ pro regula vobis offerimus Sacro-
„ ſanctum Concilium Tridentinum, Sa-
„ cras Scripturas, & Sanctorum Docto-
„ rum authoritatem. Mementote poſt
„ ſacros illos fontes, e quibus veritatis
„ oracula ad nos decurrunt, e noſtro
„ potiſſimum ore, & miniſterio eam
„ vos accipere debere . . . . . Nemo
„ vos ſeducat, fratres, neque verbo,
„ neque ſcripto. Aures obturate in-
„ cantatoribus illis, qui vellent, ut
„ indubitatæ traditioni, & certiſſimis
„ regulis præferretis profanas, & pe-
„ riculoſas novitates, quas fruſtra ſta-
„ bilire nituntur. *Doctrinis vanis, &
„ peregrinis nolite abduci*, quas falſo
„ diſſeminat Spiritus erroris ..... Docto-
„ ribus nimium benignis, & indulgen-
„ tibus opponite ſanctum rigorem, &
„ auſteram charitatem Doctorum anti-
„ quorum . . . At dum generatim de
„ quibuſdam Auctoribus ſermo eſt, qui
„ Moralem Jeſu Christi ſcriptorum
„ ſuorum relaxatione infeliciter corru-
„ perunt, dumque conamur Paſtoribus,
„ & Confeſſariis inſpirare juſtam, &
ſalu-

Digitized by Google

„ ſalutarem ab eorum doctrina , & re-
„ gulis averſionem , aperiendo illorum
„ errores , & cæcitatem , in quam ip-
„ ſos labi Deus permiſit, cujus lumen,
„ ut ſenſa ſua ſequerentur , abjecerunt:
„ non exiſtimamus opus eſſe admonere
„ quod condemnare velimus *Caſuiſtas,*
„ ut vocant , *omnes* , ſed eos ſolum ,
„ qui limites a divina regula præſcrip-
„ tos exceſſere , conjeceruntque ſe ip-
„ ſos in relaxationem : quorum nume-
„ rus *cum ſatis ingens ſit* , non po-
„ tuimus non de illis loqui eo modo ,
„ quo *attentos redderemus animos* , ne
„ exponantur periculo in eoſdem erro-
„ res incidendi “.

Ita loquuntur ii, quibus animarum cura a Spiritu Sancto commiſſa eſt , verique ſunt teſtes , atque cuſtodes Traditionis Eccleſiæ ab Apoſtolis uſque ad nos propagatæ . Quorum omnium documenta , & inſtructiones confirmat Summum Eccleſiæ Caput Benedictus XIV. dum in ſuis Encyclicis Litteris anni 1749. præcipit dicens : *Prudens Confeſſarius in dubiis privatæ ſuæ opinioni non fidat , ſed priuſquam reſpondeat , non unum, ſed plures libros evolvat* . Sed num omnes indiſcriminatim Moraliſtarum libri evolvendi , ac legendi ſunt ? Minime . Sed *probatiores* : *tuncque in eam ſententiam concedat, cui rationem , authoritatemque magis ſuffragari perſpexerit . Sic mentem noſtram aperuimus in Encyclicis* de Uſura &c. *Idem nunc repetimus : neque enim ad uſuras tantum contrahenda eſt hæc doctrina , ſed etiam ad omnia , quæ ad Sacramentale forum, & ad conſcientiæ regulas pertinent , adhibenda* . Quam Summi Pontificis traditam regulam ita egregie commentatur Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Genuenſis D. Saporiti :
„ Hanc ſi Confeſſarii viam perſequan-
„ tur , caute incedent , poteruntque
„ fidenter ſe Deo Judici ſiſtere . Con-
„ tra contremiſcant oportet ii , qui vel
„ privati Scriptoris authoritate , vel
„ proprio freti judicio , aut nimia in-
„ dulgentia, aut immodico rigore pœ-
„ nitentes e Cæli via deduxerint . Be-
„ nigniores hos prænotavit Paulus 2.
„ *ad Timoth. cap.* 4, ſcribens : *Sanam*
„ *doctrinam non ſuſtinebunt* , *ſed ad*
„ *ſua deſideria coacervabunt ſibi magi-*
„ *ſtros prurientes auribus* &c. Ii ſibi
„ vehementer timeant , qui ſatis habent
„ aliquam opinionem referri , aut in
„ libris Caſuiſtarum etiam ignobilio-
„ rum invenire , ut eam inconſulto de-
„ ligant , & ſequantur , & ad eam pœ-
„ nitentes conſtanter dirigant ; nec per-
„ pendunt a multis Authoribus plura
„ doceri a Summis Pontificibus jam
„ damnata , multa iis affinia , multa
„ Sacris Canonibus , Pontificum Con-
„ ſtitutionibus, Sacrarum Congregatio-
„ num ſanctionibus contraria , multa
„ denique , quæ doctiores , modera-
„ tioreſque Scriptores validis rationum,
„ authoritatiſque momentis ceu omnino
„ improbabilia rejecerunt ; quibus qui
„ utuntur , graviſſimi criminis , & alie-
„ ni exitii rei apud Deum tenentur “.
Hæc ille , aliaque plura , quæ brevitatis ſtudio prætereo .

Hic conſiſtere decreveram . Sed in re tanti momenti cum multi Parochi , Confeſſarii , ac animarum Directores frequentius hallucinentur ; veniam peto, ſi duorum ſolum , aliis bene multis prætermiſſis , doctiſſimorum hominum teſtimonia in eodem argumento deſcribo . Primum eſt celebris Armandi Jo. Boutillier Abbatis de Ronſé, doctrina, & vitæ ſanctimonia inſignis , a quo hæc *de Caſuiſtis* dicta memorat Vitæ ejus Scriptor : “ *Caſuiſtas* Eccleſiæ prodeſ-
„ ſe , affirmare non poſſum ; quum
„ perſuaſum mihi ſit , eos eidem plu-
„ rimum nocuiſſe , & eorum pleroſque
„ metaphyſicis ſubtilitatibus , ineptis
„ cavillationibus, inventiſque mere hu-
„ manis, probabilitatem conciliaſſe opi-
nio-

Digitized by Google

„ nionibus bene multis, quæ morum
„ puritati, & Evangelicis veritatibus
„ adverſantur, prava docuiſſe homines,
„ quæ ignorabant, artem excogitaſſe
„ (*Probabilitatis* commento) conſcien-
„ tiæ ſtimulos retundendi, & inſtru-
„ menta ſuppeditaſſe violandarum *abſ-*
„ *que ullo ſcrupolo* ſacratiorum naturæ,
„ religioniſque legum. Horum pleri-
„ que mihi viſi ſunt homines, qui
„ alios docendi provinciam ipſi ſibi
„ ſumpſerunt, poſthabitiſque ſanctiori-
„ bus, quas Patres & Eccleſiæ Docto-
„ res præſcripſerunt, regulis, toti in-
„ cubuerunt ad confirmandas corruptæ
„ naturæ cupiditates, tantumque foven-
„ da vitia, quantum in iis convellen-
„ dis, atque extirpandis laboris, & ſtu-
„ dii veteres Eccleſiæ Magiſtri poſue-
„ rant. Aliquos eſſe poſſe non abnuo,
„ quorum puriores ſint, rectioreſque
„ ſententiæ: ſiquis tamen a me conſi-
„ ſilium peteret, nihil efficacius incul-
„ carem, quam lectionem fugere hu-
„ hujuſmodi Scriptorum, & ab iis
„ diffidere, qui eorum doctrinis im-
„ buti ſunt. Experientia edoctus lo-
„ quor. Cum enim officium, ac mu-
„ nus, quod ſuſtineo, me in eam ne-
„ ceſſitatem conjecerit, ut cum pluri-
„ mis cujuſque ſtatus, & conditionis
„ hominibus ad Monaſterium acceden-
„ tibus, & Religionem ingredi poſtu-
„ lantibus, ſermonem habeam: & an-
„ tequam eos admittam, eorum con-
„ ſcientias rimari ſoleam, & traductæ
„ ab eis vitæ cuncta diſcutere; tot in
„ eorum Confeſſariis, & animi mode-
„ ratoribus ignorantias, errores, ſedu-
„ ctiones deprehendi, ut plane exhor-
„ ruerim, ac me eorum miſereret &c.

Alter eſt celeberrimus Vir Joan. Mabillonius, qui *p. 1. cap. 16. de ſtud. Monaſt.* hæc habet: " Poſtquam Neo-
„ tericorum plurimi ſibi campum ven-
„ dicarunt *de humanis actibus, & pec-*
„ *catis* diſſerendi, inconſultis Sacris
„ Eccleſiæ Canonibus, eo devenit mo-
„ ralium opinionum relaxatio, ut nul-
„ lum pene ex criminibus cenſeatur,
„ quin aliquo indulgenti colore cala-
„ miſtretur. Tantum abeſt, ut iſtorum
„ *Summiſtarum* ſtudium ad Chriſtianæ
„ Philoſophiæ conſecutionem quadan-
„ tenus dirigat, quod potius ex libera
„ ipſos legendi facultate non modicum
„ ſequatur detrimentum. Non ſine ani-
„ mi noſtri dolore compertum eſt,
„ Ethnicorum Ethicen quorumdam
„ Theologorum *Summis* aliquando fuiſ-
„ ſe pudori . . . Fructus longe major
„ ex Ciceronis *de Officiis* lectione hau-
„ ritur, quam nonnullorum Summiſta-
„ rum, qui præter amplam doctrina-
„ rum, & ratiociniorum farraginem,
„ nil aliud ſæpe ſæpius ingerunt, præ-
„ terquam moleſtas legentium tricas,
„ unde difficillime ſubinde emergunt ".

Ex quibus omnibus colligere pronum eſt, quonam in pretio ad veram Moralem Theologiam addiſcendam habendi ſint hujuſmodi Caſuiſtæ, qui ſyſtema probabiliſticum conſectantes innumeris quidem libris Bibliothecas, ſed innumeris ſimul erroribus, & fallacibus opinionibus Chriſtianam Ethicen impleverunt; nimirum ii, qui rudiores ſunt, & exigui ingenii, ac divinam hanc ſcientiam addiſcere volunt, ab iis legendis abſtineant, præſertim cum tot alii modo ſuppetant libri, quos legere inoffenſo pede poſſimus; ſequanturque prudens Lactantii Firmiani monitum *lib. 1. Inſtit.* in ſimili argumento dicentis: *Omiſſis Auctoribus iſtis, nihil certi aſſerentibus, aggrediamur viam rectam: quos quidem, ſi putarem ſatis idoneos ad bene vivendum duces eſſe, & ipſe ſequerer, & alios, ut ſequarentur, hortarer. Sed cum inter ſe magna concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerumque diſcordent: apparet eorum iter nequaquam eſſe rectum. Siquidem ſibi quiſque, ut eſt libitum,* pro-

proprias vias impreſſerunt , confuſionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt .

Cæteri autem , qui ſolidis doctrinis muniti jam ſunt , & principia , ac veluti ſpiritum ſanæ , & vere Chriſtianæ Moralis ebiberunt ex purioribus Theologiæ fontibus , Scriptura ſcilicet, ac Divina Traditione in Conciliis, Decretis Pontificum , Sanctorumque Patrum ſcriptis contenta , aut etiam ex eorum Authorum libris , qui ex iiſdem fontibus Theologiæ Morum regulas derivarunt ; ii, inquam, ſi aliquando occurrant reſolvendi caſus difficiliores , & implexi , legere etiam utiliter poterunt modernos Probabiliſtas , præſertim graviores . In eorum quippe libris cum paleis , & zizaniis triticum permixtum eſt , multæque inveniuntur præclaræ , & ad veritatis normam editæ reſolutiones , atque doctrinæ , ob quas a doctis , ſanctiſque viris , & ab ipſo Summo Pontifice Benedicto XIV. laudati ſunt . Illud tamen animadvertendum cenſeo , hos præſertim Authores hac cautela , & opinionum delectu legendos , vel conſulendos eſſe , ut ſi quidpiam tamquam licitum aſſerant , quod in controverſia eſt ; non ita facile iis fides adhibeatur . Cum enim ad indulgendum cupiditatibus hominum proniores ſint , eorumque principia huc ſpectent , ut legis obligatio ſolvatur , dum evidenter non conſtat ; facile licere docent , quod reipſa non licet : adeoque qui eos audiunt , in periculum a veritatis tramite aberrandi conjiciuntur . Atque hæc ſatis de hoc argumento , ut & de *Prodromo* noſtro ad *Moralem Theologiam* .

INDEX

I N D E X

Tractatuum , Diſſertationum , & Capitum , quæ in hoc Tomo continentur .

P R O D R O M U S

Ad univerſam Morum Theologiam de locis Theologiæ Moralis .

Cap. I. DE neceſſitate Divinæ Revelationis in Morum Theologia . Pag. 28.
Cap. II. De primo , ac principe Moralis Theologiæ loco , Sacra videlicet Scriptura . 31.
Cap. III. Quædam regulæ traduntur pro neceſſitate , uſuque Sacrarum Scripturarum in rebus moralibus . 34.
Cap. IV. De altero Moralis Theologiæ loco ; *Divinis* nempe *Traditionibus* . 45.
Cap. V. De authoritate Eccleſiæ , in qua tum Scripturæ , tum Divinæ Traditiones conſervantur . 49.
Cap. VI. Quibus præſertim mediis certa tum Fides, tum morum doctrina Eccleſiæ in Chriſtiana gente propagetur . 54.
Cap. VII. De Sanctorum Patrum authoritate , atque uſu in Morali Theologia . 58.
Cap. VIII. Quædam in *Prodromum* P. Zachariæ circa uſum SS. Patrum in rebus moralibus animadverſiones . 61.
Cap. IX. De uſu rationis humanæ in morum Theologia . 66.
Cap. X. De Scholaſtica Theologia . 69.
Cap. XI. De Theologia Caſuiſtica , & Caſuiſtarum uſu . 70.

T R A C T A T U S P R I M U S

D E L E G I B U S.

C A P U T P R I M U M.

De Lege generatim ſumpta .

D O C T R I N A.

I. QUID ſit lex in communi ex SanctoThoma *Pag.* 1.
II. Explicatur legis notio : lex eſt regula , & menſura humanorum actuum . 2.
III. Eſt ordinatio rationis practicæ . *ibid.*
IV. Ad bonum Communitatis : Quid Communitatis nomine intelligatur , exponitur . *ibid.*
V. Condi nequit niſi a Communitate , vel ab eo , qui curam gerit Communitatis . 3.
VI. Diſcrimen legis a præcepto . *ibid.*
VII. Lex debet eſſe *promulgata* , ut vim obtineat obligandi . *ibid.*
VIII. Hæc tamen promulgatio non eſt eadem in omnibus legibus , nec eodem modo perficitur. *ibid.*

C A P U T II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

I. REJICIENDÆ legis definitiones a quibuſdam heterodoxis Scriptoribus traditæ . 4.
II. Immerito P. Viva præfert definitioni legis traditæ a S. Thoma , eam, quam proponit Suareſius, veluti clariorem . *ibid.*
III. Lex proprie conſtat propoſitionibus univerſalibus practicis *ibid.*
IV. Animadverſio magni momenti inde deducta adverſus præcipuum principium reflexum Probabiliſtarum . 5.
V. Alia animadverſio in alterum eorumdem principium reflexum. *ibid.*
VI. Lex permiſſiva quos obliget . *ibid.*
VII. Quælibet lex debet eſſe juſta, & honeſta . 6.
VIII. Leges iniquæ non ſunt dicendæ leges . *ibid.*
IX. In quo differat Tyrannus a Legiſlatore . *ibid.*
X. Lex indole ſua firma , ac perpetua eſt. 7.
XI. Facta promulgatione ſubditos omnes aſtringit. *ibid.*
Reflexio . *ibid.*

DISSERTATIO PRIMA.

DE LEGE ÆTERNA , AC NATURALI .

C A P U T P R I M U M.

De Lege æterna Dei : quid illa ſit exponitur.

D O C T R I N A.

I. LEGIS æternæ definitio . 8.
II. Definitio tradita explicatur . *ibid.*
III. Differt lex æterna tum ab arte , & ideis divinis, tum a divina Providentia . 9.
IV. Nihil eidem deficit , quo veræ propriæque legis rationem obtineat . *ibid.*

CA-

CAPUT II.

Delineantur præcipua legis æternæ prærogativa.

DOCTRINA.

I. LEGES omnes juſtæ & honeſtæ derivantur ab æterna lege . *ibid.*
II. Quo pacto ab æterna lege deriventur . 10.
III. Legi æternæ ſubduntur omnia creata ſive contingentia , ſive neceſſaria . *ibid.*
IV. Peculiari modo ſubduntur legi æternæ creaturæ rationales . 11.
V. Lex æterna prima eſt ac ſuprema regula , & menſura moralis honeſtatis . *ibid.*

CAPUT III.

CONSECTARIA.

I. LEX æterna veræ , ac propriæ legis rationem obtinet . *ibid.*
II. Non in ſe ipſa , ſed in ſuo effectu cognoſcitur . 12.
III. Diſtinguendæ non ſunt plures leges æternæ , ſed una eſt . *ibid.*
IV. Lex æterna complectitur etiam legem divinam poſitivam . 13.
V. Aliter creaturæ rationales , aliter irrationales legi æternæ ſubduntur . *ibid.*
VI. Quidquid approbat lex æterna , bonum eſt ; quidquid reprobat , malum . *ibid.*
VII. Humana ratio eatenus recte dirigit , quatenus proponit , & applicat legem æternam . *ibid.*
VIII. Actio humana, niſi conſonet legi æternæ, nunquam honeſta eſt , aut meritoria , *ibid.*
IX. Hallucinatio eorum , qui nimiom fidunt dictatis conſcientiæ propriæ . 14.
X. Monſtroſa , & inaudita eſt ſententia Terilli duplicem effingentis legem æternam , aliam *per ſe* , aliam *per accidens* . *ibid.*
XI. Specimen abſurditatum maximarum ex hac ſententia prodeuntium . *ibid.*
XII. Reflexio . 15.

CAPUT IV.

De Lege naturali , ac primum quid ea ſit, & quomodo promulgetur .

DOCTRINA.

I. QUID ſit lex naturæ . *ibid.*
II. Explicatur definitio legis naturalis 16.
III. Quomodo participatio legis æternæ ſit , exponitur . *ibid.*
IV. Eam Deus imprimit humanæ menti in quibuſdam dictatis neceſſariis , & præceptivis , in quibus ea proprie conſiſtit . *ibid.*
V. Applicatur , adeoque promulgatur humanæ menti ab ipſa ſua conditione . 17.
VI. Doctrina S. Thomæ de promulgatione legis naturæ amplius exponitur , & illuſtratur . *ibid.*

CAPUT V.

CONSECTARIA.

I. FALSA,& impia ſententia eſt eorum , qui legem naturalem de medio tollunt , dum nihil eſſe natura ſua bonum, aut malum effutiunt. 18.
II. Quo ſenſu accipienda ſit diſtinctio malorum, quæ talia ſunt , quia prohibita ; & quæ prohibita , quia mala . *ibid.*
III. Falluntur , qui legem naturalem in ipſa natura rationali conſtituunt . 19.
IV. Lex naturalis , prout in nobis , lex non eſt ; niſi participative , & ſecundario . *ibid.*
V. Habitus preſſe dictus vocari non poteſt . *ibid.*
VI. Differt tum a ſynderesi , tum a conſcientia. *ibid.*
VII. Abſona prorſus eſt eorum , ſi qui ſunt , ſententia , qui putant , toties promulgari naturæ legem , quoties aliquid agendum a nobis eſt . 20.

CAPUT VI.

De his , quæ lege naturæ continentur.

DOCTRINA.

I. PRÆMITTITUR S. Thomæ doctrina de primo univerſali præcepto legis naturæ . *ibid.*
II. Illud revocatur ad hoc principium : *naturalis ordo in omnibus ſervandus eſt* . 21.
III. Quo pacto explicetur , & applicetur iſtud generale principium . *ibid.*
IV. Materiæ ejuſdem proſecutio . *ibid.*
V. virtutes morales ad hoc principium reducuntur. 22.
VI. Idem exponitur alia S. Thomæ ratione . *ibid.*
VII. Animadverſio in hanc doctrinam . *ibid.*

CAPUT VII.

CONSECTARIA.

I. PRIMUM præceptum deductum ex principio generali naturalis ordinis ſervandi eſt, *Deus eſt colendus* . *ibid.*
II Deus præ omnibus, ac ſuper omnia eſt diligendus. 23.
III. Media ad hæc ſervanda præcepta exquirenda ſunt . *ibid.*
IV. Quod tibi non vis fieri , alteri ne facias. *ibid.*
V. Pax in omnibus , & cum omnibus quærenda. *ibid.*
VI. Superioribus honor, & ſubjectio præſtanda. 24.
VII. Quæ ſocietatem conſervant fovere , quæ lædunt , evitare tenemur . *ibid.*
VIII. Inclinationes naturales ad ordinem rationis redigendæ . *ibid.*
IX. Rejicienda ſunt alia principia prima legis naturæ a quibuſdam Juriſtis invecta . 25.
X. Limitatio præceptorum juris naturalis a Schmauſio facta reprobanda . *ibid.*

CAPUT VIII.

De proprietatibus legis naturalis , ac primum de univerſalitate .

DOCTRINA.

I. DE univerſalitate legis naturæ duplex quæſtio fieri poteſt . 26.
II. Quomodo lex naturæ eadem ſit , vel non ſit apud omnes , quoad rectitudinem , & cognitionem . *ibid.*
III. Sancti Thomæ doctrina exponitur . *ibid.*
IV. Nullus ab obligatione legis naturalis eximitur .

Probatio prima . 27.
V. Probatio altera ejuſdem veritatis . ibid.

CAPUT IX.

CONSECTARIA.

I. LEX naturæ nunquam aboleri poteſt de corde hominis quoad prima principia . ibid.
II. Poteſt tamen quoad applicationem ad opera particularia . 28.
III. Quoad concluſiones ex primis principiis etiam proximæ deductas deleri poteſt, ſive corrumpi. ibid.
IV. Falſa & impia eſt Pſeudopoliticorum ſententia licitum facientium Principibus , quidquid ipſis libuerit , aut utile judicaverint . ibid.
V. Falſum quoque , & impium effatum illud , *inter arma ſilere leges* . Quo ſenſu illud verum ſit. ibid.

CAPUT X.

De altera naturæ legis proprietate, nempe immutabilitate.

DOCTRINA.

I. LEX naturæ generatim , & abſolute inſpecta penitus immutabilis eſt . 29
II. Doctrina S. Thomæ præmiſſa circa mutationem , quæ in lege naturali contingere poteſt . ibid.
III. Mutatio legis naturæ nunquam habetur in primis generalibus principiis . ibid.
IV. Quo pacto habeatur in præceptis ſecundariis. 30.
V. Mutatio *improprie dicta* ratione *additionis* convenit naturali legi . ibid.
VI. Convenit etiam eadem mutatio ratione *ſubtractionis materiæ* . ibid.
VII. In quibus præceptis locum habeat hæc impropria mutatio . ibid.
VIII Nunquam in lege naturæ habetur mutatio, quam vocant *formalem* . 31.

CAPUT XI.

CONSECTARIA.

I QUÆ non cadunt ſub jure naturæ *præceptivo* , ſed tantum *conceſſivo* , mutationi ſubjecta ſunt . ibid.
II. Poſita tamen diſpoſitione facta in iis , quæ ſunt de jure *conceſſivo* , poteſt in quibuſdam naturalis obligatio conſurgere . 32.
III. Impropria mutatio eſt , dum legi naturæ adduntur aliqua per leges humanas. ibid.
IV. Sicut etiam dum res extrahitur a ſubjectione ad legem naturæ . Exempla. ibid.
V. Licita eſt , nec juri naturali repugnans bonorum præſcriptio . 33.
VI. Regula , ut dignoſcatur , quando obligatio legis naturæ deſinat . ibid.
VII. Nulla conſuetudo prævalere poteſt contra aliquod naturale præceptum . ibid.
VIII. Nulla poteſtas humana eidem derogare , aut in eo diſpenſare valet . ibid.
IX. Quæ præcepta naturalia deſinere poſſunt ratione mutationis materiæ , quæ non . 34.
X. Sententia Actuario tributa rejicitur . ibid.

CAPUT XII.

De tertia legis naturæ proprietate, ſcilicet certitudine .

DOCTRINA.

I. LEX naturalis , etiam prout ineſt humanæ menti , certa omnino eſt . ibid.
II. Aſſertio firmatur , & declaratur exemplis . 35.
III. Plura tamen , quæ ad legem naturæ pertinent, ſunt incerta ob imbecillitatem humanæ mentis , aliaſque cauſas . ibid.
IV. Hinc neceſſaria prudentia eſt , qua recte applicentur principia univerſalia legis ad particulares concluſiones operabilium . ibid.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA.

I. HOBBESII ſententia repudianda eſt , quæ nullam aliam naturæ legi certitudinem tribuit, quam quæ a Sacra Scriptura derivatur . 36.
II. Falſa eſt ſententia eorum , qui totam ejuſdem legis certitudinem repetunt a traditione ab Adamo in poſteros profecta . ibid.
III. Falſum quoque effatum illud , res morales non eſſe demonſtrationis capaces . ibid.
IV Singularium omnium actionum honeſtas , aut pravitas demonſtrari nequit . ibid.
V. Unde oriatur nationum diſſenſio de honeſtate eorum , quæ jus naturæ ſpectant . 37.
VI. Sola applicatio principiorum practicorum errori , & incertitudini ſubeſt . ibid.
VII. Quid neceſſe ſit , ne in applicatione principiorum deflectamus a veritate . 38.
VIII. Æquivocatio quorumdam Probabiliſtarum detegitur , & diſſipatur , ibid.

CAPUT XIV.

De quarta , & ultima legis naturæ proprietate , ſcilicet perſpicuitate ipſius .

DOCTRINA.

I. PRÆCEPTA juris naturæ quoad principia , & concluſiones ſaltem proximiores clara ſunt, & comperta , dummodo ad ea conſideranda applicetur animus . ibid.
II. Eadem veritas experientia comprobatur . 39.
III. Undenam plures , & integræ etiam aliquando nationes clariora juris naturæ præcepta non videant . ibid.
IV. Cur etiam inter Doctores , ac Theologos tot quæſtiones , ac opinionum diſſidia ferveant de licitis , atque illicitis actionibus ad jus naturæ ſpectantibus . ibid.

CAPUT XV.

CONSECTARIA.

I. VANA , & ridicularis eſt quorumdam Juriſtarum Proteſtantium jactantia de eruta ab ſe, & in lucem producta morum diſciplina . 40.
II. Unde proveniant errores , qui ſæpe occurrunt in

Digitized by Google

humanis actibus . *ibid.*
XII Culpabiles plerumque ſunt hujuſmodi errores. 41.
IV. Falſa & reprobanda eſt quorumdam Theologorum doctrina in iis etiam , quæ juris naturalis principiis proxima ſunt , ignorantiam invincibilem admittentium . *ibid.*
V. Legis naturæ dictamini ſatis obvio repugnant , qui inter opiniones æque probabiles minus tutam ſequuntur , vel ſequi nos poſſe docent . 42.
VI. Regula diſcernendi inter opinionum diſſidia in iis , quæ ad jus naturale pertinent , eſt proborum hominum conſenſio . *ibid.*
Reflexio . 41.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

C A P U T P R I M U M.

De neceſſitate , ac definitione legis poſitivæ divinæ.

D O C T R I N A.

I. EXPONITUR neceſſitas divinæ legis poſitivæ ex Sancto Thoma . Prima ratio ducta ex ordinatione hominis ad finem ſupernaturalem . 44.
II. Secunda ratio ex incertitudine humani judicii in actionibus particularibus . *ibid.*
III. Tertia ratio ex directione actuum interiorum. *ibid.*
IV. Quarta ratio ex neceſſitate prohibendi omnia peccata . 45.
V. Ex his colligitur definitio legis divinæ poſitivæ. *ibid.*
VI. Quæ præcepta ad hanc legem pertineant . *ibid.*

C A P U T II.

C O N S E C T A R I A.

I. LEX divina poſitiva æque certa eſt , ac lex naturalis quoad prima principia . 46.
II. In quibus ſequi oporteat legem poſitivam divinam , quamvis naturalis ipſi nobis videtur oppoſita . *ibid.*
III. Ex defectu ſtudii hujus legis divinæ ortæ ſunt tot abſurdæ Caſuiſtarum in rebus moralibus opiniones . *ibid.*
IV. Humanæ leges juſtæ ſunt , ſi cum lege divina conſentiant . 47.
V. Nemo obedire debet humano præcepto , ſi divinæ repugnare videatur . *ibid.*

C A P U T III.

Pauca quædam perſtringuntur ex Divo Thoma de lege divina Moſaica .

D O C T R I N A.

I. LEX vetus Iſraelitico populo data eſt , eamque bonam , & utilem fuiſſe fide tenendum. *ibid.*
II. Perfecta dici poteſt , ſpectata temporis conditione . 49.
III. Quænam fuerit ejus indoles , ac natura. *ibid.*
IV. A Deo per Angelos data eſt , eaque ſoli populo Judæorum . *ibid.*

V. Diſtinctio præceptorum ipſius in moralia , cæremonialia , & judicialia . 50.
VI. Convenienter propoſita ſunt *moralia* præcepta in hac lege . [illegible]
VII. Præcepta omnia *moralia* reducuntur ad præcepta Decalogi , & in iis continentur . [illegible]
VIII. Congrue in Decalogo recenſentur . *ibid.*
IX. De præceptis *cæremonialibus* . Quo ſenſu *poſitiva* ſint . 52.
X. Quænam ipſorum diviſio . *ibid.*
XI. Præter cultum Dei , inſtituta ſunt ad præfigurandum Chriſtum , & myſteria gratiæ . *ibid.*
XII. Congruentium rationum , cur inſtituta fuerint , ſpecimen exhibetur . 53.
XIII. Juſtificandi virtute caruerunt . 54.
XIV. Ea obligare deſiiſſe in adventu Chriſti Domini certum eſt . Quando deſiverint . [illegible]
XV. Quamquam dubitandum non ſit hæc modo citra peccatum obſervari non poſſe ; tamen non ſtatim a morte Chriſti *mortiferæ* evaſerunt . *ibid.*
XVI. De præceptis *judicialibus* . Quadruplex eorum genus diſtinguitur . 55.
XVII. Optime inſtituta ſunt in populo Hebræo. Plura illorum legem naturæ ſpectant . 56.
XVIII. Qua parte mere poſitiva ſunt , obligare deſierunt in adventu Chriſti , non eodem tamen pacto , ac cæremonialia præcepta . *ibid.*

C A P U T IV

C O N S E C T A R I A.

I. DIVISIO legis divinæ in veterem , & novam non eſt niſi penes ſtatum imperfectum , & perfectum ejuſdem legis . 57.
II. Lex vetus virtute juſtificandi caruit , nullusque juſtificatus eſt , niſi per fidem Chriſti . *ibid.*
III. Lex vetus inducebat homines ad obſervanda præcepta per minas , & promiſſiones temporales. *ibid.*
IV. Quicunque in ea lege amore bonorum ſpiritualium ad ſervanda præcepta movebantur , ad novam pertinebant . 58.
V. Præcepta *cæremonialia*, & *judicialia* proprie pertinent ad legem veterem . *ibid.*
VI. Quo pacto conveniant , ac differant *cæremonialia*, & *judicialia* præcepta . *ibid.*
VII. Duplex finis proprius inſtitutionis præceptorum *cæremonialium* . *ibid.*
VIII Diſtinctio cæremoniarum legis veteris ab iis , quæ antea in uſu fuerunt . 59.
IX. Cæremoniæ veteris legis non emundabant ab immunditia ſpirituali , ſed ſola legali . *ibid.*
X. Peccaret mortaliter , qui *cæremonias* veteres nunc obſervaret . 60.
XI. Non autem , qui unum , aut alterum præceptorum *judicialium* obſervandum præſcriberet . *ibid.*

C A P U T V.

De lege nova , ſive Evangelica .

D O C T R I N A.

I. EXPONUNTUR nomina, quibus appellatur. *ibid.*
II. Ejus definitio propoſita , & explicata. 61.
III. Prima excellentia novæ Legis ſupra veterem ex

triplici capite deducta . 62.
IV. Altera novæ legis excellentia , quod data fuerit omnibus hominibus . ibid.
V. Tertia ejuſdem excellentia , quod in gratia, & charitate principaliter conſiſtat . 63.
VI. Qarta excellentia , quod duratura ſit ad uſque mundi finem . ibid
VII. Expooitur ſenſus quarumdam locutiouum Sctiptnrarum de oova , ac veteri lege . ibid.
VIII. Quo ſenſu intelligendum ſit , quod Chriſtus aſſeruit , ſe *non veniſſe ſolvere legem , ſed adimplere* . 64.

C A P U T VI.

C O N S E C T A R I A.

I. LEX nova alio modo dicitur indita cordibus hominum , ac lex naturæ . 65.
II. Quicunque ſancti , & juſti fuerunt ſive in lege naturali , ſive in lege veteri , ad novam legem pertinebant . ibid.
III. Nemo unquam ſive juſtitiam, ſive ſalutem adeptus eſt , niſi per fidem Chriſti ſaltem implicitam . ibid.
IV. Tanquam errores ab Eccleſiæ fide alieni rejicienda ſunt , quæ aliter de hac re docuerunt Harduinus , & Berruyerus . 66.
V. Congtuum non fuit , ut lex nova ab ipſo mundi exordio daretur hominibus . ibid.
VI. Etiam novæ legis præcepta ex ſe non juſtificant, quamvis ad juſtificationem diſponant . ibid.
VII. Commenta vaniſſima ſunt , quæ de alia lege, novæ ſubſtituenda effinxerunt Montaniſtæ , & Manichæi , & effingunt Muhamedani . 67.

C A P U T. VII.

De præceptis novæ legis , quæ diſponunt ad id , quod eſt in hac lege præcipuum , gratiam ſcilicet Spiritus Sancti .

D O C T R I N A.

I. DOCTRINA S. Thomæ de hac re præmittitur . ibid.
II. Duplex genus præceptorum novæ legis diſtingui debet : ibid
III. Primum præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti eſt humilitas . 68.
IV. Alterum præceptum diſpoſitivum eſt abnegatio ſui ipſius . Quo ſenſu intelligendum ſit declaratur . 69.
V. Tertium præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti eſt jugis oratio . 70.

C A P U T VIII.

C O N S E C T A R I A.

I. LEX nova nedum præcipit actus interiores , ſed etiam exteriores . 71.
II. Charitas eſt finis omnium præceptorum novæ legis , Cætera præcepta a charitate diſtincta media ſunt ad charitatem abſolute neceſſaria : alia vero bona opera ſunt media ad eamdem utilia. 72.
III. Diſcrimen præceptorum a conſiliis novæ legis in eo poſitum eſt , quod præcepta ſint media omnibus neceſſaria : non ita vero conſilia. ibid.
IV. Unde cognoſci queat , quænam in Evangelio præcepta ſint , quænam autem ſolum conſilia. ibid.
V. Perfectio Chriſtiana non conſiſtit in conſiliis, ſed in præceptis . maximeque in charitate . 73.
VI. Chriſtiana perfectio æque exigitur a Sæcularibus, & a Religioſis . ibid.
VII. Lex Evangelica non præcipit niſi charitatem juxta S. Auguſtinum , nec culpat , & damnat niſi cupiditatem . ibid.
VIII. Præcepta Evangelii huc conſpirant , ut comprimant , ac ſubigant cupiditatem . ibid.
IX. Quænam præcipue diſpoſitio a Confeſſario in Pœnitentibus attendenda , ut eos idoneos judicet ad Sacramentalem gratiam in Sacramento recipiendam . 74.
X. Quomodo hac in re peccent plurimi Caſuiſtæ. ibid.

C A P U T IX.

De præceptis novæ legis ad uſum gratiæ *pertinentibus.*

D O C T R I N A.

I. PRÆCEPTA novæ legis , quæ ad uſum gratiæ pertinent , ea præcipue ſunt , quæ continentur in ſermone Chriſti *in monte* , apud Matth. 5. &c. 75.
II. In hoc primum agitur de octo beatitudinibus , cujus ordo deſcribitur ; & quæ ſub præcepto cadant , indicatur . ibid.
III. Prima beatitudo : *Beati pauperes ſpiritu* &c. 76.
IV. Secunda beatitudo : *Beati mites* &c. 77.
V. Tertia beatitudo : *Beati , qui lugent* &c. ibid.
IV. Quarta beatitudo : *Beati qui eſuriunt* &c. ibid.
VII. Quinta beatitudo : *Beati miſericordes* &c. 78.
VIII Sexta beatitudo : *Beati mundo corde* &c. ibid.
IX. Septima beatitudo : *Beati pacifici* &c. ibid.
X. Octava beatitudo : *Beati , qui perſecutionem patiuntur* &c. 79.

C A P U T. X.

Ejuſdem ſermonis Chriſti Domini in monte *proſecutio: ac primum de præceptis novæ legis ad directionem interiorum motuum hominis Chriſtiani.*

D O C T R I N A.

I. SUMMA doctrinæ Chriſti de his præceptis ex Sancto Thoma . ibid.
II. Præceptum de bono exemplo præbendo , & fugienda vana gloria . 80.
III. Chriſtus corrigit pravam Phariſæorum intelligentiam circa præcepta legis quoad actus interiores homicidii , & mœchiæ . ibid.
IV. Præceptum de vitandis cauſis , & occaſionibus peccati . 81.
V. Alii errores inter Judæos vigentes a Chriſto correcti , ac primum circa juramenta . ibid.
VI. Quoad ea , quæ licita reputabant , quia in lege Moſaica permiſſa . ibid.
VII Quoad appetitum vindictæ , & motus cupiditatis . ibid.
VIII. Quoad odium erga inimicos . 82.

CA-

CAPUT XI.

Ex reliquis novæ legis præceptis, quæ in Chriſti ſermone in monte continentur.

DOCTRINA.

I. PRÆCEPTUM de hypocriſi, & jactantia fugienda. *ibid.*
II. Cor noſtrum non in terra, ſed in cælo defigere debemus. 83.
III. Impoſſibile eſt cor humanum ſimul adhærere Deo, & mundo. *ibid.*
IV. Nimia ſollicitudo rerum temporalium amputanda. 84
V. Temere de proximo non judicandum. *ibid.*
VI. Myſteria fidei, & Sacramenta prophanationi malorum non exponenda. *ibid.*
VII. Omnia proximis facienda, quæ fieri nobis volumus. 85.
VIII. Ingrediendum per anguſtam viam. *ibid.*
IX. Attendendum a falſis Prophetis, ſive Doctoribus, ac Magiſtris. 86.
X. Voluntas Dei adimplenda, ut aſſequamur ſalutem æternam. *ibid.*

CAPUT XII.

CONSECTARIA.

I QUÆ Chriſtus *in monte* tradidit, documenta, non ad conſilia, ſed ad præcepta revocantur. *ibid.*
II. Hinc non ad Religioſos duntaxat, ſed etiam ad ſæculares pertinere dicenda ſunt. S. Joannis Chryſoſtomi de hac re gravis ſententia. 87.
III. Iſaaci Berruyeri error refellitur. 88.
IV. Alia ejuſdem Berruyeri abſurda interpretatio textus Evangelici. *ibid.*
V. Aliena a verborum Chriſti ſenſu, & Patrum interpretatione Cæſaris Cælini, aliorumque ſententia quoad electorum numerum rejicitur. 89.
VI. Abſurdiſſima P. Benedicti Plazzæ de numero ſalvandorum opinio Eccleſiæ judicio ſubjicitur. *ibid.*
VII. Octo beatitudines a Chriſto propoſitæ magna cura perpendendæ a fidelibus. 90.
VIII. Fideles maxime rudiores de pravitate actuum interiorum ſæpe monendi. *ibid.*
IX. Ex doctrina Chriſti probe perpenſa plurimæ Theologorum quæſtiones evaneſcunt. *ibid.*
X. Quam immane diſcrimen verſetur inter doctrinas Chriſti, & plurium Caſuiſtarum. 91.
XI. Studium Evangelicæ doctrinæ promovendi ad ſacros ordines, & Eccleſiæ miniſtris admodum neceſſarium. *ibid.*
Reflexio. 92.

DISSERTATIO TERTIA

DE LEGE HUMANA.

CAPUT PRIMUM.

De jure gentium.

DOCTRINA.

I. QUÆDAM prænotantur ad germanam juris gentium notionem neceſſaria. 94.
II. Juris gentium preſſe ſumpti definitio traditur, & explicatur. 95.
III. Hæc plane conſentit cum ea, quæ a Juſtiniano tradita eſt. 96.
IV. Jus gentium cur, & quomodo inſtitutum. *ibid.*
V. Dupliciter aliquid dici poteſt de jure gentium. *ibid.*
VI. Exempla juris gentium priori modo accepti. *ibid.*
VII. Exempla juris gentium modo altero conſiderati 97.
VIII. Alia hujuſmodi exempla proferuntur. *ibid.*

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I QUID jus gentium in ampla ſignificatione ſumptum complectatur. 98.
II. Quid in arctiore, magiſque proprio ſenſu. *ibid.*
III. Textus S. Thomæ, qui contrarius videtur, explicatur. *ibid.*
IV. Quæ univerſalitas requiratur ad jus gentium conſtituendum. 99.
V. Unde oriatur obligatio, quam jus gentium inducit. *ibid.*
VI. Vim obligandi non habet, ſi pugnet cum jure divino. 100.
VII. In quo differat, & conveniat cum jure naturali. *ibid.*
VIII. In quo conveniat, ac differat a jure civili. *ibid.*

CAPUT III.

De lege humana civili.

DOCTRINA.

I. LEGIS humanæ civilis definitio. 101.
II. Explicatur, & illuſtratur S. Thomæ doctrina. *ibid.*
III. Legis civilis qualitates, ſive conditiones deſcribuntur. 102.
IV. Hujuſmodi qualitates amplius expoſitæ. *ibid.*
V. Quomodo derivetur a lege naturali. 103.
VI. Præcepta a lege civili ſancita alia ſunt communia legi naturæ, alia propria, & peculiaria ipſius. *ibid.*
VII. Quæ præcepta ſecundi generis ad legem civilem pertineant. *ibid.*
VIII. Quænam ſit legis civilis materia, circa quam verſatur, ex fine, ad quem ordinatur, colligenda. 104.
IX. Quæ ab ipſa prohibeantur, aut prohiberi valeant, determinatur. *ibid.*
X. Item quæ ab ipſa jubentur, aut juberi poſſint. 105.
XI. Conſtitui debet non in particulari, ſed in communi, & ſecundum perſonas, & ſecundum negotia, & ſecundum tempora. *ibid.*

CAPUT IV.

CONSECTARIA.

I. OBJECTUM, & finis legis civilis eſt temporalis tranquillitas, & bonum Reipublicæ. *ibid.*
II. Quo pacto ad hujus finem aſſequendum perveniat. 106
III. Hinc neque præcipit, neque præcipere poteſt actus interiores. *ibid.*

IV. Eſt regula & menſura actuum humanorum ſubordinata, & dependens ab alia ſuperiore. 107.
V. Non eſt menſura certiſſima, ſed prout poſſibile eſt in genere ſuo. ibid.
VI. Huic ſemper prævalere debet lex, aut præceptum naturale. ibid.
VII. Nunquam approbare poteſt, quod divinæ legi contrarium eſt. ibid.
VIII. Quomodo intelligendum, quod debeat eſſe *poſſibilis*. 108
IX. Semper præſumi debet eſſe poſſibilem, niſi oppoſitum evidenter conſtet. ibid.
X. Sententia de hac re P. Viva, & aliorum Probabiliſtarum rejecta. ibid.
XI. Non obligat, ſi experientia deprehendatur bono communi nociva. ibid.
XII. Neceſſe non eſt, ut in bonum ſingulorum Civium referatur. ibid.
XIII. Neque, ut Legiſlator in ea ferenda commune bonum intendat, ſi in illud reapſe ſit ordinata. 109.
XIV. Quomodo extendatur etiam ad ea, quæ cultum divinum ſpectant. ibid.
XV. Quomodo *congruere religioni* dicatur. ibid.
XVI. Pſeudopoliticorum doctrina impia, ac publico bono perniciosa exiſtimanda. 110.
XVII. Juſta quidem eſſe debet, ſed non ad unumquemque pertinet dijudicare de juſtitia legis. Laxa ſententia Tamburini, aliorumque refutatur. ibid.
XVIII. Duplex genus præceptorum legis civilis. In quod differant, explicatur. ibid.
XIX. Principium quoddam Probabiliſtarum ex doctrina S. Thomæ evertitur. ibid.

CAPUT V.

De lege humana Eccleſiaſtica.

DOCTRINA.

I. DEFINITIO legis Eccleſiaſticæ, & ejuſdem explicatio. 111.
II. In quibus conveniat cum lege civili 112.
III. In quibus a lege civili differat. Primum, & ſecundum diſcrimen. ibid.
IV. Duo alia diſcrimina legis Eccleſiaſticæ, & Civilis notantur. 113.
V. Sapiens monitum SS. Auguſtini, & Thomæ abſtinendum eſſe ab Eccleſia a multiplicandis legibus, quæ Fidelium communitatem obſtringant. 114.
VI. Interdum lex Eccleſiaſtica, & Civilis circa eamdem materiam, at ſub diverſa ratione verſantur. ibid.
VII. Dirimitur quæſtio, an Eccleſia præcipere, aut prohibere valeat actus internos. 115.
VIII. Quædam animadvertuntur circa originem, & notionem Canonum, ſive legum Canonicarum. 117.
IX. De Canonum authoritate diſſeritur, eorumque uſu ad Eccleſiæ regimen, ac morum inſtitutionem. 118
X. Quædam regulæ de his ſtatuuntur. ibid.
XI. Prima regula ſpectans varias Canonum collectiones. ibid.
XII. Secunda regula ſpectans Authores Canonum. ibid.
XIII. Tertia regula: Si Canones aliquid præſcribunt ad jus naturale, aut divinum pertinens, eadem, ac ipſa jura, authoritate pollent. 119.
XIV. Quarta regula: Idem judicium ferendum, ſi juri humano aliquid juris divini admiſceatur. ibid.
XV. Regula quinta: Quo ſenſu intelligendum, *Canones per contrariam conſuetudinem abrogari*. 120.
XVI. Regula ſexta: Non ideo plures Canones abrogati dicendi ſunt, quod eorum obſervantiæ rigorem Eccleſia non urgeat. ibid.
XVII. Regula ſeptima: Si Canones, qui in deſuetudinem abierunt, inſtaurentur, vim rurſum legis acquirunt. 121.
XVIII. Regula octava: Canones uſu Eccleſiæ conſecrati obſervandi omnino ſunt. 122.
XIX. Regula nona: In ſacris Canonibus ſpiritus, ac diſciplinæ ratio præſertim attendenda. ibid.

CAPUT VI.

CONSECTARIA.

I. FINIS, ad quem lex Eccleſiaſtica ordinatur, præ oculis ſemper habendus. ibid.
II. Leges quælibet a Prælatis Eccleſiæ conditæ obſervandæ, niſi a ſuperiore Poteſtate revocentur. 123.
III. Laxa eſt, & improbabilis quorumdam doctrina circa poteſtatem Eccleſiæ in actus internos. ibid.
IV. Propoſitiones quædam Michaelis Molinos de hac re meritiſſime ab Eccleſia damnatæ. 124.
V. Opus virtute ſine interna voluntate elicitum ſubeſſe poteſt excommunicationi Eccleſiæ. ibid.
VI. Damnatione digna videtur Caramuelis opinio, Eccleſiam non poſſe prohibere actus externos propter internos. ibid.
VII. Diſciplina Eccleſiæ eo majori veneratione digna, quo antiquior, & communior. ibid.
VIII. Sacri Canones nedum inſervire debent pro controverſiis Eccleſiaſticis dirimendis: ſed præſertim pro componendis fidelium motibus. 125.
IX. Ex præcepto Concilii Tridentini tenentur Epiſcopi dare operam, ut ad uſum revocent antiquos Canones ſaltem ſuæ Eccleſiæ utiliores, magiſque neceſſarios. ibid.
X. Canones antiqui a Prælatis Eccleſiæ ad uſum revocati obligant ſub peccato. ibid.
XI. Abutuntur eo proloquio, *Canonem per deſuetudinem abrogari*, plures Caſuiſtæ. Exempla de hoc propoſita. 126.
XII. Canones, qui aliquid juris divini naturalis, aut poſitivi involvunt, nunquam totaliter abrogari poſſunt. 127.

CAPUT VII.

De utraque humana Poteſtate, Civili, & Eccleſiaſtica quoad ferendas leges, quæ obligent in foro conſcientiæ.

DOCTRINA.

I. DOCTRINA fidei eſt, Poteſtatibus Civilibus, & Eccleſiaſticis ferendi leges, quæ conſcientiam obligent, ineſſe facultatem. ibid.
II. Evincitur hæc doctrina quoad Civiles Poteſtates ex divinis Scripturis. 1[illegible]3.

III. Quo

III. Quo ſenſu hæc Principum poteſtas a Deo ſit. 129.
IV. In quibus reſideat ferendi leges civiles facultas, definitur. ibid.
V. Poteſtas ferendi leges etiam in Eccleſiæ Rectoribus ex Scripturis adſtruitur. 130.
VI. Quædam adverſus conſtitutas veritates hæreticorum objectiones ſolutæ. 131.
VII. Quibus conveniat poteſtas condendi leges Eccleſiaſticas. ibid.
VIII. An Epiſcopis hujuſmodi poteſtas immediate conveniat. 132.
IX. Regula generalis ſtatuitur de iis, qui legum ferendarum poteſtate fruuntur. ibid.
X. De limitibus, intra quos utraque poteſtas temporalis, & ſpiritualis contineatur. Doctrina S. Thomæ præmiſſa. 133.
XI. Ex Scripturis juxta ejuſdem Sancti Doctoris expoſitionem quæſtio determinatur. ibid.
XII. Illuſtre in hanc rem Papæ Gelaſii teſtimonium aſſertur, & explicatur. 134.
XIII. Sæculares Principes ſunt Eccleſiæ defenſores, ac protectores. 136.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA.

I. SUBDITI obedientiam præſtare tenentur legibus Principum etiam impiorum, ac tyrannorum. Aliquæ de hac re eliquantur difficultates ex doctrina S. Thomæ. 117.
II. Laxa eſt, & damnatione digna plurium Caſuiſtarum ſententia, quoad obligationem legum ſæcularium. 138.
III. Erronea Puſendorfii opinio rejecta de poteſtate Principum ſæcularium in ſpiritualia. 139.
IV. Nemo poteſt ferre leges adverſantes legibus ſui Superioris. 140.
V. Leges Imperatores non obligant, niſi pro regionibus, quarum dominium habet. ibid.
VI. Legiſlator humanus non habet poteſtatem ſtatuendi, niſi quæ ad bonum commune referuntur. ibid.
VII. Quas leges condere valeant Principes tum ſæculares, tum Eccleſiaſtici. ibid.
VIII. Poteſtas Principum ſæcularium non habet in temporalibus ſuperiorem, niſi Deum. ibid.
IX. Principes Chriſtiani temporales in his, quæ ſpiritualia ſunt, ſubjiciuntur legibus Eccleſiaſticis, ſicut cæteri fideles. 141.
X. Hinc utraque poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica abſoluta, & independens ab alia eſt. ibid.
XI. Quinam *gladius* utrique Poteſtati conveniat. ibid.
XII. Epiſcopus poteſtatem habet in propriam Diœceſim, Summo tamen Pontifici ſubordinatam. 142.
XIII. Epiſcopus condere leges poteſt, etiam ſine Capituli, aut Cleri conſenſu. ibid.
XIV. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, mortuo Epiſcopo, leges condere poteſt. ibid.
XV. Quænam poteſtas ſit in Conciliis Nationali, Provinciali, ac Diœceſano. 143.
XVI. Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium legiſlationem propriæ non habent. ibid.
XVII. Etiam in Ordinibus Regularium adeſt poteſtas leges ferendi. ibid.
XVIII. Regula generalis præ oculis habenda circa perſonas poteſtate gaudentes ferendi leges. ibid.
XIX. Quo ſe extendat jus, quo potiuntur Principes ſæculares, ut Eccleſiæ Protectores. 144.
XX. XXI. Quæ vi hujuſce juris *protectionis* præſtare poſſint, ac ſæpe debeant Principes Chriſtiani. 145.

CAPUT IX.

Determinantur ea, quæ legum tum Civilium, tum Eccleſiaſticarum obligationem ſpectant, modumque, quo hæc obligatio adimplenda eſt.

DOCTRINA.

I. LEges injuſtæ non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte aliquando per accidens. 142.
II. Lex condita a Legiſlatore falſo exiſtimante licitam eſſe, nec vera lex eſt, nec obligationem inducit. 147.
III. Lex fundata in præſumptione *facti* non obligat, ſi præſumptio falſa ſit; bene vero fundata in præſumptione *juris*. ibid.
IV. Non eſt in poteſtate Legiſlatoris veram legem condere, quæ ſub aliqua culpa non obliget. 148.
V. Gravitas, aut levitas peccati in tranſgreſſione legis repetenda eſt ex qualitate materiæ. ibid.
VI. Signa, unde colligi poteſt materiæ gravitas, aut levitas. ibid.
VII. Legiſlator humanus nec materiam gravem ſub levi culpa, nec levem ſub culpa gravi præcipere poteſt. 149.
VIII. Tranſgreſſio cujuſcumque legis, aut ſtatuti ex contemptu lethale ſemper peccatum eſt. 150.
IX. Lex mere humana plerumque non obligat cum gravis damni periculo. 151.
X. Aliquando tamen obligare poteſt. Quando ita reapſe obliget. 152.
XI. Quælibet lex humano modo obſervanda eſt, ac juxta finem ipſius intrinſecum. 153.
XII. Actu ex fine, aut circumſtantia vitioſo, & corrupto præceptum non adimpletur. ibid.
XIII. Ex voluntate Legiſlatoris colligendum eſt, an uno, eodemque actu plura præcepta adimpleri valeant. ibid.
XIV. Eodem tempore pluribus præceptis ſatisfieri poteſt. 154.
XV. Peccati reus eſt, qui voluntarie impedimentum apponit, ne legem obſervet. ibid.
XVI Qui integrum præceptum exequi nequit, partem, quam poteſt, exequi debet. 155.

CAPUT X.

CONSECTARIA.

I REJICITUR ſententia Gerſoni tributa nullam humanis legibus, prout humanæ ſunt vim obligandi concedens. ibid.
II. Veræ legis rationem non habet ſtatutum, in quo Legiſlator declarat, ſe nolle ſubditos obligare. 156
III. Improbanda penitus eſt ſententia aſſerens, nunquam peccari in leges humanas, niſi ex contemptu,

temptu , vel cum aliorum ſcandalo. ibid.
IV. Non eſt admittenda quorumdam opinio aſſerentium , Eccleſiaſticas leges graviter non obligare , ſi jubeant ſub pœna excommunicationis non latæ , ſed ferendæ ſententiæ . 157.
V. Idem exiſtimandum , dum jubent ſub pœna ſuſpenſionis , interdicti , vel irregularitatis . ibid.
VI. Audiendus non eſt P. La Croix , dum docet plures formulas , quibus uti ſolent Legiſlatores, non præferre gravem obligationem . ibid.
VII. Si Superior imprudenter præcipiat , aut prohibeat ſub gravi , quod abſolute , & ſelecte levis momenti eſt , injuſtum præceptum erit, nec ſub gravi obligabit . ibid.
VIII. Obligat tamen præceptum iſtud ſub culpa levi . 158.
IX Licet contemptio legis grave ſemper peccatum ſit , leve tamen eſſe poteſt contemptio vel præcepti . ibid.
X. Improbabilis , nimiumque rigida eſt eorum ſententia , qui putant leges humanas ſemper obligare etiam cum periculo vitæ . ibid.
XI. Sanctimoniales tenentur , niſi in caſibus exceptis , ſervare clauſuram etiam cum vitæ periculo. 159.
XII. Carthuſiani poſſunt , ac tenentur comedere carnes , ſi deſint alii cibi ad ſuſtentandam vitam; non vero cum iſti ſuppetunt . ibid.
XIII. Præceptum humanum obligat etiam cum periculo vitæ , ſi jus divinum continet ad ſalutem neceſſarium . 160.
XIV Laxa , & improbabilis eſt ſententia P. Sanchez docentis poſſe pœnitentem ſatisfacere præcepto Confeſſarii injungentis tres Miſſas , ſi illas eodem tempore audiat . ibid.
XV. Merito damnata ab Eccleſia eſt ſententia aſſerens , ſatisfieri præcepto Miſſæ ab eo, qui duas, aut quatuor partes a diverſis celebrantibus audit. ibid.
XVI. Non eſt probabilis eorum opinio , qui docent non peccare , qui impedimentum voluntarie apponit , ne legem obſervet . ibid.
XVII. Sententia quædam Tamburini damnata quoad recitationem Officii . 161.

CAPUT XI.

De legum humanarum promulgatione .

DOCTRINA.

I. LEGES omnes promulgandæ ſunt , ut vim habeant obligandi . ibid.
II. Nulla eſt a natura determinata promulgationis forma . Unde ſufficit , ut facta ſit ſigno aliquo externo , ſenſibili , & publico . 162.
III. Convenientius eſt , ut fiat nedum in Urbe Principis , ſed etiam in Provinciis, Civitatibus. ibid.
IV. Leges Imperatoriæ non obligant , niſi promulgentur in Provinciis , & poſtdnea a promulgatione menſes . Quid de aliis Regnis . 163.
V. Rationes eorum , qui ſentiunt etiam leges Eccleſiaſticas , ſive Pontificias neceſſario promulgandas eſſe in Provinciis , & Diœceſibus . 164.
VI Conveniens quidem eſt hic promulgationis modus , non tamen omnino neceſſarius . 165.
VII. Non una eademque forma ſervata ſemper eſt in Eccleſia quoad promulgationem ſuorum Decretorum . ibid.
VIII. Mos , & conſuetudo quæ hodie invaluit in Eccleſia Romana . 166.
IX. An ad omnes fideles obligandos ſufficiat , ingens eſt inter Doctores diſſidium . ibid.
X. Decreta Pontificum , quæ fidem , & morum regulas ſpectant , obligant , etiam Romæ tantum promulgata . ibid.

CAPUT XII.

CONSECTARIA.

I. SIVE promulgatio credatur eſſe de eſſentia legis , ſive mera conditio , æque lex obligationem inducit . 167.
II. Lex mente Legiſlatoris concepta aut ſcripta , ſuoque etiam ſigillo munita nullam infert parendi obligationem , donec promulgetur . 168.
III. Falſa & abſurda eſt Antonii Terilli ſententia, non eſſe legem promulgatam , quoties de ipſa dubium eſt . ibid.
IV. Lex ſufficienter promulgata obligat etiam ſubditos illam ignorantes . 169.
V. Quamvis qui legem invincibiliter ignorant , a culpa excuſentur , dum eam non obſervant, alios tamen morales effectus producit . ibid.
VI. Imperator derogare aliquando poteſt promulgationis formæ præſcriptæ legibus ſuis . ibid.
VII. Promulgatio facta legum ſuarum , in Curia a Principe legibus Imperii non ſubjecto , ſufficit ad ſubditos obligandos . ibid.
VIII. Subditi non tenentur ad legem obſervandam, niſi elapſo tempore a Principe definito . ibid.
IX. Epiſcoporum leges ſatis eſt, ut obligent , quod promulgentur in Cathedrali . 170.
X. Leges revocatoriæ , dum aliquid jubent , aut vetant , conditionem ſequuntur cæterarum legum, quoad ipſarum promulgationem . ibid.
XI. Peculiari promulgatione non indigent leges revocatoriæ , quæ nihil jubent , aut prohibent. ibid.
XII. Probanda non eſt ſententia illorum , qui lapſum duorum menſium a promulgatione legis exigunt, ut obliget ſive intra, ſive extra Curiam. ibid.
XIII. Omnes parere tenentur Conciliorum , & Pontificum Decretis , dum aliquid ſtatuunt ad fidem, morumque regulas pertinens , etiamſi extra Romam non publicentur . 171.

CAPUT XIII.

De legum humanarum acceptatione , & ſubjectione ad eaſdem .

DOCTRINA.

I. HUMANAS leges non pendere a populi acceptatione , ut obligent , definitum eſt ab Eccleſia adverſus aliquos . ibid.
II. Fundamenta hujus ſententiæ quoad leges tum Civiles , tum Eccleſiaſticas . 172.
III. Objectiones ſolutæ . 173.
IV. De ſubjectione ad leges humanas . Doctrina S. Thomæ præmiſſa , & explicata . 174.

V. Regn-

V. Regulæ quædam conſtitutæ circa eos, qui legibus ſubduntur. Regula prima circa infantes, & amentes. 175.
VI. Regula II. circa Infideles, & hæreticos 176.
VII. Regula III. circa ſubjectionem Regularium ad leges Epiſcoporum. ibid.
VIII. Regulâ IV. Legiſlator tenetur legibus ſuis quoad vim directivam, non autem coactivam. 178.
IX. Regula V. In regimine Ariſtocratico omnes ſubjiciuntur legi quoad utramque vim. ibid.
X. Regula VI. Clerici in temporalibus, ac civilibus non minus ac ceteri, ſubjecti ſunt legibus Principum, exceptis iis, in quibus privilegium ab ipſis conſecuti ſunt. ibid.
XI. Regula VII. Clerici in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis ſolis Eccleſiæ Prælatis ſubjecti ſunt. 180.
XII. Regula VIII. In cauſis Eccleſiarum ordinationes, & Diſciplinam ſpectantibus ſacris Canonibus parendum potius eſt, quam ſæcularium Principum legibus. ibid.
XIII. Regula IX. Peregrini, & vagi non tenentur legibus locorum, e quibus excedunt. 181.
XIV. Regula X. Tenentur vero legibus locorum in quibus verſantur. ibid.
XV. Regula XI. Peccant, qui data opera a proprio territorio ad aliud ſe transferunt, ut obligationem legis effugiant. 182.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA.

I. LEX. ab acceptatione populi pendet, ſi hæc conditio in Principis electione appoſita fuerit. 184.
II. Falſæ, ac damnatæ Eſcobarii propoſitiones circa dependentiam legum a populi acceptatione. 185.
III. In propoſitione ab Eccleſia de hac re damnata continetur ſententia Bonacinæ, ac Valentiæ ibid.
IV. Saltem damnatæ propoſitioni proxima cenſenda eſt quædam exceptio P. Suareſii. ibid.
V. Si lex nimium gravis, & ardua ſit, ſolum recurſus patet ad appellationem, aut ſupplicationem. 186.
VI. Hæreticum dogma eſt; perfectos & juſtos homines non eſſe legibus humanis ſubjectos. ibid.
VII. Peccat Legiſlator legem ſuam abſque cauſa non obſervans. ibid.
VIII. In regimine Ariſtocratico, & Democratico omnes ad legem tenentur etiam quoad vim coactivam. 187.
IX. Generales Ordinum Regularium legibus ſui Ordinis obligantur. ibid.
X. Falſa eſt, prout abſolute proponitur, opinio, de exemptione Clericorum a Poteſtate Sæculari. ibid.
XI. Æque falſa eſt illatio, quam eruit P. Eſcobarius ex prædicta opinione. ibid.
XII. Exemptio, qua in quibuſdam caſibus Clerici gaudent a foro ſæculari, eſt de jure humano. ibid.
XIII. Cauſæ de rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis non ſunt trahendæ ad tribunalia ſæcularia. 188.
XIV. Cauſas Poſſeſſorii in materia beneficiali poſſe ad forum ſæculare pertinere communior ſententia, & uſu a Pontificibus probato confirmata. ibid.
XV. Privilegium fori, quo Clerici fruuntur, vergere non debet in Reipublicæ detrimentum. 189.
XVI. Graviter peccant Clerici, & Religioſi Epiſcopis reſiſtentes Reformationem inducere volentibus. ib.
XVII. Viatores ſervare præcepta debent locorum, per quæ tranſeunt. ibid.
XVIII. Sententia de his, quam ut probabilem tuentur Viva, & Salmanticenſes, improbabilis eſt. ibid.
XIX. Perſonale præceptum ab Epiſcopo impoſitum etiam extra Diœceſim obſervandum eſt. 190.
XX. Sacrum audire tenetur, ubi præceptum urget, qui illud ante diſceſſum commode audire valet. Sententia PP. Salmanticenſium rejecta. ibid.
XXI. Præcepta, quæ territorium afficiunt, tamdiu ſervanda, quamdiu in eo quis moratur. ibid.
XXII. Peccant, qui data opera Mediolanum ſe transferunt, ut conſuetudine non jejunandi fruantur. 191.
XXIII. Non poſſunt abſolvi a caſibus proprio Epiſcopo reſervatis, qui ideo ſe alio conferunt, ut abſolutionem obtineant. ibid.

CAPUT XV.

De legibus quibuſdam humanis peculiaribus, nempe pœnali, irritante, ac tributorum.

DOCTRINA.

I. QUID, & quotuplex ſit lex pœnalis. ibid.
II. Lex pœnalis mixta citra dubium obligat conſcientiam. 192.
III. Niſi tamen pœna *disjunctive* a præcepto, proponatur. ibid.
IV. Ea obligat vel ſub gravi, vel ſub levi culpa juxta materiæ qualitatem. ibid.
V. Etiam lex *pure pœnalis*, cum vera lex eſt, obligat ſub culpa. 193.
VI. Aſſertio valida ratione comprobatur. ibid.
VII. Quando tranſgreſſor pœnam incurrat, ante vel poſt ſententiam Judicis. 194.
VIII. De lege irritante. In Eccleſia, & Republica poteſtas eſt irritandi aliquos actus. ibid.
IX. Duplex lex irritans diſtinguitur. 195.
X. Quamquam irritatio in ſuo conceptu pœna non ſit, aliquando tamen pœnæ rationem habet. ibid.
XI. Signa, quibus dignoſci queat, num actus, qui irritatur, ſimul prohibeatur. 196.
XII. Lex pure irritans illicita reddit, quæ ea irritatione conſequuntur. ibid.
XIII. Ignorantia, & metus non impediunt irritationem actuum. ibid.
XIV. De lege tributorum. Quid ſit tributum, & quotuplex 197.
XV. Poteſtas in Rectore Reipublicæ eſt imponendi, & exigendi a ſubditis tributa. ibid.
XVI. Tanquam falſa, & erronea dicenda eſt quorumdam opinio, qui ſubditos eximunt ab obligatione ſolvendi tributa. ibid.
XVII. Totum præcipuum fundamentum diruitur 198.
XVIII. Num Clerici, ac Religioſi a ſolvendis tributis exempti ſint, & quo jure. 199.

CA-

CAPUT XVI.
CONSECTARIA.

I. FALSA omnino eſt Navarri, aliorumque opinio nullam legem pœnalem obligare conſcientiam. 200
II. Reprobari meretur Patrum Salmanticenſium, & aliorum ſententia, qui legem quamcumque pœnalem, ſi præceptum non exprimat, excludunt a numero legum, quæ obligant ſub peccato. 201.
III. Aliquando leges pœnales ad pœnam ſubeundam obſtringunt ante Judicis declarationem. ibid.
IV. Ignorantia, quæ excuſat a culpa, excuſare etiam ſolet ab incurrenda pœna. ibid.
V. Par omnino eſt, ut etiam in foro exteriore excuſetur a pœna, qui excuſatur a culpa. 202.
VI. Dum leges ſcientiam requirunt, pœna non incurritur, ſi actio cum ignorantia fiat. ibid.
VII. Ignorantia pœnæ an ipſa incurrenda non excuſat. ibid.
VIII. Quælibet lex pœnalis obligat ſub culpa, ni ſi aliter declaret Legiſlator: quo in caſu vera legis rationem non habet. ibid.
IX. Etiamſi pœna diſjunctive ponatur a Legiſlatore, obligat ad culpam, ſi lex jus naturale, aut divinum contineat. ibid.
X. Legiſlator humanus valet obligare ad pœnam tum paſſivam, tum activam, ſi tamen moderata ſit. 203.
XI. Pœnæ aliquando incurruntur ante declarationem criminis, aliquando non. ibid.
XII. Quocumque modo irritatio actus impediatur, actus validus eſt. ibid.
XIII. Quamvis etiam publicus ſit, & ad Judicem delatus. 204.
XIV. Si irritatio fiat in pœnam particularis delicti, effectu caret, dum ex aliqua cauſa culpa ceſſat. ibid.
XV. Si culpa ſubſit, ignorantia irritationis effectum non tollit. ibid.
XVI. Actus facti abſque forma ſubſtantiali a lege præſcripta invalidi, & nulli ſunt. ibid.
XVII. Lex humana ex hoc, quod actum prohibet, ipſum non irritat. 205.
XVIII. Non omnis forma, aut ſolemnitas a lege præſcripta ſubſtantialis actui dicenda eſt. ibid.
XIX. Actus irriti ex jure Civili ob defectum formæ etiam in conſcientia ſæpius irriti ſunt. ibid.
XX. Qui juſta tributa non ſolvunt, nec a peccato, nec a reſtitutione excuſantur. 206.
XXI. Etiamſi non petantur, tributa ſolvenda ſunt. ibid.
XXII. Si dubium occurrat de juſtitia tributi, ſolvendum tributum eſt. ibid.
XXIII. Doctrina P. Tamburini de hac re prorſus reprobanda. ibid.

CAPUT ULTIMUM.

Specimen quarumdam propoſitionum circa leges humanas ex Theologia P. Claudii Lacroixii ſelecta, quæ Principum Auctoritati infeſtæ ſunt, ac bono communi perniccioſa, cum tamen vigore Probabiliſtici ſyſtematis probabiles efficiantur, & in praxi ſecuræ.

I. PAUCA quædam præmittuntur. 207.
II. Prima quæſtio generalis circa leges dubias a Lacroixio propoſita, ac reſoluta juxta Probabiliſtatis principium. 208.
III. Altera quæſtio in dubio promulgationis legis eodem principio reſoluta. ibid.
IV. Reſolutio tertia, cum dubitatur, an lex ſit uſu recepta. Quid ſcribat Matthæus Moja, ad quem Lectores Lacroixius remittit. ibid.
V. Quid reſolvat in dubio, an Legiſlator ſit legitimus Superior. 209.
VI. Quid cum dubium eſt, an aliquid præcipere poſſit. Sententia P. Caſtropalai. ibid.
VII. Quid in dubio de juſtitia legis. 210.
VIII. Quid in dubio, an lex præceptum contineat, an vero conſilium. ibid.
IX. Quid in dubio, an adſit, necne ſufficiens, cauſa excuſans a legis obligatione. 211.
X. Quid cum probabile eſt ex utraque parte, num legem impleverim, vel non. ibid.
XI. Quid reſolvat circa obſervantiam legis, durante appellatione, aut ſupplicatione facta ad Legiſlatorem. ibid.
XII. Quid dum Legiſlator fruges, aut arma efferre ex patria prohibuit. ibid.
XIII. Quid de obligatione Clericorum ſelate ad leges civiles. 212.
XIV. Quid de ignorante pœnam tranſgreſſioni legis adjectam. ibid.
XV. Probabilis juxta Lacroixii ſyſtema eſt ſententia, quæ negat leges tributorum obſtringere ſubditorum conſcientias. ibid.
XVI. Probabilis item non obligare conſcientiam, ſi dubitetur de juſtitia tributi, ſive dubium ſit negativum, ſive poſitivum. 213.
XVII. Indoles, & natura Probabiliſmi ex allatis reſolutionibus oſtenſa. ibid.
Reflexio. 214.

DISSERTATIO QUARTA.

DE LEGUM HUMANARUM MUTATIONE, INTERPRETATIONE, CESSATIONE, DISPENSATIONE, ET CONSUETUDINE.

CAPUT PRIMUM.

De mutatione legum humanarum, ſive abrogatione earumdem.

DOCTRINA.

I. DEFINITIO mutationis proprie dictæ legis humanæ. 217.
II. Doctrina S. Thomæ, qua declarat, & probat, leges humanas mutationi ſubjectas eſſe. 218.
III. Non ſine tamen gravi cauſa leges mutandæ ſunt. ibid.
IV. Si nihilominus hæc gravis cauſa deſit, valida abrogatio a legitima poteſtate facta cenſenda eſt. 219.
V. Qui legem condidit, legem quoque mutare, aut abrogare valet. ibid.

VI. Prin-

VI. Princeps ſuperior poteſt legem inferioris abrogare, ſi ei in ſua poteſtate ſubordinetur. *ibid.*
VII. P. Franciſci Suarez ſententia de hac re in vero, ac legitimo ſenſu explicata. 220.
VIII. Inferior abrogare nequit legem Superioris. *ibid.*
IX. Quando poteſtas inferior abrogare poſſit legem ſuam a ſuperiore confirmatam. *ibid.*
X. Quid neceſſe ſit, ut leges cenſeantur a Principe mutatæ, aut abrogatæ. *ibid.*

CAPUT II.

Corollaria præcedentis Doctrinæ.

I. IN hoc præcipue lex humana a naturali diſtinguitur, quod ſit mutationi ſubjecta. 221.
II. Non ideo tamen a propriæ legis ratione excidit. *ibid.*
III. Peccat Legiſlator, qui abſque gravi, & urgenti ratione mutat, aut abrogat leges. 222.
IV. Haud licet Prælatis Eccleſiæ Canones abrogare, qui perpetuo uſu conſecrati ſunt. *ibid.*
V. Nec ſine gravi cauſa antiquis legibus derogare fas eſt. *ibid.*
VI. Si juſta cauſa legem mutandi ſuppetat, nihil obſtare debet breve tempus elapſum a condita lege. *ibid.*
VII Summus quidem Pontifex, non ita vero Archiepiſcopus Epiſcoporum leges abrogare poteſt. 223.
VIII. Epiſcopus leges etiam in Synodo Diœceſana conditas abrogandi poteſtatem habet. *ibid.*
IX. Laicæ perſonæ nullo jure potiuntur abrogandi, aut derogandi leges Eccleſiaſticas. *ibid.*
X. Poteſtates ſubjectæ non poſſunt aliquid ſtatuere, quo Principum ſuorum legibus detrahatur. *ibid.*
XI. Lex poſterior ſive univerſalis, ſive ſpecialis abrogat, aut derogat priorem. 224.
XII. Non ita vero lex prior particularis derogatur a poſteriore univerſali, niſi expreſſe declaretur. *ibid.*

CAPUT III.

De legum interpretatione.

DOCTRINA.

I. QUID, & quotuplex ſit interpretatio legis. *ibid.*
II. Leges humanæ admittunt interpretationem *doctrinalem*, quæ certa nonnunquam eſt, & obligationem inducit. 225.
III. Regulæ aliquæ pro hac interpretatione: Prima: In lege attendenda maxime eſt verborum proprietas, & nativa ſignificatio. *ibid.*
IV. Regula ſecunda: Proprietas verborum ſumenda potius ex ſenſu, quo accipiuntur in jure, quam in vulgari ſermone. *ibid.*
V. Tertia: ſi voces ambiguæ ſint, ex cauſa legis ejus intelligentia potiſſimum repetenda 226.
VI. Quarta: Quacunque ratione mens Legiſlatoris perſpecta ſit, juxta illam lex interpretanda. *ibid.*
VII. Quinta: Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea accipienda, quæ gerendæ rei eſt aptior. *ibid.*
VIII. Sexta: Lex in favorabilibus amplianda: in odioſis reſtringenda. *ibid.*
IX. Septima: Ratio a Legiſlatore adjecta in lege ferenda, quamvis ſe ſola inſufficiens, plurimum confert ad hauriendam intelligentiam legis. 227.
X. Quænam identitas rationis neceſſaria ſit ut lex ad alios caſus extendatur. *ibid.*
XI. Statuitur, quid dicendum ſit de extenſione damnationis propoſitionum factæ a Summis Pontificibus, cum eadem militat ſimilitudo, & identitas rationis in aliis haud expreſſe damnatis. 228.
XII. Etiam in legibus pœnalibus locum habere poteſt extenſio ad alios caſus ob identitatem rationis. *ibid.*

CAPUT IV.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

I. INTERPRETATIO legum *authentica* nedum fit ab eo, qui legem tulit, ſed etiam a ſucceſſore in eadem authoritate, & poteſtate. 229.
II. Etiamſi fiat cum aliqua mutatione in verbis, & ſenſu legis. *ibid.*
III. Interpretatio *uſualis* plurimum deſervit ad legitimum ſenſum legis cognoſcendum, & interdum æquivalet *authenticæ*. 230.
IV. Dum Legiſlator ſuæ legis interpretationem vetat, nulli licet eam interpretari. Sententia P. Caſtropalai & Salas rejecta. *ibid.*
V. Lex non odioſa extendenda eſt per ſe ad omnia, quæ in verbis legis nativo ſenſu explicatis comprehendi poſſunt. *ibid.*
VI. Nedum extendi poteſt lex favorabilis ad omnia comprehenſa in lege juxta proprietatem verborum naturalem, verum etiam *civilem*. *ibid.*
VII. Extendenda quoque eſt ad caſus fictos *fictione juris*. *ibid.*
VIII. Si extenſio ſenſum legis excedat, ordinarie admittenda non eſt 231.
IX. Exemplum de non extendenda lege ob ſimilitudinem rationis ad caſum non comprehenſum in ipſa lege. *ibid.*
X. Caſus, in quibus eadem adæquata ratio militat, cur in lege comprehendi debeant. *ibid.*
XI. Cum identitas rationis ſpecifica eſt, alii caſus ſimiles comprehenduntur in lege. *ibid.*
XII. Probabiliſtarum ſententia ſaltem *virtualiter damnata* cenſenda omnino eſt ob rationis identitatem cum prima propoſitione ab Innocentio XI. in ſuo Decreto proſcripta. *ibid.*

CAPUT V.

De Epicheja, ſive Æquitate.

DOCTRINA.

I. DOCTRINA S. Thomæ quoad Epichejam, ſive æquitatem. 233.
II. Epichejæ definitio expoſita. 234
III. Objectum Epichejæ. *ibid.*
IV. Primum S. Thomæ documentum circa ea, quæ ad Epichejam pertinent. 235.

V. Al-

V. Alterum documentum S. Thomæ de eadem materia. ibid.
VI. Tertium ejuſdem documentum, quando liceat ex Epicheja interpretari legem. ibid.
VII. Quomodo faciendum judicium *de bono, & æquo*. ibid.
VIII. Non omnium eſt de æquo, & bono recte judicare. 236.
IX. Regulæ, quæ huic judicio dirigendo inſervire poſſunt, ex jure Canonico depromptæ. ibid.
X. Regulæ in eumdem finem hauſtæ ex jure Civili. 238.
XI. Sententiæ plures ex variis Marci Tullii libris collectæ naturali æquitati admodum conſentaneæ. 240

C A P U T VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. CONFUNDI minime debet interpretatio legis cum Epicheja. 242.
II. Ideo Epicheja verba legis prætermittit, quia id poſtulat juſtitiæ ratio, & bonum commune. 243.
III. Falſa eſt doctrina P. Vivæ putantis, locum eſſe Epichejæ, quoties finis legis ſolum etiam negative ceſſet. ibid.
IV. Falſa itidem alia ejuſdem Vivæ opinio admittentis in Epicheja uſum minoris probabilitatis. P. Suarez ab hac opinione ipſi a Viva tributa vindicatus. ibid.
V. Neque in æquali utrinque probabilitate, ſive in dubio Epicheja uti licet. 244.
VI. Nullus eſt proprie Epichejæ locus in lege naturali, aut etiam divina poſitiva. 245.
VII. Etiam in humanis legibus irritantibus, & actum prohibentibus nullus eſt Epichejæ locus. ibid.
VIII. Locum Epicheja habere aliquando poteſt, tametſi non agatur de detrimento boni communis, ſed privati. ibid.
IX. Licet nonnumquam uti Epicheja, ſi firmum formari queat de voluntate Legiſlatoris approbantis judicium. ibid.
X. Hinc regulæ quædam conſiderandæ ſunt pro recto Epichejæ uſu. 246.

C A P U T VII.

De ceſſatione legis humanæ.

D O C T R I N A.

I. PLURIBUS modis lex humana totaliter deſinere poteſt. ibid.
II. Explicatur duplex modus, quo finis legis poteſt deſinere, *contrarie* ſcilicet, & *negative*. 247.
III. Si finis, aut ratio legis *contrarie* deſinat, lex omnino ceſſat. ibid.
IV. Duplex finis legis diſtinguendus, alius intrinſecus, extrinſecus alius. ibid.
V. Dum perſiſtit finis intrinſecus natura ſua honeſtus, lex non ceſſat, quamquam ceſſet finis extrinſecus. 248.
VI. Si actio a lege præcepta ſuapte natura ſit indifferens, ceſſante fine ſibi a Legiſlatore præfixo, ceſſat ipſamet lex. ibid.
VII. Si tamen finis ceſſet univerſim reſpectu totius Communitatis, non autem relate ad particularem perſonam. Veritas hujus ſententiæ comprobata. 249.
VIII. Abſurda, quæ ex adverſa ſententia profluunt, paucis indicantur. ibid.
IX. Elevantur adverſariorum momenta. ibid.

C A P U T VIII.

CONSECTARIA. DOCTRINÆ PRÆCEDENTIS.

I. SI finis legis humanæ *contrarie* ceſſet, ut injuſta fiat, obſervari nequit citra peccatum. 250.
II. Si certo conſtat legem deſiiſſe, quamvis ſine peccato obſervari queat, nullus ad eam obſervandam tenetur. ibid.
III. Oportet, ut lex deſiiſſe judicetur, quod ceſſatio omnibus manifeſta ſit. ibid.
IV. Dum finis legis univerſim etiam *negative* ceſſat, opus non eſt declaratione Legiſlatoris, ut lex non amplius obliget. 251.
V. Solida non eſt Juriſtarum quorumdam de hac re diſtinctio. ibid.
VI. Ceſſare lex poteſt quoad unam partem, non vero quoad aliam. ibid.
VII. Si actio præcepta de ſe honeſta eſt, in ea ſpecie virtutis per legem conſtituitur, cujus eſt honeſtas ipſius: ſi autem indifferens, ex fine Legiſlatoris honeſtatem recipit. ibid.
VIII. Probabilis dicenda non eſt ſententia aſſerens, ceſſante *negative* fine legis in particulari, ceſſare legis obligationem. 252.
IX. Improbatur modus ſe gerendi P. Vivæ in falſa hac ſententia referenda. ibid.

C A P U T IX.

De diſpenſatione a lege.

D O C T R I N A.

I. PRÆMITTITUR doctrina S. Thomæ circa diſpenſationem a lege. ibid.
II. Sancti Thomæ doctrina amplius expoſita. Definitio diſpenſationis. 253.
III. Diſpenſationis diviſio, ac neceſſitas, ut quis a lege ſolvatur. 254.
IV. Regulæ in diſpenſatione obſervandæ. Regula prima: Præcepta juris naturæ nullam admittunt proprie dictam diſpenſationem. 255.
V. Regula II. Nulla poteſtas humana in lege divina poſitiva diſpenſare valet. 256.
VI. Regula III. Nec Eccleſiæ, nec Summo Pontifici commiſſa a Deo poteſtas eſt, diſpenſandi in iis, quæ ſunt juris divini. 257.
VII. Regula IV. Legiſlator humanus in legibus ſuis, & prædeceſſorum ſuorum diſpenſare poteſt. 258.
VIII. Regula V. Inferior poteſtate caret diſpenſandi in lege Superioris, niſi ipſi concedatur. ibid.
IX. Regula VI. Qui poſſunt diſpenſare cum aliis, poſſunt etiam cum ſemetipſis. 259.
X. Regula VII. Peccat Superior, qui abſque juſta cauſa diſpenſationem impertitur. ibid.
XI. Regula VIII. Quænam cenſenda ſit juſta diſpenſandi cauſa. 260.

Digitized by Google

XII. Regula IX. Inferior nedum illicite, ſed etiam invalide in lege ſuperioris diſpenſat. ibid.
XIII. Regula X. Diſpenſationes ſine juſta cauſa conceſſæ etiam a Superiore plerumque invalidæ, & nullæ ſunt. 261.
XIV. Regula XI. Invalidæ ſemper ſunt diſpenſationes a Sacris Canonibus, dum jus in ipſis naturale, vel divinum poſitivum immiſcetur. 262.
XV. Regula XII. Nullius valoris eſt diſpenſatio ſubreptitia, & obreptitia. 263.
XVI. Regula XIII. Ceſſante cauſa diſpenſationis, & ipſa diſpenſatio ceſſat. 264.
XVII. Regula XIV. Diſpenſatio non ceſſat morte concedentis. 265.
XVIII. Regula XV. Diſpenſator revocare poteſt, & aliquando debet diſpenſationem. ibid.
XIX. Regula XVI. Ceſſat diſpenſatio, dum ipſi diſpenſatus renunciat, ſi non eſt in damnum tertii. ibid.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. INtelligenda ſunt de diſpenſatione minus proprie dicta, quæ proſtant in Scripturis, exempla diſpenſationis in lege naturæ. 266.
II. Neceſſe non eſt, ut inferior diſpenſare nequeat in lege ſuperioris, quod hic expreſſe diſpenſationem reſervaverit. 267.
III. Si dubium ſit de facultate diſpenſandi in lege, inferior diſpenſare non poteſt. ibid.
IV. Qui diſpenſare in lege poteſt, poteſt etiam commutare. ibid.
V. Delegatus alteri committere nequit diſpenſandi poteſtatem. ibid.
VI. Superior non poteſt a lege diſpenſare, niſi proprios ſubditos. ibid.
VII. Diſpenſatio limitari potius debet, quam extendi ultra rigorem verborum. 268.
VIII. Sola Superioris taciturnitas ſatis non eſt, ut diſpenſatio collata cenſeatur. ibid.
IX. In legibus Concilii Provincialis nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi, qui ad illud convenere, diſpenſare valent. ibid.
X. Falſa eſt aliquorum ſententia dicentium, venialiter ſolum abſolute peccare Superiorem diſpenſantem abſque cauſa. 269.
XI. Quare in periculo ſalutis verſantur Prælati nimium faciles in diſpenſationibus concedendis. 270.
XII. Etiam Superiores Regulares in ſalutis periculo ſunt in religioſis obſervantiis facillime diſpenſantes. ibid.
XIII. Quamquam ampliſſima ſit Summi Pontificis in diſpenſando poteſtas, & ipſa tamen ſuis limitibus coarctatur. ibid.
XIV. Nedum illicitæ, ſed etiam invalidæ ſunt diſpenſationes contra juſtitiam, & Religionem. ibid.
XV. Diſpenſationes ſine cauſa conceſſæ, licet validæ ſint in foro externo, ſunt invalidæ in foro conſcientiæ. 272.
XVI. In diſpenſationibus doctrina S. Thomæ præ oculis habenda. 273.
XVII. Si ſubſit legitima diſpenſandi cauſa, diſpenſatio valida eſt a Superiore conceſſa, licet eam ignoret, aut ad eam non attendat. ibid.
XVIII. Aliquando peccat Superior abſque cauſa diſpenſationem denegans. ibid.
XIX. Abſurda dicenda eſt quorumdam opinio poſſe mulcta pecuniaria compenſari defectum cauſæ in diſpenſando. 274.
XX. Nulla eſt obtenta diſpenſatio, ſi in petitione facti veritas non exponatur. ibid.
XXI. Ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio. ibid.
XXII. Sententia PP. Salmanticenſium de hac re rejecta. ibid.
XXIII. Inferior revocare nequit diſpenſationem a ſuperiore conceſſam. ibid.
XXIV. Non eſt neceſſe ad valorem diſpenſationis, ut petitio præcedat. 275.
Appendix, ubi formulæ aliquæ exhibentur pro petendis diſpenſationibus. ibid.

CAPUT XI.

De Privilegiis.

DOCTRINA.

I. PRIVILEGII definitio. 276.
II. Multiplex privilegiorum diviſio proponitur. 227.
III. Solus ille privilegium conferre poteſt, qui poteſt condere legem. 279.
IV. Poteſtas conferendi privilegia intra aliquos limites continetur. ibid.
V. Etiam Epiſcopi, aliique Prælati conferre privilegia poſſunt. ibid.
VI. Quid cavere debeant Prælati Eccleſiæ in privilegiis concedendis. ibid.
VII. Epiſcopi auferre non poſſunt privilegia a S. Sede Regularibus conceſſa. 280.
VIII. Privilegia Regularium non debent præjudicium inferre juribus Eccleſiarum. 281.
IX. Conſuetudo legitima aliquando inducit privilegium. 282.
X. Quilibet ſubditus, & etiam inferior capax eſt privilegii recipiendi. ibid.
XI. Privilegium iis tantum conceditur, qui expreſſe nominantur. ibid.
XII. Cauſa juſta requiritur, ut licita ſit privilegii conceſſio. ibid.
XIII. Privilegium derogans juri communi reſtringendum potius, quam ampliandum. 283.
XIV. Privilegia certis perſonis conceſſa non ſunt ad alios extendenda ob rationis paritatem. ibid.
XV. Pluribus modis privilegium irritum, & inane eſt. ibid.
XVI. Ad robur privilegii obſcuri quadraginta annorum præſcriptio ſufficit. 284.
XVII. Ceſſat privilegium, ſi non ponatur conditio adjecta. ibid.
XVIII. Privilegia revocari poſſunt ab eo, qui conceſſit. ibid.
XIX. Quando ſufficiat, nec ne clauſula generalis revocationis privilegii. 285.

Digitized by Google

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. NON eſt de ſubſtantia privilegii, ut ſcripto mandentur. ibid.
II. Nullam fidem facit privilegium, alludve inſtrumentum, cujus litteræ legi non poſſunt. 286.
III. Privilegium differt a Reſcripto Pontificio etiam favorabili. 287.
IV. Diſpenſatio permanens, ſive ad nudum privatæ legis conceſſa, cum privilegio confunditur, & ab eo non diſtinguitur. ibid.
V. Duo requiruntur ad privilegii perpetuitatem, nempe quod ſimpliciter, & abſolute concedatur, & quod adhæreat rei de ſe perpetuæ. ibid.
VI. Deſtructa Eccleſia ex mandato Superioris, perit privilegium: non autem ſi deſtruatur ex alio capite. 288.
VII. Privilegium conceſſum in foro pœnitentiali non extenditur ad contentioſum. ibid.
VIII. Privilegium præjudicans juri acquiſito tertii reſtringendum eſt. ibid.
IX. Privilegium a S. Sede conceſſum non derogat juri Epiſcoporum, niſi exprimatur. ibid.
X. Qui per privilegia Sedis Apoſtolicæ ſe exemptos aſſerunt, requiſiti ab Ordinariis locorum, tenentur oſtendere privilegia ſua. ibid.
XI. Propter vitium, & abuſum perſonalem privilegium ſubtrahi poteſt. 289.
XII. Falſa, & juribus Sæcularium Principum infeſta eſt ſententia P. Eſcobarii, revocari non poſſe privilegia ab iiſdem Regularibus conceſſa. ibid.
XIII. Regulares uti non poſſunt privilegiis a Tridentina Synodo revocatis. Contraria ſententia ab Alexandro VII. damnata. ibid.
XIV. Falſa eſt ſententia aſſerens, Regulares uti poſſe, ſaltem in foro conſcientiæ, iiſdem privilegiis ob conceſſionem factam a Sede Apoſtolica. ibid.
XV. Nec in regionibus, ubi non omnia Concilii decreta recepta ſunt, uti licet iiſdem privilegiis revocatis. 290.
XVI. Nedum expreſſe, ſed etiam tacite revocari privilegia poſſunt. ibid.
XVII. Hinc revocata cenſenda ſunt a Concilio Tridentino privilegia, quæ pugnant cum legibus ab ipſo editis. ibid.
XVIII. Merito proſcripta eſt ſententia aſſerens, poſſe Regulares abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis. 291.
XIX. Commentitia eſt ratio, qua probant aliqui, Privilegia Regularium eſſe irrevocabilia. ibid.
XX. Quædam rejiciuntur, quæ habet P. Lacroixius. 292.

CAPUT XIII.

De Conſuetudine.

DOCTRINA.

I. DOCTRINA S. Thomæ *de conſuetudine* præmiſſa. 293.
II. Conſuetudinis definitio expoſita, ac diſcrimen ipſius ab aliis, quæ aliquam cum ea analogiam habent. 294.
III. Multiplex conſuetudinis diviſio explicata. 295.
IV. Regulæ ſtatuuntur circa conſuetudinem. Prima Regula: Nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra jus naturale, & divinum. 296.
V. Æque obligare poteſt, ac lex humana ſcripta, ſi conditiones neceſſariæ concurrant. 297.
VI. Prima conditio, ut legis rationem habeat, quod ſit utilis communi bono. 298.
VII. Secunda conditio: Frequentia actuum. ibid.
VIII. Tertia conditio: Debet induci a Communitate perfecta. ibid.
IX. Quarta conditio: Oportet, ut inducatur a populo animo ſemet obligandi. ibid.
X. Conditio quinta: Diuturnum tempus effluat neceſſe eſt. 299.
XI. Obtinere nequit vim legis abſque aliquo aſſenſu Principis. ibid.
XII. Conſuetudo ceſſare poteſt, & abrogari, ſicut quælibet lex humana. 300.
XIII. Vim habet interpretandi legem, etiam aliquando divinam. 301.
XIV. Conſuetudo legitima legem humanam abrogare valet. ibid.
XV. Corruptelæ dicendæ ſunt quædam conſuetudines contra Canones, & leges Eccleſiæ, quas idcirco abrogare non poſſunt. 302.
XVI. Conſuetudo a quibuſvis inducta prævalere non poteſt adverſus conſuetudines univerſæ Eccleſiæ. 303.
XVII. Plures etiam conſuetudines peculiarium Eccleſiarum nec abrogavit oppoſita plurium conſuetudo, nec fortaſſis abrogatura eſt. 304.
XVIII. Conſuetudines ſuperfluæ, & inutiles amputandæ, ſi id fieri queat ſine tumultu, & ſcandalo. ibid.
XIX. Conſuetudines vel comuni bono, vel pietati faventes fovendæ ſunt, niſi forte majus inde detrimentum timeatur. 305.

CAPUT XIV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. EODEM modo relate ad conſuetudinem ſentiendum de actibus, & actuum omiſſione. ibid.
II. Conſuetudo non inducitur, niſi ſaltem a majore parte Communitatis. 306.
III. Multitudo etiam Superiori ſubjecta introducere poteſt conſuetudinem vim legis habentem. ibid.
IV. Neceſſaria non eſt notitia juridica conſuetudinis ad inducendam legem. ibid.
V. Induci nequit conſuetudo actibus cum ignorantia, & errore elicitis. 307.
VI. Conſuetudo præſcripta jus inducit, etiam ſine aſſenſu perſonali Principis. ibid.
VII. Spatium non interruptum decem annorum ſatis eſt ad præſcribendam conſuetudinem. ibid.
VIII. Sententia PP. Salmanticenſium de hac rejecta. ibid.
IX. Alia eorumdem ſententia improbatur. 308.
X. Colligitur diſcrimen inter præſcriptionem bonorum, & conſuetudinis. ibid.

XI. Alii.

Digitized by Google

XI. Aliquando conſuetudo invehitur in una Provincia, vel Civitate, & non in alia, licet eidem Domino ſubjecta. *ibid.*
XII. Sæpe conſuetudo non totam legem auferr, ſed partem tantum ipſius. *ibid.*
XIII. Conſuetudo vim legis obtinens æque obligat eos, qui ad Communitatem pertinent. *ibid.*
XIV. Hinc etiam tum laicos, tum Clericos obligare ſolet. 309.
XV. Admittenda non eſt quorumdam opinio duos, aut tres actus ſatis eſſe putantium ad conſuetudinem inducendam. *ibid.*
XVI. Plures ſunt laudabiles conſuetudines ſola devotione invectæ, quæ non pariunt obligationem. *ibid.*
XVII. In dubio, num conſuetudo inducta ſit ex devotione, vel ex præcepto, obſervanda eſt. *ibid.*
XVIII. Nulla conſuetudo prævalere poteſt contra jus divinum, ac naturale. 310.
XIX. Conſuetudines, quæ vel quidpiam ſuperſtitioſum continent, vel aliquid divino juri repugnans, evellendæ ſunt ab Eccleſiæ Paſtoribus. *ibid.*
XX. E contra haud facile mutandæ, quæ neque fidei, neque bonis moribus adverſantur. *ibid.*
XXI. Magna adhibenda cura eſt a Prælatis Eccleſiæ in judicandis, ac diſcernendis conſuetudinibus, quæ reſecari, aut non reſecari merentur. *ibid.*
Reflexio. 311.

TRACTATUS SECUNDUS

DE ALTERA REGULA MORALIUM ACTIONUM, NEMPE

RATIONE HUMANA.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Ratione, quatenus regula eſt humanarum actionum.

DOCTRINA.

I DEFINITIO rationis, ut regula eſt humanorum actuum. 314.
II. Secundaria tantum, & ſubordinata regula eſt. 315.
III. Regula eſt, quatenus primam regulam recte applicat ad actiones humanas; qua ſi deflectat, nec vere regula eſt, nec actio erit honeſta. *ibid.*
IV. Non eſt regula ſecundum ſe ſolam inſpecta, ſed quatenus primas ideas habet boni, & mali ſibi a Deo naturaliter impreſſas. 316.
V. In hiſce ideis, ſive principiis naturaliter inditis proprie conſiſtit habitus ille, qui vocatur *ſynderesis*, & rationem informat. *ibid.*
VI. Synderesis notio exhibetur; & quid vere ſit, exponitur ex S. Thoma. *ibid.*
VII. Ut prima principia recte applicentur ad actiones ſingulares, prudentia neceſſaria eſt. 317.
VIII. Hæc proinde cognoſcat oportet, tum principia prima, tum ſingulares actiones, ad quas eadem applicare debet. *ibid.*
IX. Quo pacto id efficit, declaratur. *ibid.*
X. Tres ſunt prudentiæ actus, *conſilium*, *judicium*, & *imperium*, quod cæteris principalius eſt. *ibid.*
XI. Plures prudentiæ partes, ſive affectiones diſtinguuntur, quibus prudentia utitur, ut rite fungatur officio ſuo. 318.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I FALLUNTUR ii Theologi, qui bonitatem moralis actionis ultimo revocant in rationem humanam. *ibid.*
II. Principia practica, ex quibus ratio de rerum bonitate, aut pravitate judicat, certiſſima ſunt. 319.
III. Ea ſub diverſo reſpectu pertinent tum ad *rationem* tum ad *ſynderesim*. *ibid.*
IV. Synderesis nunquam in homine extinguitur, ſed firma, & immobilis permanet. 320.
V. Principia naturaliter nota, quorum habitus eſt *ſynderesis*, ſunt fines virtutum moralium. *ibid.*
VI. Ut ratio regula ſit humanorum actuum, neceſſe eſt, ut ſit informata prudentia. *ibid.*
VII. Prudentia, ut recte applicet univerſalia principia ad particulares concluſiones rerum agendarum, requirit appetitum bene diſpoſitum circa fines aliarum virtutum. *ibid.*
VIII. Certitudo prudentiæ tanta non eſt, quin ſollicitudini locus ſit. 321.
IX. Falſo aliqui prudentiam reſtringunt ad bonum proprium cujuſque. *ibid.*
X. Imperfecta quidem, at non perfecta poteſt eſſe in peccatore prudentia. *ibid.*
XI. In juſtis omnibus perfectam prudentiam admittere oportet. *ibid.*

XII. De-

Digitized by Google

XII. Docilitas proprie ad prudentiam pertinet. 322.
XIII. Ad rectum conſilium exigitur tum bonus finis ſibi ab homine præſtitutus, tum idonea media ad illum conſequendum. ibid.
XIV. Neceſſe maxime eſt, quod homo in inquiſitione conſilii dirigatur a Deo. ibid.
XV. Imprudentia ſemper eſt peccatum, aliquando quidem mortale, aliquando veniale. ibid.
XVI. Quodnam ſit ignorantiæ ab imprudentia diſcrimen 323.
XVII. Inconſtantia præcipuo actui prudentiæ opponitur. ibid.
XVIII. Quomodo negligentia opponatur prudentiæ. ibid.
XIX. Quid ſit *prudentia carnis*, prout eam vocat Apoſtolus. ibid.
XX. Prudentia *carnis* eſt, quod quis relicta opinione probabiliori, ac tutiore, minus tutam, ac probabilem eligat. 324.

CAPUT III.

De inquirenda veritate in judiciis de rebus agendis, ut RATIO recta ſit regula humanorum actuum.

DOCTRINA.

I. S. Bernardi ſententia de veritatis neceſſitate in rerum electione. 325.
II. Differentia veritatis ſpeculativæ, & practicæ. ibid.
III. Practica veritas non eſt inventu impoſſibilis, aut valde difficilis. 326.
IV. Præceptum eſt in divinis Scripturis propoſitum inquirendæ veritatis in actionibus moralibus. 327.
V. Idem præceptum Patrum Eccleſiæ traditione comprobatum. ibid.
VI. Ratio Theologica præceptum idem confirmat. 329.
VII. Quænam & quanta adhiberi debeat cura, ac diligentia pro invenienda veritate, diſquiritur. ibid.
VIII. Quædam præmittitur egregia doctrina P. Michaelis de Elizalda. ibid.
IX. Regula generalis: Ea cura adhibenda eſt in inquiſitione veritatis, quæ adhiberi conſuevit in negotiis gravioribus. 331.
X. Quo major, & urgentior eſt obligatio aliquid faciendi, eo major, ac urgentior eſt obligatio veritatem inquirendi. ibid.
XI. Quænam comprehendat inquirendæ veritatis obligatio. ibid.
XII. Neceſſe non eſt ad prudenter agendum, ut omnis penitus ejecta ſit deceptionis trepidatio. ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. DELIRIUM eſt Scepticorum, & Pyrrhonicorum veritatem moralem inveniri minime poſſe contendentium. 332.
II. Sola veritas regula eſt in actibus humanis electionis rectæ. 333.
III. Abſurditatis plena eſt, quam P. Carolus Caſnedi habet, ad Chriſtum Jeſum allocutio de hoc argumento. ibid.
IV. Qui modernum Probabiliſmum veluti ſuarum actionum regulam confectantur, diſcipuli *Magiſtri veritatis* vocari minime poſſunt. ibid.
V. Ut bonæ reapſe ſint actiones noſtræ, neceſſe eſt quod cum æterna Dei lege conformentur. 334.
VI. Ex hoc falſitatis convincitur plurium Confeſſariorum, & Chriſtianorum praxis. ibid.
VII. Diligentia in inquirenda veritate morali non id ſolum complectitur, quod viribus naturalis facultatis præſtare poſſumus, ſed etiam quod viribus divinæ gratiæ. ibid.
VIII. Tres hominum claſſes diſtinguuntur, qui ex propria culpa veritatem non inveniunt. 335.
IX. Si ea, quæ præſtare oportet, exequamur, veritatem moraliter inveniemus. ibid.
X. Ex confeſſione ſapientiorum Probabiliſtarum ſequitur, teneri nos ad opiniones veriſimiliores amplectendas. ibid.
XI. A veritate longe recedunt, qui ſententiam, quam falſam judicant, ob authoritatem aliorum ſequuntur. 335.
XII. Secura nullatenus eſt regula reſolvendi conſcientiæ caſus, ac dirigendi actiones hominum per ſolam probabilitatem opinionum. ibid.
XIII. Nullum ſtudium, & curam veritatis ſe habere produnt, qui ad conſulentium voluntatem contrarias opiniones accommodant. 337.
XIV. Non minus veritatem ſe cordi non habere oſtendunt, qui plures Doctores conſulunt, ut aliquem ad placitum loquentem inveniant. ibid.
XV. Monſtroſa cenſenda eſt doctrina Tamburini, aliorumque docentium modo unam, modo aliam in eadem re amplecti nos poſſe opinionem. 338.
XVI. Quæcunque ſit actionis materia, ſolliciti debemus eſſe de veritate acquirenda. ibid.
XVII. Major tamen de eadem cura ſit oportet, dum majoris momenti materia eſt. 339.
XVIII. At non exigitur, ut hæc extraordinaria ſit, & præter communem agendi modum. ibid.
XIX. Prudentia in his maxime neceſſaria eſt. ibid.
XX. Vana, & fallaciſſima eſt certitudo, & ſecuritas, quam in agendo promittunt nuperi Probabiliſtæ. 340.
Reflexio. ibid.

CAPUT V.

De viis, ac mediis inveniendi morales veritates, quibus dirigendæ ſunt humanæ actiones.

DOCTRINA.

I. PULCHRA S. Auguſtini ſententia quoad inventionem veritatis. 341.
II. Primum medium pro invenienda practica veritate, ſedula conſideratio, & inquiſitio divinæ legis. 342.
III. Non pertinet ad ſolos viros Religioſos, ſed etiam ad ſæcularem vitam agentes. ibid.
IV. Medium alterum inveniendæ veritatis, paſſionum, & affectuum dominantium compreſſio. 343.
V. Voluptas carnalis maxime perturbat judicium de veritate. 344.
VI. Tertium inveniendæ veritatis medium eſt cultus

virtutum

Digitized by Google

virtutum moralium. Elegans de hac re S. Thomæ doctrina. 345.
VII. Studium orationis medium apprime neceſſarium ad veritatem inveniendam. *ibid.*
VIII. Hoc medium non eſt ſolius conſilii, aut convenientiæ, ſed neceſſitatis, & obligationis. 346.
IX. Poſtremum medium pro veritate cognoſcenda, recurſus ad ſapientes, & peritos legum. 347.
X. Quinam tanquam veri ſapientes dicendi ſint, a quibus tuto conſilium petere valeamus. *ibid.*

C A P U T VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. IN iis, quæ quiſque agit, tenetur advertere, num opus divinæ legi conforme ſit. 349.
II. In quo vitium *præcipitationis* in agendo conſiſtat. *ibid.*
III. Quodnam inter præcipitationem, & temeritatem in agendo diſcrimen verſetur. *ibid.*
IV. Niſi homo paſſiones comprimat, & in officio contineat, reus eſt errorum, ac deceptionum, quas incurrit in agendo. 350.
V. Eo circumſpectius ſe gerere in judicando quiſque debet, quo vehementior fuerit paſſionis motus. *ibid.*
VI Sicut non ſine auxilio divino aſſentiri poſſumus fidei veritatibus; ita nec ſine eodem morum veritates cognoſcere. *ibid.*
VII. Ex hoc neceſſitas oritur orationis, qua lucem ad veritates morales cognoſcendas impetremus. 351.
VIII. Oratione præſertim indigent Magiſtri, ac Doctores, qui doctrinas morales aliis tradunt. *ibid.*
IX. Si Doctor veritatem certo non agnoſcat, eam ſaltem ſententiam docere tenetur, quæ probabilior viſa fuerit. Laxæ quorumdam Auctorum opiniones rejectæ. *ibid.*
X. A quibus cavere debeat, qui Doctores conſulit pro divinæ legis agnoſcenda veritate. 352.
XI. Spes inventæ veritatis, adhibitis etiam mediis ad eam inveniendam, ſemper cum ſalutari timore conjuncta ſit, oportet. *ibid.*
Reflexio. 353.

C A P U T VII.

De Ignorantia, & errore vincibili, & invincibili.

D O C T R I N A.

I. PRÆLOQUIUM. 354.
II. Definitio, ac diviſio ignorantiæ. *ibid.*
III. Admittere oportet aliquam ignorantiam, quæ ſit vel peccatum, vel cauſa peccati. Argumenta in hanc rem S. Bernardi. 357.
IV. Doctrina, ac principia ſolidiſſima S. Thomæ de ignorantia vincibili, & invincibili, ſive culpabili, & inculpata proponuntur. 359.
V. Dari poteſt ignorantia invincibilis, & culpæ expers de his, quæ ſpectant jus poſitivum divinum, & humanum, licet raro admittenda ſit inter Chriſtianos. 361.
VI. De *factis* dari poſſe ignorantiam invincibilem negandum minime eſt. 362.
VII. Si abſolute, & generatim loquamur, nunquam invincibilis eſt ignorantia regularum, ſive præceptorum juris naturæ. Explicatur aſſertio. 363.
VIII. Argumenta, quæ aſſertionem probant, ex Scripturis, ac SS. Patribus producta. 365.
IX. Eadem aſſertio efficacibus rationibus comprobata. 367.
X. Reſponſio ad præcipuum adverſariorum argumentum. 371.
XI. Ignorantia a gravi ſaltem culpa immunis quibuſdam in caſibus, qui ad jus naturæ referuntur, admittenda videtur. Modus primus hoc explicandi. 373.
XII. Alter explicandi modus, nimirum in quibuſdam caſibus ignorantiam non eſſe *juris*, ſed *facti*. 374.
XIII. Tertius explicandi modus, quod nempe ignorantia caſuum jus naturæ ſpectantium haud ſit graviter, ſed interdum ſolum leviter culpabilis. 376.
XIV. Quæcunque ignorantia juris ſive naturalis, ſive poſitivi, aut etiam *facti*, vincibilis, & culpabilis eſt, dum ſuſpicio, vel dubium adeſt de actionis, aut omiſſionis pravitate. 377.

C A P U T VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. IN rebus moralibus error proprie dictus nunquam, aut fere nunquam ſine peccato eſt. 379.
II. Præſumptionis reus eſt, qui de ignoratis ſententiam fert, ut qui opinionem minus probabilem probabiliori præfert. 380.
III. Principia S. Thomæ ſemper habenda ſub oculos, ut cognoſcatur, quænam ignorantia invincibilis, quænam vincibilis, & culpabilis ſit. *ibid.*
IV. Ignorantia eorum, quæ ad ſalutem pertinent, vix admitti poteſt inter Chriſtianos. *ibid.*
V. Ea juris humani præcepta, quæ ad Communitatem ſpectant, aut etiam ad peculiaris hominum officia, vix abſque culpa ignorantur. *ibid.*
VI. Ignorantia *facti* invincibilis minime datur, ſi debita diligentia præmiſſa non ſit. 381.
VII. P. Dominicus Viva D. Thomæ authoritate abutitur in adſtruenda invincibili ignorantia *latrocinii*. *ibid.*
VIII. Alia ejuſdem Authoris abuſio in conſtituendis præceptis, de quibus inculpatam ignorantiam poſſibilem admittit. *ibid.*
IX. Nimia, ac damnabilis quorumdam Caſuiſtarum libertas in dilatanda ignorantia invincibili præceptorum juris naturæ. *ibid.*
X. Abſurdiſſimæ conſecutiones, quas ex laxa de ignorantia invincibili doctrina Theologi plures eliciunt. 382.
XI. Quid ex hac doctrina neceſſario conſequatur. 384.
XII. Fallitur Lactorius contendens, ſententiam negantem ignorantiam invincibilem juris naturæ fuiſſe damnatam. 385.
XIII. Quam deplorabilis ſit plurium in hac re Confeſſariorum praxis. *ibid.*

XIV. Va-

Digitized by Google

XIV. Voluntarium & liberum *in cauſa* eſt peccatum, quod ex vincibili ignorantia committitur. *ibid.*
XV. Ignorantia juris naturæ, quam Probabiliſtæ invincibilem tradunt, reapſe vincibilis eſt. 386.
XVI. Ignorantia vincibilis voluntaria eſt propria cujuſque voluntate, non ſola Adami voluntate. *ibid.*
XVII. Magno in periculo æternæ ſalutis verſantur, qui peccata ignorantiæ parum curant. 387.
XVIII. Ignorantia incolpata non eſt in iis, qui cognoſcendæ veritati impedimentum apponunt. *ibid.*
XIX. Nec in illis etiam eſt admittenda, qui ſe præjudiciis, & paſſionibus abduci ſinunt. *ibid.*
XX. Inconſideratio, & temeritas in agendo culpabilem ignorantiam efficiunt. *ibid.*
XXI. Magna circumſpectione præbenda ſunt conſilia, ac reſolvendi caſus de juris præſertim naturæ præceptis. 388.
XXII. Difficilis debet eſſe Confeſſarius in excuſandis ignorantiæ peccatis. *ibid.*
Reflexio. *ibid.*

CAPUT IX.

De ignorantia actuali, ſive inconſideratione, aut inadvertentia.

DOCTRINA.

I. PRÆSENTIS controverſiæ gravitas, & neceſſitas. 391.
II. Sententia S. Thomæ, meliorumque Theologorum de advertentia, quæ ad peccandum ſufficit. *ibid.*
III. Amplior ejuſdem expoſitio facta a P. Gabriele Antoine. 392.
IV. Proponitur de hac re Recentiorum ſententia, pluribus eorum in medium productis teſtimoniis. 394.
V. Quæ neceſſario fluunt ex hac ſententia, & a Probabiliſtis plerumque approbantur, exponuntur. 397.
VI. Firmiſſimis Scripturarum documentis eadem ſententia convellitur. 401.
VII. Ab errore Pelagianorum nihil diſtare oſtenditur 402.
VIII. Patrum ſententiæ adverſus eam indicatæ: ac plures cenſuræ, quibus ab Eccleſiæ Epiſcopis, & Univerſitatibus proſcripta eſt. 403.
IX. S. Thomæ auctoritates, ac doctrinæ, quæ oppoſitam, & Catholicam ſententiam adſtruunt. Quidam a Vaſquezio objectus textus expoſitus. 404.
X. Abſurda omnino non ferenda, quæ ex Recentiorum ſententia deducuntur. 405.
XI. Objectiones præcipuæ, quas ab Authoritate adverſarii depromunt, ſolutæ. 407.
XII. Aliæ objectiones a ratione deſumptæ diluuntur. 408.

CAPUT X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. PRINCIPIUM traditum a D. Thoma quoad ignorantiam habitualem, locum habet etiam quoad actualem, ſive inconſiderationem, ſive inadvertentiam. 410.
II. Licet in ſanctis viris admitti quandoque valeat inadvertentia, quæ eos excuſet ſaltem a gravi peccato, in aliis tamen communiter admittenda non eſt. 411.
III. Etiam in hominibus timoratæ cæteroqui conſcientiæ facile irrepunt inadvertentiæ graviter culpabiles ob præcipitationem in agendo. *ibid.*
IV. Dum agitur de actionibus intrinſece malis, ſufficit cognitio objecti, ut inadvertentia ad malitiam culpabilis ſit. 412.
V. Non eodem modo loqui oportet de his, quæ mala tantum ſunt, quia prohibita: in quibus inadvertentia culpabilis ex aliis principiis repetenda eſt. *ibid.*
VI. Ad peccatum lethale non requiritur plena, & perfecta actualis cognitio malitiæ objecti graviter peccaminoſi; ſed ſatis eſt *virtualis*. *ibid.*
VII. Quoties homo in eo ſtatu eſt, ut de actione ſua deliberare non poſſit, vel non peccat, vel nonniſi venialiter peccat. 413.
VIII. Probabiliter in hoc caſu præſumi poteſt non adfuiſſe plenam deliberationem, ſi homo ſit rectæ conſcientiæ, & a peccato abhorrentis. *ibid.*
IX. P. Lacroixius fœde abutitur textu D. Thomæ ad ſententiam ſuam comprobandam. *ibid.*
X. Quoad ebriorum peccata attinet, pulchra, ac ſolida S. Thomæ doctrina. 414.
XI. Quam longe abſit ab hac doctrina Caſuiſtarum ſententia. P. Tamburini, aliorumque exceſſus ſpecialiter notatus. *ibid.*
XII. Aliæ portentoſæ hujus, & aliorum in hoc genere laxitates exhibentur. 415.
XIII. Inadvertentia malitiæ, quæ ex concupiſcentia, aut ex paſſione oritur, ſemper culpabilis reputanda eſt. *ibid.*
XIV. Multa quotidie perpetrantur peccata, quorum advertentiam, & ſenſum adimit affectus, qui in ipſa præcipitat. 416.
XV. Blaſphemiæ, juramenta &c. *formalia* peccata dicenda ſunt in iis, qui ad exſcindendam pravam conſuetudinem ſerio non adlaborant. *ibid.*
XVI. Quare Clavium poteſtati ſunt ſubjicienda, ſive in Confeſſione explicanda. *ibid.*
XVII. Lugenda deceptio quorundam Confeſſariorum, qui facile excuſationem recipiunt eorum, qui nullam ſe de peccatis, quæ commiſerunt, advertentiam habuiſſe teſtantur. *ibid.*
Reflexio. 417.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De notione Conſcientiæ, ejuſque diviſione.

DOCTRINA.

I. PRESSE, & accurate loquendo *Conſcientia* nomen attribui non poteſt, niſi judicio cuidam mentis comparativo unius cum alio. 419.
II. Huic notioni conſonat, quæ tradita eſt a S. Tho-

Thomæ, definitio *Conſcientiæ*. ibid.
III. Explicatur definitio *Conſcientiæ*. Hæc non eſt neque habitus, nec potentia; ſed quidam actus intellectus practici. 420.
IV. Inſignis S. Thomæ textus, quo luculenter exponitur, quid ſit *applicatio ſcientiæ*, in qua Conſcientia conſiſtit. ibid.
V. Ex hac doctrina conciliantur quædam dicta SS. PP. de *Conſcientia*. ibid.
VI. Licet Conſcientia non ſit habitus, ſed actus, præſupponit tamen habitum primorum principiorum, & prudentiæ. 421.
VII. Multiplex aſſignatur diviſio *Conſcientiæ*. ibid.

CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. JUDICIO ſolum certo, & recto Conſcientiæ nomen proprie convenit. 422.
II. Conſcientia mala abuſive tantum Conſcientia appellatur. ibid.
III. Hinc contra Conſcientiam agit, qui falſum de re aliqua judicium format. 423.
IV. Licet Conſcientia non ſit habitus, ſed actus, aliquo in ſenſu permanere dicitur in homine. ibid.
V. Quo ſenſu accipienda ſit ea Scripturæ locutio, qua Conſcientia *inquinata* vocatur. ibid.
VI. Conſcientiæ judicium recte a judiciis aliis practicis diſtinguitur, quod *practice practicum* dicatur. ibid.

CAPUT III.

De Conſcientia recta, & erronea.

DOCTRINA.

I. CONSCIENTIA *recta* ea dicitur, quæ appetitui recto conformis eſt. In quo rectus appetitus conſiſtat. ibid.
II. Non omnis Conſcientia recta obligat ſub peccato, ſed ea ſolum, quæ præceptiva eſt. 424.
III. Quomodo in Conſcientia error contingat, optime e S. Thoma explicatur. 425.
IV. Quid ex hac doctrina S. Thomæ colligi debeat. ibid.
V. Quædam regulæ de utraque Conſcientia, recta, & erronea. Regula prima. Sive recta, ſive erronea Conſcientia ſit, ſemper obliget ſub peccato. 426.
VI. Secunda. Conſcientia ſive recta, ſive erronea magis obligat, quam præceptum Prælati. 527.
VII. Tertia. Conſcientia vincibiliter erronea, deponenda eſt. 428.
VIII. Quarta. Si Conſcientia ſit invincibiliter erronea, a peccato excuſatur, qui eam ſequitur, immo ſecundum illam agere tenetur. 429.
IX. Quinta. Reus eſt peccati lethalis, cujus Conſcientia dictet lethale peccatum eſſe, quod leve, ac veniale eſt. ibid.
X. Sexta. Lethaliter peccat, qui operatur contra Conſcientiam dictantem in genere, malum eſſe, quod agit. ibid.
XI. Septima. Erronea Conſcientia ex mero arbitrio deponi nequit. Media ad eam deponendam. 430.
XII. Octava. Agere contra Conſcientiam erroneam ejuſdem ſpeciei, & gravitatis peccatum eſt, cujus eſſet, ſi Conſcientia non erraret. ibid.
XIII. Nona. Qui perplexa utrinque peccandi Conſcientia laboret, eam deponere tenetur, ſi vincibilis eſt. Si autem invincibilis, non peccet, quamcumque partem eligat. Quid in hoc caſu agere oporteat. ibid.

CAPUT IV.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. IN errore ſunt omnes, qui vel Conſcientiam ſtatuunt primam actuum humanorum regulam, vel ita de ea loquuntur, ac ſi prima regula foret. 431.
II. Idcirco tanquam falſa, & erronea P. Iſaaci Berruyeri æſtimanda eſt quædam Apoſtoli explicatio, quæ ex eo errore derivatur. 432.
III. Excludenda a Deo eſt tanquam abſurda lex illa æterna *conſequens*, & *reflexa*, quam commentus eſt P. Antonius Terillus, cui conformes actiones a Conſcientia erronea dictatas. ibid.
IV. Semper peccat, qui vel contra legem agit, vel contra Conſcientiam, licet non contra legem. 433.
V. Non agit contra Conſcientiam rectam judex innocentem damnans, qui juxta allegata, & probata reus eſſe convincitur. 434.
VI. Conſcientia erronea poteſt eſſe invincibilis circa aliquod factum, & præceptum poſitivum. ibid.
VII. Obedientiæ votum non ſolvit ſubditum ab obligatione ſequendi Conſcientiam etiam erroneam, niſi eam deponat. 435.
VIII. Unde admittenda non eſt cæca illa obedientia, quam aliqui obtrudunt. ibid.
IX. Conſcientiam ſequi tenetur ſubditus contra Prælati præceptum, licet ex principiis omnino certis concepta non ſit. ibid.
X. Falſa reputanda eſt Lacroixii, aliorumque de hac re ſententia. ibid.
XI. Conſcientia erronea defectus non excuſat, qui in officiis obeundis imprudenter ſuſceptis committuntur. 436.
XII. Nulla bona fide, aut Conſcientia fieri poteſt, ut malitiam exuant, quæ natura ſua prave ſunt. ibid.
XIII. Pœnas tranſgreſſioni præcepti annexas non incurrit, qui ex Conſcientia erronea vincibili peccat. 437.
XIV. Damnum tamen, ſi quod contingat, reſarciendum eſt. ibid.
XV. Conſcientia perplexa, quæ deponi nequit, quandoque ad aliquid obligare poteſt. ibid.
XVI. Gravius quidem abſolute peccatum eſt, agere contra, quam ſequi Conſcientiam vincibiliter erroneam; ob circumſtantias tamen levius eſſe poteſt. ibid.
XVII. Qui ex Conſcientia erronea putat eſſe lethale, quod vel nullum eſt, vel leve peccatum, illud in confeſſione declaret, oportet. 438.

XVIII. Quibus regulis diſcerni queat, quandonam Conſcientia erronea vel vincibilis ſit, vel invincibilis. *ibid.*

CAPUT V.

De duabus peculiaribus, quæ ad Ignorantiam, & Conſcientiam erroneam referuntur, controverſiis.

DOCTRINA.

I. QUÆDAM ad priorem quæſtionem de obligatione Confeſſarii ad illuminandos pœnitentes præmittuntur. *ibid.*
II. Regula prima. Confeſſarius interrogatus a pœnitente erronea Conſcientia laborante, veritatem aperire tenetur. 440.
III. Regula ſecunda. Confeſſarius inſtruere debet pœnitentem laborantem Conſcientia erronea, quo ad ea, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, antequam abſolvat. *ibid.*
IV. Regula tertia. Illuminare tenetur Confeſſarius pœnitentes laborantes Conſcientia erronea circa præcepta legis naturæ. 441.
V. Regula quarta. Dum Confeſſarius admonitionem ſuam profuturam ſperat, debet illuminare pœnitentem de iis omnibus, ad quæ obligatur. *ibid.*
VI. Regula quinta. Quoties Conſcientia erronea ſive *juris*, ſive *facti* circa ea verſatur, quæ quiſque ſcire tenetur, admonere debet Confeſſarius pœnitentem, ſive proſit admonitio, ſive obſit. *ibid.*
VII. Regula ſexta. Nunquam licet Confeſſario pœnitentem in erronea Conſcientia relinquere eo motivo, quod admonitionem ſuſceptrurus minime ſit. Tamburini laxitates. 442.
VIII. Regula ſeptima. Prudenter ſe geret interdum Confeſſarius tacendo, dum minime dubitans de pœnitentis diſpoſitione, prævidet ex admonitione gravia mala oritura. 444.
IX. Auguſtini textus ab Adverſariis objecti legitima expoſitio. 445.
X. Sententia, ac præcipuum fundamentum, quo plures Theologi moventur ad tribuendam bonitatem actibus ex Conſcientia erronea invincibili peractis, proponuntur. *ibid.*
XI. Quam longe ab hac ſententia diſtet S. Thomas, cui illam adſcribunt, pluribus oſtenditur. 446.
XII. S. Doctor ipſa ſibi opponit, ac ſolvit Adverſariorum argumenta. *ibid.*
XIII. Fundamentale principium S. Thomæ, quo contraria ſententia penitus evertitur, ac labefactatur. 447.
XIV. Aliqui tamen actus immiſceri poſſunt in operibus ex Conſcientia erronea peractis, qui boni, ac meritorii ſint. *ibid.*
XV. Argumenta Adverſariorum ſoluta. 448.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. PRÆCEPTUM, quo urgetur Confeſſarius ad informandum pœnitentem quoad propriam obligationem, a præcepto correctionis fraternæ diſtinguitur. 450.
II. Laxa de hoc Tamburini ad quoddam quæſitum reſponſio notatur. 451.
III. Non minore reprobatione digna eſt Gobati, aliorumque opinio circa permiſſionem peccati molitiei. *ibid.*
IV. Zelus imprudens PP. Salmanticenſium erga Confeſſarios admonentes pœnitentes: eorumque in hoc laxa doctrina. 452.
V. Neque probanda eſt Petri Colleti ſententia de hac materia, prout ab ipſo proponitur. 453.
VI. Nunquam a Confeſſario omittenda admonitio eſt ex eo capite, quod nulla ex ea ſequutura ſit pœnitentis emendatio. *ibid.*
VII. Falſum, putidumque dicendum eſt Terilli, aliorumque principium: *Non majorem vim eſſe in dictamine falſo Conſcientiæ ad refundendam malitiam in actum difformem, quam ad refundendam bonitatem in actum conformem Conſcientiæ.* 454.
VIII. Figmentum abſurdiſſimum de hac re P. Lacroixii omnino reprobandum. *ibid.*
IX. Abſurdum aliud minime ferendum ex doctrina Terilli, & Lacroixii deductum. *ibid.*
X. Hinc rejicienda eſt illa diſtinctio ab eodem Terillo conficta duplicis legis æternæ Dei, *antecedentis*, & *conſequentis*. 455.
XI. Duæ propoſitiones, ſive judicia in dictamine invincibiliter erroneo diſtinguenda. *ibid.*
XII. Judicium, quo regitur Conſcientia erronea, nunquam prudens revera dicendum eſt. 456.

CAPUT. VII.

De Conſcientia certa, & dubia.

DOCTRINA.

I. QUID ſit certitudo, & quotuplex. Certitudo metaphyſica, phyſica, & moralis. *ibid.*
II. De certitudine *directa*, & *reflexa*: item de *ſpeculativa*, & *practica*. 457.
III. Quid ſit Conſcientia dubia. Quid dubium negativum, & poſitivum. 558.
IV. Aliæ dubii diviſiones expoſitæ. 459.
V. Nunquam operari licet cum Conſcientia dubia de peccato. *ibid.*
VI. Qui agit dubitans de mortali peccato, peccat mortaliter in eadem peccati ſpecie, & gravitate, quia objectum peccati eſt. 460.
VII. Dum nulla occurrit prudens dubitandi ratio, depoſito dubio, operari licet. *ibid.*
VIII. Dubium deponi nequit ex arbitrio, ſed poſt debitam adhibitam diligentiam. 461.
IX. Aliter nos habeamus oportet in dubiis circa res, ac circa perſonas. *ibid.*
X. In dubiis de honeſtate, aut pravitate actionis ob rationes utrinque probabiles, *tutior opinio eligenda eſt*. 462.
XI. Probatio prima ex perpetua Eccleſiæ traditione deducta. *ibid.*
XII. Altera probatio ex celebri Sacrorum Canonum

regula:

Digitized by Google

regula : *In dubiis &c.* 484.
XIII. Reſponſa ad prædictam regulam Adverſariorum refelluntur . 466.
XIV. Eadem regula validiſſimis rationibus confirmatur . 467.
XV. Ut licite operemur, Conſcientia ſaltem moraliter certa requiritur de actionis , aut omiſſionis honeſtate . 469.
XVI. Quænam ſit certitudo moralis Conſcientiæ , quæ requiritur , ac ſufficit , ut abſque peccato quidpiam agere , vel omittere liceat . ibid.

C A P U T VIII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ .

I. HALLUCINATIO P. Tamburini , aliorumque circa legitimam dubii notionem . 470.
II. Non minus a vero abludunt alii , qui *probabile* vocant , quod *dubium* revera eſt . 471.
III. Diſcrimen dubii *juris* , & *facti* a P. Cardena excogitatum nullo modo approbandum . ibid.
IV. Ineptum penitus diſcrimen eſt quod Probabiliſtæ effingere inter rationes æquales , intellectum moventes, ac ſtateram æquali utrinque pondere preſſam . 472.
V. Media indicantur pro dubiis prudenter deponendis neceſſaria , ibid.
VI. Quomodo concilientur duæ regulæ juris : *In dubiis tutior pars eſt eligenda* ; & : *In dubiis potior eſt conditio poſſidentis* . 473.
VII. Quum aliter in judicio de rebus , aliter in judicio de perſonis nos geramus oporteat, multi damnationem incurrunt , dum ſine manifeſta ratione aliorum actiones , aut ſcripta in deteriorem partem interpretantur . ibid.
VIII. Cultus religioſus denegandus non eſt Imagini Crucifixi , dum ſub ea latitare dæmonem dubitatur . 474.
IX. Quam irrationabilis ſit quorumdam Caſuiſtarum ſententia docentium, in dubio quidem negativo teneri nos ſequi tutiorem partem, non autem in poſitivo . ibid.
X. Quin potius in dubiis negativis, aut leviter conceptis , Conſcientia depoſita , operari licet. ibid.
XI. Ex illa Eccleſiæ regula . *In dubiis tutior* , *&c.* corruunt penitus Probabiliſtarum *principia reflexa* pro dubiis reſolvendis . ibid.
XII. Quæ regulæ pro certitudine Conſcientiæ *prudenter* inducenda neceſſariæ ſint . 475.

C A P U T IX.

De Conſcientia Probabili : Ubi de vero Theologorum ſyſtemate in opinionibus probabilibus .

D O C T R I N A.

I. QUID ſit Conſcientia probabilis ? Præmittitur notio opinionis probabilis , a qua derivatur . ibid.
II. Probabile quomodo intelligi debeat . 476.
III. Definitio Conſcientiæ probabilis . ibid.
IV. Sententia Probabiliſtarum in rebus opinabilibus expoſita . ibid.
V. Non aliud Probabilioriſtæ in opinionibus , quas ſequuntur , aſſequi ſtudent , niſi veritatem , ſive conformitatem cum lege Dei . 478.
VI. Tres diſtinguere opus eſt veriſimilitudinis , aut probabilitatis ſtatus . ibid.
VII. Hæc ſententia eadem omnino eſt cum illa quam Apoſtolica Sedes probavit in Opere P. Thyrſi Gonzalez, cujus doctrina paucis exhibetur . 479.
VIII. Hæc quoque docetur ab aliis inter Probabilioriſtas clariſſimis Auctoribus . ibid.
IX. Qui eam ſequitur, certus eſt ſe culpam non incurrere ea morali certitudine, quæ ad agendum requiritur , & ſufficit . 480.
X. Injectæ a Probabiliſtis difficultates diſſolvuntur; ac ea primum, quam premunt ex *judicio proprio*, quod ſequi Probabilioriſtas criminantur. 481.
XI. Probabilioriſtæ authoritatem extrinſecam minime reſpuunt , quin immo impenſius amplectuntur. 482.
XII. Accuſatio de nimio rigore ſententiæ Antiprobabiliſtarum diſpellitur . ibid.
XIII. Probabilioriſtarum ſententia ex principiis *reflexis* certa eſt , nedum certitudine *relativa*, ſed etiam *abſoluta* . 483.
XIV. Janſeniſmi calumnia diſcuſſa, & diſpuncta. 484.
XV. Quæ attendenda , quæve cavenda ſint , dum agitur de formanda Conſcientia probabili ex extrinſeca Scriptorum authoritate . 485.

C A P U T X.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. OPINANS partem unam contradictionis accipit ob maiorem veriſimilitudinem, quam in ipſa conſpicit præ alia . 489.
II. Unde aſſenſus ejus eſt judicium abſolutum, & determinatum , cum quo contrarium componere nequit . ibid.
III. Ex quo fit , ſaltem veritatem vel certo, vel probabiliter cognitam eſſe regulam poſitivam honeſtæ operationis . 490.
IV. Ob formidinem , quæ aſſenſui opinativo annexa eſt , homo non removetur , ſive non recedit ab ea parte , cui aſſentitur . ibid.
V. Laymani , aliorumque *opinionis probabilis definitio* januam laxitatibus in morum diſciplina aperit , adeoque improbanda . ibid.
VI. Sed neque probanda eſt definitio *probabilis opinionis* a P. Terillo tradita . 491.
VII. Non eſt revera *probabilis* opinio , adeoque nec Conſcientia , quæ illa regitur, dum pro parte oppoſita æque gravia momenta occurrunt . ibid.
VIII. Doctrina quoad hoc a P. Lacroixio tradita omnino reprobanda veluti falſa , & ſine valido ullo fundamento conficta . 492.
IX. *Probabile* , & *veriſimile* , quoad præſentem quæſtionem attinet , perinde eſt , aut eandem vim habent . 493.
X. Probabile quidpiam ſemper dicitur *relative* ad humanum intellectum , non ad rem ſecundum ſe inſpectam . ibid.
XI. Repudianda eſt doctrina Vaſquezii , aliorumque aſſerentium, id videri debere cuilibet probabile , quod quibuſdam Theologis probabile viſum eſt. ibid.

XII. Non omnes, qui aſſerunt, teneri nos ſequi ſententiam probabiliorem, ſtatim *Probabilioriſtæ* dicendi ſunt. *ibid.*
XIII. Modus dirigendi Conſcientias, & reſolvendi caſus per ſolam probabilitatem opinionum, omnino vitandus. 495.
XIV. Quænam *Conſcientia vere probabilis* dicenda, quæ actionem excuſet a peccato, ſi a veritate deflectat. *ibid.*
XV. Scriptores morales ſolidis rationibus deſtituti nullam faciunt probabilitatem. *ibid.*
XVI. Sententia adducta S. Auguſtini in hac re maxime ponderanda. 496.
XVII. S. Thomæ doctrina in rebus moralibus maximo in pretio habenda. Abuſus plurium in ea citanda. *ibid.*

CAPUT XI.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

DOCTRINA.

I. QUID ſit ſcrupulus, & quid Conſcientia ſcrupuloſa. 497.
II. Scrupulus reſpicere poteſt præterita, futura, & præſentia etiam peccata. *ibid.*
III. Conſcientia ſcrupuloſa ex oppoſita laxa cognoſci poteſt. *ibid.*
IV. Mala plurima, quæ ſuboriuntur ex ſcrupulis. 498.
V. Plures aſſignantur ſcrupulorum cauſæ. *ibid.*
VI. Valde refert eas apprime cognoſcere. 499.
IIV. Diſtinguere oportet ſcrupulum a Conſcientia ſcrupuloſa in utriuſque directione. *ibid.*
VIII. Aliter ſentiendum de iis, qui ſcrupulis univerſim cruciantur: aliter, qui in uno, vel altero tantum genere. 500.
IX. Nonnunquam prodeſt in quibuſdam ſcrupulos permittere. 501.
X. Scrupuloſi acquieſcere debent Superiorum, ac prudentum conſilio. *ibid.*
XI. Adverſum ſcrupulos magna animi firmitate certandum. 502.
XII Scrupuloſus judicium de peccato ferre non debet, niſi ipſi certo conſtiterit. *ibid.*
XIII. Quid cum ſcrupuloſis circa Confeſſiones agere prudens Confeſſarius debeat. *ibid.*
XIV. Scrupuloſi exactam debent proprio Directori obedientiam præſtare. 503.
XV. Remediis corporalibus curandi ſunt ſcrupuli, qui gignuntur ex complexione, inedia, melancholia &c. *ibid.*
XVI. Regulæ circa legum interpretationem pro ſcrupulis laborantibus a S. Antonino propoſitæ. *ibid.*
XVII. Quid agendum piis, ſanctiſque animabus, quas Deus ſcrupulis, ac timoribus Conſcientiæ cruciari permittit. 504.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. FALSA idea eſt, quam vulgus, homineſque mundani habere ſolent de ſcrupulis, & ſcrupuloſis. 505.
II. Scrupuloſus cenſendus non eſt, qui a pluribus ſæpe cavet, quæ alii ſine ſcrupulo exequi conſueverunt. *ibid.*
III Sed nempe ſcrupuloſæ Conſcientiæ indicium eſt trepidare, ne Deo quis diſpliceat in operibus ſuis. 506.
IV. Plures ex ſcrupuloſis miſere deludunt ſe ipſos. *ibid.*
V. Falſa eſt doctrina Valentiæ, & aliorum, ſaltem prout ab ipſis proponitur, non diſtinguentium ſcrupulos a Conſcientia ſcrupuloſa. *ibid.*
VI. Judicium aliquod de ſcrupulis faciendum, ne ſe homo peccandi periculo exponat. 507.
VII. Quo pacto ſe gerere debeat, qui de conſenſu in tentationes præſtito pertimeſcit. *ibid.*
VIII. Non eodem modo ſe gerat oportet Confeſſarius, aut Director circa omnes ſcrupuloſos. *ibid.*
IX. Juvat nonnunquam in aliquibus permittere ſcrupulos. 508.
X. Niſi ſcrupuloſus obedientiam Confeſſario, aut Directori promittat, ac ſervet, dimittendus. *ibid.*
Reflexio. *ibid.*

DISSERTATIO TERTIA

DE NOVELLO PROBABILITATIS SYSTEMATE,

Quod utramque Chriſtianæ Ethices regulam, legem ſcilicet, & rationem, corrumpit, atque pervertit.

CAPUT PRIMUM.

Novellum Probabilitatis ſyſtema iiſdem, quibus illud Probabiliſtæ doctiores proponunt, ſententiis, ac verbis exhibetur.

DOCTRINA.

I. GENERALE diſcrimen Probabiliſtarum, & aliorum Theologorum. 513.
II Expoſitio ſententiæ Probabiliſticæ ex P. Bovio. *ibid.*
III. Conditiones *negativæ*, quas ad opinionis probabilitatem requirunt, expenduntur, ac futiles demonſtrantur. 514.
IV. Conditiones *poſitivæ*, quas exigunt, inanes, ac ſuperfluæ declarantur. 515.
V. Proſpectus probabiliſticæ ſententiæ ex P. Lacroixio. 516.
VI. Aliæ ejuſdem poſitiones, quibus Probabiliſmi fines extendit. 517.
VII. De authoritate extrinſeca, quæ ſufficit juxta Probabiliſtas, ut opinio ſit *probabilis*, & regula humanarum actionum. *ibid.*
VIII. Quid de hac auctoritate ſtatuat P. Cardenas, & ex ipſo alii Probabiliſtæ. 518.
IX. Quid de eadem tradant PP. Bovius, & Lacroixius. 519.

X. De

X. De numero Authorum, qui ſatis ſunt, ut opinio vere ſit *probabilis*, & ad praxim reduci valeat. 520.
XI. Si Authores ſint *Claſſici*, & *probatæ authoritatis*, juxta Probabiliſtas vel unus eorum ſufficit ad conciliandam opinionibus probabilitatem. *ibid.*
XII. Ex laudibus quibus aliquos Authores celebrant, evidens confirmatio deſumitur vel unum eorum ſatis eſſe, ut vere *probabilis* opinio ſit, etiam contra alios innumeros. 521.
XIII. Eorum, quæ dicta ſunt pro exponendo ſyſtemate Probabiliſtico brevis complexio. 522.

C A P U T II.

Conſectaria propoſiti Syſtematis, quæ a Probabiliſtis admittuntur, & admitti debent.

I. ADMISSO Syſtemate Probabiliſtico opiniones omnes probabiles etiam falſæ, & abſurdæ communes fiunt iis quoque Probabiliſtis, qui veras, & ſanas ſententias docent. *ibid.*
II. Quoties Author alicujus nominis opinionem *probabilem* pronunciat, hanc ſequi licet etiam contra probabiliorem, ac tutam. 523.
III. Satis eſt, ut opinio ſit *probabilis*, ut prorea laudetur Probabiliſta *Claſſicus*. 524.
IV. Hinc ſufficit Confeſſariis, & Parochis, ut aliquem ex his *Claſſicis* Authoribus citatum inveniant in Collectore, vel Summiſta, ut illum tuto ſequi valeant. *ibid.*
V. Fere omnes proſcriptas a Summis Pontificibus propoſitiones ante damnationem *probabiles* fuiſſe aſſerere oportet vi ſyſtematis probabiliſtici. 525.
VI. Admiſſo ſyſtemate nemini portentoſa videri debent Eſcobarii problemata. *ibid.*
VII. Syſtema Probabiliſticum coarctari nequit ad ſolas quaſdam materias. *ibid.*
VIII. Spectata vi ſyſtematis probabiliſtici admittere neceſſe eſt tanquam tutam morum normam ipſas quoque opiniones ſolum *probabiliter probabiles*. 526.
IX. Licitum ſit cuilibet Theologo Probabiliſtæ reſpondere conſulenti, prout ſibi libuerit, & modo etiam juxta unam, modo juxta aliam opinionem probabilem. *ibid.*
X. Confeſſarius poteſt, ac debet abſolutionem conferre pœnitenti opinionem ſuam probabilem judicanti etiam contra propriam probabiliorem, immo unice veram. 527.

C A P U T III.

Pluribus oſtenditur, ſyſtema Probabiliſticum jam expoſitum uberrimum fontem eſſe, unde innumeræ fluunt morum corruptelæ, laxitates, & abſurdæ opiniones.

I. NON ſpectrum aliquod eſſe, ut Probabiliſtæ ajunt, ſed certiſſimam veritatem, a Probabiliſtico ſyſtemate innumeras effluere corruptelas, ac laxitates, duplicis Epiſcoporum Conventus teſtimonio probatur. *ibid.*
II. Eadem veritas validiſſimo ratiocinio evincitur. 528.
III. Clarius idem argumentum proponitur, & confirmatur. 530.
IV. Expenditur ad præfatum argumentum a P. Lacroixio allata reſponſio, eaque oſtenditur magis confirmari aſſertionem noſtram. *ibid.*
V. Aſſertio eadem amplius roboratur doctrina ab ipſo Lacroixio jam tradita circa licitum Probabilitatis uſum. 531.
VI. Alia ejuſdem doctrina de licito uſu tum opinionis ſolum *probabiliter probabilis*, tum etiam, in quibuſdam ſaltem caſibus, opinionis *tenuiter ſolum probabilis*, viam latiſſimam aperit innumeris abſurdis, & Inconvenientibus. 532.

C A P U T IV.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ, ſive Expoſitionis laxitatum inductarum a ſyſtemate Probabiliſtico.

I. VI principiorum ſyſtematis probabiliſtici etiam modo ad praxim reduci poſſunt fere omnes proſcriptæ propoſitiones. 533.
II. Si vel una opinio falſa innumerabilium moralium actionum regula eſt, conjectari licet, quot mala ex plurimis, quæ in Probabiliſtarum libris inveniuntur, proficiſcantur. *ibid.*
III. Fucum plane faciunt imperitis Probabiliſtæ, qui jactant, Probabiliſmum nunc moderatum eſſe, juſtiſque finibus circumſcriptum. *ibid.*
IV. Hinc colligi debet, quam verum ſit teſtimonium ab Hiſpaniarum Epiſcopis editum de laxitatibus a Probabiliſmo, prout modo viget, in mores hominum inductis. 534.
V. Exemplum laxitatum, quas inducit opinio *probabilis*, de neceſſitate actualis advertentiæ ad malitiam, ut peccatum ad culpam imputetur. 535.
IV. Aliud exemplum ex ſententia pariter *probabili* ſpectante obligationem Confeſſarii admonendi eos, qui peccatorum ſuorum ignorantia laborant. 536.
VII. Exempla alia malorum, quæ licita fiunt ope ſyſtematis probabiliſtici. *ibid.*
VIII. Ex doctrina de Probabilitate a Lacroixio tradita conſequitur, plures licere opiniones, quæ damnatæ fuerunt in Summorum Pontificum Decretis. *ibid.*

C A P U T V.

Argumenta plura a ratione deprompta, quibus Probabiliſticæ ſententiæ falſitas demonſtratur, breviter perſtringuntur.

I. PRÆLOQUIUM ad argumenta contra Probabiliſmum. *ibid.*
II. Primum argumentum deductum ex lumine ipſo humanæ mentis impreſſo ab Authore naturæ. 537.
III. Argumentum ex ipſa Probabiliſtarum confeſſione con-

ne confirmatur . 538.
IV. Alia confirmatio ex authoritate Gentilium. *ibid.*
V. Lacroixii , & Carpanii reſponſio refutata. 539.
VI. Secundum argumentum deſumptum ex obligatione , qua urgemur , conformandi actiones noſtras ad legem Dei . 541.
VII. Idem argumentum magis declaratur . 542.
VIII. Argumentum tertium ex eo ductum , quod Probabiliſtæ & ipſam falſitatem certo cognitam violari regulam humanarum actionum admittere cogantur . 543.
IX. Quartum argumentum depromptum ex agendi ratione apud homines prudentes in rebus temporalibus uſitata . 544.
X. Reſponſio ad hoc argumentum a Lacroixio adhibita quam vana , & inepta ſit , oſtenditur . *ibid.*

CAPUT VI.

Argumenta adverſus Probabiliſmum ex Jure Canonico , & Eccleſiæ definitionibus derivata.

I. ARGUMENTUM primum ex definitione facta in Concilio Viennenſi coram Clemente V. celebrato . 545.
II. Argumentum ſecundum ex Deciſione Caſus cujuſdam edita ab Innocentio III. 547.
III. Tertium argumentum ex damnatione propoſitionum de Probabilitate . 548.
IV. Quartum argumentum ex damnatione primæ propoſitionis in Decreto Innocentii XI. contentæ. 549.
V. Alia animadverſio ad confirmationem ejuſdem argumenti . *ibid.*
VI. Argumentum quintum ex damnatione propoſitionis de Judice juxta minus probabilem judicante . 550.
VII. Adverſariorum effugia præcluduntur . *ibid.*
VIII. Argumentum ſextum ex damnata propoſitione tertia *de tenui Probabilitate* . 551.
IX. Septimum argumentum ex damnatione quartæ propoſitionis , de infideli in ſua ſecta manente vi opinionis minus probabilis . 552.
X. Argumentum octavum ex animadverſione in quatuor propoſitiones ſub uno aſpectu propoſitas, deducta ex iis , quæ ab Adverſariis conceduntur , & concedenda omnino ſunt . 553.
XI. Reflexio . 554.

CAPUT VII.

Argumenta ex eo deducta , quod impoſſibile ſit , Probabiliſtam in actionibus ſuis de earum honeſtate moraliter certum eſſe .

I. QUÆDAM præmittuntur certa , & indubitata apud omnes . 556.
II. Quid ad certitudinem judicii conſcientiæ Probabiliſtæ requirant . 557.
III. Exponuntur principia *reflexa* Probabiliſtarum ad certitudinem judicii conſcientiæ requiſita . *ibid.*
IV. Generales quædam animadverſiones in *principia* Probabiliſtarum *reflexa* , quibus nedum incertitudo , ſed etiam futilitas ipſorum oſtenditur. 558.
V. Examen primi principii reflexi Probabiliſtarum ex incertitudine legis deprompti . Ejus inſubſiſtentia demonſtratur . 559.
VI. Alterum principium ex ignorantia invincibili ductum vanum prorſus eſſe convincitur . 561.
VII. Duo alia principia Probabiliſtarum reflexa paucis confutantur . *ibid.*

CAPUT VIII.

Argumenta adverſus Probabiliſmum ex authoritate deprompta ſummatim expediuntur.

I. PRIMUM argumentum ex novitate Probabiliſmi in Eccleſiam invecti . 563.
II. Teſtimonia Theologorum etiam Probabiliſtarum Probabiliſmum novum eſſe in Eccleſia opinandi ſyſtema aſſerentium . 564.
III. Alterum argumentum : Veterum doctrina eo ipſo tempore viguit , quo elapſo ſæculo novitium ſyſtema inter privatos Theologos dominium uſurpavit . 565.
IV. Sententia V. Cardinalis Bellarmini ſpecialiter expenſa . 567.
V. Tertium argumentum ex generali conſpiratione Eccleſiæ adverſus Probabiliſmum ſtatim ac quid reapſe foret , manifeſte innotuit . 568.
VI. Zelus Parochorum Galliæ adverſus hoc ſyſtema inſurgentium . 569.
VII. Argumentum quartum ex Decretis , & legibus plurium Epiſcoporum , & Archiepiſcoporum contra Probabiliſmum editis . *ibid.*
VIII. Expenditur peculiare Decretum Cleri Gallicani *an.* 1700. qui Probabiliſmum damnavit , & a Galliarum Regno proſcripſit . 570.
IX. Præcedens argumentum confirmatur authoritate aliorum Epiſcoporum , & Archiepiſcoporum Orbis Chriſtiani . 573.
X. Quintum argumentum ex Eccleſiæ Romanæ, Summorumque Pontificum in ſyſtemate Probabiliſtico improbando conſenſione . 576.
XI. Verba Decreti Summi Pontificis Alexandri VII. perpenduntur . 578.
XII. Cura , & ſollicitudo Innocentii XI. in exterminando Probabiliſmo . *ibid.*
XIII. Quid egerint adverſus ipſum Innocentius XII. & Clemens XI. 580.
XIV. Quid in Concilio Romano ſub Benedicto XIII. ſtatutum ſit . *ibid.*
XV. Benedicti XIV. Encyclicæ litteræ, in quibus improbatur novus opinandi modus . *ibid.*
XVI. Poſtremum argumentum ex authoritate privatorum Theologorum . Oſtenditur , Theologos adverſantes Probabiliſmo numero , & authoritate longe præcellere . 582.

CAPUT IX.

Trium Capitum præcedentium

CONSECTARIA.

I. SYSTEMA probabiliſticum certo falſum haberi debet . 584.

II.

II. Quamquam argumenta adverſus Probabiliſmum producta, ſolum probabiliter ipſius falſitatem oſtenderent, regulam tamen humanarum actionum eſſe non poſſe evidenter convincitur. 585.
III. Non eſt tutus in conſcientia, qui probabiliſticum ſyſtema in agendo ſectatur. 589.
IV. Quamvis aliquis probabiliſticam ſententiam in agendo ſequatur, perſuaſus de certitudine ipſius, non idcirco peccatum evitat. *ibid.*
V. In æternæ damnationis periculo verſantur, quotquot ad aliorum conſcientias dirigendas probabiliſtica doctrina utuntur. 590.
VI. De æterna ſalute periclitantur, qui ſe Confeſſariis, aut Theologis Probabiliſtis dirigendos committunt. 591.
VII. Doctrina P. Ghetii, aliorumque, qui excuſant a culpa errores, in quos labuntur, qui ſe dirigi ſinunt a Probabiliſtis, prætextu ignorantiæ invincibilis, tanquam falſa rejicienda eſt. 594.
VIII. Probabiliſtarum libri de Morali Theologia non niſi cum peculiari cautione, & circumſpectione legendi ſunt. 595.
IX. Quotquot Theologiam docent, criminis rei ſunt, ſi Auditoribus ſuis probabiliſticam doctrinam tradant. 597.
X. Epiſcopi, & Eccleſiæ Prælati invigilare debent, ne ſuæ curæ ſubjecti probabiliſticis doctrinis dirigantur. 599.
XI. Commune Reipublicæ bonum, & ſumma jura poſtulant, ut ſæculares Principes pro virili nitantur, ut a Ditionibus ſuis Probabiliſmus eliminetur. 601.
Reflexio. 602.

ETHI-

Digitized by Google

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS PRIMUS

DE LEGIBUS.

QUONIAM ex conformitate, aut diſſormitate cum regulis morum bonitas, & malitia pendet humanorum actuum, ab iis explicandis Ethicæ Chriſtianæ *exordium ſumimus. Hæ porro regulæ ſunt* lex, & ratio: *quarum illa extrinſeca eſt ac remota; hæc intrinſeca & proxima. De priore primum, cui altera ſubjecta ſit oportet, diſſerendum cenſeo, nempe* de legibus: *quarum alia ſuprema eſt*, lex *videlicet* æterna Dei, *cujus quædam participatio eſt* lex naturalis: *alia* poſitiva, *quæ dividitur in* poſitivam divinam, *&* humanam, *quæ rurſus tribuitur in* Eccleſiaſticam, *&* Civilem. *Harum omnium tractatum quibuſdam Diſſertationibus abſolvemus. Sed prius aliqua de lege generatim inſpecta prænotanda ſunt: quæ duobus capitibus expedio.*

CAPUT PRIMUM.

De Lege generatim ſumpta.

DOCTRINA.

Doctrinæ Synopſis.

I. *Quid ſit lex in communi ex Sancto Thoma.*

II. *Explicatur legis notio: lex eſt regula, & menſura humanorum actuum.*

III. *Eſt ordinatio rationis practicæ.*

V. *Ad bonum Communitatis: Quid Communitatis nomine intelligatur, exponitur.*

V. *Condi nequit niſi a Communitate, vel ab eo, qui curam gerit Communitatis.*

VI. *Diſcrimen legis a præcepto.*

VII. *Lex debet eſſe* promulgata, *ut vim obtineat obligandi.*

VIII. *Hæc tamen promulgatio non eſt eadem in omnibus legibus, nec eodem modo perficitur.*

DEFI-

DEFINITIO LEGIS.

I. DUPLICEM legis generatim ſumptæ definitionem tradit S. Thomas 1. 2. q. 90. Alteram his verbis exhibet, art. 1. *Lex quædam regula eſt, & menſura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*. Alteram vero art. 4. colligit ex doctrina, quam præmiſerat, inquiens: *Lex nihil aliud eſt, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata*. Ex utraque germana legis notio, atque idea petenda eſt.

NOTIO LEGIS EXPLICATUR.

II. In primis lex eſt *regula, & menſura actuum humanorum*, de quibus duntaxat modo loquimur. Actus enim humani ita per legem regulantur, & menſurantur, ut recti ſint, ac honeſti, ſi eidem conſonent: pravi vero, & inhoneſti, ſi ab ea diſſentiant. Hinc lex ipſa juſta & honeſta ſit, oportet, vel in ſe, quatenus quidpiam honeſtum ſtatuat, vel ſaltem ratione finis a Legiſlatore intenti, ad quem ordinatur. Eſt autem lex *regula*, non quæcunque, ſed plane *efficax*, quæ nimirum non aliquid mere oſtendat, aut ſuadeat, ſed præcipiat, atque ita *inducat homines ad agendum, vel ab agendo retrahat*: ex quo præſertim ſui nominis etymologia deſumpta eſt: lex quippe a *ligando* dicitur, ſive ab *obligando*. Quare differt a perſuaſione, & a conſilio, quæ ex ſe ad actum ſive peragendum, ſive vitandum non obſtringunt, tametſi recte agendi regula eſſe queant.

III. Quum regula, & menſura humanorum actuum ſit legem ferentis *ratio*, quemadmodum docet S. Thomas ibidem *art.* 1. conſequens eſt, ut lex ad rationem pertineat. Unde in ejuſdem definitione ponitur, quod ſit *ordinatio rationis*, rationis, inquam, *practicæ*, cujus proprium munus eſt loqui, dirigere, docere, & imperare. *Imperare* ſiquidem, inquit idem Sanctus Doctor 1. 2. q. 17. art. 1. *eſt eſſentialiter actus rationis. Imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denunciando. Sic autem ordinare per modum cujuſdam intimationis eſt rationis opus*. Quia vero imperium non elicitur ab intellectu, niſi præcedat voluntatis motio, a qua ſuam omnem efficaciam haurit; inde eſt, quod & ipſa voluntas ad legem ferendam concurrat, adeoque in ſacris litteris divinæ leges ſæpe Dei *voluntas*, aut *voluntates* nuncupantur.

IV. Altera definitionis legis particula eſt, quod *ad bonum commune*, ſive *Communitatis* ordinetur. Communitas alia *imperfecta* eſt, alia *perfecta*. Communitas perfecta dicitur, quæ ſuapte natura perpetua eſt, ac politicæ gubernationis capax, ſive ea eſt, quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem, ad quem eſt inſtituta, felicitatem ſcilicet, pacem, ac tranquillitatem publicam, ut Civitas, Provincia, Regnum, Eccleſia, totum genus humanum. *Imperfecta* vero vocatur, quæ ad hujuſmodi finem obtinendum ſufficiens ſibi non eſt, ut Domus, Familia, Parœcia &c. Porro tunc Communitas cenſetur ſibi ad finem ſuum aſſequendum ſufficere, cum in ea poteſtas eſt inſtituendi Magiſtratus, aut Paſtores, continendi ſubditos in officio, dirimendi lites, & controverſias, improbos, ac ſceleſtos coercendi, vel contumaces a politico corpore reſecandi. Ad hujuſce *perfectæ Communitatis bonum*, ſive felicitatem leges conſpirant. *Cum omnis pars*, inquit S. Thomas loco citato, *ordinetur ad totum, ſicut imperfectum ad perfectum: unus autem homo ſit pars Communitatis perfectæ; neceſſe eſt, quod lex proprie reſpiciat ordinem ad felicitatem communem*: Quod & Tullius animadvertit *lib.* 2. *de legibus* inquiens: *Conſtat profecto ad ſalutem civium, civitatumque incolumnitatem, vitamque omnium quietam, & beatam conditas eſſe leges*. Idque compertiſſimum eſt in quacunque lege ſive naturali, ſive poſitiva. Lex namque naturalis totius humani generis felicitatem ſpectat: divinæ leges

ges

Digitized by Google

ges poſitivæ homines ad beatitudinem cæleſtem ordinant : leges autem humanæ ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles commune bonum propriæ naturæ conſentaneum promovent. Neque tamen neceſſe eſt, ut omnes ſemper Communitatis partes lex obſtringat, dummodo ad totius Communitatis bonum dirigatur. Contingere namque poteſt, ſi de humanis legibus ſermo ſit, ut ipſum commune bonum hoc expoſcat, quod aliqui, aut aliqua ſubditorum pars a lege, ſive a legis obligatione ſubtrahatur : de quo poſtea.

V. Quod ſi lex ad commune bonum ordinatur, ſequitur non a quocunque Communitatis membro condi poſſe, ſed vel ab ipſa Communitate, vel ab eo, qui curam Communitatis gerit : quæ tertia eſt legis definitionis pars traditæ a Sancto Thoma, qui eam ita declarat, & probat art. 3. *Ordinare aliquid in bonum commune eſt vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem multitudinis. Et ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam habet: quia & in omnibus aliis ordinare in finem eſt ejus, cujus eſt proprius ille finis*. Hinc ſubdit ad 3. *Ille, qui gubernat aliquam familiam, poteſt quidem facere præcepta, vel ſtatuta, non tamen quæ proprie habeant rationem legis*. Id quod etiam *ad* 2. confirmat ex eo, quod lex gaudere debeat vi *coactiva*, ut efficaciter ad obedientiam inducat, ſibique ſubjiciat rebelles, & contumaces homines. *Hanc autem virtutem coactivam habet multitudo, vel perſona publica, ad quam pertinet pœnas infligere. Et ideo ſolius ejus eſt leges facere*.

VI. Atque ex hoc eluceſcit diſcrimen legis a præcepto. Lex namque neceſſario dirigitur ad Communitatem, & ad bonum ejuſdem ordinatur, nec a quocunque etiam Superiore ferri valet, ſed vel a Republica, vel ab eo, qui Reipublicæ, aut Communitati præeſt, ejuſque curam gerit. Non ita vero præceptum, quod & privatum bonum reſpicere poteſt, ac ſolet, & a privata perſona fieri, puta a domino ad ſervum, a patre ad filium, a viro ad uxorem &c. Differt autem præceptum a lege tanquam ſpecies a genere : omnis quippe lex præceptum eſt : at non e contra omne præceptum legis characterem induit.

VII. Poſtremo loco in definitione legis dicitur, quod ſit *promulgata*. Quoad hanc partem conſentiunt quidem omnes *promulgationem* eſſe omnino neceſſariam, ut lex virtutem obligandi obtineat : Sed litigant inter ſe de Schola Theologi, an illa conditio ſit, an vere ad eſſentiam legis pertineat. Cæterum miſſa hac controverſia, meo plane judicio, prorſus inutili, ſufficiat afferre perſpicuam *art*. 4. Sancti Thomæ doctrinam, qua ejuſdem neceſſitatem adſtruit. *Lex*, inquit, *imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicatur his, qui regulantur, & menſurantur. Unde ad hoc, quod Lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione. Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quod lex habeat ſuam virtutem*.

VIII. Verum hæc promulgatio penitus neceſſaria, ut lex vim obtineat obligandi, non eadem eſt in omnibus legibus, nec eodem modo completur. Legis naturalis *promulgatio* hoc ipſo perfecta eſt, quod *Deus illam mentibus hominum inſeruerit naturaliter cognoſcendam*, inquit S. Thomas. Lex divina poſitiva alio modo promulgata eſt, *vetus* quidem in monte Sinai, *nova* autem in ſolemni Pentecoſtes die, ut deinceps conſtabit. Leges humanæ tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles ſemper exteriore aliquo ſigno promulgari ſolent, ac debent : ſed quod varium eſt atque diverſum pro regionum varietate, & conſuetudine. Quodcunque tamen illud ſit, haud profecto neceſſe eſt, ad legis obligationem inducendam, ut in notitiam ſubditorum omnium per-

Digitized by Google

perveniat. Hine Sanctus Thomas hic *art.* 4. *ad* 2. loquens maxime de humanis legibus docet: *Quod illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem obſervandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire poteſt, promulgatione facta.* Quæ promulgatio præſens, ut *ad* 3. animadvertit, *etiam in futurum extenditur per firmitatem ſcripturæ, quæ quodammodo ſemper eam promulgat.*

CAPUT SECUNDUM

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Rejiciendæ legis definitiones a quibuſdam heterodoxis Scriptoribus traditæ.*

II. *Perperam P. Viva præfert definitioni legis traditæ a S. Thoma, eam, quam proponit Suareſius, veluti clariorem.*

III. *Lex proprie conſtat propoſitionibus univerſalibus practicis.*

IV. *Animadverſio magni momenti inde deducta adverſus præcipuum principium reflexum Probabiliſtarum.*

V. *Alia animadverſio in alterum eorumdem principium reflexum.*

VI. *Lex permiſſiva quos obliget.*

VII. *Qualibet lex debet eſſe juſta, & honeſta.*

VIII. *Leges iniquæ non ſunt dicendæ leges.*

IX. *In quo differat Tyrannus a Legiſlatore.*

X. *Lex indole ſua firma, ac perpetua eſt.*

XI. *Facta promulgatione ſubditos omnes adſtringit.*

XII. *Reflexio.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. REJICIENDÆ ſunt veluti aut mancæ, aut obſcuræ, aut minus idoneæ ad legis notionem explicandam, definitiones legis generatim conſideratæ, quæ a nuperis quibuſdam heterodoxis Scriptoribus traduntur; ac in primis ea, quam tradit Chriſtianus Thomaſius, atque unice idoneam nimium confidenter jacta, & a qua vix differt, quæ traditur a Pufendorfio, ſcilicet *lex eſt juſſus imperantis obligans ſubjectos, ut ſecundum illum juſſum actiones ſuas inſtituant.* Nam inepte prorſus *juſſum* ſuoſtituit pro *regula*, atque *menſura*. Satis enim compertum eſt, non omnem imperantis juſſionem habere rationem legis. Hæc ſiquidem permanens, diuturnave ſit oportet. *Juſſus* autem, ſive *juſſum* nullam ex ſe diuturnitatem expoſcit. Præterea lex Communitatem, bonumque commune reſpicit: non ita quodvis imperantis juſſum. Ac demum in eo reprehendenda videtur, quod nullam faciat de promulgatione mentionem.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. A vero abludit P. Dominicus Viva, dum producta legis definitione tradita a S. Thoma, eam *clarius definiri* exiſtimat a P. Suareſio dicente: *lex eſt præceptum commune, juſtum, ac ſtabile, ſufficienter promulgatum.* Nam præterquamquod congruentius lex definitur, *regula*, ſive *ordinatio rationis*, & diminuta videatur Suareſii definitio, in qua nulla mentio fit de illo, a quo condi, & promulgari lex debeat; falſum eſt *clariorem* eſſe ea definitione, quam propoſuit Angelicus Doctor, quum potius obſcura, & implicata videatur, ut utramque conferenti ſatis manifeſtum eſt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Lex quæcunque, cum *regula* ſit, atque *menſura*, proprie conſtat ſtatutis quibuſdam, aut propoſitionibus univerſalibus practicis, ad quas caſus omnes, ſive actiones, & omiſſiones peculiares referuntur. Ita S. Thomas hic *art.* 1. *ad* 2. inquiens: *Propoſitiones univerſales rationis practicæ habent rationem legis: quæ quidem propoſitiones aliquando actualiter conſiderantur, aliquando vero a ratione tenentur.* Id Sanctus Doctor derivat ex ipſa ratione *regulæ*, & *menſuræ*, quæ legi maxime convenit, *quæſt.* 96. *art.* 1. *ad* 2. ubi ait: *Illud, quod eſt directivum, oportet eſſe plurium directivum. Si enim eſſent tot regulæ, vel menſuræ, quot ſunt menſurata, vel regulata, ceſſaret utique utilitas regulæ, vel menſuræ, quæ eſt, ut ex uno multa poſſint cognoſci: & ita nulla eſſet utilitas legis,

git, *ſi non ſe extenderet*, *niſi ad unum ſingularem actum*. *Ad ſingulares enim actus dirigendos dantur ſingularia præcepta prudentum*: *ſed lex eſt præceptum commune*. Idem alio ex capite confirmat S. Doctor ibidem *art.* 6. *ad* 3. quoniam, ſi de humanis legibus ſermo ſit, *nullius hominis ſapientia tanta eſt*, *ut poſſit omnes caſus ſingulares excogitare &c. Et ſi poſſet Legislator omnes ſingulares caſus conſiderare*, *non oporteret*, *ut omnes exprimeret propter confuſionem vitandam*. Quæ altera ratio æque locum habet in legibus a Deo conditis, ut nemo non perſpicit. Per propoſitiones igitur univerſales leges exprimuntur, nec exprimi aliter poſſunt, aut debent a Legumlatoribus; ad quas poſtmodum humana ratio virtutibus, maximeque prudentia prædita exigere debet actiones ſuas, ut rectæ ſint, legique conformes. Nam, ut idem S. Thomas docet p. 2. q. 49. art. 5. ad 2. *ad prudentiam maxime requiritur*, *ut ſit homo bene ratiocinativus*, *ut poſſit bene applicare univerſalia principia ad particularia*, *& incerta*.

IV. Seria, atque accurata animadverſione dignum eſt hocce Conſectarium. Ex eo namque præſertim perſpicua fit futilitas illius principii, quod *reflexum* vocant, quo pro ſententia *Probabiliſmi* adſtruenda cum primis utuntur Antonius Terillus, Paulus Segnerius, D. Alphonſus Liguorius, aliique. Ajunt ipſi nimirum in dubiis caſibus de actionum honeſtate ob opinionum Theologorum inter ſe diffidentium diverſitatem, *legem non eſſe ſatis promulgatam*, atque adeo vim nequaquam obtinere obligandi. Hoc ipſi aſſerere minime poſſunt, niſi ſibi perſuaſum habeant totidem leges eſſe debere promulgatas, quot ſunt caſus, ſive actiones peculiares, de quarum honeſtate diffidium inter Theologos ſuboritur, & ſuboriri valet, quæ propemodum infinitæ ſunt. Nam profecto leges ſive naturales, ſive poſitivas generatim promulgatas fuiſſe quis ambigat (niſi forte de quibuſdam humanis legibus dubitatio aliquando fit) adeoque vim omnem perfectam obligandi obtinere? Solum itaque opinionum varietates reſpicere queunt ſingulares actiones hominum, num ſcilicet ob earumdem circumſtantias, aut qualitates, hujuſmodi ſint, ut a lege vel præcipiantur, vel vetentur. Cum ergo de legum promulgatione nulla diſſenſio ſit penes Theologos, omneſque factam jam fuiſſe præſumant, ac præſumere debeant; perperam ex opinionum diverſitate circa honeſtatem ſingularium actionum ſubinferunt legem non eſſe promulgatam, atque adeo nec, preſſe loquendo, legem eſſe, cum obligationem non inducat, quæ cujuſque legis eſſentialis proprietas eſt.

V. Sed & alterum reflexum Probabiliſtarum principium ex eodem Conſectario ſubruitur, atque convellitur, illud videlicet, quo in dubio de honeſtate aut pravitate actionis conſtituunt, *licere cuilibet opinionem amplecti ſuæ libertati faventem*, *eo quod hac poſſeſſione gaudeat adverſus legem*. Convellitur, inquam, & quidem evidenter ex allata doctrina. Lex etenim ſive naturalis, ſive poſitiva, cum *regula* quædam ſit, ac *menſura* procul dubio homini applicata per promulgationem, præcedat, oportet, ſibique ſubjiciat ejus voluntatem, cujus actiones regulat, atque menſurat, adeoque ejus libertatem ita arctet, & afficiat, ut ſibi obſequatur, & pareat. Quare cum diſputatur in utramque partem, an actio ſit honeſta, vel prava, ſive an legi conformis ſit, aut diſſentanea, lex ſemper prævalet, ac prævalere debet humanæ libertati, quæ legi ſubjecta eſt, nec ab ea recedere valet, quin ipſam contemnat, aut violet.

CONSECTARIUM QUARTUM.

VI. Nulla lex eſt, quæ obligationem non inducat, quum ratio *præcepti* a lege ſejungi nequeat. Neque tamen hinc inferre licet, minime dari poſſe legem, quæ ſit *permiſſiva* prout habetur ex *lib.* 7. *de legibus*, ubi inter legis actus numeratur etiam *permittere*. Quoniam etſi *permiſſio* illum non obli-

obliget, nec obligare ſe valeat, cui facta eſt permiſſio, adeoque nec reſpectu illius vim legis obtineat; obligat tamen alios, ne ſcilicet vel obſiſtant actus permiſſi executioni, vel propter eumdem ſupplicio afficiant. Conſiderandum igitur eſt quid ſub permiſſione cadat. Si enim lex permittat actum de ſe indifferentem, decernendo liberum cuique eſſe illum exequi, obligat alios, ne ejuſdem executioni impedimentum apponant. Si vero permittat actum de ſe bonum, veluti cum Princeps præmium ſtatuit viris ſtrenuis, ac fortibus, etſi hos non adſtringat ad petendum præmium, obligat tamen alios, ut a præmio petendo non impediant. Quod ſi demum quidpiam permittat ſuapte natura malum, in quo Legiſlator humanus neque diſpenſare poteſt, neque diſpenſat, ſolum obligat judicem, ne propter illud puniat legis tranſgreſſorem. Quare lex permittens, ſaltem virtualiter, ſemper præceptiva eſt, ſive præceptum involvit.

CONSECTARIUM QUINTUM.

VII. Lex omnino debet eſſe juſta, & honeſta. Hoc patet tum ex notione legis, quæ *regula* quædam eſt; regula autem non eſſet, ſed potius defectio a regula, ſi inhoneſta, & injuſta foret: tum ex eo, quod quælibet lex humana (nam divinam honeſtam ſemper & juſtam eſſe nullus dubitat) vim obligandi non acquirit, niſi ex ipſa æterna Dei lege, a qua derivatur, juxta illud: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*; adeoque ſi lex honeſta, & juſta non ſit, neque obligat, neque proprie lex dici poteſt. Ex triplici autem capite juſtas eſſe leges animadvertit S. Thomas hic q. 96. *art.* 4. his verbis: „ Primo dicuntur „ leges juſtæ *ex fine*, quando ſcilicet ordi- „ nantur ad bonum commune. Secundo *ex* „ *Authore*, quando ſcilicet lex lata non „ excedit poteſtatem ferentis. Tertio *ex for-* „ *ma* quando ſcilicet ſecundum æqualitatem „ proportionis imponuntur ſubditis onera in „ ordine ad bonum commune. Cum enim „ unus homo ſit pars multitudinis, quili- „ bet homo hoc ipſum, quod eſt, & quod „ habet, eſt multitudinis: ſicut & quælibet „ pars id, quod eſt, eſt totius. Unde & na- „ tura aliquod detrimentum infert parti, ut „ ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges hujuſ- „ modi onera proportionabiliter inferentes „ juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcien- „ tiæ „.

VIII. Ex quo colligere proclive eſt, etiam triplici ex capite leges injuſtas eſſe, atque adeo a propria legum ratione excidere, ſi nempe adverſentur bono humano, vel divino: quod ibidem explicare pergit S. Doctor. Et quidem leges humano bono adverſantur, vel *ex fine*: „ ſicut cum aliquis „ Præſidens leges imponit oneroſas ſubditis „ non pertinentes ad utilitatem communem „ &c. vel etiam ex *Authore*: ſicut cum ali- „ quis legem fert ultra ſibi commiſſam po- „ teſtatem: vel etiam *ex forma*, puta cum „ inæqualiter onera multitudini diſpenſan- „ tur, etiamſi ordinentur ad commune bo- „ num: & hujuſmodi magis ſunt violentiæ, „ quam leges: quia ſicut Auguſtinus dicit „ *in lib.* 1. *de lib. arb. lex eſſe non videtur*, „ *quæ juſta non fuerit* „. Unde ſubjicit, tales leges non *obligant in foro conſcientiæ, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem: propter quod etiam homo juri ſuo cedere debet*. Multoque minus *leges* appellandæ ſunt, quæ adverſantur bono divino: ſicut leges inducentes ad idololatriam, vel ad aliud quodcunque, quod divinæ legi repugnet.

CONSECTARIUM SEXTUM.

IX. Ex doctrina tradita, & ex ipſa legis definitione ſequitur Principem nonniſi tyrannice, & injuſte legem condere poſſe, qua particularia ſubditorum bona in propriam convertat utilitatem, & commodum, adeout nec ſaltem mediate, *in commune civium bonum ordinentur*. Hinc S. Baſilius in c. 1. Proverb. ait, in hoc Tyrannum a Legiſla-

tore

Digitized by Google

tore differre, quod *ille ſua ipſius quomodocumque, & undecunque reſpicit, hic ſubditis conſulere tantum quærit*. Quare apud Ezechielem cap. 34. arguuntur Paſtores, [quo nomine Reges omnes, ac Principes intelliguntur) eo quod ſemetipſos paſcerent, & non gregem. Fœda proinde ac perniciosa quorundam ſententia eſt, qui exiſtimant Principes, ac Reges ita eſſe ſubditorum ſuorum dominos, ut poſſint pro lubitu bona eorundem in proprium commodum convertere, legeſque ferre ad ſuam utilitatem, & gloriam duntaxat ordinatas.

Consectarium Septimum.

X. Lex quæcunque indole ſua firma, ac perpetua eſt. Hæc ex ipſa legis conditione manat, quæ Communitatem ſpectat, bonumque publicum, quæ de ſe firma ſunt, ac perpetua. Et hac etiam ex parte a *præcepto* diſtinguitur, quod ſuapte natura temporarium eſt, ac morte ſaltem præcipientis expirat: non ita vero lex, quæ etiam Legislatore vita functo perſiſtit. Neque tamen, cum dicimus legem ex ſe firmam eſſe & immobilem, hoc ita intelligendum eſſe velim, ac ſi nunquam ceſſare queat, aut extingui. Id equidem verum eſt de illis legibus, quæ nullam ſubire valent mutationem, uti ſunt *lex æterna Dei & lex naturalis* quæ ejuſdem participatio eſt, aut ita a ſupremo Legislatore conditæ ſunt, ut uſque ad mundi conſummationem conſtanter perſeverent; ſicut & *lex Evangelica*. Cæterum aliæ leges, quæ vel pro definito tempore latæ ſunt, ut *lex Moſaica*, vel mutatis ſucceſſu temporum circumſtantiis noxiæ fieri queunt, aut ſaltem inutiles, non ita perpetuæ dicuntur, ut nunquam finem habituræ ſint, ſed quia natura ſua ſunt ſtabiles, ac permanentes, nec deſinunt, niſi aut voluntate Legislatoris revocentur, aut legitima conſuetudine prævalente aboleantur. Hinc cum S. Thomas hic *q. 97. art. 1.* loquens de lege humana ſibi objeciſſet notionem legis expoſitam, quod *lex menſura ſit: menſura autem maxime debet eſſe permanens*, ad 2. reſpondet, quod *menſura debet eſſe permanens, quantum eſt poſſibile: ſed in rebus mutabilibus non poteſt eſſe aliquid omnino immutabiliter permanens: & ideo lex humana non poteſt eſſe omnino immutabilis*.

Consectarium Octavum.

XI. Facta legis promulgatione eo modo, quem innuimus, juxta legum diverſitatem, hæc perfectam obtinet virtutem obligandi ſubditos omnes, etiam illos qui eam invincibiliter ignorant, adeo ut, quamquam excuſentur a culpa, qui legem non obſervant, dum ignorantia eorum reapſe invincibilis eſt; nihilominus ſaltem gravum *materialiter*, ut inquiunt, efficiat actum legi contrarium, alioſque inducat effectus legis proprios, exempli cauſa ſi lex irritet aliquem contractum, poſt ſufficientem promulgationem obligat etiam invincibiliter eam ignorantes, adeo ut contractus vere irritus ſit, ac nullius roboris, tametſi ob hujuſmodi ignorantiam tum a culpa, tum a pœna, ſi adjecta fuerit, excuſentur.

REFLEXIO.

Sæpius in hoc Opere ſermonem habituri ſumus adverſus nuperum de *Probabilitate* ſyſtema duobus circiter ab hinc ſæculis in Ethicam Chriſtianam invectum, multiſque argumentis, iiſque evidentibus, planeque decretoriis oſtenſuri ejuſdem tum falſitatem, tum futilitatem maximam, tum graviſſima incommoda, quæ in animarum perniciem, moremque corruptelam ex eo affatim ſuboriuntur. Sed interim vel ab ipſo principio videat obiter ſapiens Lector, quam futile, & inane ſit, ex ipſa ſola, quam dedimus ex Sancto Thoma, legis definitione: ea namque ſi diligenter perpendatur, ut in tertio Conſectario notatum eſt, præcipuum, cui modo nititur, fundamentum penitus ſubruit, atque convellit. Cum enim juniores

Pro-

Probabiliſtæ, maximeque Antonius Terillus cernerent., nullatenus poſſe hoc ſyſtema conſiſtere in fundamentis ſuperſtructum, quæ ab antiquioribus conſtituta fuere, quo demum ſe receperunt, ut illud, ſi quidem poſſent, conſtabilirent: Ad quædam *principia reflexa*, quæ cæteris omnibus ſi miora putaverunt, ac ad illud in primis, quod cæterorum caput eſt, in conflictu ſcilicet opinionum probabilium nullam eſſe legem, quæ actionem præcipiat, aut vetet, aut ſaltem, quod perinde eſt, ſatis promulgatam non eſſe, adeoque nec vim obligandi obtinere: quæ proprietas eſſentialis legi eſt. Ex quo ſubinde illud inferunt, manere in poſſeſſione ſua voluntatem agendi quidquid libuerit, abſque ullo peccandi periculo. Porro fundamentum hocce, cui maxime fidunt, probe perſpecta legis definitione concutitur, diſſolvitur, & evaneſcit in auras, ut nemo non intelligit, qui ea duntaxat, quæ dicta ſunt, attente conſideret. Verum plura in loco dicenda erunt, quæ in nihilum plane redigent inane figmentum, quod tanto labore, tantiſque conatibus erigere nonnulli ſtudent in Ethicæ Chriſtianæ dedecus, atque ludibrium.

DISSERTATIO PRIMA

De lege æterna Dei, ac naturali.

PRÆMISSA leg s univerſim conſideratæ notitia ad ſingulas legum ſpecies explicandas accedo, primumque de Lege æterna Dei diſſero, ac deinde de lege naturali, quæ ejuſdem quædam participatio eſt, pluraque in capita totam Diſſertationem tribuo.

CAPUT PRIMUM.

De lege æterna Dei: quid illa ſit exponitur.

D O C T R I N A.

I. *Legis æternæ definitio.*
II. *Definitio tradita explicatur.*
III. *Differt lex æterna tum ab arte, & ideis divinis, tum a divina Providentia.*
IV. *Nihil eidem deficit, quo veræ propriæque legis rationem obtineat.*

PRIMA ac ſuprema legum omnium, a qua cæteræ quæque pendent, eſt *lex æterna Dei*. De hac pertractat Doctor Angelicus t. 2. tum *art.* 1. *q.* 91. tum tota quæſt. 93. in plures articulos diſtributa, ex quibus præſertim, quæ potiora viſa fuerint, hauriemus.

Definitio legis Æternæ.

I. S. Auguſtinus lib. *de lib. arbitr.* c. 6. de lege æterna loquens ait: *Ut breviter æternæ legis notionem, quæ impreſſa nobis eſt, quantum valeo, verbis explicem, ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.* Quibus conſona ſunt, quæ habet *lib.* 22. *cont. Fauſtum C.* 22. nempe *Lex æterna eſt ratio divina ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Preſſius eam definit S. Th. *q. citata* 93. *art.* 1. inquiens: *Lex æterna nihil aliud eſt, quam ratio divinæ Sapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actionum, & motionum, in bonum ſcilicet commune totius univerſi.*

Explicatur, ac probatur legis æternæ definitio tradita a Sancto Thoma.

II. Lex æterna dicitur in primis *ratio divinæ Sapientiæ*: quoniam, ut obſervat Sanctus Doctor, *ſicut in quolibet artifice præexiſtit ratio eorum, quæ conſtituuntur per artem; ita etiam in quolibet gubernante oportet, quod præexiſtat ratio ordinis eorum, quæ agenda ſunt per eos, qui gubernationi ſubduntur: Et ſicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars, vel exemplar rerum artificiatarum; ita etiam ratio gubernantis actus ſubditorum rationem legis obtinet, ſervatis aliis, quæ ſupra eſſe diximus de ratione legis*, quod ſcilicet ſit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.
Que-

Digitized by Google

Quemadmodum ergo *ratio divinæ Sapientiæ , in quantum per eam cuncta ſunt creata , rationem habet artis , vel exemplaris , vel ideæ ; ita ratio divinæ Sapientiæ moventis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis .*

III. Ex quo manifeſtum eſt , legem æternam differre tum ab arte , tum ab Idea, ſive Ideis divinis , *quæ reſpiciunt naturas ſingularum rerum* , ut S. Doctor advertit ad primum : tum etiam a divina Providentia , quæ , ut docet *q.* 5. *de Verit. art.* 1. *ad* 2. *proprie non nominat legem æternam , ſed aliquid ad legem æternam conſequens . Lex enim æterna eſt conſideranda in Deo , ſicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota , ex quibus procedimus in conſiliando , & eligendo, quod eſt prudentiæ , ſive providentiæ. Unde hoc modo ſe habet lex intellectus noſtri ad prudentiam , ſicut principium in demonſtratione . Et ſimiliter etiam in Deo lex æterna non eſt providentia , ſed providentiæ quaſi principium .*

IV. Legem hanc æternam tum in Deo exiſtere , quod in ipſo ſicut *in Principe totius univerſitatis ſit ratio gubernationis rerum* , quæ profecto nonniſi *æterna* eſt , oſtendit S. Thomas *q.* 91. *art.* 1. tum veræ propriæque legis habere rationem ex eodem evidenter colligitur, probantque cæteri fere omnes Theologi adverſus paucos alios . Si quid enim huic legi deeſſet , ne lex preſſe dicenda foret, præſertim eſſet promulgatio , quæ ab æterno non fuit , cum ab æternitate creaturæ non extiterint , quibus fieri potuerit . Verum hanc haudquaquam deeſſe , ſaltem ex parte Dei promulgantis , licet non ex parte creaturæ audientis, aut inſpicientis , evincit S. Thomas ibidem inquiens ad 2. *Promulgatio fit & verbo ; & ſcripto . Et utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis: quia & Verbum divinum eſt æternum , & Scriptura libri vitæ eſt æterna* . Quod pulchre declarat Franciſcus Sylvius in hunc locum , adhibita ſimilitudine Principis, qui recte diceretur legem feciſſe initio ſui principatus , eamque modo quodam (etſi non perfecto) promulgaſſe, ſi tunc eam mente concepiſſet, ac ſcripto mandaſſet , ſcriptumque illud ita proponeret , ut unuſquiſque adveniens illud intueri poſſet , legere, ac intelligere . Ita legem æternam dicimus coæternam Deo , & ab æterna quadam ratione [licet non omnino perfecta] promulgatam : ſiquidem Deus ab æterno eam concepit , atque conſcripſit in libro vitæ , ut unuſquiſque adveniens in tempore legere illam poſſet , ac intelligere juxta capacitatem ſuam : atque id eo quidem potiore jure , quod circa hujuſmodi legem nihil plane eſt , quod mutationi ſit obnoxium, aut mutandum aliquando ſit , prout contingere poteſt , ac ſolet in lege Principis humani .

CAPUT SECUNDUM .

Delineantur præcipuæ legis æternæ prærogativæ .

DOCTRINA.

I. *Leges omnes juſtæ & honeſtæ derivantur ab æterna lege .*

II. *Quo pacto ab æterna lege deriventur .*

III. *Legi æternæ ſubduntur omnia creata ſive contingentia , ſive neceſſaria .*

IV. *Peculiari modo ſubduntur legi æternæ creaturæ rationales .*

V. *Lex æterna prima eſt ac ſuprema regula , & menſura moralis honeſtatis .*

PRÆROGATIVÆ æternæ Dei legis colliguntur ex laudata *q.* 93. S. Thomæ, quarum tres præcipuas hoc capite deſcribemus .

§. I.

PRIMA PRÆROGATIVA LEGIS ÆTERNÆ .

Cæteræ quæcunque leges , quatenus juſtæ & honeſtæ ſunt , atque adeo proprie legis rationem habent , derivantur a lege æterna .

I. HÆC conſtat ex Prov. c. 8. ubi Sapientia divina ita loquitur : *Per me Reges regnant , & legum conditores juſta decernunt*

nunt : *per me principes imperant , & potentes decernunt juſtitiam* . Unde S. Auguſt. *lib. de ver. Religione cap.* 31. ſic ait : *Conditor legum temporalium , ſi vir bonus eſt , & ſapiens , illam ipſam conſulit æternam , de qua nulli animæ judicare datum eſt : ut ſecundum ejus incommutabiles regulas , quid ſit pro tempore jubendum , vetandumque diſcernat* . Et *q.* 67. in Exod. *Lex Dei ſempiterna eſt , quam conſulunt omnes piæ mentes , ut quod in ea invenerint , vel faciant , vel jubeant , vel vetent , ſecundum quod in illa incommutabili veritate perceperint*: Quæ verba non eo ſenſu accipienda ſunt , quaſi legislatores omnes in ſemetipſa conſulant æternam legem, ſed in aliqua participatione ejuſdem , cujuſmodi eſt vel ipſa ratio naturalis, vel lumen Fidei , aut primorum principiorum , aliarumve veritatum . Quare dum in ferendis legibus illud duntaxat conſiderant, quod Reipublicæ bono , ac rectæ rationi conſentaneum eſt , cenſentur conſulere legem æternam , quæ per rationem nobis inditam , aut divinas litteras loquitur , & in agendis dirigit .

II. Porro triplici modo leges aliæ ab æterna lege derivari dicuntur . Primo tamquam *ab exemplari* , cum nulla lex juſta ſit , niſi imitetur æternam , eique conformetur . Secundo ut a *cauſa effectrice* : ab æterna quippe lege legislatorum omnium poteſtas profluit , juxta illud ad Rom. 13. *non eſt poteſtas niſi a Deo* . Tertio demum quatenus lex æterna medio lumine naturalis rationis approbat , ac veluti confirmat leges humanas , eaſque pro temporum , locorum , populorumque conditione diverſas. Hinc colligit S. Th. *art.* 3. *ad* 2. " quod lex humana intantum habet rationem legis , in quantum eſt ſecundum rationem rectam : & ſecundum hoc manifeſtum eſt, quod a lege æterna derivatur . In quantum vero a ratione recedit , ſic dicitur lex iniqua : & ſic non habet rationem legis , ſed magis violentiæ cujuſdam . Et tamen in ipſa lege iniqua , in quantum ſervatur aliquid de ſimilitudine legis , propter ordinem poteſtatis ejus , qui legem fecit , ſecundum hoc etiam derivatur a lege æterna : omnis enim poteſtas a Domino Deo eſt " . Itaque poteſtas diſtinguenda eſt ab ejuſdem uſu . Poteſtas quidem in legittimo Principe ab æterna lege profecta eſt : at non ſemper ab ea poteſtatis uſus proficiſcitur , qui eidem quandoque conſentaneus non eſt, & ſub hac ratione lex proprie dici non poteſt .

§. II.

Altera legis æternæ prærogativa ,

Quod eidem ſubdantur omnia , quæ ſunt in rebus creatis , ſive contingentia ſint , ſive neceſſaria .

III. Hanc exponit , ac probat S. Thomas hic *art.* 4. hoc pacto : *Lex æterna* , ut jam dictum eſt, *eſt ratio divinæ gubernationis* . *Quæcumque ergo divinæ gubernationi ſubduntur ſubjiciuntur etiam legi æternæ*: Certum autem eſt divinæ gubernationi ſubjici creaturas omnes , quæ a Deo productæ fuerunt . Igitur etiam omnia, quæ ſunt in creatis , ſive contingentia ſint, ſive neceſſaria , ſubduntur legi æternæ . Hinc *Sap.* 8. de Divina Sapientia dicitur , quod *attingat a fine uſque in finem fortiter , ac diſponat omnia ſuaviter* : & cap. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere , niſi tu voluiſſes , aut quod a te vocatum non eſſet, conſervaretur ?* Quæ teſtimonia æque res contingentes , ac neceſſarias complectuntur . *Nihil* ergo , concludit S. Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei cap. 12. *a legibus ſummi Creatoris , Ordinatoriſque ſubtrahitur , a quo pax univerſi adminiſtratur* .

At quomodo , dicet aliquis , legi æternæ ſubjici poſſunt nedum contingentia, ſed etiam neceſſaria, quæ , cum aliter ſe habere nequeant , nulla lege indigent , ut regantur , & adminiſtrentur ? Reſp. Equidem res neceſſarias nulla indigere lege humana, qua regantur, ſed tamen indigere lege æterna . Quoniam ipſa earumdem neceſſitas ab æterna Dei lege conſtituta eſt , cui proinde ita ſubjiciuntur , ut

juxta

Digitized by Google

juxta naturæ ſuæ conditionem conſtanter, eodemque modo ſe habeant, tum quoad eſſe ſuum, tum quoad actiones ſibi convenientes; quamvis aliter de iiſdem diſponere interdum Deus valeat pro ſui nominis gloria, ut contingit in iis, quæ *miracula* dicuntur.

IV. Quamquam vero res omnes ſive neceſſariæ, ſive contingentes ſubjectæ ſint æternæ legi, peculiari tamen modo ſubjiciuntur ipſi creaturæ rationales, earumque liberæ actiones: harum ſiquidem lex æterna nedum directiva eſt, ſed etiam obligatoria, atque adeo vel præceptiva, vel prohibitiva. Omnes namque hujuſmodi actiones aut imperat, aut vetat, aut ſaltem modum aliquem iiſdem præſcribit, quo vel fieri, vel non fieri debeant. Pravas omnes actiones, & vitia ab ea prohiberi, bonas vero, ac virtutes ab eadem imperati perſpicua res eſt. Quæ autem ſunt natura ſua indifferentes, dum practice, & actu exercentur, jubentur fieri propter honeſtum aliquem finem, fierique vetantur non ſolum ob pravum finem, ſed etiam abſque ordinatione ad finem honeſtum. Quapropter nulla actio libera aut deliberata creaturæ rationalis eſt, quam lex æterna nedum dirigat, verum etiam vel præcipiat, vel prohibeat.

§. III.

TERTIA PRÆROGATIVA LEGIS ÆTERNÆ,

Quod ſit prima, & ſuprema regula, ac menſura omnis moralis honeſtatis.

V. Affinis eſt hæc legis æternæ prærogativa alteri jam expoſitæ, neque ulla eget probatione, ſed ſola explicatione, ſive potius applicatione ad humanos actus. Sicut igitur Deus eſt cauſa prima & ſuprema rerum omnium creatarum, a qua tum in eſſe, tum in actionibus ſuis omnino pendent; ita lex æterna Dei eſt prima, ac ſuprema regula, & menſura humanarum omnium actionum, a qua adeo pendent in bonitate, & honeſtate, ut nulla prorſus eſſe queat recta, & honeſta, quin ipſi conſentiat. *Unumquodque enim*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 9. *rectum, & honeſtum eſt, in quantum attingit ad propriam menſuram*, adeoque, cum lex æterna prima menſura ſit cujuſque bonitatis, ſi actio humana hanc non *attingat*, fieri minime poteſt, ut recta, & honeſta ſit, juxta illud ejuſdem Sancti Doctoris principium: *Quod eſt primum in quolibet genere, eſt menſura, & ratio omnium, quæ ſunt illius generis*. Equidem bonitas voluntatis pendet etiam a ratione humana, quæ eſt regula ſecunda, & proxima humanarum actionum. Verum, niſi hæc ipſa ſecunda regula primæ conformis fuerit, rectas actiones nunquam producet. Nam, ut inquit idem S. Doctor ibidem *art.* 4. " in
„ omnibus cauſis ordinatis effectus plus depen-
„ det a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda:
„ quia cauſa ſecunda non agit, niſi in virtu-
„ te primæ cauſæ. Quod autem ratio huma-
„ na ſit regula voluntatis humanæ, ex qua
„ ejus bonitas *menſuratur*, habet ex lege æter-
„ na, quæ eſt ratio divina. Unde in Pſal.
„ 4. dicitur: *Multi dicunt: quis oſtendit nobis*
„ *bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*
„ *Domine*: quaſi diceret: *lumen rationis, quod*
„ *in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſtendere*
„ *bona, & noſtram voluntatem regulare, in*
„ *quantum eſt lumen vultus tui, ideſt a vultu*
„ *tuo derivatum*. Unde manifeſtum eſt, quod
„ multo magis dependet bonitas voluntatis
„ humanæ a lege æterna, quam a ratione
„ humana: & ubi deficit humana ratio, opor-
„ tet ad rationem æternam recurrere „.

CAPUT III.

CONSECTARIA.

I. *Lex æterna veræ, ac propriæ legis rationem obtinet.*

II. *Non in ſe ipſa, ſed in ſuo effectu cognoſcitur.*

III. *Diſtinguendæ non ſunt plures leges æternæ, ſed una eſt.*

IV. *Lex æterna complectitur etiam legem divinam poſitivam.*

V. *Aliter creaturæ rationales, aliter irrationales legi æternæ ſubduntur.*

VI. *Quidquid approbat lex æterna, bonum eſt; quidquid reprobat, malum.*

VII. *Humana ratio eatenus recte dirigit, quatenus proponit, & applicat legem æternam.*

VIII. *Actio humana, niſi conſonet legi æternæ, nunquam honeſta eſt, aut meritoria.*

IX. *Hallucinatio eorum, qui nimium fidunt dictatis conſcientiæ propriæ.*

X. *Monſtruoſa, & inaudita eſt ſententia Terilli duplicem effingentis legem æternam, aliam* per ſe, *aliam* per accidens.

XI. *Specimen abſurditatum maximarum ex hac ſententia prodeuntium.*

XII. *Reflexio.*

Consectarium Primum.

I. AUDIENDI non ſunt Vaſqueſius, Lorca, aliique, qui legi æternæ, veræ propriæque legis rationem denegant. Nam præterquamquod horum ſententia pugnat apertiſſime cum Divo Auguſtino, qui infinitis propemodum in locis eam ut veram legem agnoſcit, aut præſumit, & cum aliis Eccleſiæ Patribus; pugnat etiam cum melioribus quibuſvis Theologis, eorumque Principe S. Thoma, qui legem æternam exiſtere probat, aſſumpta legis generatim conſideratæ definitione, quod nempe *ſit dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam Communitatem perfectam*: ac præterea præcipua ſolvit argumenta, quæ ab adverſariis fieri ſolent: ac tum tota *q.* 93. tum aliis pluribus in locis, ubi de ea loquitur, tanquam veram, propriamque legem pro certo habet.

Consectarium Secundum.

II. Licet nullus hominum in hac mortali vita neque cognoſcat, neque cognoſcere valeat legem æternam, prout eſt in ſe ipſa, ſive in Deo; eam tamen rationalis omnis creatura cognoſcit *in ſuo effectu*, inquit S. Thomas hic art. 2. *in quo aliqua ſimilitudo ejus invenitur, ſicut aliquis non videns Solem in ſua ſubſtantia, cognoſcit ipſum in ſua irradiatione*: eam nimirum cognoſcit quilibet homo in aliqua participatione æternæ lucis *majore, vel minore. Omnis enim cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ eſt veritas incommutabilis*, ut ait Auguſt. de vera Relig. c. 31. *Veritatem autem omnes aliqualiter cognoſcunt ad minus, quantum ad principia communia legis naturalis. In aliis vero quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis: Et ſecundum hoc etiam plus vel minus cognoſcunt legem æternam.*

Consectarium Tertium.

III. Quamquam omnes creaturæ tum neceſſariæ, tum contingentes æternæ legi ſubjectæ ſint, & plurima etiam relate ad rationales creaturas ab ipſa vel præcipiantur, vel prohibeantur, plures tamen leges æternæ diſtinguendæ, aut dicendæ non ſunt, ſed una tantummodo eſt, ac dici debet ex eo, quod ad unicum, eumque univerſalem finem ordinetur, commune ſcilicet bonum totius univerſi. Unde ſicut Providentia in Deo nonniſi unica eſt, tametſi res diverſiſſimas complectatur, ita pariter non eſt niſi una lex æterna, quæ ad unum commune bonum refertur. Nec quiſquam opponat Ideas plures, aut Ideales rationes in Deo a Theologis diſtingui, ut inde inferat, plures etiam in Deo leges æternas poſſe multiplicari. Ut enim animadvertit S. Thomas hic ad 1. *Ideales rationes reſpiciunt proprias naturas ſingularum rerum: & in eis invenitur quædam diſtinctio, & pluralitas ſecundum diverſos reſpectus ad res. Sed lex dicitur directiva actuum in ordine ad bonum commune. Ea autem, quæ ſunt in ſe ipſis diverſa, conſiderantur ut unum, ſecundum quod ordinantur ad aliquod commune. Et ideo lex æterna eſt una, quæ eſt ratio hujus ordinis.*

Con-

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Lex æterna amplitudine ſua complectitur legem divinam poſitivam ſive veterem, ſive novam, adeo ut & ipſa quædam ſit participatio legis æternæ, & ab ea quodammodo derivetur, ut docet S. Thomas q. 91. art. 4. ad primum; ubi poſtquam dixiſſet, *per legem naturalem participari legem æternam ſecundum proportionem capacipatis humanæ naturæ*, ſubdit: *Sed oportet, ut altiori modo dirigatur homo in ultimum finem ſupernaturalem. Et ideo ſuperadditur lex divinitus data, per quam lex æterna participatur altiori modo.*

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Aliter æternæ legi ſubduntur creaturæ rationales, aliter irrationales. Creaturæ namque irrationales duntaxat eidem ſubduntur *per modum actionis, & paſſionis*, inquit S. Th. art. 6. *in quantum ipſa participatur per modum interioris principii motivi*. Unde neque legem cognoſcunt, neque agunt ſe ipſas in finem, ſed potius aguntur. At creaturæ rationales, cum præter id, quod commune habent cum cæteris creaturis, cognitione & libertate gaudeant, nobiliore modo participant æternam legem, quatenus & ipſam cognoſcunt, & ſe agunt in finem. Quare ſubjiciuntur legi æternæ, nedum ut directiva eſt, verum etiam ut obligatoria, atque adeo ut præceptiva, vel prohibitiva.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Cum lex æterna ſit prima regula prorſus indefectibilis, & per ſe ipſam recta, immo fons & principium totius rectitudinis, quidquid jubet, aut approbat, bonum eſt, quidquid damnat, aut prohibet, aut ab ipſa recedit, malum; nec alia de cauſa *malum* dici poteſt, ac debet, niſi quia legi æternæ difforme eſt, ſicut neque *bonum*, niſi quia ipſi conforme. Hinc peccatum definitur a S. Auguſtino, & a Theologis, *dictum, factum, vel concupitum contra æternam legem*: quia totam malitiam ſuam deſumit ex oppoſitione, quam habet, ad hanc ſanctiſſimam legem, quemadmodum & bona quælibet actio omnem bonitatem ſuam haurit ex illo totius bonitatis fonte.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Humana ratio, ſive conſcientia eatenus recte dirigit, ac regulat moralem actionem, quatenus recte proponit, & applicat legem æternam. Quod ſi recte non applicet, ſed ab ea deflectat, recta nunquam eſt, quin nec *regula* appellari poteſt. Cum enim ratio humana non ſit regula abſoluta, & independens a prima regula, ſed eidem potius ſubjecta, ac eſſentialiter ſubordinata, recta nullatenus eſſe poteſt, ſi primæ regulæ non conſentiat, & ab ea rectitudinem, & honeſtatem non depromat. *In his*, inquit S. Thomas p. 2. q. 21. art. 1. *quæ aguntur per voluntatem, regula proxima eſt ratio humana: regula autem ſuprema eſt lex æterna. Quandocunque ergo actus hominis procedit in finem ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus eſt rectus: quando autem ex hac rectitudine obliquatur, dicitur peccatum.*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quæcumque ſit opinio, aut exiſtimatio noſtra de honeſtate actionis, quam elicimus, niſi conſonet legi æternæ totius honeſtatis regulæ, nunquam reapſe honeſta eſt, adeoque nec laudabilis, nec meritoria præmii. Quod nedum pro comperto habendum eſt, ſi loquamur de opinione, aut judicio haud prorſus certo, ſed ſolùm probabili, verum etiam de judicio quoad nos certo, quin immo certiſſimo. Siquidem neque judicium hujuſmodi, tametſi a culpa excuſare quandoque valeat, ſufficiens regula honeſtatis eſt. Sicut enim intellectus noſter errare poteſt, ac ab æterna lege deficere per judicium incertum, mereque opinativum; ita etiam aliquando deficere valet per judicium, quod certum, ac evidens ſibi videatur.

CON-

Conſectarium Nonum.

IX. Falluntur propterea ſæpe numero plures etiam eorum, qui bene morati, ac religioſi habentur, dum in iis, quæ agunt, dictamina conſcientiæ ſuæ palam jactant, atque iiſdem freti ſecuritatem in agendis ſibi ſpondent. Nihil, inquiunt, moliti ſumus, nihil definivimus ex lubitu, aut appetitionibus ſive noſtris, ſive alienis: ſed ea tantum ſecuti ſumus, aut alios edocuimus, quæ dictata conſcientiæ noſtræ præſcribebant; quid ni recte omnia perfecimus, & ab omni cura, metuque ſecuri ſimus? Bene habet: at videndum ſupereſt, an hæc dictamina legi æternæ conſentanea ſint. Si namque neceſſarium ſtudium non adhibeant, ut actiones ſuas huic legi reſpondeant, quid proſunt ipſis ſua dictamina, quæ recta eſſe nequeunt, niſi conformia ſint primæ, & univerſali totius rectitudinis regulæ, atque menſuræ.

Conſectarium Decimum.

X. Monſtroſum commentum eſt, planeque inauditum apud omnes antiquos ſyſtema, quod in Probabilitatis, & ignorantiæ præſidium excogitavit P. Antonius Terillus, de duabus æternis legibus, altera *per ſe*, altera, ut vocat, *per accidens*. Hoc novum inventum, quod pluribus Probabiliſtis arridet, ita ab illo proponitur *De conſ. q.* 11. *n.* 11.: „ Omnis Dei voluntas regulans moralitatem „ vel eſt præcipiens, vel vetans, vel certe „ conſulens, aut permittens electionem ali- „ cujus objecti. Omnis autem voluntas Dei, „ ſeu *lex æterna* hujuſmodi ad duas claſſes „ reducitur, quarum altera talis eſt *per ſe*; „ alia talis eſt *per accidens*. Do exemplum, „ & rem declaro. Illa Dei voluntas obligat „ per ſe, qua Deus directe, & ex primaria „ intentione exigit a nobis aliquod obſequium. „ Talis eſt voluntas [ſive lex æterna] qua „ Deus omnibus directe præcipit obſervatio- „ nem Decalogi, & auditionem Sacri diebus „ feſtivis: quia per ſe directe, & ex primaria „ intentione Deus a creaturis ſuis poſtulat hæc „ obſequia ſibi præſtari. Illa vero voluntas „ Dei (ſeu lex æterna) obligat *per accidens*, „ quæ neque directe, neque ex primaria in- „ tentione, ſed ſolum ex ſuppoſitione alicu- „ jus ignorantiæ, vel erroris in mente crea- „ turæ hic, & nunc exigit obſequium ab illa“; ſive ut clarius explicat *q.* 28. *n.* 13.: “ Lex „ æterna *per accidens* eſt, quæ ex ſuppoſitio- „ ne erroris, vel ignorantiæ humanæ de re- „ bus ordinat. Utraque lex debuit in Deo „ exiſtere, ſtante Providentia ordinaria, qua „ homines noſtri ſimiles ad ultimum finem „ dirigit „. Ex qua poſtea doctrina infert, tum *univerſaliter loquendo ultimum conſcientiæ dictamen eſſe verum, & eſſe evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili*: tum *voluntatem conformem dictamini conſcientiæ etiam vincibiliter errantis conformari cum aliqua Dei voluntate* [ſive lege] *ſaltem per accidens obligante, aut conſulente*.

XI. Non ego immorabor in hoc putidiſſimo commento refellendo, quod jam ex iis, quæ dicta ſunt cum D. Thoma, cæteriſque Theologis, evidentis falſitatis convincitur. Illud ex omni parte impugnat, atque convellit P. Ignatius de Camargo toto ferme Opere ſuo *De regulis honeſtatis moralis*, & abſurditatibus pleniſſimum oſtendit, ex quo unam tantum hic afferam excerptam *ex p.* 1. *lib* 1. *Controv. X. art.* 1. „ Si voluntas, inquit, adverſus ſe- „ cundam illationem, conformis dictamini „ conſcientiæ, etiam vincibiliter errantis, „ conformatur cum aliqua Dei voluntate, aut „ lege, ſaltem *per accidens* obligante, aut „ conſulente; igitur ſecundum Terillum, quo- „ ties Judæus, exempli gratia, obcæcatiſſi- „ mus, & obſtinatiſſimus firmiter apud ſe „ concludit per ſummam pertinaciam, & im- „ pietatem, Chriſtum fuiſſe blaſphemum ac „ ſeductorem, adeoque ſibi merito execran- „ dum; hoc ipſius dictamen *eſt abſolute ve-* „ *rum, & evidens*, & ex illius ſuppoſitione „ jam Deus ipſi conſulit, aut jubet, ut „ Chriſtum deteſtetur, atque contemnat. Et

hæc

Digitized by Google

„ hæc doctrina (Terillo judice, & rectiſſime „ quidem judicante, poſita ſua illa nova le„ge æterna) eſt non ſolum conducens, ſed „ & penitus neceſſaria ad benignam ſenten„tiam “. Plures alias non minus abſurdas, & horribiles conſequentias ex eadem doctrina neceſſario colligi nemo non intelligit.

R E F L E X I O.

XII. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde axquirunt eum*. Verba ſunt Regii Vatis, quibus exorditur ſacratiſſimum illum pſalmum, qui totus inſumitur in commendando nobis modis omnibus ſtudio, amore, & accurata obſervatione divinæ legis. Si qua enim felicitas, ſi qua beatitudo eſt in hac miſera vita, non aliunde profecto manat, quam ex hac indefeſſa ſollicitudine *ambulandi in lege Domini, eam exquirendi in toto corde*, eidemque in omnibus fideliter ſemper, & ubique obſequendi. Hinc appoſite S. Doctor Auguſtinus in horum verborum commentario ſic ait: *Si vis eſſe beatus, eſto immaculatus. Illud enim omnes: hoc autem pauci volunt, ſine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt. Sed ubi erit quiſque immaculatus? niſi in via. In qua via? niſi in lege Domini* ..... *Quid porro adjungat, attendite*: Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde exquirunt eum. *Non mihi videtur aliud his verbis commemeratum beatorum genus, quam illud quod ante dictum eſt. Nam ſcrutari teſtimonia Domini, & eum in toto corde exquirere, hoc eſt immaculatum in via, & in lege Domini ambulare. Ac per hoc beati immaculati in via &c.* Hæc igitur beatitudo, quæ viam parat ad beatitudinem ſempiternam, non acquiritur ab homine mortali, niſi *legem Domini ſcrutetur, & eam exquirat in toto corde*, ut illam & cognoſcat, & opere exequatur. Quinam porro ſunt, qui legem Dei exquirunt *in toto corde*, ejuſque notitiam aſſequuntur? Non alii plane, niſi qui cor mundum habent a terrenis affectionibus, & cupiditatibus, quæ, dum cor occupant, mentem inficiunt, & obnubilant, ut etiam, dum legem exquirunt, eam non perſpiciant. Hinc increata Veritas beatitudines recenſens præmium attribuit *mundis corde*, quod Deum videant, inquiens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; videbunt ſcilicet in futura vita revelata facie regnantem, ſed videbunt etiam in præſenti vita imperantem, ſive legem ſuam immaculatam hominibus præſcribentem, cujus obedientia ad futuram illam gloriam immortalem perveniant. *Mundandis* igitur *cordibus*, concludit idem Sanctus Doctor ſerm. 277. *mcedit amnibus inſtemus, omni conatu invigilemus, omni prece, quantum poſſumus, impetremus* ab increata illa luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut divinam æternam legem, prout fas nobis eſt in hoc tenebricoſo carcere, cognoſcamus, & ad ejus amuſſim noſtras omnes actiones exigamus.

CAPUT QUARTUM.

De lege naturali, ac primum quid ea ſit, & quomodo promulgetur.

D O C T R I N A.

I. *Quid ſit lex naturæ.*
II. *Explicatur definitio legis naturalis:*
III. *Quomodo participatio legis æternæ ſit, exponitur.*
IV. *Eam Deus imprimit humanæ menti in quibuſdam dictatis neceſſariis, & præceptivis, in quibus ea proprie conſiſtit.*
V. *Applicatur, adeoque promulgatur humanæ menti ab ipſa ſua conditione.*
VI. *Doctrina S. Thomæ de promulgatione legis naturæ amplius exponitur, & illuſtratur.*

QUUM lex æterna maxime nobis innoteſcat per legem naturalem, quæ ejuſdem participatio eſt, idcirco poſt tractationem illius, de hac ſtatim ſermo habendus eſt. Sit itaque primum.

De-

Digitized by Google

DEFINITIO LEGIS NATURALIS.

I. *Lex naturalis eſt ordinatio rationis practicæ in bonum commune menti noſtræ a Deo indita, eaque præcipiens, aut vetans, quæ lumine naturali cognoſci poſſunt.* Sive ut Lactantius tradit ex Tullio de Repub. *Eſt recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, ac vetando.*

EXPLICATUR DEFINITIO, AC LEX NATURÆ ILLUSTRATUR.

II. Poſitam primo loco definitionem, quæ propius accedit ad notionem legis naturalis, quam adhibet Sanctus Thomas, explicandam ſumo, eamque ex his, quæ habet *p.* 1. *q.* 91. *art.* 2. ſic expono: " Cum lex, inquit ille, „ ſit regula, & menſura, dupliciter poteſt „ eſſe in aliquo: uno modo ſicut *in regulante*, „ & *menſurante*: alio modo ſicut *in regulato*, „ *& menſurato*: quia, in quantum partici„ pat aliquid de regula, vel menſura, ſic „ regulatur, & menſuratur. Unde cum om„ nia, quæ divinæ providentiæ ſubduntur, a „ lege æterna regulentur, & menſurentur, „ manifeſtum eſt, quod omnia participant „ aliqualiter legem æternam, in quantum „ ſcilicet ex impreſſione ejus habent inclina„ tiones in proprios actus, & fines ". Hoc, ut apertum eſt, complectitur omnia, quæ lege æterna regulantur, etiam irrationalia, & corporea, quæ præcepti proprie dicti capacia minime ſunt, cum ratione deſtituantur, nec ſemetipſa in finem dirigant, ſed ab alio potius dirigantur. At vero inter cætera (ſubdit S. Doctor) „ rationalis creatura excel„ lentiori quodam modo divinæ Providentiæ „ ſubjacet, in quantum & ipſa fit provi„ dentiæ particeps, ſibi ipſi, & aliis pro„ videns. Unde & in ipſa participatur ratio „ æterna, per quam habet naturalem incli„ nationem ad debitum actum, & finem: & „ talis participatio legis æternæ, in rationali „ creatura *lex naturalis* dicitur. Unde cum „ Pſalmiſta dixiſſet: *Sacrificate ſacrificium ju„ ſtitiæ*, quaſi quibuſdam quærentibus, quæ „ ſunt juſtitiæ opera, ſubjungit: *Multi di„ cunt: quis oſtendit nobis bona?* Cui quæſtio„ ni reſpondens dicit: *Signatum eſt ſuper nos „ lumen vultus tui Domine*: quaſi lumen ra„ tionis naturalis, quo diſcernimus, quid ſit „ bonum, & quid malum, quod pertinet ad „ naturalem legem, nihil aliud ſit, quam „ impreſſio divini luminis in nobis. Unde „ patet, quod lex naturalis nihil aliud eſt, „ quam participatio legis æternæ in rationali „ creatura.

III. Non eſt ergo lex naturalis aliquid diverſum a lege æterna *paſſive* conſiderata, ſed quædam tantum participatio ejuſdem in ratione humana, ſive lex eadem æterna, ſaltem inadæquate, communicata rationali creaturæ, per quam dirigitur, atque ipſa per rationem ſe dirigit in finem, & actus naturæ ſuæ conſentaneos, ac debitos: quod eleganter explicat S. Auguſtinus *lib.* 14. *de Trinit. C.* 15. ſimilitudine annuli, qui ceræ imprimitur, inquiens: *Ubi ſcriptæ ſunt regulæ de bono, & juſto, & honeſto, niſi in libro lucis illius, quæ veritas eſt? unde omnis lex juſta deſcribitur, & in cor hominis, qui operatur juſtitiam, non migrando, ſed tamquam imprimendo transfertur: ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & annulum non derelinquit.*

IV. Imprimit autem Deus legem æternam in Creatura rationali, dum ab ipſa creatione ſua inſerit humanæ menti dictata quædam univerſalia, ſive judicia abſoluta, neceſſaria, & præceptiva de bono, & malo, quibus ſe dirigat in fines, & actus naturæ ſuæ convenientes, quorum omnium caput, & univerſaliſſimum principium illud eſt, *bonum eſt faciendum: malum eſt fugiendum*; ad quod cætera referuntur, ut *omne injuſtum vitandum: virtutes ampleċtendæ: vitia abominanda: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus eſt colendus: Parentes honorandi*;

per-

Digitized by Google

perjurium odio habendum, & id genus alia, in quibus proprie conſiſtit lex naturalis, quæ regula, & menſura eſt humanarum actionum relate ad finem, & bonum naturale univerſi. Nam, ut ſapienter animadvertit S. Thomas hic *q.* 91. *art.* 3. *ad* 2. ratio quidem humana regula eſt ac menſura humanorum actuum, non tamen prout in ſe præciſe conſideratur, ſed quatenus impreſſas habet notiones & ideas boni, & mali, ſive honeſtatis principia: Unde in his potius lex naturæ conſtituenda eſt: *Ratio humana*, inquit, *ſecundum ſe non eſt regula rerum, ſed principia ei naturaliter indita ſunt regulæ quædam generales, & menſuræ eorum, quæ ſunt per hominem agenda*. Id ex eo maxime conſtat, quod neceſſariæ conditiones cujuſcumque regulæ ſunt, ut ſit firma, conſtans, & invariabilis. Ratio autem humana, ſi ſpectetur ſecundum ſe firma non eſt, ſed inconſtans, & variationi obnoxia, ſolaque incommutabili æterna Dei lege firmari poteſt. Ex quibus omnibus ſatis eniteſcit legitima legis naturæ notio, quin neceſſe ſit, ut in aliis traditæ definitionis particulis ſingillatim explicandis detineamur.

V. Quoniam vero circa hujuſce legis promulgationem lis a Neotericis quibuſdam movetur, proderit aliqua hic adnotare ad totam controverſiam penitus dirimendam. Aſſero itaque, legem naturalem, quam in dictatis quibuſdam neceſſariis ſitam eſſe diximus de bono, & malo, quæ nemo in ſe ipſo non percipit, ſatis homini applicatam fuiſſe, atque adeo ſatis promulgatam; quin addo nullam aliam legem magis applicatam, & promulgatam fuiſſe. Nam *promulgatio legis naturæ*, ut docet S. Thomas hic q. 90. art. 4. *eſt ex hoc ipſo, quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam*. Inſeruit autem eo ipſo inſtanti, quo animam condidit ratione præditam, qua ſupra cæteras creaturas altius aſſurgit, etſi illam actu homo non cognoſcat, niſi cum ad uſum rationis pervenerit. Hoc ſenſu intelligendam eſſe Sancti Thomæ doctrinam, luculentiſſime patet ex iis, quæ tradit *q.* 94. *art.* 1. ubi quærit, *utrum lex naturalis ſit habitus*. Nam poſtquam docuit, quo ſenſu *habitus* dici queat, ad argumentum, quod ſibi objecerat, legem ſcilicet naturalem ineſſe etiam parvulis, qui uſu rationis carent, reſpondet: *Ad id, quod in contrarium objicitur, dicendum, quod eo, quod habitualiter ineſt, quandoque aliquis uti non poteſt propter aliquod impedimentum, ſicut homo uti non poteſt habitu ſcientiæ propter ſomnum: & ſimiliter puer non poteſt uti habitu primorum principiorum, vel etiam lege naturali, quæ ei habitualiter ineſt, propter defectum ætatis.*

VI. Quamquam perſpicua admodum ſit hæc Sancti Thomæ doctina, ad adverſarios amplius revincendos, juvat eam explicare illuſtris Authoris teſtimonio, nempe Franciſci Sylvii, qui in eumdem articulum hæc habet: „ Si quæratur, quomodo Deus le-
„ gem naturæ ferat, ſequitur reſpondendum
„ eſſe, quod infundit animam rationalem.
„ Tunc enim ſignat ſuper nos lumen vultus
„ ſui, de quo pſalm. dicitur &c., hoc eſt
„ dat nobis lumen rationis a vultu ſuo de-
„ rivatum, & dependens, quo poſſimus ea,
„ quæ naturalis ratio dictat eſſe bona, vel
„ mala naturaliter cognoſcere: & hinc veri-
„ ficatur, quod dici ſolet, legem naturæ
„ eſſe ſimul cum natura inditam, & impreſ-
„ ſam „. Et in *art.* 4. ejuſdem quæſtionis, explicans reſponſionem ad argumentum ſibi oppoſitum adverſus promulgationem legis naturæ, ait: „ In reſp. ad 1. declarat [S.
„ Thomas,), quomodo lex naturæ poſſit
„ dici promulgari. *Hoc ipſo*, inquit. *quod*
„ *Deus eam mentibus hominum inſeruit natu-*
„ *raliter cognoſcendam*. Quoniam vero, quan-
„ do ſic inſeritur cognoſcenda, nondum co-
„ gnoſcitur, immo nec cognoſci poteſt, quoa-
„ duſque homo ad rationis uſum perveniat;
„ ideo addendum eſt, legem naturalem quaſi
„ promulgari in habitu eo ipſo, quod Deus
„ illam mentibus hominum imprimat. Hæc

„ enim eſt, quod *q.* 94. *art.* 1. dicit, *eam* „ *habitualiter ineſſe puero*, quamvis propter „ defectum ætatis non poſſit illa uti.

CAPUT V.

Consectaria.

I. *Falſa, & impia ſententia eſt eorum, qui legem naturalem de medio tollunt, dum nihil eſſe natura ſua bonum, aut malum effutiunt.*

II. *Quo ſenſu accipienda ſit diſtinctio malorum, quæ talia ſunt, quia prohibita; & quæ prohibita quia mala.*

III. *Falluntur, qui legem naturalem in ipſa natura rationali conſtituunt.*

IV. *Lex naturalis, prout in nobis, lex non eſt, niſi participative, & ſecundario.*

V. *Habitus preſſe dictus vocari non poteſt.*

VI. *Differt tum a ſyndereſi, tum a conſcientia.*

VII. *Abſona prorſus eſt eorum, ſi qui ſunt, ſententia, qui putant, toties promulgari naturæ legem, quoties aliquid agendum a nobis eſt.*

Consectarium Primum.

I. REJICIENDA omnino eſt tamquam nedum falſa, ſed etiam abſurda, & impia ſententia Spinozæ, Hobbeſii, aliorumque recentium Philoſophorum, qui legem naturalem de medio tollunt, contendentes nihil eſſe natura ſua bonum, aut malum, juſtum, aut injuſtum, ſed actus omnes humanos vel ſola opinione hominum, vel humanis legibus honeſtos, vel turpes dicendos eſſe. Commentum hocce inter alios profligavit S. Thomas *lib.* 3. *cont. Gent. cap.* 129. ſeptem productis rationibus plane demonſtrativis, quæ ibidem legi poſſunt: ſed ad ejus fatuitatem agnoſcendam ſatis eſt, ut vel ſolas inſitas mentibus noſtris ideas conſulamus. Quicumque enim ſeſe vel parumper recolligit, ſuaſve cogitationes perpendit, ſtatim in ſe ipſo clare perſpicit varia dictata practica, quorum jam ſpecimen dedimus, quibus nos minore neceſſitate aſſentitur, quam aliis evidentibus ſpeculativis principiis; neque enim quantumvis quiſpiam vim menti ſuæ inferre conetur, ſuadere ſibi unquam poterit E. C. malum non eſſe, *injuriam pro beneficio rependere*, *crudelitatem non eſſe vitium* &c. Hæc porro dictata practica neque effinximus ipſi, neque labore noſtro, aut meditatione comparavimus. Ea igitur menti noſtræ nonniſi Deus ipſe impreſſit. Quidquid enim boni a natura eſt, nonniſi ab Authore naturæ eſſe poteſt. Vult igitur Deus, ac jubet, ut ad hujuſmodi dictata actiones noſtras componamus. Stultum ſiquidem eſſet cogitare, fruſtra Deum ea inſerere voluiſſe: aliunde vero quid aliud eſt hujuſmodi impreſſio, niſi quædam divinæ voluntatis manifeſtatio, & denunciatio? Nullus autem ſapiens Rector regulam promulgat, aut denunciat, quam non velit obſervari. Cum igitur velit Deus hujuſmodi dictata obſervari ab hominibus, quis adeo amens, & delirus eſt, qui naturalem legem in iis dictatis conſiſtentem hominibus impoſuiſſe neget?

Consectarium Secundum.

II. Ex iis, quæ dicta ſunt, infertur, quo ſenſu accipienda ſit diſtinctio illa malorum, *alia* nempe *eſſe mala, quia prohibita, alia autem proibita, quia mala*. De hac diſſerit S. Thomas *p.* 1. *q.* 71. *art.* 6. agens de definitione peccati, quod ſit *dictum* &c. *contra legem æternam*: cum enim ſibi objeciſſet quarto loco, *quædam eſſe probibita, quia mala &c.* reſpondet: „ Dicendum, quod cum „ dicitur, quod *non omne peccatum ideo eſt* „ *prohibitum, intelligitur de prohibitione facta* „ *per jus poſitivum. Si autem referatur ad jus* „ *naturale*, quod continetur primo quidem „ in lege æterna, ſecundario vero in na„ turali judicatorio rationis humanæ, tunc „ *omne peccatum eſt malum, quia eſt prohibi*„ *tum*: ex hoc enim ipſo, quod eſt inordi„ natum, juri naturali repugnat „. Hinc mendacium, perjurium, odium Dei, & alia hujuſmodi, quæ ſunt intrinſece mala, etſi

nulla

nulla foret lex poſitiva ſive divina, ſive humana, eſſent nihilominus mala, & peccata, quia legi æternæ, & naturali repugnant.

Consectarium Tertium.

III. Falſa eſt ſententia P. Vaſquez, aſſerentis naturam ipſam rationalem, ejuſque naturales inclinationes eſſe primam moralis honeſtatis regulam, ita ut ex conformitate, vel diſformitate ad illam tota deſumatur honeſtas, aut pravitas humanarum actionum. Hæc, inquam, ſententia falſa eſt: confundit namque radicem, & fundamentum honeſtatis cum ipſa honeſtatis regula, quæ omnino diſtinguenda ſunt. Sicut ergo nemo dixerit leges & regulas adminiſtrandæ reipublicæ in ipſa civium natura, conditione, & indole poſitas eſſe, quamquam reipublicæ adminiſtratio talis eſſe debeat, ut leges ferat, & regulas ſtatuat, quæ Civium naturæ, & conditioni reſpondeant; ita regulæ moralis bonitatis actuum humanorum non ſunt rationalis ipſa natura, quæ in ſe præciſe conſiderata nec regulat, nec præcipit, aut prohibet, nec illuminat, nec alium proprium legis effectum habet; ſed illæ rationes, atque ideæ, quæ menti dirigenti inſunt, ac bona eidem naturæ, ejuſque inclinationibus convenientia præſcribunt.

Consectarium Quartum.

IV. Lex naturalis, prout in nobis eſt, lex dici non poteſt, niſi participative, & ſecundario. Siquidem non exiſtit in nobis, niſi ſicut in *regulatis*, & *menſuratis*, ut ait S. Thomas: atque ideo unice dirigit operationes, noſtras per conformitatem ad primam regulam, ac menſuram honeſtatis moralis, ſcilicet ad legem æternam in Deo exiſtentem. Ratio evidens eſt: quia ſola lex primi legiſlatoris Dei active dirigit, ordinatque actus noſtros ad finem ultimum, ſive bonum totius univerſi: ſola eſt ſeipſa recta, ſancta, vera, immaculata, atque adeo ſola prima cujuſcumque moralis honeſtatis regula, quæ præcipiat, ac vetet mediis dictatis nobis naturaliter inditis, quæ ſunt veluti propoſitiones, & intimationes legis æternæ, omniaque moderantur ac dirigunt per conformitatem ad illam. Hinc non ex contrarietate cum lege naturali, ſed cum lege *æterna* ſumitur *definitio* peccati.

Consectarium Quintum.

V. Licet lex naturalis *habitus* preſſe dictus minime ſit, aliquo tamen pacto *habitus* dici poteſt, quatenus illud, quod *habitualiter* ineſt, appellatur *habitus*. Quoniam præcepta legis naturalis, etſi non ſemper actu conſiderentur, atque adeo non ſemper actu habeamus hujuſce legis dictata, ſemper tamen inſunt rationi *habitualiter*, ſemperque manet in intellectu lumen illud, quod *ſignatum eſt ſuper nos* a conditore Deo, ſimulque cum natura unicuique rationali creaturæ inditum: ex quo, ſi rationis uſu polleat, efformare ſibi facile poteſt judicium de agendis, vel vitandis. *Sicut etiam*, inquit S. Th. hic q. 94. art. 1. *principia indemonſtrabilia in ſpeculativis non ſunt ipſa habitus principiorum; ſed ſunt principia, quorum eſt habitus.*

Consectarium Sextum.

VI. Lex naturalis differt tum a ſyndereſi, tum a conſcientia. A ſyndereſi quidem: quia ſynderesis eſt habitus preſſe dictus nos inclinans ad aſſentiendum primis principiis practicis: ſicut *intellectus* eſt habitus, qui nos inclinat ad aſſentiendum primis principiis ſpeculativis: cum lex naturalis habitus proprie dictus non ſit, ut notavimus, ſed potius ipſa principia, quorum eſt habitus. A conſcientia vero: quia lex naturalis eſt univerſalis quædam regula de agendis, vel omittendis: conſcientia autem ſit dictamen particulare præſcribens, quid hic, & nunc a nobis agendum ſit, quidve fugiendum. Ac præterea lex naturalis certa, ac naturaliter nota omnibus eſt; non autem con-

ſcientia

Digitized by Google

ſcientia, quam ſæpe contingit falſam eſſe, incertam, ac errori obnoxiam.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Abſona admodum eſt aliquorum ſententia, quam noviſſime amplecti videtur P. Alphonſus de Liguori (*in brevi Diſſertatione de uſu moderato Probabilitatis*) qui cenſent naturæ legem haud fuiſſe promulgatam ab ipſa conditione cujuſque rationalis creaturæ, quin potius toties promulgari, quoties quidpiam a nobis agendum eſt, aut vitandum. Nam præterquamquod eſt apertiſſime repugnans doctrinæ Sancti Thomæ, qui expreſſis verbis promulgationem legis naturæ fieri docet in ipſa infuſione animæ in corpus humanum, etſi actu eam homo non cognoſcat, niſi cum ad uſum rationis pervenerit, quis ejus abſurditatem non intelligit, dum conſiderat, tum nullam prorſus eſſe legem ſive divinam, ſive humanam, quæ ita promulgetur; tum hanc ſententiam confundere penitus applicationem, & promulgationem legis naturæ, quæ fit a Deo, cum applicatione legis jam promulgatæ, quæ fit ab homine ad peculiares ſuas actiones, ut rectæ ſint, & honeſtæ. Deus enim legem naturalem applicat, & promulgat, dum imprimit humanæ menti dictata illa univerſalia practica, quorum jam meminimus, quæ ſane præcedunt quamlibet actionem. At poſtea munus hominis eſt ea applicare ad opera, quæ, exercet, & ipſorum lumine ea perſequi, quæ illis conformia ſunt, & vitare, quæ iiſdem ſunt diſſentanea. Alia omitto abſurda plurima, quæ ex eadem ſententia profluunt; vix enim perſuadere mihi poſſum, in mentem alicujus, qui recte ſapiat, venire potuiſſe.

CAPUT VI.

De his, quæ lege naturæ continentur.

DOCTRINA.

I. *Præmittitur S. Thomæ doctrina de primo univerſali præcepto legis naturæ.*
II. *Illud revocatur ad hoc principium:* naturalis ordo in omnibus ſervandus eſt.
III. *Quo pacto explicetur, & applicetur illud generale principium.*
IV. *Materiæ ejuſdem proſecutio.*
V. *Virtutes morales ad hoc principium reducuntur.*
VI. *Idem exponitur alia S. Thomæ ratione.*
VII. *Animadverſio in hanc doctrinam.*

I. ANTEQUAM quæ lege naturæ præcipiantur, quæve prohibeantur, conſtituam, præmittenda doctrina eſt S. Thomæ, quam habet *p.* 2. *q.* 94. *art.* 2. ubi de præceptis naturalibus diſſerit, &, an plura ſint, & ad unum referantur generale præceptum, ſeu principium, unde cætera fluant, diſquirit. Sic igitur ſolidiſſimè docet: „ Præcepta „ legis naturæ hoc modo ſe habent ad ra„ tionem practicam, ſicut principia prima „ demonſtrationum ſe habent ad rationem „ ſpeculativam: utraque enim ſunt quædam „ principia per ſe nota ... In his autem, quæ „ in apprehenſionem hominum cadunt, qui„ dam ordo invenitur. Nam illud, quod „ primo cadit in apprehenſione, eſt ens, „ cujus intellectus includitur in omnibus, „ quæcunque quis apprehendit. Et ideo pri„ mum principium indemonſtrabile eſt, quod „ *non eſt ſimul affirmare, & negare* [ſive *impoſ*„ *ſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*] quod fun„ datur ſupra rationem entis, & non entis: „ & ſuper hoc principio omnia alia fundan„ tur &c.

„ Sicut autem ens eſt primum, quod ca„ dit in apprehenſione ſimpliciter, ita bo„ num eſt primum, quod cadit in appre„ henſione practicæ rationis, quæ ordina„ tur ad opus. Omne enim agens agit pro„ pter finem, qui habet rationem boni. Et „ ideo primum principium in ratione prac„ tica eſt, quod fundatur ſuper rationem „ boni ..... Hoc eſt ergo primum præcep„ tum legis, quod *bonum eſt faciendum, &* „ *proſequendum, & malum vitandum*. Et ſu-

per

Digitized by Google

„ per hoc fundantur alia præcepta legis na-
„ turæ, ut ſcilicet omnia illa facienda, vel
„ vitanda pertineant ad præcepta legis na-
„ turæ, quæ ratio practica naturaliter ap-
„ prehendit eſſe bona humana „.

II. Quoniam vero, ut ſæpiſſime docet idem Sanctus Præceptor, bonum *in ordine* conſiſtit, malum autem *in perverſione ordinis*, ideo majoris claritatis gratia, primum, & generale præceptum legis naturæ, ex quo quæcunque alia naturalia præcepta proficiſcuntur, conſtituo in hoc univerſali principio: *naturalis ordo ſervandus eſt*, adeoque quæ hunc ordinem cuſtodiunt, teneatur homo naturæ lege proſequi: quæ perturbant, fugere, & averſari. Id conſonum omnino eſt verbis Apoſtoli præcipientis 1. ad Corint. C. 14. *omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*; doctrinæ Sancti Auguſtini, qui legem naturæ definiens ait, eſſe *divinam rationem, aut voluntatem ordinem naturalem conſervari jubentem, perturbari vetantem*; ac etiam S. Thomæ, qui hic *q. 71. art. 6.* docet, *peccatum ex hoc ipſo, quod eſt inordinatum, juri naturali repugnare*: quod & alibi ſæpe repetit. Porro, cum principium illud: *naturalis ordo ſervandus eſt*, primum & generale præceptum ſtatuimus, unde cætera fluant, hoc ſenſu intelligendum eſt, ut ita affectus noſtros, & actiones omnes regere, ac moderari teneamur, ut nunquam ab eo ordine, qui ab Authore totius naturæ Deo in rebus omnibus conſtitutus eſt, deflectamus, ſed integre, exacteque cuſtodiamus. Propterea idem S. Thomas, tum in Summa, tum præcipue in *lib. 3. contra Gent. Cap. 114.* uſque *ad 130.* bonitatem, & pravitatem actionum humanarum ex *ordine* ſive conſervato, ſive perturbato continenter derivat.

III. Ordo autem naturalis, quem ſervare jubemur & vetamur pervertere, ſpectari poteſt, prout ineſt tum hominibus, ſive partibus, quibus homines conſtant, tum actionibus, quas exercent, tum demum rebus, quibus utuntur. Et ſi primo quidem modo ſpectetur, triplex ordo conſpicitur, nempe *hominis ad Deum, hominis ad alios homines, hominis ad ſemet ipſum*, ſive, ut aliis verbis utar, ordo *inferioris ad ſuperiorem*, ordo *æqualis ad æquales*, ordo *ejuſdem ad ſeipſum*. Si vero conſiderentur partes, quibus homo conſtat: alius ordo emergit inter ipſas partes juxta tres naturales inclinationes, quæ in ipſo ſunt, quaſque hic recenſet D.Thomas art. 2. *Ineſt enim*, inquit, *inclinatio homini ad bonum ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis. prout ſcilicet qualibet ſubſtantia appetit conſervationem ſui eſſe .... ſecundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus ..... tertio modo ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria, ſicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoſcat de Deo, & ad hoc, quod in ſocietate vivat*. Quæ tertia inclinatio cum hominis propria ſit, ita principem locum obtinere debet, juxta ordinem a Deo præſtitutum, cæteraſque ita ſibi ſubjicere, ſuaque menſura dimetiri, ut homo agere quidem poſſit ſecundum duas priores inclinationes, bonaque illi convenientia proponere; ſed prout decet hominem ratione præditum; ita ſcilicet ut majore ſemper in pretio habeat animam, & ea, quæ animam ſpectant, quam corpus, & rationem, quam ſenſum, aut ſenſibilem appetitum.

IV. Ordo tandem, qui naturalibus actionibus ineſt, rebuſque, quibus utimur, eſt *ordo medii ad finem*. Humana quippe ratio actiones hujuſmodi expendens, & cum earumdem effectibus comparans, ſtatim intelligit eas referri ad certos aliquos, ac determinatos fines. Ratio itidem dictat hunc ordinem eſſe ſervandum, atque adeo malum eſſe, & homine indignum prædictis factionibus, aut rebus ad alios fines velut extraneos abuti. Unde ſatis apparet nullum eſſe hominis actum, cui re-

rectitu-

rectitudo, aut pravitas ex idea ordinis naturalis vel cuſtoditi, vel perturbati derivari, ac definiri non poſſit.

V. Hæc doctrina illuſtrari poteſt, ſi perpendamus virtutes, quæ ad legem naturæ pertinent. Eas namque omnes perſpicuum eſt proprie conſiſtere in ordinis a Deo conſtituti cuſtodia, quemadmodum, e contra vitia in ordinis ejuſdem perverſione: ordinis, inquam, ſive hominis ad Deum, ſive hominis ad alios homines, ſive ejuſdem hominis ad ſeipſum. Hunc igitur ordinem virtutes ſervant, ac ſervandum præſcribunt. Siquidem *Religio*, & *charitas*, ſive amor Dei Authoris naturæ conſervant priorem ordinem ad Deum: *juſtitia* ordinem ad alios homines, ſive ad proximum: *temperantia* ordinem, quem homo habere debet ad ſe ipſum. At vero, quia ſæpe contingit homines malorum impendentium formidine a recto ordinis tramite revocari, *fortitudo* adverſus difficultates occurrentes erigit animum, atque confirmat. *Prudentia* demum dictat, ac præſcribit, quid in qualibet circumſtantia agendum ſit, ut rectus ordo intemerate ſervetur. Quapropter habemus virtutes præcipuas naturales, Religionem, prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem in recti ordinis cuſtodia poſitas, atque ideo & illas, quæ his annexæ ſunt, & cætera humana officia complectuntur.

VI. S. Thomas idem probat alia ratione hic *art. 3.* ubi quærit, *utrum omnes actus virtutum ſint de lege naturæ*, his verbis: „Ad legem naturæ pertinet omne illud, ad „quod homo inclinatur ſecundum propriam „naturam. Inclinatur autem naturaliter „unumquodque ad operationem ſibi convenientem ſecundum ſuam formam, ſicut „ignis ad calefaciendum. Unde cum anima „rationalis ſit propria forma hominis, naturaliter inclinatio ineſt cuilibet homini ad „hoc, quod agat ſecundum rationem: & „hoc eſt agere ſecundum virtutem (& ſecundum ordinem a virtute præſtitutum). „Unde ſecundum hoc omnes actus virtutum „ſunt de lege naturæ. Dictat enim naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuoſe „agat„. Hinc conſequenter docet in Reſp. *ad 2. omnia peccata eſſe contra naturam, in quantum ſunt contra rationem*.

VII. Sed illud advertendum eſt ex eodem D. Thoma, non hoc ſenſu omnium virtutum officia ad naturæ legem pertinere, quod unuſquiſque omnia virtutum officia exequi teneatur naturæ lege. Plura namque virtutum officia ſunt, quæ aut ſolo conſilio, aut humana, aut etiam divina poſitiva lege præſcribuntur: ſed dumtaxat ſecundum genericam virtutis rationem, nempe quatenus exercentur ab homine deliberate operante: quia quoties homo operatur ut homo, debet operari ſecundum normam rectæ rationis, adeoque virtuoſe. *Dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuoſe agat.*

CAPUT VII.

CONSECTARIA.

I. *Primum præceptum deductum ex principio generali naturalis ordinis ſervandi eſt*, Deus eſt colendus.
II. *Deus præ omnibus, ac ſuper omnia eſt diligendus.*
III. *Media ad hæc ſervanda præcepta exquirenda ſunt.*
IV. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.*
V. *Pax in omnibus, & cum omnibus quærenda.*
VI. *Superioribus honor, & ſubjectio præſtanda.*
VII. *Quæ ſocietatem conſervant, fovere; quæ lædunt, evitare tenemur.*
VIII. *Inclinationes naturales ad ordinem rationis redigendæ.*
IX. *Rejicienda ſunt alia principia primæ legis naturæ a quibuſdam Juriſtis invecta.*
X. *Limitatio præceptorum juris naturalis a Schmauſio facta reprobanda.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. PRIMUM omnium præceptorum naturalium, quæ ex ordine à nobis erga Deum ſervando

Digitized by Google

ſervando profluunt, hoc eſt: *Deus eſt colendus*. Iſtud oritur ex ordine *inferioris ad ſuperiorem*. Cum enim cæteris quibuſque rebus Deus ſimpliciter, & abſolute præcellat, rerumque omnium creator ſit, a quo totum habemus, quod ipſi ſumus, debetur ipſi ſummus honor, ſummus cultus, ſumma ſubjectio. Hine Religio, quæ circa cultum Dei verſatur, de lege naturæ eſt, & ab eadem præcepta: ſicut e contra juri naturali repugnat, ab eodemque prohibetur, quidquid cultui divino, & reverentiæ debitæ Deo contrarium eſt.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. *Deus præ cæteris omnibus, ac ſuper omnia diligendus*. Hoc præſertim ſumitur ex ordine *medii ad finem*. Cum enim Deus ſit ultimus finis hominis, ad ipſum tendere, ipſique per amorem adhærere naturali lege tenemur. „ Manifeſtum eſt, inquit S. Tho„ mas *lib. 3. cont. Gent. C. 115.* quod unuſ„ quiſque Legiſlator ad ſuum finem princi„ paliter per leges homines dirigere intendit, „ ſicut Dux exercitus ad victoriam, & Re„ ctor civitatis ad pacem. Finis autem, „ quem Deus intendit, eſt ipſemet Deus. Lex „ igitur divina (naturalis) hominem prin„ cipaliter in Deum ordinare intendit „. Quod luculentius explicat hac altera ratione inquiens: „ Lex eſt quædam ratio divinæ „ providentiæ gubernantis rationali creaturæ „ propoſita. Sed gubernatio providentis Dei „ ſingula ad proprios fines ducit. Per le„ gem igitur divinitus datam homo ad ſu„ um finem præcipue ordinatur. Finis au„ tem humanæ creaturæ eſt adhærere Deo: „ in hoc enim felicitas ejus conſiſtit. Ad „ hoc igitur principaliter lex divina homi„ nem dirigit, ut Deo adhæreat .... „ Hine eſt, quod dicitur Deuteron. 10. *Et nunc, Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, ac diligas eum, & ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Hine eadem naturali lege adſtringimur, ut media ad finem hunc aſſequendum neceſſaria exquiramus, quæque impedimento ſunt, evitemus. Nam, ut ait idem S. Doctor ibidem Cap. 129. „ Unicuique natu„ raliter conveniunt ea, quibus tendit in fi„ nem ſuum naturalem: quæ autem e con„ trario ſe habent, ſunt ei naturaliter in„ convenientia. Oſtenſum eſt enim ſupra, „ quod homo naturaliter ordinatur in De„ um, ſicut in finem. Ea igitur, quibus „ homo inducitur in cognitionem, & amo„ rem Dei, ſunt naturaliter recta [& præ„ cepto naturali quærenda]. Quæcunque „ vero e contrario ſe habent, ſunt natura„ liter homini mala „ (ac eodem naturali præcepto vitanda.)

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quod tibi fieri vis, facias & alteri: nemini injuria facienda eſt*. Hæc naturalia præcepta, quæ in idem redeunt, deducuntur *ex ordine æqualis ad æqualem*. Sunt enim omnes homines æquales in humana natura. Hine vero tanquam ex uberrimo fonte profluunt ſex illa præcepta in decalogo contenta, quibus prohibentur *homicidium, adulterium, furtum, falſum teſtimonium &c.* Hine omnia officia juſtitiæ, quæ unicuique tribuit, quod ſuum eſt: adeoque naturali jure prohibentur mendacium, fraudes, uſuræ, & id genus alia. Hinc eæ virtutes, quæ ſuperbiam, avaritiam, invidiam, & iracundiam coercent.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. *Quærenda in omnibus, & cum omnibus pax eſt*. Quid enim aliud eſt pax? niſi, ut ait S. Auguſtinus, *ordo tranquillus*, ſive *tranquillitas ordinis*. Si ergo *ordo ſervandus a nobis eſt*, etiam pacem in omnibus, & cum omnibus ſervare debemus juxta illud

ad

ad Roman. 12. *cum omnibus pacem babentes* &c., C. 14. *quæ pacis ſunt, ſectemur*: quod & repetit ad Hibr. 12. *pacem ſequimini cum omnibus*. Audiendus hic S. Thomas, qui 3. *contra Gent*. C. 128. id egregie de more confirmat: *Lex divina*, inquit, *eſt quædam ratio divinæ Providentiæ ad bomines gubernandos. Ad divinam autem Providentiam pertinet ſingula, quæ ei ſubſunt, ſub debito ordine continere, ut ſcilicet ſuum locum, & gradum teneat unumquodque. Lex igitur divina ſic bomines ad invicem ordinat, ut unuſquiſque ſuum ordinem teneat: quod eſt bomines pacem babere ad invicem*. Hinc naturali præcepto vitandæ ſunt diſcordiæ, rixæ, ſeditiones, ſuſurrationes, detractiones, contumeliæ &c. Hinc odia compeſcenda, injuriæ dimittendæ &c. Hinc pacta, & promiſſa fideliter obſervanda. Nemo ſiquidem pacem reapſe velle convincitur, qui pactis ſtare, & fidem ſervare detrectat.

Conſectarium Sextum.

VI. *Iis, qui vel natura, vel paſſione, ſive contractu, vel alio quocunque titulo ſuperiores nobis ſunt, bonor, ſubjectio, & obedientia præſtanda ſunt*. Hoc quoque præceptum naturale *ex ordine inferioris ad ſuperiorem* proficiſcitur. Quamquam enim, ſi ſola humana natura ſpectetur, omnes homines pares ſint, nihilominus inter ipſoſmet homines ordo quidam conſtitutus eſt. Nam certe parentes ſuperioritatem quamdam ab ipſa natura ſortiuntur in filios ex eo, quod ipſos genuerint, & aluerint. Principes etiam, Magiſtratus &c. obtinent præeminentiam, ac poteſtatem in ſubditos, quos gubernant, inductam primitus hominum conventione ad humani generis utilitatem. Domini pariter eamdem habent in ſervos. Quare, ſicut naturæ ordo parentibus præſcribit amorem, curam, & educationem filiorum, ita hic præcipit erga illos honorem, ſubjectionem, obediantiam juxta illud: *bonora patrem tuum, & matrem tuam* &c. *Filii obedite parentibus* &c. Similiter ordo idem præfinit obſequium deferre Regibus, ac Principibus, eorum leges ac præcepta obſervare, tributa pendere &c. juxta ea teſtimonia: *Regem bonorificate: obedite Prapoſitis veſtris, & ſubjacete eis: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, hiſque ſimilia.

Conſectarium Septimum.

VII. Quum homini in ſocietate vivere proprium ſit, quæ ſocietatem conſervant, fovere: quæ lædunt, evitare tenetur. Hoc naturale præceptum conſurgit *ex ordine unius bominis ad alios bomines*: ut enim docet S. Thomas lib. 3. cont. Gent. C. 128. *bomo naturaliter animal ſociale eſt: indiget enim multis, quæ per unum ſolum parari non poſſunt. Oportet igitur, quod ex lege divina inſtituatur bomo, ut ſecundum ordinem rationis ſe habeat ad alios bomines*. Ex quo conſequitur, præceptum *naturale eſſe*, ut idem ait C. 11. *omnibus bominibus, ut ſe invicem diligant: cujus ſignum eſt, quod quodam naturali inſtinctu bomo cuilibet bomini etiam ignoto ſubvenit in neceſſitate, puta, revocando ab errore viæ, erigendo a caſu, & aliis bujuſmodi, ac ſi omnis bomo omni bomini eſſet familiaris, & amicus*: mutua igitur dilectio naturali lege præcipitur: & hoc præceptum *ſecundum mandatum* dicitur Matth. 22. poſt primum nempe mandatum dilectionis Dei.

Conſectarium Octavum.

VIII. Quoniam tres in unoquoque homine ſunt generales inclinationes ſupra jam recenſitæ; ita naturæ lege temperandæ, ac moderandæ ſunt, ut ea quæ hominis propria eſt ad bonum ſecundum rationem, cæteras dirigat, eaque ipſis bona congruentia præſtituat juxta modum, ac menſuram, quæ rationi conveniant. Hoc itidem deſumitur *ex ordine partium bominis ad invicem, & mediorum ad finem*. Id præclare exponit ac probat S. Doctor eodem libro C. 121. his ver-

Digitized by Google

verbis : „ Sicut mens hominis ordinatur ſub „ Deo ; ita corpus ſub anima ordinatur,& „ inferiores vires ſub ratione . Pertinet autem ad divinam Providentiam , cujus quidem ratio homini propoſita divina lex eſt, „ ut *ſingula* ſuum ordinem teneant. Eſt igitur ſic homo ordinandus lege divina , ut „ inferiores vires rationi ſubdantur , ut corpus animæ , & exteriores vires ad neceſſitatem homini deſerviant „ : juxta illud , *ſub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illius* . Hinc ſecundum priorem inclinationem , qua homo appetit ſui eſſe conſervationem , *bona* ſunt *naturaliter* , per quæ vita hominis conſervatur , uſus ciborum , & potuum , cupiditates ad finem conſervationis , & pro menſura ejuſdem explctæ : ſui ipſius tuitio adverſos aggreſſores &c. Mala vero e contra , naturæque lege prohibita , quæ ſui ipſius ruinam inferunt , mutilationes , oppreſſiones , comeſſationes, ebrietates, eaque omnia alia , quæ ejuſdem inclinationis per rationem temperatæ modum labefactant . Secundum alteram *bona* habentur , quæ ad naturam propagandam , & prolem educandam conferunt : mala autem quorquot finem hunc pervertunt, aut impediunt, ut adulteria , fornicationes , omneſque illæ turpitudines , quibus ea peraguntur, quæ effectum ſuum naturalem habere non poſſunt . Ex quo , inquit S. Thomas , *excluditur error quorumdam dicentium , illa ſolum eſſe peccata , quibus proximus aut offenditur , aut ſcandalizatur* .

Consectarium Nonum.

IX. Quum ex conſtituto principio generali , *naturalis ordo ſervandus eſt* , colligantur, aut colligi ſaltem facile poſſint præcepta omnia , quæ ad legem naturæ pertinent,ſequitur explodendas eſſe quorumdam recentium Juriſtarum ſententias de primario , & univerſali juris naturæ principio , a quo cætera omnia fluunt naturalia præcepta : Ac primo quidem Valentini Alberti aſſerentis primarium juris naturæ principium eſſe *convenientiam cum ſtatu integritatis , in quo conditus homo eſt* : Hobbeſii abſurde ſtatuentis *ſui ipſius conſervationem , ac utilitatem* primum eſſe , integrumque principium juris naturæ : Puſendorſii definientis illud eſſe *ſocialitatem* , ſive *ſervandam eſſe ſocietatem*: Chriſtiani Thomaſii exiſtimantis illud in hoc reponi , *facienda eſſe , quæ vitam humanam reddunt maxime diuturnam ac feliciſſimam* : ac demum Wolphii , qui non aliud primum juris principium agnoſcit, præter hoc : *exercendæ ſunt actiones , quæ ad perfectionem hominis tendunt , ejuſdemque ſtatus* . Hæ , inquam , ſententiæ explodendæ ſunt . Nam præter abſurda graviſſima , quæ ex his plus, minuſve conſequuntur, nullum eſt , ex quo clarius , ſolidius , & univerſalius deducantur omnia naturalis honeſtatis officia, quam ex ſtatuto a nobis principio : *naturalis ordo in omnibus ſervandus eſt* .

Consectarium Decimum.

X. Ex iis omnibus , quæ dicta ſunt, conſtat adverſus Schmauſium , objectum ſive materiam , aut præcepta juris naturæ limitanda non eſſe ad ea principia , quæ intimo quiſqoe ſenſu comperit ſibi inſita eſſe , atque congenita ; verum ad ea omnia extendendum , quæ ex iiſdem principiis per rationem neceſſario deducuntur : adeo ut hæc quoque ad naturæ legem pertinere dicenda ſint . Hoc facillimo negotio evinci poteſt: tum primo , quia quæcunque ex principiis per conſecutionem legitimam, & neceſſariam inferuntur , non aliud reapſe ſunt , niſi ipſa principia explicata , & evoluta . Neque enim ex his derivari poteſt , niſi quod in iiſdem virtualiter continentur . Cum ergo hæc ſint legis naturalis principia , quæcunque ex his profluunt , aut ratiocinatione deducuntur, ad ipſam naturæ legem non poſſunt non pertinere . Tum ſecundo : quæ ex principiis legis naturalis per rationem neceſſario colliguntur , aut *debita* ſunt , aut *vetita* „. Debita

Digitized by Google

bita autem, aut vetita plane non ſunt jure aliquo poſitivo, vel quia contingit aliquando nullum hujuſmodi præceptum exiſtere, vel quia ante legem poſitivam debita erant, aut prohibita: non niſi igitur naturali lege talia ſunt, adeoque ad ipſam ſpectant. Equidem non abnuo quædam eſſe, quæ ita inferuntur a lege naturæ, ut illi tantummodo conſentanea ſint, adeoque lege poſitiva præcipiantur, aut præcipi queant, & ad ipſam ſolum pertineant. Verum ſi neceſſaria connexio deprehendatur inter principia juris naturæ, & eorundem conſecutiones, tunc hæ quidem cadere etiam poſſunt ſub præcepto poſitivo, ſed ſimul naturali lege contineri dicendæ ſunt.

CAPUT VIII.

De proprietatibus legis naturalis, ac primum de univerſalitate.

DOCTRINA.

I. *De univerſalitate legis naturæ duplex quæſtio fieri poteſt.*
II. *Quomodo lex naturæ eadem ſit, vel non ſit apud omnes, quoad rectitudinem, & cognitionem.*
III. *Sancti Thomæ doctrina exponitur.*
IV. *Nullus ab obligatione legis naturalis eximitur. Probatio prima.*
V. *Probatio altera ejuſdem veritatis.*

I. QUAMQUAM alii plures, alii pauciores legis naturæ proprietates recenſeant, hæ tamen frequentius ab Authoribus conſtituuntur, nimirum *neceſſitas*, *univerſalitas*, *immutabilitas*, *certitudo*, & *perſpicuitas*. Ac in *neceſſitate* quidem adſtruenda, nihil eſt, cur ulterius immoremur. Conſtat enim ex dictis ea, quæ lege naturali præcipiuntur, natura ſua, atque adeo neceſſario eſſe bona; quæ autem vetantur, neceſſario eſſe mala. Quare de aliis tantum aliqua dicenda ſunt: ac primo quidem de *univerſalitate* legis naturæ, de qua quærimus, an hæc naturali legi conveniat. Hoc autem duplici ſenſu intelligi poteſt: primo ſcilicet, *an lex naturalis ſit una, & eadem in omnibus hominibus*: ſecundo, *an omnes homines legis naturalis vinculo adſtringantur*.

II. Si igitur priore ſenſu quæſtio ſumatur, conſtituo legem naturæ quoad prima, & univerſalia principia unam eſſe, eamdemque apud omnes tum quoad cognitionem, tum quoad rectitudinem: ſed quoad quædam propria, ſive quoad illa præcepta, quæ ex principiis univerſalibus inferuntur, eamdem quidem plerumque eſſe apud omnes homines; deficere tamen poſſe apud aliquos tum quoad cognitionem, tum quoad rectitudinem. Explicatur propoſitio, quæ eſt ipſa S. Thomæ doctrina hic. q. 94. art. 4. Legem naturalem eamdem eſſe apud omnes *quoad rectitudinem*, nihil aliud eſt, quam ejus præcepta quoad omnes homines juſta eſſe, ac recta, adeoque obſervanda: quemadmodum *eamdem non eſſe apud omnes quoad rectitudinem*, aliud non eſt, niſi ejus præcepta ab aliquibus recta & juſta exiſtimari, non ita vero ab aliis. Legem eſſe *eamdem quoad cognitionem apud omnes*, idem eſt ac omnes cognoſcere ipſius principia, ſive præcepta, adeo ut hujuſmodi notitia æque omnes illuſtrentur: ſicut ex oppoſito legem non eſſe *quoad cognitionem* eamdem apud omnes, perinde eſt, ac ejus præcepta ab omnibus non agnoſci, ſed aliquos eadem ignorare, aut eorum notitia deſtitui.

III. Docet itaque S. Thomas legem naturæ quoad prima univerſalia principia eamdem prorſus eſſe apud omnes, & *ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam: ſed quantum ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſſe eamdem apud omnes ut in pluribus, & ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam; ſed ut in paucioribus poſſe deficere & quantum ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta; & etiam quantum ad notitiam propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem &c.*

De

Digitized by Google

De hoc defectu *quoad notitiam* infra, cum *de perſpicuitate legis naturæ*. Priorem autem ita intelligere oportet ex eodem S. Doctore: quod cum ratio practica circa contingentia verſetur, ſeu circa humanas operationes, quæ nonnunquam variationem ſubeunt, idcirco, licet eorum, circa quæ hujuſmodi ratio verſatur, ſit aliqua neceſſitas quoad principia communia, quanto tamen magis ad particulares concluſiones deſcenditur, tanto magis inveniri poteſt mutabilitas, ac defectus: cum concluſiones particulares propius reſpiciant operationes, atque ita multiplices circumſtantias requirant, quas variari contingit; adeo ut ea operatio, quæ in ſe ſpectata recta, & honeſta eſt, his tamen poſitis circumſtantiis apud hos, aut illos recta, & honeſta non eſſet, ſi exerceretur. Sicut, ut exemplo res clara fiat, hæc lex naturæ: *Homo juxta rationem agere debet*: aut iſta: *nemini injuria facienda eſt*, eſt principium commune practicum, quod apud omnes verum, ac rectum eſt. Ex illo autem ſequitur hæc concluſio: *oportet unicuique reddere, quod ſuum eſt*: ac inſuper iſta: *depoſita ſunt reddenda*. Hæ autem concluſiones, quamvis ut plurimum veræ ſint, ac rectæ; in quibuſdam tamen caſibus veræ non ſunt, nec rectæ, veluti ſi is, qui rem depoſitam petit, eam petat ad patriam impugnandam, vel ad ſibi, vel alteri nocumentum inferendum.

IV. Quoad alterum ſenſum attinet, in quo ſumi poteſt univerſalitas legis naturalis, dicendum, eam generatim adſtringere omnes homines, adeo ut nemo mortalium ſit, qui ab ejuſdem obligatione eximatur. Id diſerte traditur ab Apoſtolo Paulo ad Roman. 2. ubi loquens de iis, qui legem ſcriptam non acceperant, ſed ſolam habebant naturalem legem, ait: *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*: quod ſcilicet naturalem legem violaverint, tametſi nihil de ea per legem ſcriptam audierint. Hoc etiam patet ex generali legis naturæ ratione, quæ cum a Deo ſit, & quatenus in nobis eſt, ſit efficax regula, & menſura humanorum actuum, conſcientiam ad obediendum obligat, ſive ſub gravi, ſive ſub veniali culpa, prout materia gravis fuerit ac neceſſaria ad finem, aut levis, & non neceſſaria ad finem eumdem.

V. Præterea lex naturalis in ipſa eſſentia hominis fundamentum habet. Nam ratio, qua cæteris animantibus homo præſtat, omnibuſque hominibus communis eſt, illam præſcribit, ac denunciat: igitur nemo hominum eſſe valet, cujus conſcientiam non obbliget. Demum, cum lex naturalis non aliud ſit, ut jam diximus, quam participatio quædam æternæ legis ab ipſomet Deo rationi noſtræ impreſſa, atque ita omnibus promulgata; non poteſt non deferre ſecum obligationem conſcientiæ erga omnes homines, quam inducit ſupremi Legiſlatoris voluntas.

CAPUT IX.

Consectaria.

I. *Lex naturæ nunquam aboleri poteſt de corde hominis quoad prima principia.*

II. *Deletur tamen quoad applicationem ad opera particularia.*

III. *Quoad concluſiones ex primis principiis etiam proxime deductas deleri poteſt, ſive corrumpi.*

IV. *Falſa & impia eſt Pſeudopoliticorum ſententia licitum facientium Principibus, quidquid ipſis libuerit, aut utile judicaverint.*

V. *Falſum quoque, & impium effatum illud*, inter arma ſilere leges. *Quo ſenſu illud verum ſit.*

Consectarium Primum.

I. Lex naturalis quoad prima communia principia obſcurari quidem valet, ſed penitus aboleri minime poteſt in univerſali de corde hominum. Ratio evidens eſt, quoniam hujuſmodi principia, quæ ſunt lex ipſa naturalis, nobis indita, & congenita ſunt cum

Digitized by Google

ipſa natura, ſive ratione, ut ſupra advertimus: adeoque deleri non poſſunt, niſi ipſa pariter deleatur humana natura. Quapropter vitia, paſſiones inordinatæ, pravæ conſuetudines ea quidem tenebris offundunt; nunquam tamen eorum lumen penitus extinguunt, ut homini vel ſceleſtiſſimo non ſubluceat.

Consectarium Secundum.

II. Lex naturalis deleri poteſt, ac ſæpe deletur quoad applicationem communium principiorum ad opera particularia, propter vel concupiſcentiam æſtuantem, ſive paſſiones vigentes, aut aliam ſimilem cauſam, ex qua contingit hominem agere, quod principio univerſali repugnat. Ita S.Thomas *hic* art. 6. ubi cum dixiſſet, legem naturalem *nullo modo poſſe in univerſali deleri de cordibus hominum*, ſcribit: *Deletur tamen in particulari operabili, ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem.*

Consectarium Tertium.

III. Si ſermo ſit de præceptis ſecundariis, ſive concluſionibus etiam proxime deductis ex primis principiis, lex naturalis nedum obſcurari, ſed etiam deleri, ſive corrumpi poteſt in corde hominis, *vel propter malas perſuaſiones*, inquit S. Thomas, eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt *circa concluſiones neceſſarias: vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus* dicit Rom. 1. ubi ſeriem contexens peccatorum quorumdam infidelium inter alia ait: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum ..... & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis &c.*

Consectarium Quartum.

IV. Falſa & impia ſententia eſt quorumdam Pſeudopoliticorum, quibus adſtipulari videtur Puſendorfius, Reges & Principes nullis omnino legibus ne quidem naturalibus obſtringi, ipſiſque licitum eſſe, quidquid utile arbitrantur. Quid enim? Nonne & ipſi homines ſunt, ſicut & cæteri? nonne & ipſi Deo ſubjiciuntur? Igitur & naturali legi ſubjecti ſunt, quæ a Deo cunctis hominibus denunciata eſt, & in corde omnium impreſſa.

Consectarium Quintum.

V. Falſum quoque & impium dicendum eſt effatum illud ſatis vulgare, quodque etiam a viris doctis, ac ſapientibus interdum obtruditur, ſcilicet *inter arma ſilere leges*, ſi hoc ſenſu accipiatur, ut bella gerentibus omnia liceant, quæ ad victoriam conferunt, aut conferre valent, ipſique ſive Duces, ſive milites immunes reddantur a legum etiam naturalium obligatione. Si autem eo ſignificetur duntaxat, quod in bello, ſive *inter arma* belligerantium nequitia uſuvenire ſolet, experientia nimium lugenda comprobatur.

CAPUT X.

De altera naturæ legis proprietate, nempe immutabilitate.

Doctina.

I. *Lex naturæ generatim, & abſolute inſpecta penitus immutabilis eſt.*
II. *Doctrina S. Thomæ præmiſſa circa mutationem, quæ in lege naturali contingere poteſt.*
III. *Mutatio legis naturæ nunquam habetur in primis generalibus principiis.*
IV. *Quo pacto habeatur in præceptis ſecundariis.*

V. Mu-

V. *Mutatio* improprie dicta *ratione* additionis *convenit naturali legi*.

VI. *Convenit etiam eadem mutatio ratione* ſubtractionis materiæ.

VII. *In quibus præceptis locum habeat hæc impropria mutatio*.

VIII. *Nunquam in lege natura habetur mutatio*, *quam vocant* formalem.

I. NEMO eſt, qui in dubium revocet, aut revocare queat, legem naturæ, ſi generatim, & abſolute ſpectetur, eſſe prorſus immutabilem. Ea ſiquidem nititur ipſa immutabilitate legis æternæ Dei, quæ quum procul dubio, quoad rem ipſam haud differat a divina natura, cum hæc plane immutabilis ſit, etiam legem ipſam mutari non poſſe neceſſe eſt. Suprema itaque divina ratio neceſſario, adeoque immutabiliter repræſentat rerum omnium ordinem, ac fines, ad quos diriguntur, eaque omnia, quæ naturæ unicuique vel conveniunt, vel adverſantur. Cum igitur *bonum*, ut poſuimus, *in ordine* conſiſtat, & *malum in perverſione ordinis*, quemadmodum non poteſt non velle bonum, ac odiſſe malum, ita non poteſt non velle ordinem, & odiſſe ordinis perverſionem. At vero ordo, qui ante rerum creationem ſolum erat in mente divina, poſita creatione jam eſt a parte rei, quin opus ſit, ut peculiari aliqua actione ab ipſa rerum creatione diverſa a Deo produceretur. Eo etenim ipſo, quod homines exiſtant, triplex ille in iis ordo conſurgit, quem ſupra commemoravimus, *ad Deum* nempe, *ad ſe ipſos*, & *ad alios homines*: atque idem dicendum quoque de ordine facultatum ad ſua objecta, & actionum ad fines ſuos. Quem ordinem cum haud probare non poſſit Deus, niſi ſibi ipſi contrarius ſit, aut, ut verbis Apoſtoli utar, niſi *neget ſe ipſum*, quod eſt impoſſibile, ipſum velle omnino neceſſum eſt: adeoque lex naturalis, ſi generatim, & abſolute ſpectetur, eſt penitus immutabilis, ut ne a Deo quidem mutari valeat, nedum abrogari.

Hæc certa ſunt apud omnes, & explorata. Verum plura ſunt, quæ veritatem hanc implicare videntur, & obſcuriorem reddere, quæ dilucidare, & explicare opus eſt. Quare in anteceſſum doctrinam præmitto Sancti Thomæ, quam habet *art.* 5. hujus quæſt. „ Lex naturalis, inquit, poteſt intelligi mutari dupliciter. Uno modo per hoc, quod „ aliquid ei addatur. Et ſic nihil prohibet „ legem naturalem mutari. Multa enim ſupra legem naturalem ſuperaddita ſunt ad „ humanam vitam utilia tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas. „ Alio modo poteſt intelligi mutari *per modum ſubtractionis*, ut ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali, quod prius „ fuit ſecundum legem naturalem. Et ſic „ quantum ad prima principia legis naturæ „ lex naturæ eſt omnino immutabilis. Quantum autem ad ſecunda præcepta, quæ „ diximus eſſe quaſi quaſdam proprias concluſiones propinquas primis principiis, ſic „ lex naturalis non immutatur, quin ut „ in pluribus ſit rectum ſemper, quod lex „ naturalis habet: poteſt tamen mutari & „ in aliquo particulari, & in paucioribus „ propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſervantiam talium præceptorum.

III. Ut ſatis liquet, S. Doctor non conſiderat mutationem legis naturalis in ſe ipſa, ſive relate ad ſupremum Legislatorem Deum, qui eam condidit: Sic enim inſpectam nullam mutationem ſubire poſſe & ipſe præſumit, & nos modo jam probavimus, adeoque ſemper rectum & honeſtum fuit, ſemperque immutabiliter erit, quod a Deo per hanc legem decretum eſt, ſemper injuſtum, & iniquum, quod ab ipſo prohibitum. Solum ergo conſiderat mutationem, quam pati poteſt, quoad nos, ſive reſpectu hominum, qui legi ſubjiciuntur. Hoc autem ſenſu duplex mutatio diſtinguitur ad ipſius mentem, quarum altera *propria* dicitur, altera *impropria*. Si igitur loquamur de mutatione pro-

proprie dicta, quæ fieret, *si aliquid deſineret eſſe de lege naturali, quod prius fuit ſecundum legem naturalem*, reſolvit S. Thomas, *legem naturalem omnino eſſe immutabilem, quantum ad prima principia legis naturæ*, ſive quoad illa univerſalia dictata de bono, & malo, quorum ſæpe facta mentio eſt: quoniam cum impreſſa jam ſint in ipſa humana ratione ab Authore naturæ Deo, ſicut aboleri nequeunt in hominibus, ſic nec aliquam in iiſdem mutationem pati. Ac de lege naturali in hiſce principiis, ſive dictatis poſita intelliguntur ea teſtimonia, Philoſ. lib. 5. Eth. c. 7. *Jus naturale eſt, quod ubicunque eamdem vim habet*: & poſtea, *quod in natura immutabile eſt, & ubique eamdem vim habet*: & Gratiani init. D. 5. *Naturale jus cæpit ab exordio creaturæ, nec variatur tempore, ſed immutabile permanet*.

IV. Si vero ſermo ſit de lege naturæ, *quoad præcepta ſecundaria*, quæ ſunt quaſi propriæ *quædam concluſiones proximæ primis principiis*, docet Sanctus idem Doctor, legem naturæ non ita immutari, quin *ut in pluribus* rectum ſemper ſit, quod a lege naturali præcipitur: experientia namque conſtat apud omnes nationes pietatem, juſtitiam, manſuetudinem, animum beneficii memorem, aliaque id genus recta eſſe, ſicut & mala adulterium, furtum, mendacium, crudelitatem &c. *In aliquo* tamen *particulari*, ſubdit, & *in paucioribus mutari poteſt*, & reapſe ſæpe mutatur, non quod rectum non ſit, quod naturæ lege præcipitur, aut malum eſſe deſinat, quod ab ea prohibetur; ſed *propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſervantiam talium præceptorum, ut dictum eſt art. præc.* nimirum *de depoſitis non reddendis, quando reddere ſit damnoſum, puta ſi aliquis petat ad impugnandam Patriam*.

V. Quoad mutationem *improprie* dictam ſpectat, eam ſubire poſſe legem naturalem dubitandum non eſt. Ea autem duplici pacto fieri valet, nempe ratione *additionis*, & ratione *ſubtractionis materiæ*. Explicatur. Tunc lex naturalis mutari *improprie* dicitur *ratione additionis*, quando ipſi quidpiam additur, quod abſolute ab ea minime requiritur: atque hoc pacto per leges poſitivas, ſive divinas, ſive humanas plura ſunt inſtituta, quæ vel hominem ad aliquid obligant, ad quod naturæ lege non obligatur: vel ad alicujus actus valorem amplius exigunt, quam exigatur ab eadem lege. Sic in Veteri Teſtamento plura moralibus præceptis adjecta ſunt tum judicialia, tum cæremonialia. Itidem in Novo variæ additæ ſunt divinæ leges de fide, de Sacramentis &c. ac etiam plurimæ aliæ leges tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, quæ vel quidpiam ſupra naturæ legem imponunt ad exactiorem ejus obſervantiam, aut ad communem Civium utilitatem, vel quidpiam requirunt ad valorem aliquorum actuum, puta Matrimonii, aliorumve contractuum, promiſſionum &c. quod non requiritur a lege naturæ. Verum hæc mutatio valde *impropria* eſt, nec preſſe loquendo, mutatio dici valet, cum intactam omnino relinquat ipſam naturæ legem.

VI. Tunc mutatio impropria eſt ratione *ſubtractionis*, quando materia, quæ legi ſubjecta erat, ob occurrentes circumſtantias a legis ſubjectione ſubtrahitur. Hoc autem modo naturæ lex quandoque mutationi obnoxia eſt in iis præceptis, in quibus hæc ſubtractio locum habere poteſt. Sunt enim plura legis naturæ præcepta, quæ hujuſmodi mutationi non ſubjacent, e. g. *Ordo naturalis ſervandus eſt .... Declina a malo, & fac bonum .... Deus eſt colendus .... Nemini irroganda eſt injuria .... Juſtitia ſervanda ..... Temperate vivendum ...... Non eſt mentiendum .... Non eſt pejerandum ..... Non calumniandum*, hiſque ſimilia, quæ ita honeſtatem neceſſario, ac intime continent, ut nullam circumſtantiam excipiant, nullam mutationem ſubeant, quæcunque occurrat in materia mutatio.

VII. At vero ſunt alia legis naturæ præcep-

cepta , quæ quidem , ſi abſolute ſpectentur ſimiliter ſibi conſtant , & cujuſcunque mutationis expertia ſunt . Sed occurrere aliquando poſſunt , & occurrunt non infrequenter quædam circumſtantiæ , ob quas objectum , ſive materia a legis obligatione ſubtrahatur ; adeoque eo in caſu ceſſet lex illa naturalis , vimque obligandi non exerat. Id autem contingere dupliciter poteſt : primo , ſi Deus Ipſe abſoluta poteſtate ſua rem aliquam ſubtrahat a legis naturæ obligatione . Quum enim nemo ambigere queat jus Dei latius multo patere , quam jus Creaturæ , ſuum jus ita Deus poteſt alteri communicare , ſive illum juris ſui adminiſtrum, & inſtrumentum aſſumere : ex quo facile intelligitur , quomodo homini illi quidpiam licet divino jure , quod abſolute nequaquam liceret . Secundo , ſi cauſæ aliquæ ſpeciales concurrant , quæ talium præceptorum obſervantiam impediant , quin immo materiam eorumdem alteri præcepto ſubjiciant itidem naturali , quod tunc prævalere debeat, graviorem que obligationem induat . Vulgatum illud de re hac exemplum affert S. Thomas circa depoſiti reſtitutionem : ſiquidem „ lex „ naturalis eſt , inquit hic art. 4. quod *de- „ poſita ſint reddenda* : & hoc quidem ut „ in pluribus verum eſt : ſed poteſt in ali- „ quo caſu contingere , quod ſit damnoſum, „ & per conſequens irrationabile , ſi depoſita „ reddantur , puta , ſi aliquis petat ad im- „ pugnandam Patriam . Et hoc tanto magis „ invenitur deficere , quanto magis ad parti- „ cularia deſcenditur , puta , ſi dicatur, quod „ depoſita ſint reddenda cum tali cautione, „ vel tali modo . Quanto enim plures con- „ ditiones particulares apponuntur , tanto „ pluribus modis poterit deficere , ut non „ ſit rectum , vel in reddendo , vel in non „ reddendo .

VIII. Hujuſmodi legis mutatio dicitur etiam a Theologis *materialis* : ſecus *formalis*. Mutatio namque legis *formalis* tunc evenit duntaxat , quoties Lex , quæ olim vigebat, nunc obligare deſinit , ſive quia inutilis, aut irrationabilis evadit , ſive quia legiſlatar eam revocat ob aliquem peculiarem finem ſub initium latæ legis haudquaquam præviſum . Hoc autem modo lex naturalis neque mutatur quoad ulla præcepta , neque mutari valet . Quoniam lex ipſa naturalis , mutata quorumdam præceptorum ſuorum materia , ſive aliquibus occurrentibus circumſtantiis , jam excipit caſus illos , ut a ſe minime præceptos . Præcipit ipſa nimirum aliqua officia abſolute ſpectata , ut *reddere depoſita* , *obedire parentibus* &c. Et hæc eadem officia prohibet , circumſtantia occurrente , quod reſtitutio depoſiti , obedientia parentibus præſtita &c. ſit pernicioſa aut proximo , aut Reipublicæ , aut injurioſa Deo. Atque adeo ſemper verum eſt legem naturalem tum quoad præcepta *primaria* , tum quoad *ſecundaria* ſemper formaliter , & in ſe immutatam conſiſtere , totamque , ſi qua occurrit , mutationem ſe tenere ex parte materiæ , quatenus materia legi ſubjecta modo una , modo alia circumſtantia circumſcribitur .

CAPUT XI.

CONSECTARIA.

I. *Quæ non cadunt ſub jure naturæ* præceptivo , *ſed tantum* conceſſivo , *mutationi ſubjecta ſunt* .

II. *Poſita tamen diſpoſitione facta in iis, quæ ſunt de jure* conceſſivo , *poteſt in quibuſdam naturalis obligatio conſurgere* .

III. *Impropria mutatio eſt* , *dum legi naturæ adduntur aliqua per leges humanas* .

IV. *Sicut etiam dum res extrahitur a ſubjectione ad legem naturæ* . *Exempla* .

V. *Licita eſt*, *nec juri naturali repugnans bonorum præſcriptio* .

VI. *Regula* , *ut dignoſcatur* , *quando obligatio legis naturæ deſinat* .

VII. *Nulla conſuetudo prævalere poteſt contra aliquod naturale præceptum* .

VIII. *Nulla poteſtas humana eidem derogare* , aut

aut in eo diſpenſare valet.

IX. *Quæ præcepta naturalia deſinere poſſunt ratione mutationis materiæ, quæ non.*

X. *Sententia Scoto tributa rejicitur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUUM duplex diſtinguatur naturale jus, alterum *præceptivum*, alterum *conceſſivum*, ſive mere approbativum, quæ ſub jure naturali *præceptivo* continentur, nulli ſubſunt mutationi, ſemperque obligant ſub peccato: non ita vero, quæ continentur ſub jure naturali *conceſſivo*, aut mere approbativo: quod egregie explicatur a Sancto Thoma hic ad 3. his verbis: „ Aliquid dicitur eſſe de jure naturali dupliciter. Uno „ modo, quia ad hoc natura inclinat, ſicut *non eſſe injuriam alteri faciendam*. Alio modo, quia natura non inducit contrarium: ſicut poſſemus dicere hominem „ eſſe nudum, eſt de jure naturæ: quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars adinvenit. Et hoc modo *communis omnium poſſeſſio*, *& una libertas* dicitur eſſe de jure „ naturali: quia ſcilicet diſtinctio poſſeſſionum, & ſervitus non ſunt inducta a natura, ſed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ. Et ſic etiam lex „ naturæ non eſt mutata, niſi per additionem „. Quare cum hæc non cadant ſub naturæ jure *præceptivo*, poteſt aliquis, & quidem ſæpe laudabiliter, communem vitam amplecti, aut aliter ſe tradere in ſervitutem.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Quamquam ea, quæ pertinent ad jus naturæ *conceſſivum*, non inducant ex ſe obligationem; fieri tamen ex illo poteſt talis in materia legis naturalis mutatio, ut ſub ejus obligatione cadant, quæ antea non cadebant. Sic bonorum diviſio de jure tantum naturali *conceſſiva* eſt; at ea poſita, eſt etiam de jure naturali *præceptivo*, quod bona illa, quæ ſibi alter propria fecit, eo invito ab ipſo non auferantur: quod & pluribus aliis exemplis facile explicari poteſt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non eſt dicenda mutatio legis naturæ, niſi improprie dicta, que facta eſt per leges vel canonicas, vel civiles, dum ad valorem vel Matrimonii, vel teſtamenti, vel aliquorum contractuum plures teſtes requirunt, vel alias conditiones apponunt, quæ non requiruntur ex lege naturæ. Hoc enim, ut diximus, revera non eſt mutare legem, ſed aliquid ex juſtis cauſis eidem addere, præſertim cum jus illud naturæ minime prohibeat, ut plures teſtes addantur, aut aliquæ aliæ apponantur conditiones præter illas, quæ ex naturali jure ſufficiunt.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Tametſi furtum, ſive ablatio rei alienæ, invito domino, lege naturæ prohibita ſit, licuit nihilominus populo Iſraelitico res pretioſas Ægyptiorum ſurripere, Deo illi auferendi poteſtatem faciente, qui velut ſupremus rerum omnium Dominus, in Hebræos dominium illarum transferre potuit, vel ut ſupremus Judex debitam eiſdem laborum mercedem adjudicare. Licuit etiam Abrahamo innocentem filium interficere, jubente Deo, qui ſupremum habet vitæ cujuſque dominium. Licet etiam Magiſtratibus morti addicere publica authoritate flagitioſos homines ob tranquillitatem, bonumque commune conſervandum: *Miniſtri* quippe *Dei ſunt*, *vindices in iram eis*, *qui malum agunt*, ut cum Apoſtolo loquar *ad Rom.* 13. Neque interfectiones illæ nomine *homicidii* naturali lege prohibiti proprie veniunt, quemadmodum nec ablatio alienæ rei, legitima authoritate peracta, nomine *furti*. Res enim eo ipſo deſinit eſſe *aliena*, cum juſta accedit eam accipiendi, ſive retinendi facultas. In iis ergo caſibus, aliiſque ſimilibus non mutatur, neque minuitur jus naturale, ſed jus majus, atque ſuperius impletur. Verum de his plura, cum de legum diſpenſatione.

CON-

Digitized by Google

Conſectarium Quintum.

V. Licita eſt bonorum præſcriptio ſive divino, ſive humano jure inducta, vi cujus bona, quæ erant unius, hoc etiam invito, poſitis neceſſariis conditionibus, evadunt alterius. Sicut enim gentium conſenſione diviſio rerum facta eſt ad ſubmovendam confuſionem, perturbationem, aliaque graviſſima incommoda: ita ad finem eumdem bonorum præſcriptio invecta fuit, tantumque abeſt, ut juri naturali adverſetur, etſi adverſari prima fronte videatur, quin potius eiſdem valde conſentiat. Conſentaneum quippe rectæ rationi, atque adeo juri naturali ſemper fuit, ut diviſa bona tranquille, & pacifice poſſiderentur, & ea media præſcriberentur, quæ tranquillam, ac quietam bonorum poſſeſſionem fovent, & conſervant.

Conſectarium Sextum.

VI. Ut dignoſcamus, num leges, ſive præcepta naturalia, quæ mutationem ratione materiæ ſubire poſſunt, reipſa obligare deſinant, conferendæ ſunt cum regula univerſali, penituſque immutabili, ſcilicet, *nulli injuria facienda eſt*: quod unum eſt ex primis legis naturæ principiis: ex quo colligimus injuſtum eſſe furtum, homicidium, ſecreti revelationem, aliaque hujuſmodi eſſe mala. Hinc in exemplis ſuperius allatis licita eſt alienæ rei acceptio, ſicut etiam non redditio depoſiti, interfectio nocentis, revelatio ſecreti, &c. licita ſunt: quia nulla alteri irrogatur injuria, dum authoritate ſuperiore vel dominium transfertur, vel rei detentio præſcribitur, vel de mundo tolluntur perturbatores Reipublicæ &c. &, ſi quidem aliquis repugnet, non eſt *rationabiliter* invitus. In hiſce ergo caſibus, tametſi quædam appareat juris naturalis mutationis umbra; nulla tamen veri nominis mutatio eſt, ſed ſartum illud tectumque cuſtoditur, quod ab ipſomet jure per ſe intenditur. *Patuzzi Theol. Mor. T. I.*

Conſectarium Septimum.

VII. Nulla fieri poteſt adverſum jus naturale legitima præſcriptio, adeo ut, quantumvis prævaleat conſuetudo contraria, nunquam abrogetur, aut obligare deſinat. Id præter Eccleſiæ Patres expreſſe docet Gregorius IX. c. *cum tanto*, De Conſuet. inquiens: *Nemo ſanæ mentis intelligit naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacunque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari*. Profecto, ſi naturale jus neque ab ipſo Deo abrogari poteſt, multo minus abrogari poterit ab hominibus, ſive ab humana conſuetudine. Quare omnes illæ conſuetudines, quæ contra aliquod naturale præceptum introductæ fuere tum inter Gentiles, tum etiam inter Chriſtianos, veluti pravæ, & reprobatione dignæ judicandæ ſunt, quamquam etiam communi omnium vel ſenſu vel praxi conſecratæ videantur.

Conſectarium Octavum.

VIII. Nulla poteſtas humana nec Principum, nec Regum, nec Summorum Pontificum abrogare, aut derogare poteſt alicui juris naturæ præcepto, nec in eo diſpenſare, præcepti materia invariata permanente. Hoc manifeſtum eſt ex iis, quæ dicta ſunt. Jus namque naturæ, quoad ſua omnia præcepta, natura ſua immutabile eſt. Quod autem eſt natura ſua immutabile, ſicut nec a Deo mutari poteſt, ſic multo minus mutari valet ab homine, quacunque emineat dignitate, aut gaudeat poteſtate: mutaretur autem ſaltem quoad aliquod præceptum, ſi eidem derogare homines poſſent, aut in eo diſpenſare, ut evidens eſt. Igitur &c. Hinc nulla poteſtate, ſive lege Principum, aut Imperatorum fieri poteſt, ut uſuræ e. g. licitæ evadant: quod jam notatum eſt in Clement. *Paſtoralis* Cap. *ſuper eo de Uſur*, his verbis: *Cum uſurarum crimen* E *utriuſ-*

Digitized by Google

utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, *ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus*. Ex eo enim, quod utrumque Teſtamentum crimen hoc deteſtetur, colligit Summus Pontifex pugnare cum jure naturali, adeoque nullam admittere diſpenſationem, aut derogationem per quamcunque humanam poteſtatem. Dixi tamen *invariata manente præcepti materia*: Si enim materia varietur, ut ab obligatione legis naturæ ſubtrahatur, jam deſinit eſſe *naturale præceptum*: unde nec amplius ſub lege naturæ continetur: quod explicari poteſt exemplis de voto, juramento, aliiſque ſimilibus, ſicut ſuo loco dicemus.

Consectarium Nonum.

IX. Præceptorum naturalium mutatio nunquam fit ex parte materiæ, cum aliquid præcipiunt in aliqua determinata materia, quæ honeſtatem neceſſario conjunctam habet: vel aliquid vetant, quod eſt intrinſece malum. Sic nulli ſunt obnoxia mutationi hæc præcepta: *colendus eſt Deus*: *juſtitia ſervanda*: *non eſt blaſphemia in Deum proferenda*: *non eſt mentiendum &c.* Quæ vero jubent, quorum materia honeſtatem neceſſario conjunctam non habet; aut vetant, quorum materia ſecum affert turpitudinem, aut inordinationem ab ipſa haud penitus inſeparabilem, mutationem ex hac parte ſubire valent, ut *obediendum eſt parentibus*: *non occides*: *non furaberis*, & alia, quæ mutatis circumſtantiis licita nonnunquam fiunt, quia legis naturæ obligatione extrahuntur, ut ex allatis exemplis jam conſtat.

Consectarium Decimum.

X. Falſa dicenda eſt ſententia, quæ Scoto tribuitur, nimirum in præceptis Decalogi haud quidem ullam poſſe fieri mutationem quoad illa, quæ in *prima Tabula*, exprimuntur, excepta Sabbati ſanctificatione: eam vero non impoſſibilem cenſet in præceptis *ſecundæ Tabulæ*, eo quod arbitretur hujuſmodi præcepta ad jus naturæ rigoroſe non pertinere. Cur enim ad jus naturæ, & rigoroſe quidem, non pertinebunt, ſi neceſſariam, & intimam connexionem habent cum primis naturæ legis principiis, maximeque cum illo, *nemini facienda eſt injuria*? Porro, ſi ab hoc principio tamquam neceſſariæ concluſiones proxime deſcendunt, eamdem cum illo immutabilitatem ſortiri debent, adeo ut niſi in quibuſdam occurrat materiæ mutatio, qua non amplius primis principiis ſubjecta ſint, ſemper bona erunt, nec unquam in ipſis locum habebit aut derogatio, aut diſpenſatio.

CAPUT XII.

De tertia legis naturæ proprietate, ſcilicet certitudine.

DOCTRINA.

I. *Lex naturalis, etiam prout ineſt humanæ menti, certa omnino eſt.*
II. *Aſſertio firmatur, & declaratur exemplis.*
III. *Plura tamen, quæ ad legem naturæ pertinent, ſunt incerta ob imbecillitatem humanæ mentis, aliaſque cauſas.*
IV. *Hinc neceſſaria prudentia eſt, qua recte applicentur principia univerſalia legis ad particulares concluſiones operabilium.*

I. NEMO eſt, qui neget, aut negare quidem valeat, naturæ legem, nedum prout in Deo, ſed etiam prout in nobis eſt, omnimoda gaudere certitudine. Cum enim, ut conſideratur in nobis, nihil aliud ſit, quam *participatio legis æternæ in creatura rationali*, ſive impreſſio quædam divini luminis in humana ratione; quemadmodum lex æterna, aut divinum lumen regula & menſura certiſſima eſt, ita quoque certiſſima ſit oportet hujuſmodi participatio, ſive impreſſio noſtræ menti facta. Plane, ſi principia ſpectemus univerſalia rationis practicæ, in quibus lex naturæ conſiſtit, & quæ ſuperius a nobis indicata fuere, hæc non mi-

nus certa ſunt, nec minus certo nobis innoteſcunt, quam prima principia univerſalia rationis ſpeculativæ; ſi vero conſideremus concluſiones, quas inde deducimus, de his quoque quis neget nos habere poſſe omnimodam certitudinem, non minus quam habemus de iis, quæ ratiocinando colligimus ex primis principiis ſpeculativis? Quid namque ad aliquarum veritatum certitudinem habendam requiritur? Non aliud profecto, niſi, ut certa quædam conſtituantur principia, & veritatum ad ea pertinentium neceſſaria connexio cum iiſdem oſtendatur, adeo ut veræ ſcientiæ formam induant, ac proinde non probabilibus tantum rationum momentis utcumque adſtruantur, ſed certis, clariſque demonſtrationibus firmentur. Neque enim *Demonſtrationis* nomine aliud ſignificatur, quam ratiocinatio pariens ſcientiam, ſive firmam, ac neceſſariam cognitionem ex certis, & evidentibus principiis neceſſario deductam.

II. At vero in morali diſciplina, æque ac in diſciplinis theoreticis, ac mathematicis, ſuppetere principia certa, ideas claras, ac neceſſariam inter eas connexionem, nemo non intelligit, qui rem attente perpenderit. Cui ſiquidem exploratum non eſt, ſi ſerio mentem intendat, cum hoc e. g. principio, *nemini injuria irroganda eſt*, neceſſario connecti hæc præcepta, *non eſſe mœchandum*, *non eſſe furandum*, *non falſum teſtimonium dicendum &c.*? atque ita pariter tum ex hoc, tum ex aliis primis principiis practicis, quæ actiones juſtæ ſint, & honeſtæ, quæ injuſtæ, & inhoneſtæ, ſive licitæ, aut illicitæ, certo definire poſſumus; atque id quidem continuata ratiocinationum ſerie, quouſque ad actiones etiam minimas perveniamus, dummodo ſiſtamus intra propoſitiones univerſales. quæ ſolæ ſunt demonſtrationum capaces, ſolæque ad ſcientiam proprie ſpectant.

III. Quamquam autem tum principia legis naturæ, tum etiam concluſiones practicæ, quæ ex iis inferuntur, plena gaudeant, aut gaudere poſſint certitudine, ſi in univerſali ſpectentur: negari tamen minime valet, plura eſſe ad legem naturæ pertinentia nobis incerta, & obſcura ob imbecillitatem humanæ mentis, aliaſque cauſas, quæ impediunt rectam, ac legitimam principiorum communium ad actiones particulares applicationem: quod etiam contingere in principiis, ac ſcientiis theoreticis, ſive ſpeculativis experientia manifeſtat. Id cernere eſt in permultis illis quæſtionibus, quæ diſputantur apud Theologos magna opinionum inter ſe diſſenſione, in quibus hanc, aut illam actionem, ſive omiſſionem naturali lege præceptam, aut vetitam alii docent, alii negant: omneſque non demonſtrativis quidem, ſed probabilibus argumentis ad ſententiam ſuam confirmandam utuntur. Hoc etiam conſtat ex eo, quod, ut animadvertit S. Thomas 2. 2. *q.* 47. *art.* 3. *ad* 2. ſingulares actus infiniti ſint, nec poſſint humana ratione comprehendi. Unde *incertæ ſunt providentiæ noſtræ*, ut habetur Sap. 9.

IV. Hinc idem S. Doctor *art.* 5. colligit neceſſitatem virtutis prudentiæ, ut homo in ſuis actionibus certum attingat operandi medium, recteque applicet principia univerſalia ad actiones particulares. „ Prudentia, inquit, includit cognitionem univerſalium, & ſingularium operabilium, ad quæ prudens univerſalia principia applicat. Quantum ergo ad univerſalium cognitionem eadem ratio eſt de prudentia, & ſcientia ſpeculativa: quia utriuſque prima principia ſunt naturaliter nota (eademque certiſſima), niſi quod principia communia prudentiæ ſunt magis connaturalia homini ..... Quantum autem ad particularem cognitionem eorum, circa quæ operatio conſiſtit, eſt iterum diſtinguendum: quia operatio conſiſtit circa aliquid, vel ſicut circa finem, vel ſicut circa ea, quæ ſunt ad finem ..... Fi-

„ nes autem recti humanæ vitæ ſunt deter- „ minati .... ſed ea, quæ ſunt ad finem, „ in rebus humanis non ſunt determinata; „ ſed multipliciter diverſificantur ſecundum „ diverſitatem perſonarum, & negotiorum. Unde quia inclinatio naturæ ſemper eſt ad „ aliquid determinatum, talis cognitio non „ poteſt ineſſe homini naturaliter „: ſed oportet, quod eam acquirat, recte applicando univerſalia principia ad perſonas, & actiones particulares. Unde *art. 6.* ait: *Et eorum eſt prudentia applicans principia univerſalia ad particulares concluſiones operabilium*.

CAPUT XIII.

CONSECTARIA.

I. *Hobbeſii ſententia repudianda eſt, quæ nullam aliam naturæ legi certitudinem tribuit, quam quæ a Sacra Scriptura derivatur.*

II. *Falſa eſt ſententia eorum, qui totam ejuſdem legis certitudinem repetunt a traditione ab Adamo in poſteros profecta.*

III. *Falſum quoque effatum illud, res morales non eſſe demonſtrationis capaces.*

IV. *Singularium omnium actionum honeſtas, aut pravitas demonſtrari nequit.*

V. *Unde oriatur nationum diſſenſio de honeſtate eorum, quæ jus naturæ ſpectant.*

VI. *Sola applicatio principiorum practicorum errori, & incertitudini ſubeſt.*

VII. *Quid neceſſe ſit, ne in applicatione principiorum deflectamus a veritate.*

VIII. *Æquivocatio quorumdam Probabiliſtarum detegitur, & diſſipatur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. REPUDIANDA omnino eſt tanquam falſa, & abſurda ſententia Hobbeſii aſſerentis neminem habere poſſe de præceptis naturalibus certitudinem citra divinam revelationem, eamque ſibi peculiariter factam. Hanc ille ſententiam ſatis aperte tradit *Cap. 3. de Civ. §. 33.* dum ait, leges naturales *haud eſſe proprie loquendo leges, quatenus a natura procedunt*, adeoque quatenus naturali lumine cognoſcuntur, *ſed tantummodo quatenus in ſcripturis a Deo latæ ſunt*. Hoc enim perinde eſt, ac aſſerere nullam nos habere certitudinem legum naturalium vi principiorum, quæ cuilibet rationali creaturæ Deus indidit: quod plane falſum eſſe demonſtravimus, & abſurditate plenum eſt. Si enim ex theoreticis principiis plures concluſiones certas colligimus, cur non ex principiis practicis naturalia præcepta certa non colligemus?

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Nequaquam audiendi ſunt Neoterici quidam, qui contendunt primaria principia, atque adeo totam certitudinem juris naturalis ſolummodo ex traditione ab Adamo in poſteros continenti ſucceſſione profecta nobis innoteſcere. Ut enim concedamus quædam ex iis principiis perenni hominum traditione probari poſſe, quod ſane difficilimum eſt, ac forte impoſſibile; mordicus tamen negamus etiam abſque hujuſce traditionis beneficio haud nobis certo conſtare naturæ leges, ut ex iis, quæ diximus, manifeſtum eſt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Falſum eſt effatum illud, quod Ariſtoteli a quibuſdam immerito tribuitur, & vulgari opinione circumfertur, res nempe morales non eſſe demonſtrationis ſuſcipiendæ capaces. Cum enim moralis diſciplinæ principia neceſſaria ſint, & generalium propoſitionum, ſive veritatum, quæ ex iis deducuntur, connexio cum principiis facile appareat, evidens eſt certiſſimas inde confici poſſe demonſtrationes, quæ ſcientiam pariant, nullamque adeo de iiſdem veritatibus dubitationem penitus relinquant.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Licet doctrina moralis ſuas habeat demon-

demonſtrationes quoad veritatem generalium propoſitionum, adeoque omnimoda certitudine gaudeat; ſingularium tamen omnium actionum rectitudinem, aut pravitatem demonſtrare non poteſt: tum quia demonſtrationes non ſunt de ſingularibus: tum quia talia in praxi occurrunt accidentia, aut circumſtantiæ, ob quas, certo ſaltem, plerumque ſcire minime poſſumus, num hæc, aut illa actio honeſtate debita prædita ſit. Sic e. c. demonſtrat quidem generatim eſum, qui debitam menſuram ſervat in ciborum quantitate, & qualitate, conſentaneum eſſe temperantiæ legibus, adeoque honeſtum, & a naturæ lege præſcriptum, attamen in particulari perſæpe certi eſſe non poſſumus, num reipſa debitam menſuram, ſive temperantiam in cibo potuque adhibeamus: nec niſi probabiliter, ut in plutibus, hoc nobis definire fas eſt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Ea populorum, gentiumque diſſenſio, quam cernimus, circa honeſtatem actionum ad jus naturæ pertinentium, oritur tum ex corruptione naturæ, tum ex cauſis aliis extraneis, ex quibus nullatenus evinci poteſt, incerta eſſe præcepta naturalia ſaltem communiora, & proximiora primis principiis. Diſſenſionem hanc opinionum, adeoque incertitudinem juris naturæ plus nimio exaggerant liberiores quidam moderni, maximeque Montagnius [*Eſſais lib. 2. C. 12.*] qui aſſerere auſus eſt, *ne unam quidem naturæ legem extare, cui non una ſola natio, ſed plures non contradicant*: quod plane falſum eſſe jam a pluribus eſt demonſtratum: *Quæ enim natio*, ut Tullii ſolius teſtimonium urgeam: lib. 1. de leg. *non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? Quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit?* Illud tamen fateamur oportet, longe majorem eſſe gentium, hominumque diverſitatem in legibus naturalibus, quam in aliis theoreticis diſciplinis. Nam, tametſi ambæ certis principiis nitantur, ac demonſtrari valeant; multa tamen ſunt in eruendo naturali jure, quæ rectam ratiocinationem impediunt, animumque alio diſtrahunt, ne ad ea attendat, quæ attendere deberet: quod Tullius idem ſapienter animadvertit eodem libro inquiens: „ Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio *de bono, & malo*: & quia non idem contingit in ſenſibus, (aut in aliis diſciplinis) , hos natura certos putamus, & illa. quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe dicimus „. Sed eſt longe aliter, ac latiſſima verſatur inter illa diſparitas. „ Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta „ non ſcena depravat: non multitudinis, „ conſenſus abducit a vero. Animis autem „ omnes tenduntur inſidiæ vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros, ac rudes cum „ acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut „ volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni voluptas: malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac, & ſcabie carent, non cernimus ſatis.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Tria ſunt in hac materia cum D. Thoma diſtinguenda, nempe *lex naturalis*, quæ conſiſtit in principiis univerſalibus præceptis nobis inditis a natura: habitus horum principiorum, qui vocatur *ſynderesis*: *& applicatio principiorum ad concluſiones*, quæ ex his inferuntur. Priora duo certiſſima ſunt, nullique errori, aut dubitationi obnoxia. Tertium errori, & incertitudini ſubjectum eſt, quatenus ob varias cauſas, ob depravationem rationis, ob paſſiones, pravas conſuetudines, aut malam naturæ habitudinem, vel concluſiones ex principiis non inferuntur, vel haud recte inferuntur.

Con-

Consectarium Septimum.

VII. Quamquam error, aut incertitudo plerumque non ſit in iis præceptis naturalibus, quæ ſunt proxime circa prima principia legis naturæ; ſæpiſſime tamen contingit in eorum applicatione ad caſus, aut actiones ſingulares. Quapropter ne in iis a veritate deflectamus, neceſſe eſt, ut attento animo, quæ agenda ſunt, perpendamus, eaque, ſemotis impedimentis, conferamus cum notionibus nobis inſitis de bono, & malo: quod virtutis prudentiæ præcipuum officium eſt. Ut enim ait Angelicus Doctor p. 2. q. 49. art. 5. ad 2. *ad prudentiam maxime requiritur, ut ſit homo bene ratiocinativus, ut poſſit bene applicare univerſalia principia ad particularia, quæ ſunt varia, & incerta.*

Consectarium Octavum.

VIII. Illud diligenter animadvertendum adverſum nuperos aliquos Probabiliſtas, & ex dictis colligendum, quæſtiones de pluribus jus naturæ ſpectantibus, quæ inter Theologos magna opinionum varietate diſceptantur, nec efficere, nec oſtendere, legem naturalem eſſe dubiam, aut incertam, quam immo ſemper certiſſimam præſupponunt: ſed ſpectare caſus, & actiones particulares, num ſcilicet ſub naturali lege comprehendantur, necne, ob qualitates, & circumſtantias, quibus afficiuntur, aliis quidem affirmantibus, aliis autem negantibus. E. C. Diſputatur, num contractus, quem *triplicem* vocant, juſtus ſit, vel injuſtus. Theologi omnes in hoc conveniunt, legem exiſtere apud omnes certiſſimam, quæ *injuſtitiam* prohibet, ac præcipit *juſtitiam*, neque de hoc ulla inter ipſos concertatio eſt, ſolumque diſputant, num in eo contractu tales deprehendantur characteres, aut circumſtantiæ, ob quas legi juſtitiæ adverſetur. Qui hujuſmodi contractum *injuſtum* afferunt, tales circumſtantias in eo inveniri affirmant, ac probant: qui negant, eaſdem non inveniri contendunt: atque adeo dubia quidem, & incerta eſt illius contractus honeſtas, quia dubia quoque eſt oppoſitio cum lege, non autem legis exiſtentia injuſtitiam prohibentis, quam omnes agnoſcunt, & profitentur. Idem dicas, ut obiter adnotem, de illa quæſtione, quæ a Theologis hinc, atque inde agitatur, *num licitum ſit pingere diebus feſtis*. Siquidem conſentiunt omnes vetari diebus feſtis opera ſervilia, idque certum præſumunt, ſolumque incertum eſt apud ipſos, num pingere ſit opus ſervile. Atque idem dicendum de reliquis caſibus, aut actionibus, de quarum honeſtate inter Theologos controverſia eſt.

CAPUT XIV.

De quarta, & ultima legis naturæ proprietate, ſcilicet perſpicuitate ipſius.

Doctrina.

I. *Præcepta juris naturæ quoad principia, & concluſiones ſaltem proximiores clara ſunt, & comperta, dummodo ad ea conſideranda applicetur animus.*

II. *Eadem veritas experientia comprobatur.*

III. *Undenam plures, & integræ etiam aliquando Nationes clariora juris naturæ præcepta non videant.*

IV. *Cur etiam inter Doctores, ac Theologos tot quæſtiones, ac opinionum diſſidia ferveant de licitis atque illicitis actionibus, ad jus naturæ ſpectantibus.*

I. VALDE affinis eſt hæc proprietas alteri, de qua modo verba fecimus, quæque de legis naturæ *certitudine* diximus, aptanda ſimiliter ſunt claritati, ſive perſpicuitati ejuſdem, adeo ut, ſicut certa lex eſt, quoad principia univerſalia, & concluſiones, quæ ex iis per ratiocinationem inferuntur, aut inferri facile poſſunt; ita quoad eadem principia, & concluſiones practicas, ſaltem proximiores, clara ſit, & comperta, dummodo ad ea conſideranda homines animum adver-

Digitized by Google

advertant, nec luci ejuſdem apponant impedimenta. Profecto maxime decuit Providentiam divinam, ut hæc naturalia præcepta, quibus homo ad felicitatem naturæ ſuæ convenientem comparandam ordinatur, obſcura non eſſent, neque adeo intellectu difficilia, ut generatim a cujuſvis conditionis ac ſtatus hominibus cognoſci minime poſſent.

II. Accedit in confirmationem experientia certiſſima. Nam ſi loquamur de primis principiis juris naturalis, quæ ſunt præcepta quædam communiſſima, nemini prorſus perſpecta non ſunt, cum eadem in ipſa natura impreſſa geramus, nec ullus invenitur, qui ea ignoret, aut idem de ipſis cum aliis non ſentiat. Unde *C. jus natur.* diſt. 1. dicitur: *Jus naturale eſt commune omnium Nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur*. Quoad concluſiones vero, ſaltem proximas, inde deductas, ea quoque vel leviter attendenti ſatis apparent perſpicua, ſi impedimenta non obſtent. Modica certe conſideratione opus eſt, ut quis intelligat amorem, & cultum deberi Deo primo noſtro principio, ac ultimo fini, adeoque neque pejerandum eſſe, neque injurioſa in ipſum verba proferenda. Nec profunda meditatio requiritur, ut notitia acquiratur nedum illius generalis præcepti: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; ſed etiam aliorum, quæ ex illo veluti ſua ſponte conſequuntur. Nullo namque ferme negotio ſtatim quiſque perſpicit, a quibus cavendum, aut temperandum ſibi ſit erga alios, dum ſemetipſum conſiderat, & abs ſe exquirit, num vellet, aut libenter ferret eadem ſibi fieri. Ita pariter in omnium oculos facile incurrit illud aliud principium: *Rebus naturalibus utendum non eſſe contra finem a natura, ſive ab Authore naturæ inſtitutum*; aut illud univerſalius, *ordinem naturæ in rebus omnibus eſſe ſervandum*: ex quo ſtatim fluit, eſſe temperate, caſte, & honeſte vivendum. Dubitari itaque minime poteſt, quin juris naturæ præcepta, ſaltem *generatim* inſpecta, ſint adeo clara, cognituque facilia, ut nemo eorumdem ignorantiam prætexere jure valeat.

III. At ſi res ita ſe habet, undenam ea, quam cernimus, nedum in privatis quibuſdam hominibus, ſed etiam quandoque integris Nationibus ignorantia, ut etiam veritates illas practicas, quas primis principiis proximiores dicimus, minime perſpectas habeant, eaque ſibi licere perſuadeant, quæ cum ipſo jure naturali aperte pugnare exiſtimamus? Reſponſio patet ex iis, quæ ſuperius indicata ſunt ex Angelico Præceptore hic q. 94. art. 4. nimirum, quod *quantum ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, lex naturæ deficere poteſt, quantum ad notitiam propter hoc, quod aliqui habent depravatam rationem ex paſſione, ſeu ex mala conſuetudine, ſeu ex mala habitudine naturæ: ſicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen ſit expreſſe contra legem naturæ*: *ſive*, ut ait art. 6. *propter malas perſuaſiones (eo modo, quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias), vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos: ſicut apud quoſdam latrocinia non reputabantur peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apoſtolus dicit Rom. 1.*

IV. Quod ſi inſiſtas, ac dicas hanc claritatem legis naturæ deeſſe ipſis etiam Doctoribus, ac Theologis, qui præcepta naturalia accurate perpendunt, & explanant, in quibus præfata impedimenta præſumenda non ſunt. Unde enim difficultas tanta in quæſtionibus moralibus, quas definire ſatagunt? Unde tot concertationes, atque diſſidia in unaquaque ferme re de licitis, atque illicitis actionibus, ſi naturæ præcepta adeo pervia forent, ut aſſerimus? Equidem lubens concedere velim non eadem, quæ ex Divo Thoma commemoravimus, in iſtis admittenda eſſe veritatis impedimenta. Attamen fidenter reſpondeo tantam opinionum varietatem, ac diſſenſionem,

nem, quam in his conſpicimus, non ex rei ipſius difficultate proficiſci, ſed plerumque ex inquirentium vitio, & culpa, nempe vel ex præjudiciis, minusque rectis affectionibus, vel ex falſis, quæ ſemel animo imbibere, principiis, vel ex partium ſtudio, aut novitatis amore, vel ex defectu attentionis, debitique examinis, vel ex nimia aptandi legem corruptis hominum moribus ſollicitudine: vel ex effræni luxuriantium ingeniorum in caſibus decidendis licentia, & immoderata perquiſitione, quæ quantum detegendæ veritati in rebus præſertim moralibus officiat, difficile dictu eſt. Quæ cauſæ cum profecto culpa non careant, ignorantiam, aut errorem inde conſecutum excuſare nullatenus poſſunt, juxta aureum illud, ſolidumque doctrinæ S. Thomæ principium: *ignorantia, quæ oritur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam excuſare*. An vero de quibuſdam conſequentiis longe diſſitis a primis principiis, ſive potius de generalium regularum applicatione ad aliquas peculiares actiones variis circumſtantiis affectas, & implicatas, dari poſſit ignorantia inculpabilis, quæſtio eſt, quam alibi fuſe diſcutiemus. Hic enim tantummodo agimus de præceptis juris naturæ, quæ vel de ſe perſpicua ſunt, vel modica conſideratione colliguntur, nec niſi extraneis de cauſis obſcura fiunt, & implexa.

CAPUT XV.

Conſectaria.

I. *Vana, & ridicula eſt quorumdam Juriſtarum Proteſtantium jactantia de eruta abs ſe, & in lucem producta morum diſciplina.*

II. *Unde proveniant errores, qui ſæpe occurrunt in humanis actibus.*

III. *Culpabiles plerumque ſunt hujuſmodi errores.*

IV. *Falſa & reprobanda eſt quorumdam Theologorum doctrina in iis etiam, quæ juris naturalis principiis proxima ſunt, ignorantiam invincibilem admittentium.*

V. *Legis naturæ dictamini ſatis obvio repugnant, qui inter opiniones æque probabiles minus tutam ſequuntur, vel ſequi nos poſſe docent.*

VI. *Regula diſcernendi inter opinionum diſſidia in iis, quæ ad jus naturale pertinent, eſt proborum hominum conſenſio.*

Reflexio.

Conſectarium primum.

I. Si lex naturalis tum quoad prima principia, tum quoad concluſiones inde deductas tam clara eſt, & omnibus pervia, ut ſatis oſtendimus, quis inde non colligat vanam prorſus, ac ridiculam eſſe quorumdam Proteſtantium jactantiam, qui doctrinam moralem veluti alte defoſſam, & in Democritico puteo latentem ſe eruiſſe, & ad lucem revocaſſe gloriantur? Quid ſane novi ipſi produxerunt, quod antea non docuerint Eccleſiæ Patres, quos ipſi per ſummam injuriam tanquam hoſpites, & peregrinos in naturalis juris diſciplina traducere audent, ipſiſque errores affingere, quos ne quidem ſomniarunt? Solus D. Thomas tum in Summa Theologica, tum maxime in libris contra Gentiles de hoc argumento tanta profunditate doctrinæ, tanta perſpicuitate, ac veritate tractavit, ut nullus eorum ne conferri plane cum ipſo valeat. Quin immo quid neceſſe eſt ad Eccleſiæ Patres confugere, ut ipſorum inanis jactantia retundatur, cum adeo clara, cognituque facilia ſint officia ad jus naturæ pertinentia, ut vel ruſtici ipſi, & illitterati homines, ſi omni detegendæ veritatis impedimento careant, ea melius pervideant, quam ſuperbi philoſophi? Hic etenim rectitudine potius cordis opus eſt, quam ſingulari mentis acumine.

Conſectarium Secundum.

II. Quum & prima principia legis, & præcepta, quæ ex iis proximius deducuntur, ſatis clara, & pervia omnibus plerumque ſint; errores, qui practice occurrunt in rebus

Digitized by Google

bus moralibus, non aliunde proveniunt, niſi ex eo, quod vel non applicantur illa principia, vel non recte applicantur, ſicuti applicati deberent, ad particulares actiones. Ita S. Thomas loquens de Conſcientia q. 17. de Verit. art. 2. „ Conſcientia, inquit, nihil „ aliud eſt, quam applicatio ſcientiæ ad „ aliquem ſpecialem actum: in qua quidem „ applicatione contingit eſſe errorem dupli- „ citer. Uno modo, quia id, quod ap- „ plicatur (non eſt verum principium na- „ turale, ſed aliud quod) in ſe errorem „ habet. Alio modo quod (verum natura- „ le principium) non bene applicatur. Si- „ cut in ſyllogizando contingit peccatum du- „ pliciter, vel ex eo, quod aliquis falſis uti- „ tur, vel ex eo, quod non recte ſyllogizat„. Sic E. C. hoc principium: *unicuique tribuendum, quod ſuum eſt*, vel *nemini irroganda eſt injuria*; clariſſimum eſt, & ab omnibus cognitum, nec errori ſubjectum. At ſæpe contingit, quod aliquis ex amore divitiarum non applicet hoc principium ad hunc, vel illum contractum, aut non recte applicet, adeo ut concludat ineundum eſſe contractum, quod uſuræ labe infectum eſt.

Consectarium Tertium.

III. Cauſæ ſuperius adductæ, quæ veritatum moralium cognitionem impediunt, plerumque ſaltem culpabiles ſunt. Cum enim ad legem naturalem accurate obſervandam adſtringamur, tenemur quoque ea amoliri a nobis impedimenta, quæ nos avertunt a cognoſcenda veritate. Hinc S. Paulus ad Rom. 1. peccati condemnat eum eos, qui *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*, tum abominationes illas, quas contra naturæ lumen exercebant, licet peccata minime reputarent: ſicut etiam a peccato excuſari non poſſunt, qui haud illicita ſibi latrocinia exiſtimabant, aliaque delicta, quæ ob pravas conſuetudines peccata eſſe non credebant. Eorum quippe culpa non affulgebat ipſis lux veritatis cæteroquin perſpicua.

Consectarium Quartum.

IV. Falſa eſt, & omnino reprobanda ſententia plurium Theologorum, qui quædam etiam Decalogi præcepta, aut alia ad ipſum proxime ſpectantia ignorari invincibiliter, & ſine culpa poſſe docent. Sufficiat modo hic ſolum afferre, quid cenſuerit P. Dominicus Viva in prop. 2. ex damnatis ab Alexandro VIII. ubi fœde abutitur doctrina tum S. Auguſtini, tum S. Thomæ, cujus etiam textum corrumpit, & interpolatum refert. Adducens enim verba S. Doctoris, quod ſcilicet *lex naturæ in paucioribus deficere poteſt quantum ad notitiam, ſicut apud Germanos latrocinium olim non reputabatur iniquum, cum tamen ſit expreſſe contra legem naturæ*; quaſi S. Doctor ea crederet ignorantia invincibili excuſari a peccato, cum ea diſerte referat *in rationem depravatam ex paſſione, ſeu mala habitudine naturæ*, quæ certe a peccato non excuſat; poſt hæc, inquam, ſubjicit, „ Adde in his concluſionibus remotis, quæ „ ex principiis moralibus deducuntur, etiam „ doctos fuiſſe deceptos. Nam Durandus pu- „ tavit *fornicationem ſimplicem*, ſtando in ju- „ re naturæ, non eſſe peccatum mortale, „ dummodo fiat mutuo conſenſu, & ſuffici- „ enter caveatur, ne male proles educetur. „ Caſſianus, Marulus, & alii tradiderunt, men- „ dacium officioſum eſſe licitum. Et *facile* e- „ tiam reperias, qui *invincibiliter* credat .... „ non eſſe illicitum, *nec lucrum ex mutuo*, „ *nec ultionem injuriarum nec pollutionem*, „ ubi ad vitam tuendam ſit neceſſaria .... „ Et Auguſtinus *lib. 1. de Serm. Domini C. 19.* non audet peccati damnare „ eum, qui ad declinandam uxoris mortem „ *uſum illius alteri permiſerat*, ex judicio erro- „ neo quod id in tali caſu liceret. Quin im- „ mo experientia ipſa docet, multos pueros, „ & rudes *varia peccata adverſus legem naturæ* committere abſque ulla apprehenſione „ peccati, quouſque a Confeſſariis admone- „ antur. Quare ſicut dari poteſt ignorantia „ *invincibilis* circa veritates ſpeculativas; ita

„ dari poteſt conſimilis ignorantia *circa veri-
„ tates practicas* non clare deductas ex prin-
„ cipiis, & moralibus „ . Hæc Vivæ , aliorumque doctrina tanquam falſa , & laxiſſima rejici ab omnibus debet : ea ſiquidem ignorantia , quam admittit in allatis , aliiſque veritatibus juris naturæ , *invincibilis* nullo modo putanda eſt . Neque enim aliunde oritur , quam vel ex paſſione , vel ex habitibus corruptis , aliiſve ſimilibus cauſis , quibus ratio obnubilatur , adeoque non niſi ex aliqua culpa lex naturæ non cognoſcitur . Falliturque Viva , fallitque Lectores ſuos , dum adductas veritates vocat *concluſiones a principiis remotas* : facillimo namque negotio , & modica conſideratione ex iiſdem recte applicatis deducuntur .

Consectarium Quintum.

V. Legis naturæ dictamini ſatis obvio, atque perſpicuo repugnare dicendi ſunt , qui inter opiniones æque probabiles minus tutam vel ſequuntur , vel ſequi nos licite poſſe docent . Hoc inter alia plura , quæ modo prætereo , conſtat argumento producto a viro doctiſſimo Antonino Januenſi in ſuis *Elementis* Metaph. Tom. 5. p. 156. cujus verba afferre lubet : „ Nemo , inquit , ignorare poteſt ,
„ niſi ſit omnino ſtupidus , hominem naturæ
„ ipſius dictamine certum tenere debere ad fi-
„ nem ſuum iter , ſi quidem illud occurrat
„ inquirenti perdiligenter . Quod ſi poſt
„ accuratam , & ſedulam diligentiam ad-
„ huc lateat , idem *rectæ rationis dictamen
„ exigit , ut in dubio pars tutior eligatur* : *in
„ probabilibus vero probabilior* , veluti ſibi
„ propinquior . Eam regulam in cæteris hu-
„ manæ vitæ negotiis homines natura ipſa
„ inſtigante ſectantur . Enimvero , qui *in
„ dubio viam minus tutam* , aut in opinione
„ *minus probabilem* ingreditur , is dupliciter
„ peccat . Nam & legem contemnit , & de
„ fine ſuo parum eſt ſollicitus . Eam ob rem
„ omnes controverſiæ , quæ ſuper probabili-
„ tate præterito ſæculo a magnis alioquin in-
„ geniis excitatæ ſunt , magis ex pugnan-
„ di libidine , partiumque ſtudio , quam ex
„ veritatis amore natæ mihi videntur . Ita-
„ que niſi probabilitas minor ſit ea , quæ
„ legi favet , ubi adeſt major , eſt haud du-
„ bium proterve legum jugum excutere velle,
„ homines imperio Dei perduelles efficere,aut
„ cum Imperante ſupremo tranſigere velle ,
„ partemque uſurpare imperii . Itaque *flagi-
„ tioſum* eſt , & *ſceleratum* , quum hujuſmo-
„ di criminum fallacias nec Ariſtoteles, nec
„ Cicero æquis auribus audiant , in Scholis
„ tolerari Chriſtianorum .

Consectarium Sextum.

VI. Quando inter Theologos , aut Philoſophos diſſidia ſunt opinionum quoad officia ad naturæ jus pertinentia, aliis affirmantibus, aliis negantibus , unde veritas obtenebratur, utiliſſima regula eſt diſcernendi , quæ legi vel conſentanea ſunt , vel adverſa , praxis & conſenſio hominum honeſtorum, maximeque ſimplicium , recti juſtique amatorum. In iis namque, cum & mentem habeant a ſubtilioribus, & intricationibus ratiociniis liberam, & cor a pravis affectibus immune , facile ſe prodit naturæ lumen , ſuaque claritate eorum mentes illuſtrat,ut quod rectum eſt, melius videant,& naturæ legis inſtinctus ſecurius percipiant.Sic, ut in exemplo modo allato conſiſtamus, experientia compertum eſt, honeſtorum hominum , maximeque ruſticorum, & ſimplicium, qui notiones menti ſuæ inſitas, non Theologos , aut Philoſophos auſcultant , proprium eſſe in dubiis , quæ interdum occurrunt , tutiorem partem ſequi ex inſtinctu quodam naturali , & ab iis opinionibus abſtinere , quas minus tutas judicant, licet genio, aut cupiditati ſuæ faventibus. Sic etiam naturali quodam inſtinctu bene morati homines illicita reputant duella ; compenſationes occultas,palliatas uſuras, aliaſque ſimiles actiones, quas Theologi plures ſæpe licitas faciunt .

RE-

Digitized by Google

R E F L E X I O.

Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Sap. 6. Quid eſt hæc *ſapientia*, de qua Scriptura hic loquitur? Reſpondent Sancti Patres, Sacrique Interpretes: *Sapientia eſt ipſa lex, & præcepta Domini*: Lex, inquam, a ſupremo naturæ conditore Deo mentibus hominum indita, ut ea cernamus, quæ agenda nobis ſunt, quæve fugienda, præcaveamus. Hæc itaque *ſapientia*, ſive cognitio mandatorum Dei *clara eſt, & facile videtur*. Sed quibus *clara, & a quibus facile videtur, & invenitur*? Non ab aliis plane, niſi ab iis, qui *diligunt eam, & quærunt illam*. Duo ergo nobis neceſſaria omnino ſunt, ut præceptorum legis veritatem inveniamus, & a recto tramite, quem nobis manifeſtat, non deflectamus; ſcilicet, ut & legem ipſam ſincere diligamus, & eam ſollicite quæramus. Hoc ex illo conſequitur: qui enim ſincere legem diligit, eam etiam ſollicite quærit, & quærendo invenit. Quid in cauſa potiſſimum eſt, cur tot dubia, tot difficultate, tot diſſidia quoad intelligentiam legis inſurgant, ac in tot errores etiam turpiſſimos labantur plerique hominum? Profecto non quia lex obſcura ſit; nam potius, ut ait Salomon Proverb. C. 6. *ipſa lucerna eſt, & lux*, quæ errorum tenebras diſpellit, & mentes illuſtrat ſplendore ſuo: ſed quia pauci ſunt, qui legem ſincero animo diligant, & ſollicite quærant, tametſi eam ſe diligere, & quærere quandoque profiteantur. *Lex clara eſt*, inquit Auguſtinus, *ſed amenti legem, non mundum, & ea, quæ in mundo ſunt*, voluptates, honores, divitias, quibus potius obcæcatur mens hominis, ne lucem ipſam ante oculos ſuos coruſcantem intueatur. Hinc eſt, quod ſinceri legis amatores vel nunquam, vel raro admodum in officiis a lege præſcriptis diſcernendis, & cognoſcendis difficultatem experiantur, quemadmodum exemplo ſuo teſtatur Regius Propheta, dum ajebat: *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui*. Eo quod legem Dei vir ſanctus diligebat ſuper omnia mundi bona, ideo non ad unum, aut alterum, ſed *ad omnia* prorſus *mandata* cognoſcenda, & adimplenda *dirigebatur*, *omnemque viam* a juſtitia legis abducentem *odio habebat*. *Removeantur igitur iniquitates*, concludam cum S. Auguſtino, cohibeantur paſſiones, *ſanetur quod ſaucium eſt, levetur pondus ab oculo*; Lex divina præ omnibus mundi bonis diligatur, ſtatimque *præceptum Domini lucidum illuminabit oculos noſtros*, & diſſipabit dubitationum tenebras, illud & certo cognoſcere, & fideliter implere valeamus,

DISSERTATIO SECUNDA

DE LEGE POSITIVA DIVINA.

L*EX poſitiva generatim ſumpta eſt illa, quæ libero Decreto a Legiſlatore lata eſt, & aliquo exteriore ſigno promulgata in bonum communitatis; adeoque a naturali diſtinguitur, quæ neceſſario conſequitur rationalis naturæ conditionem, & hoc ipſo promulgatur, quod* Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam. *Ea duplex eſt, altera* poſitiva divina, *altera* poſitiva humana. *De priore agimus in hac Diſſertatione, de altera acturi in ſequenti.*

CAPUT I.

De neceſſitate, ac definitione legis poſitivæ divinæ.

D o c t r i n a.

I. *Exponitur neceſſitas divinæ legis poſitivæ ex Sancto Thoma. Prima ratio ducta ex ordinatione hominis ad finem ſupernaturalem.*

II. *Secunda ratio ex incertitudine humani judicii in actionibus particularibus.*

III. *Tertia ratio ex directione actuum interiorum.*

IV. *Quarta ratio ex neceſſitate prohibendi omnia peccata.*

V. *Ex his colligitur definitio legis divinæ poſitivæ.*

VI. *Quæ præcepta ad hanc legem pertineant.*

I. ANTEQUAM, quid ſit lex divina poſitiva, expono, egregiam præmitto S. Thomæ doctrinam, qua ejuſdem neceſſitatem oſtendit *q. 91. art. 4.* his verbis: *Præter legem naturalem, & legem humanam neceſſarium fuit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam.* Theſim hanc quatuor præclaris rationibus probat: „ Primo quidem, inquit, quia per legem dirigitur
„ homo ad actus proprios in ordine ad ul-
„ timum finem. Et ſi quidem homo ordi-
„ naretur tantum ad finem, qui non exce-
„ deret proportionem naturalis facultatis
„ hominis, non oporteret, quod homo ha-
„ beret aliquod directivum ex parte ratio-
„ nis ſupra legem naturalem, & legem hu-
„ manitus poſitam, quæ ab ea derivatur.
„ Sed quia homo ordinatur ad finem bea-
„ titudinis æternæ, quæ excedit proportio-
„ nem naturalis facultatis humanæ; ideo
„ neceſſarium fuit, ut ſupra legem na-
„ turalem, & humanam dirigeretur etiam
„ ad ſuum finem lege divinitus data „.

II. Altera ratio hæc eſt: „ Quia propter
„ incertitudinem humani judicii, præcipue
„ de rebus contingentibus, & particularibus,
„ contingit de actibus humanis diverſorum
„ eſſe diverſa judicia, ex quibus etiam diver-
„ ſæ, & contrariæ leges procedunt. Ut er-
„ go homo abſque omni dubitatione ſcire
„ poſſit, quid ei ſit agendum, & quid vi-
„ tandum, neceſſarium fuit, ut in actibus
„ propriis dirigeretur per legem divinitus da-
„ tam, de qua conſtat quod non poteſt er-
„ rare „.

III. Tertia ratio ita a S. Doctore proponitur: „ Quia de his poteſt homo legem
„ facere, de quibus poteſt judicare. Judi-
„ cium autem hominis eſſe non poteſt de
inte-

Digitized by Google

„ interioribus actibus , qui latent , ſed ſolum „ de exterioribus motibus , qui apparent : „ & tamen ad perfectionem virtutis requi- „ titur , quod in utriſque actibus homo re- „ ctus exiſtat . Et ideo lex humana non „ potuit cohibere , & ordinare ſufficienter „ interiores actus , ſed neceſſarium fuit,quod „ ad hoc ſuperveniret lex divina „ .

IV. Quarta demum ratio in hoc ſita eſt : „ Quia ſicut Auguſtinus dicit in 1. de lib.ar- „ bitr. lex humana non poteſt omnia , quæ „ male fiunt , punire , vel prohibere: quia „ dum auferre vellet omnia mala, ſequere- „ tur , quod etiam multa bona tollerentur, „ & impediretur utilitas boni communis , „ quod eſt neceſſarium ad conſervationem hu- „ manam . Ut ergo nullum malum impro- „ hibitum , & impunitum remaneat , neceſ- „ ſarium fuit ſupervenire legem divinam per „ quam omnia peccata prohibentur . Et iſtæ „ quatuor cauſæ tanguntur in Pſalm. 18. ubi „ dicitur : *lex Domini immaculata* , ideſt nul- „ lam peccati turpitudinem permittens, *con-* „ *vertens animas*, quia non ſolum exterio- „ res actus , ſed etiam interiores dirigit : „ *teſtimonium Domini fidele* , propter certi- „ tudinem veritatis , & rectitudinis : *ſapien-* „ *tiam præſtans parvulis* , in quantum or- „ dinat hominem ad ſupernaturalem finem„.

V. Ex quibus facile colligas , quænam ſit notio legis divinæ poſitivæ , cujus hæc po- teſt eſſe definitio , nempe : *Lex divina po- ſitiva eſt ordinatio divinæ rationis , ſigno ali- quo exteriore libere a Deo promulgata , per quam homo certo dirigitur in omnibus actio- nibus ſuis ad finem beatitudinis æternæ.* Hæc definitio ex præmiſſa S. Thomæ doctrina ſa- tis de ſe perſpicua eſt ; & ex ea conſtat, in quo conveniat lex divina poſitiva cum lege naturali, & in quo differat . Convenit qui- dem cum lege naturali , quæ pariter divi- na eſt , ſive quædam & ipſa ordinatio facta a ſupremo Legislatore Deo , et utraque e- tiam participatio quædam eſt legis æternæ in rationali creatura : ab ea vero differt , tum quia lex naturalis indita eſt humanæ rationi , eique convenit ut quædam ejuſ- dem proprietas : lex autem divina poſitiva libero Dei Decreto promulgatur , divina ſci- licet revelatione in Sacris Scripturis nobis propoſita ; tum quia illa ordinat hominem in finem non excedentem proportionem na- turalem facultatis humanæ : hæc vero in fi- nem ſublimiorem, ad quem per gratiam ele- vatus eſt , ſcilicet ad beatitudinem æternam in clara Dei viſione poſitam ; tum etiam quia ad hunc finem præcepta addit præter ea, quæ in lege naturæ continentur. Quam vero differat a lege humana nemo non vi- det, ſive ſpectetur hujuſce legis conditor , ſive finis , in quem ordinat , ſive ejus defe- ctus tum in præceptis , quæ conſtituit, tum in totum rectitudine .

VI. Cæterum illud animadvertendum eſt , quod licet lex poſitiva divina , ſi expreſſe con- ſideretur , ea ſolum præcepta contineat,quæ adjecta ſunt legi naturali , nihilominus la- tius accepta etiam ea omnia præcepta com- plectitur , quæ ad legem naturæ pertinent, eaque nedum amplius confirmat , ſed etiam clarius exponit , quæ implexa videntur, evol- vit , errores diſſipat ex pravis hominum mo- ribus inductos, rectam intelligentiam præ- ſtat , & ipſorum demum obſervantiam ele- vat , ac ordinat in finem ſupernaturalem fe- licitatis æternæ . Unde præcepta omnia , quæ legem naturæ ſpectant , ſpectant etiam legem divinam poſitivam eadem proponen- tem in Sacris Scripturis , diviniſque Tradi- tionibus , quibus Deus nobis locutus eſt , ſuamque voluntatem manifeſtam fecit , ut nos in viam æternæ ſalutis dirigeret. „ Lex „ divina , inquit appoſite S. Thomas *part.* 2. „ *q.* 100. *art.* 2. præcepta proponit de om- „ nibus illis , per quæ homines bene ordi- „ nentur ad communicationem cum Deo . „ Homo autem Deo conjungitur ratione , „ ſive mente , in qua eſt Dei imago . Et „ ideo lex divina præcepta proponit de om- „ nibus illis , per quæ ratio hominis ordi- nata

„ nata eſt. Hoc autem contingit per actus
„ omnium virtutum. Nam virtutes intel-
„ lectuales ordinant bene actus rationis in
„ ſeipſis. Virtutes autem morales ordinant
„ bene actus rationis circa interiores paſſio-
„ nes, & exteriores operationes. Et ideo
„ manifeſtum eſt, quod lex divina convenien-
„ ter proponit præcepta de actibus omnium
„ virtutum: ita tamen, quod quædam, ſi-
„ ne quibus ordo virtutis, qui eſt ordo ra-
„ tionis, obſervari non poteſt, cadant ſub
„ obligatione præcepti: quædam vero, quæ
„ pertinent ad bene eſſe virtutis perfectæ,
„ cadant ſub admonitione conſilii „. Atque hinc eſt, quod S. Paulus alloquens Timotheum 2. C. 3. de Sacris Scripturis legem divinam, & officia virtutum, quæ Deus a nobis exigit, proponentibus, dicebat: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, quo æternam beatitudinem, ad quam obtinendam gratuita miſericordia evectus eſt, aſſequatur, & inter *cives Sanctorum, & domeſticos Dei* computetur.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. *Lex divina poſitiva æque certa eſt, ac lex naturalis quoad prima principia.*

II. *In quibus ſequi oportet legem poſitivam divinam, quamvis naturalis ipſi nobis videtur oppoſita.*

III. *Ex defectu ſtudii hujus legis divinæ ortæ ſunt tot abſurdæ Caſuiſtarum in rebus moralibus opiniones.*

IV. *Humanæ leges juſtæ ſunt, ſi cum lege divina conſentiant.*

V. *Nemo obedire debet humano præcepto, ſi divino repugnare videatur.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. LEX divina poſitiva eadem certitudine gaudet, qua lex naturalis conſiderata ſecundum ſe, & quoad prima generalia principia, in quibus lex eadem conſiſtit. Utraque enim habet immediatum authorem Deum, qui eſt veritas infallibilis, cum hoc ſolo diſcrimine, quod altera inſculpta a Deo ſit in cordibus noſtris: altera nobis innoteſcat revelatione nobis a Deo facta in Sacris Scripturis, diviniſque Traditionibus.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. In præceptis quæ ex lege naturali colliguntur per applicationem primorum principiorum *ad particulares concluſiones*, ut inquit S. Thomas, ſequi potius debemus quæ lege poſitiva divina in Sacris Scripturis nobis præſcripta ſunt, quam quæ per humanam rationem cognoſcimus. In his enim humana ratio per originale peccatum præſertim obſcurata aliquando fallitur, ut patet in antiquis philoſophis, qui tot ſcelera adverſus ipſum Decalogum permiſerunt; e. g. in Platone, qui monſtruoſam permiſit uxorum communitatem: in Lycurgo, qui furtum & rapinam licita fecit: in Ariſtotele, qui liberorum internecionem haud prohibitam cenſuit, & in aliis pluribus, qui ductum ſolius humanæ rationis ſequentes in errores turpiſſimos prolapſi ſunt, de quibus ita ſcripſit S. Joannes Damaſcenus lib. de hæreſ. circa finem: *In moribus, & rebus agendis aberrant, & aliquas res agendas, quæ præclaræ ſunt, & cum laude conjuncta, criminantur, contraque nonnullas, quæ vituperatione digna ſunt, approbant*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Ex defectu ſtudii legis divinæ in ſacris litteris, & traditionibus divinis propoſitæ, dicendum eſt profectas fuiſſe in Moralem Chriſtianam tot falſas, & erroneas opiniones, quæ proſtant in plurium Caſuiſtarum libris, quæque vel jam damnatæ ſunt ab Eccleſia, vel damnari omni jure merentur. Ut unicum tantum hic propo-

nam

nam exemplum, quis legens divinam Scripturam ſive veteris, ſive novi Teſtamenti, non ubique clariſſime perſpicit commendatum nobis præceptum amandi Deum, quod eſt mandatum primum in lege, & fundamentum præceptorum omnium? Et tamen quot abſurdiſſimæ opiniones circa hujuſce præcepti obſervantiam non occurrunt in libris Caſuiſtarum, quæ jam proſcriptæ fuere, aut proſcriptione dignæ ſunt? Undenam hujuſmodi errores ortum habuerunt? Non aliunde profecto, quam ex Authorum culpa, qui nimium fidentes humanis ratiociniis ſtudium ſacrarum literarum prætermiſerunt, ex quibus puriſſimam veritatis lucem haurire potuiſſent.

Consectarium Quartum.

IV. Cum de quibuſdam humanis legibus dubitatio eſt, an juſtæ ſint, & honeſtæ, eas conferre oportet cum lege divina; &, ſi quidem cum ipſa conſentiant, aut ſaltem non adverſentur, juſtæ cenſendæ ſunt: ſecus vero, ſi quidam præcipiant, aut prohibeant, quod eidem contrarium ſit. Hæc enim inter alias ratio eſt, quemadmodum obſervatum eſt a S. Thoma, cur *neceſſarium fuerit ad directionem humanæ vitæ habere legem divinam*, ſcilicet *propter incertitudinem humani judicii, præcipue de rebus contingentibus, & particularibus*, ex quo *contingit de actibus humanis diverſorum eſſe diverſa judicia, ex quibus etiam diverſæ, & contrariæ leges procedunt. Ut ergo*, ſubdit S. Doctor, *abſque omni dubitatione ſcire poſſet homo, quid ei ſit agendum, & quid vitandum, neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat, quod non poteſt errare.*

Consectarium Quintum.

V. Falſa, & omnino rejicienda eſt Authorum quorumdam ſententia, qui eo extendunt virtutis obedientiæ humanis Superioribus debitæ officium, ut doceant ſubditos parere debere in iis etiam, quæ ſibi ipſis pugnare videntur cum lege, ſive præcepto divino. Hic etiam locum habere debet illud Apoſtoli Petri ad Principes Synagogæ: *obedire oportet magis Deo, quam hominibus*. Nam Deus ſupremus Superiorum omnium eſt, cujus præceptis nullus error ſubeſſe poteſt; cum e contra humani, quicumque ſint, Superiores falli queant ſive ex ignorantia, ſive etiam ex malitia. Unde S. Bernardus, cujus authoritate abuti ſolent, qui contra ſentiunt, *Tract. de præcep. & Diſpenſ.* Cap. 12. cum dixiſſet: *ſive Deus, ſive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum*, ſubjungit ſtatim: *ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

CAPUT III.

Pauca quædam perſtringuntur ex Divo Thoma de lege divina Moſaica.

Doctrina.

I. *Lex vetus Iſraelitico populo data eſt, eamque bonam, & utilem fuiſſe fide tenendum.*

II. *Perfecta dici poteſt, ſpectata temporis conditione.*

III. *Quænam fuerit ejus indoles, ac natura.*

IV. *A Deo per Angelos data eſt, eaque ſoli populo Judæorum.*

V. *Diſtinctio præceptorum ipſius in moralia, cæremonialia, & judicialia.*

VI. *Convenienter propoſita ſunt* moralia *præcepta in hac lege.*

VII. *Præcepta omnia* moralia *reducuntur ad præcepta Decalogi, & in iis continentur.*

VIII. *Congrue in Decalogo recenſentur.*

IX. *De præceptis* cæremonialibus. *Quo ſenſu* poſitiva *ſint.*

X. *Quænam ipſorum diviſio.*

XI. *Præter cultum Dei, inſtituta ſunt ad præfigurandum Chriſtum, & myſteria gratiæ.*

XII. *Congruentium rationum, cur inſtituta fuerint.*

Digitized by Google

rint , *ſpecimen exhibetur* .

XIII. *Juſtificandi virtute caruerunt* .

XIV. *Ea obligare deſiiſſe in adventu Chriſti Domini certum eſt* . *Quando deſiverint* .

XV. *Quamquam dubitandum non ſit hæc modo citra peccatum obſervari non poſſe*; *tamen non ſtatim a morte Chriſti* mortifera *evaſerunt* .

XVI. *De præceptis* judicialibus . *Quadruplex eorum genus diſtinguitur* .

XVII. *Optime inſtituta ſunt in populo Hebræo* . *Plura illorum legem naturæ ſpectant* .

XVIII. *Qua parte mere poſitiva ſunt* , *obligare deſierunt in adventu Chriſti*, *non eodem tamen pacto* , *ac cæremonialia præcepta* .

I. LEX divina poſitiva duplex eſt , alia nempe *vetus* , ſive *Moſaica*: alia *nova* , ſive *Evangelica* ; neque alia præter has admittenda eſt, quæ proprie legis rationem habeat . Nam præcepta potius divina, quam leges , dicenda ſunt , quæ indicta fuerunt tum primo homini in ſtatu innocentiæ , tum cæteris ſive ante , ſive poſt diluvium, ut infantes , & adulti a primigenia labe mundarentur , tum quæ memorantur Geneſeos C. 7. &. 9. quoad diſcretionem mundorum , & immundorum animalium , & eſum carnium ſine ſanguine , & id genus alia . Prima ergo , quæ proprie *legis poſitivæ divinæ* nomine gaudet , ea eſt , quæ dicitur lex vetus , & etiam *Moſaica* , quam Deus Iſraelitico populo dedit , promulgavitque in Monte Sinai miniſterio Angelorum , & *Moyſis* , ex quo nomen accepit . De hac lege fuſo calamo diſſeruit Angelicus Doctor , pluraque mirabili plane eruditione , ac perſpicuitate digeſſit a *q*. 96. *p*. 2. uſque *ad* 106. a quo pauca pro inſtituto noſtro huc corrivabimus .

Igitur in primis legem hanc bonam , atque utilem fuiſſe , tamquam fide certum omnino tenendum eſt adverſus quoſdam antiquos hæreticos , qui eam criminati ſunt veluti a Deo malo profectam . Idque conſtat apertiſſime tum ex aliis , tum ex hoc ſolo Apoſtoli teſtimonio ad Rom. 17. *Itaque lex quidem ſancta eſt* , *& mandatum ſanctum* , *& juſtum* , *& bonum* . Quod luculenter declarat S. Thomas *q*. 98. *art*. 1. varios diſtinguens bonitatis gradus , & qui ipſi conveniant, aſſignans : „ Notandum , inquit , „ quod bonum diverſos gradus bonitatis ha„ bet . Eſt enim aliquod bonum perfectum, „ & aliquod bonum imperfectum . Perfe„ cta quidem bonitas eſt in his , quæ ad „ finem ordinantur, quando aliquid eſt tale, „ quod per ſe eſt ſufficiens inducere ad fi„ nem . Imperfectum autem bonum eſt , „ quod operatur aliquid ad hoc , quod per„ veniatur ad finem ..... Eſt autem ſcien„ dum , quod eſt alius finis legis humanæ, „ & alius legis divinæ ; Legis enim huma„ næ finis eſt temporalis tranquillitas Civi„ tatis , ad quem finem pervenit lex cohi„ bendo exteriores actus quantum ad illa „ mala , quæ poſſunt perturbare pacificum „ ſtatum Civitatis . Finis autem legis di„ vinæ eſt perducere hominem ad finem fe„ licitatis æternæ : qui quidem finis impe„ ditur per quodcunque peccatum , & non „ ſolum per actus exteriores , ſed etiam in„ teriores . Et ideo illud , quod ſufficit ad „ perfectionem legis humanæ , ut ſcilicet „ peccata prohibeat , & pœnam apponat , „ non ſufficit ad perfectionem legis divinæ, „ ſed oportet , quod hominem totaliter fa„ ciat idoneum ad participationem felici„ tatis æternæ : quod quidem fieri non po„ teſt , niſi per gratiam Spiritus Sancti, per „ quam diffunditur charitas in cordibus no„ ſtris , quæ legem adimplet : *gratia enim* „ *Dei vita æterna* , ut dicitur *Rom*. 6. Hanc „ autem gratiam lex vetus conferre non po„ tuit . Reſervabatur enim hoc Chriſto: quia, „ ut dicitur Joan. 1. *lex per Moyſem data* „ *eſt : gratia* , *& veritas per Jeſum Chriſtum* „ *facta*

„ *facta eſt* . Et inde eſt , quod lex vetus bona quidem eſt , ſed imperfecta ſecundum illud Hebr. 7. *nihil ad perfectum adduxit lex* „ . Hinc ſi aliquando in Scripturis præcepta cæremonialia hujus legis vocantur *non bona* , ut Ezech. 20. ita quidem dicuntur , non quia mala forent , ſed *quia gratiam non conferebant , per quam homines a peccato mundarentur , cum tamen per hujuſmodi ſe peccatores oſtenderent* : ut ait in Reſp. ad 1.

II. Quamquam vero lex vetus imperfecta ſimpliciter eſſet , ſiquidem per illam non aſſequebantur homines finem felicitatis æternæ : perfecta tamen dicenda eſt , ſpectata temporis ſui conditione . Hinc cum *art.* 2. ſibi S. Thomas objeciſſet , *Dei opera eſſe perfecta* &c. reſpondet , quod *nihil prohibet aliquid non eſſe perfectum ſimpliciter , quod tamen eſt perfectum ſecundum tempus : ſicut dicitur aliquis puer perfectus non ſimpliciter , ſed ſecundum temporis conditionem : ita etiam præcepta , quæ pueris dantur , ſunt quidem perfecta ſecundum conditionem eorum , quibus dantur ; etſi non ſint perfecta ſimpliciter . Et talia fuerunt præcepta legis . Unde Apoſtolus dicit ad Galat* 3. *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto* .

III. Itaque indoles, & natura legis Moſaicæ non fuit perducere homines ad gratiam, & ætenam felicitatem, ſed tantum diſponere, & ordinare ad Chriſtum , per quem gratia, & ſalus æterna conferenda fuerat . Dupliciter autem docet S.Thomas veterem legem homines ordinaſſe ad Chriſtum : „ uno quidem modo teſtimonium Chriſto perhibendo . Unde ipſe dicit Lucæ ult. *oportet impleri omnia , quæ ſcripta ſunt in lege , & in pſalmis , & in Prophetis de me* : & Joan. 5. *ſi crederitis Moyſi , crederetis forſitan & mihi : de me enim ille ſcripſit* . Alio modo per modum cujuſdam diſpoſitionis , dum retrahens homines a cultu idololatriæ, concludebat eos ſub cultu unius Dei , a quo ſalvandum erat humanum genus per Chriſtum „ . Neque tamen putandum eſt hominibus illius temporis,quamvis ſalutem non obtinerent per legem , defuiſſe gratiam , & auxilia Dei , quibus illam conſequi poſſent . Ut enim obſervat idem S. Doctor *ad* 4. quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines , aderat tamen aliud auxilium a Deo hominibus collatum ſimul cum lege , per quod ſalvari poterant , ſcilicet *fides Mediatoris* , per quam juſtificati ſunt antiqui Patres , ſicut & nos juſtificamur . Quicunque autem in ſtatu veteris legis expectantes promiſſiones ſpirituales & æternas juſtificabantur per charitatem , & gratiam Spiritus Sancti , ſecundum hoc ad novam legem pertinebant , ut ſæpe aſſerunt S. Auguſtinus , & S. Thomas, cæterique Patres .

IV. Num a Deo immediate per ſemetipſum , an miniſterio Angelorum Moyſi , & populo Hebræo lex vetus data fuerit , diſſident inter ſe antiqui Eccleſiæ Patres . Probabilior videtur ſententia S. Auguſtini, aliorumque, quos etiam ſequitur S. Thomas , datam a Deo fuiſſe Angelorum miniſterio: eamque hac congruente ratione illuſtrat Angelicus Doctor hic *art*. 3. „ Quia nimirum in omnibus poteſtatibus , & actibus ordinatis ille, qui eſt ſuperior ,principalem, & perfectum actum operatur per ſe ipſum : ea vero , quæ diſponunt ad perfectionem ultimam , operatur per ſuos miniſtros .... & ideo conveniens fuit , ut lex perfecta novi Teſtamenti daretur immediate per ipſum Deum hominem factum : Lex autem vetus [quæ imperfecta erat , ſolumque diſponebat ad perfectam ſalutem humani generis) per Miniſtros Dei, ſcilicet per Angelos . Et per hunc modum Apoſtolus ad *Hebr*. 1. probat eminentiam novæ legis ad veterem : quia in novo Teſtamento *locutus eſt nobis Deus in filio ſuo*: in veteri autem Teſtamento *eſt ſermo factus per Angelos* „ . Ita ergo ſentire par eſt, quod ſolus Deus ſua quidem authoritate

ritate legem veterem inſtituerit, ſed per Angelos promulgaverit Moyſi, & populo loquentes: quemadmodum in humana Republica, ut ait *ad 3. ſolius Principis eſt ſua authoritate legem inſtituere, ſed quandoque legem inſtitutam per alios promulgat*.

Soli populo Iſraelitico legem veterem intimatam fuiſſe ambigere nequaquam debemus. Hoc enim ex Divinis Scripturis liquet quam evidentiſſime. *Quæ eſt alia natio tam grandis*, inquiebat Moyſes Hebræis, *quæ habeat cæremonias, & juſta judicia?* Et pſal. 147. *non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Cujus rei ſi quis rationem exquirat, non aliam reddere fas eſt præter inſcrutabilem Dei voluntatem. Congrue tamen dici poteſt cum D. Thoma *art.* 4. „ quod Deus & legem, & „ alia beneficia ſpecialia illi populo exhi- „ buit propter promiſſionem eorum Patribus „ factam, ut ex eis Chriſtus naſceretur. „ Decebat enim, ut ille populus, ex quo „ Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali „ ſanctificatione polleret. " Hinc Deuteron. 4. legimus, dixiſſe populo Moyſen: *Audiſti verba illius de medio ignis, quia dilexit Patres tuos, & elegit ſemen eorum poſt illos*. Ex quo colligere oportet, ſolam Hebræorum gentem, non cæteras nationes, obſtrictam fuiſſe ad eam obſervandam, quoad illa præcepta, quæ Moſaicam legem proprie conſtituunt. Nam quoad præcepta, quæ legem naturæ ſpectant, & in Decalogo continentur, neminem ab ipſorum obſervatione exceptum fuiſſe, extra dubium eſt.

V. Triplex genus præceptorum diſtinguitur ad legem Moſaicam pertinentium, nempe *moralium*, *cæremonialium*, & *judicialium*: quæ diviſio *Deuteron.* 5. his verbis deſcripta eſt: *loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia*. Nomine *mandatorum* veniunt præcepta *moralia*, quæ ad legem naturalem attinent: *Cæremoniæ, & judicia* præcepta ſpectant, quæ *poſitiva*, ſive libera Dei lege præſcripta ſunt. Ad tria hæc præceptorum genera revocantur cætera omnia, quæ lege Moſaica comprehenduntur, aut quæ præcepta non ſunt. Certum namque eſt etiam in ea quædam extitiſſe, quæ cadebant dumtaxat ſub conſilio. Horum præceptorum ſaltem levem aliquam adumbrare notitiam operæ pretium cenſeo: qui enim de his fuſiorem tractationem deſiderat, conſulere poteſt S. Thomam loco laudato, ejuſque expoſitores.

De præceptis moralibus veteris legis.

VI. Moralia præcepta, quæ in lege veteri præſcripta ſunt, ea reſpiciunt, quæ ad bonos mores pertinent, ſive quæ rationi conveniunt, quæ principium eſt humanorum actuum, atque adeo de lege naturæ ſunt, prout ſupra jam expoſuimus. Convenienter tamen a Deo promulgata fuiſſe in lege veteri, oſtendit S. Thomas *q.* 99. *art.* 2. *ad* 2. his verbis: „ Legi divinæ conve- „ niens erat, ut non ſolum provideret ho- „ mini in his, ad quæ ratio non poteſt; „ ſed etiam in his, circa quæ contingit „ rationem hominis impediri. Ratio autem „ hominis circa præcepta moralia, quan- „ tum ad communiſſima præcepta legis na- „ turæ, non poterat errare in univerſali: „ ſed tamen propter conſuetudinem peccan- „ di obſcurabatur in particularibus agendis. „ Circa alia vero præcepta moralia, quæ „ ſunt quaſi concluſiones deductæ ex com- „ munibus principiis legis naturæ, mul- „ torum ratio oberrabat; ita ut quædam, „ quæ ſunt ſecundum ſe mala, ratio mul- „ torum licita judicaret. Unde oportuit „ contra utrumque defectum homini ſub- „ veniri per authoritatem legis divinæ: ſic- „ ut etiam inter credenda nobis proponun- „ tur non ſolum ea, ad quæ ratio attingere „ non poteſt (ut *Deum eſſe trinum*); ſed e- „ tiam ea, ad quæ ratio recta pertingere „ poteſt, (ut *Deum eſſe unum*) ad exclu- „ dendum rationis humanæ errorem, qui acci-

„ accidebat in multis .

VII. Præcepta omnia moralia , quæ in lege veteri præſcripta fuit , reducuntur ad decem præcepta a Deo tradita , & tabulis lapideis inſculpta , quæ idcirco *præcepta Decalogi* communiter nuncupantur . Triplicis namque generis præcepta diſtingui poſſunt. Quædam prima ſunt, & univerſalia , quorum non oportuit aliquam editionem fieri, cum in ipſa naturali ratione conſcripta ſint , & cunctis hominibus per ſe nota , ſicuti *nemini injuria facienda eſt : ordo in omnibus eſt ſervandus* &c. Quædam vero , quæ ex primis, & univerſalibus principiis , modica conſideratione adhibita , ſtatim cognoſci poſſunt , ut ea , quæ expreſſa legimus in Decalogo, & illa pariter , quæ ſtatim ex fide divinitus infuſa nobis manifeſta fiunt . Quædam denique ſunt , quæ per diligentem ſapientum inquiſitionem inveniuntur eſſe rectæ rationi conſentanea : quæ proinde ad nos a Deo perveniunt , mediante diſciplina ſapientum , ut *non fœnerabcris ad uſuram : honora perſonam ſenis* , & alia hujuſmodi .

Quæ ſunt primi , ac tertii generis præcepta , continentur quidem in Decalogo , ſed in ipſo nec exprimuntur , nec exprimenda fuerant . Non quidem propria; quia ex naturali lumine ſtatim comperta ſunt . Sed nec poſteriora : quoniam innumera plane ſunt , pluraque ex iis longe difficillima , & communem intelligentiam hominum excedentia . Utraque nihilo ſecius ad præcepta Decalogi reducuntur , in eiſque continentur: priora, ſicut principia continentur in concluſionibus: poſteriora ſicut concluſiones continentur in principiis. Præcepta ſiquidem Decalogi & ſunt concluſiones quædam ex primis principiis deducte , & ſimul etiam ſunt principia relate ad plurimas alias concluſiones , quæ ex iiſdem inferuntur . Ita igitur ſupremus Legislator diſpoſuit , ut ea in tabulis lapideis ſcriberentur , & exprimerentur in Decalogo , quæ neque adeo communia forent , & manifeſta , ut nulla indigerent editione , ſive diſciplina , neque ita difficilia , ut a ſolis Sapientibus poſſent a principiis educi .

VIII. Porro hæc Decalogi præcepta congrue recenſeri declarat S. Thomas hic art. 5. aſſumpto illo principio , quod *præcepta legis divinæ ordinant hominem ad Communitatem quamdam , ſive rempublicam hominum ſub Deo* . Ut enim in Communitate aliqua quis bene commoretur , duo requiruntur : quorum primum eſt , ut bene ſe habeat erga illum , qui Communitati præeſt: aliud autem ut bene ſe gerat erga alios Communitatis ſocios , & comparticipes . Oportet igitur , ut in divina lege primo ferantur præcepta quædam , quæ ordinant homines ad Deum , & alia deinde præcepta , quæ ipſum ordinant ad alios proximos ſimul conviventes ſub Deo . Principi autem Communitatis Deo tria debet homo, primo quidem *fidelitatem* , tum vero *reverentiam* , ac tertio *famulatum* . *Fidelitas* quidem erga Dominum in eo conſiſtit , ut honorem principatus alteri non deferat : & quoad hoc primum Decalogi præceptum eſt , cum dicitur : *Non habebis Deos alienos*. *Reverentia* vero erga Dominum exigit , ut nihil injurioſum in Deum committatur . Et hoc inſinuat alterum præceptum : *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum* . *Famulatus* tandem debetur Domino in recompenſationem beneficiorum , quæ ſubditi ab ipſo percipiunt . Atque hoc ſpectat tertium Decalogi præceptum de ſanctificatione Sabbati , quod & morale eſt , & ſimul cæremoniale quoad deſignationem diei .

Quod ad proximum attinet , " aliquis bene „ ſe habet , inquit S. Doctor hic *art.* 5. & „ ſpecialiter , & generaliter . *Specialiter* „ quidem quantum ad illos , quorum eſt „ debitor , ut eis debitum reddat . Et quan„ tum ad hoc accipitur præceptum *de hono„ ratione parentum* . *Generaliter* autem quan„ tum ad omnes , ut nulli nocumentum in„ feratur neque opere , neque ore , neque „ corde . Opere quidem infertur nocumen-

G2 tum

„ tum proximo, quandoque quidem in propriam perſonam, quantum ad conſiſtentiam perſonæ: & hoc prohibetur per hoc, quod dicitur: *non occides*. Quandoque autem in perſonam conjunctam quantum ad propagationem prolis: & hoc prohibetur, cum dicitur: *non mœchaberis*. Quandoque autem in rem poſſeſſam, quæ ordinatur ad utrumque. Et quantum ad hoc dicitur: *non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur: *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nocumentum autem cordis prohibetur, cum dicitur: *non concupiſces* „. Hæc modo de Decalogo, & præceptis moralibus in eo contentis ſufficiant. Nam plura in loco dicenda ſunt.

De præceptis cæremonialibus veteris legis.

IX. *Cæremonialia* legis veteris præcepta dicuntur ea, quæ quædam exteriora opera præfiniebant ad cultum Dei pertinentia, ſive quibus Hebræus populus ſuam erga Deum ſervitutem profiteri debuerat: ſicut *judicialia* ea decernebant, quæ officia ſpectant hominum ad invicem. Quamquam enim cum hæc, tum illa, ſi in genere conſiderentur, ſub communi naturæ lege comprehendantur, determinationes tamen eorum ad legem poſitivam divinam pertinent. *Colere* namque *Deum*, inquit S. Thomas hic q. 99. art. 3. *cum ſit actus virtutis, pertinet ad præceptum morale: ſed determinatio hujus præcepti, ut ſcilicet colatur hoſtiis, & talibus muneribus, hoc pertinet ad præcepta cæremonialia*. Unde cæremonialia a moralibus diſtinguuntur. Atque eodem modo loqui oportet de præceptis *judicialibus*. Siquidem etiam officia hominum ad invicem, ſi ſpectentur in communi, ad legem naturæ referuntur: quia juſtitia de lege naturæ eſt: ſed determinatio ipſius quoad hunc, vel illum obſervationis modum per præcepta *judicialia* facta eſt.

X. Itaque quoad præcepta cæremonialia attinet, ea dividuntur in *Sacrificia*, *Sacramenta*, *Sacra*, & *Obſervantias*: quam diviſionem ita illuſtrat S. Thomas q. 101. *art.* 4. „ Cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei. In quo quidem cultu conſiderari poſſunt & ipſe cultus, & colentes, & inſtrumenta colendi. Ipſe autem cultus ſpecialiter conſiſtit *in Sacrificiis*, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Inſtrumenta autem colendi pertinent *ad Sacra*, ſicut eſt tabernaculum, & vaſa, & alia hujuſmodi. Ex parte autem *colentium* duo poſſunt conſiderari, ſcilicet eorum inſtitutio ad cultum divinum, quod fit per quamdam conſecrationem vel populi, vel miniſtrorum: & ad hoc pertinent *Sacramenta*. Et iterum eorum ſingularis converſatio, per quam diſtinguuntur ab his, qui Deum non colunt: & ad hoc pertinent *Obſervantiæ*, puta in cibis, in veſtimentis, & aliis hujuſmodi.

XI. Præter Dei cultum conveniebat etiam cæremoniis veteris legis, & illa quidem præcipua, prærogativa, quod nempe præfigurarent Chriſtum Redemptorem, & myſteria gratiæ in lege nova revelanda. *Omnia* namque, ut ait Apoſtolus, *in figura contingebant illis*. Hinc S. Thomas utrumque finem aſſignans, ad quem cæremoniæ legis veteris ordinatæ fuerant a divina Sapientia, ex utroque derivat convenientes rationes inſtitutionis earumdem, inquiens *art.* 2. *qu.* 102. „ Ratio eorum, quæ ſunt ad finem, oportet, quod a fine ſumatur. Finis autem præceptorum cæremonialium eſt duplex. Ordinabantur enim ad cultum Dei pro tempore illo, & ad figurandum Chriſtum, ſicut etiam verba Prophetarum ſic reſpiciebant præſens tempus, quod etiam in figuram futuri dicebantur .... Sic igitur rationes præceptorum cæremonialium veteris legis dupliciter accipi poſſunt. Uno modo ex ratione *cultus divini*, qui erat pro tempore illo obſervandus. Et ratio-

„ rationes illæ ſunt *litterales*, ſive pertineant ad vitandum idololatriæ cultum, ſive ad rememoranda aliqua Dei beneficia, ſive ad inſinuandam excellentiam divinam, vel etiam ad deſignandam diſpoſitionem mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum. Alio modo poſſunt eorum rationes aſſignari, ſecundum quod „ *ordinatur ad figurandum Chriſtum*: & ſic „ habent rationes *figurales*, *& myſticas*, ſive „ accipiantur ex ipſo Chriſto, & Eccleſia; „ quod pertinet ad *Allegoriam*: ſive ad mores populi Chriſtiani; quod pertinet ad „ *moralitatem*: ſive ad ſtatum futuræ gloriæ, prout in eam introducimur per Chriſtum; quod pertinet ad *anagogiam*.

XII. Pergit ſubinde S. Præceptor ſequentibus articulis magna eruditionis copia, & profundiſſima doctrina aſſignare congruentes rationes earum cæremoniarum, quæ ad præfata capita referuntur, quæ ibidem legi poſſunt. At unum, vel alterum exemplum audire non pigeat: quæ non ſolum ad mentem erudiendam, ſed ad accendendam etiam pietatem inſervire valent. Sic *art*. 3. ubi rationes affert cæremoniarum, quæ ad Sacrificia pertinent, ſcribit: „ Secundum quod Sacrificia ordinabantur ad „ cultum Dei, cauſa ſacrificiorum dupliciter accipi poteſt. Uno modo ſecundum „ quod per ſacrificia repræſentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur Sacrificium offerens. Ad rectam „ autem ordinationem mentis in Deum pertinet, quod omnia, quæ homo habet, „ recognoſcat a Deo, tamquam a primo „ principio, & ordinet in Deum tamquam „ in ultimum finem; & hoc repræſentabatur in oblationibus, & ſacrificiis, ſecundum quod homo ex rebus ſuis, quaſi in „ recognitionem, quod haberet ea ex Deo, „ ea offerebat, ſecundum quod dixit David „ 1. *Paralip*. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ* „ *de manu tua accepimus, dedimus tibi*. „ Et ideo in oblatione ſacrificiorum proteſtabatur homo, quod Deus eſſet primum „ principium creationis rerum, & ultimus „ finis, ad quem eſſent omnia referenda .... „ alio modo, quia per hujuſmodi homines „ retrahebantur a ſacrificiis Idolorum &c.

Progreditur ſubinde ad rationem figuralem, atque: „ Inter omnia dona, quæ „ Deus humano generi jam per peccatum „ lapſo dedit, præcipuum eſt, quod dedit „ Filium ſuum. Unde dicitur *Joan*. 3. *ſic* „ *Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in* „ *ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et ideo potiſſimum ſacrificium eſt, „ quo ipſe Chriſtus *ſe obtulit Deo in odorem ſuavitatis*, ut dicitur *ad Epheſ*. 5. „ Et propter hoc omnia alia ſacrificia offerebantur in veteri lege, ut hoc unum „ ſingulare, & præcipuum ſacrificium figuraretur tamquam perfectum per imperfecta &c. Et quia ex figurato ſumitur ratio figuræ, ideo rationes ſacrificiorum figuralium veteris legis ſunt ſumendæ ex „ vero ſacrificio Chriſti.

Exactius vero eaſdem congruentias applicans S. Doctor triplici ſacrificiorum generi, quæ præſcripta in lege erant, hæc habet *ad* 8. „ Quoddam ſacrificium erat, quod „ totum comburebatur: & hoc dicebatur „ *holocauſtum*, quaſi *totum incenſum*. Hujuſmodi enim ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reverentiam majeſtatis ipſius, „ & amorem bonitatis ejus. Et conveniebat *perfectionis ſtatui* in impletione conſiliorum: & ideo totum comburebatur, „ ut ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat; ita etiam ſignificaretur, totum hominem, & omnia, „ quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubjecta, & ei eſſe offerenda. Aliud autem „ erat ſacrificium *pro peccato*, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati: Et conveniebat *ſtatui pœnitentium* „ in ſatisfactione peccatorum: quod dividebatur in duas partes. Nam una pars ejus com-

„ comburebatur : alia vero cedebat in uſum „ Sacerdotum , ad ſignificandum , quod ex- „ piatio peccatorum fit a Deo per mini- „ ſterium Sacerdotum : niſi quando offere- „ batur ſacrificium pro peccato totius po- „ puli , vel ſpecialiter pro peccato Sacer- „ dotis . Tunc enim totum comburebatur . „ Non enim debebant in uſum Sacerdo- „ tis venire ea , quæ pro peccato eorum „ offerebantur , ut nihil peccati in eis re- „ maneret , & quia hoc non eſſet ſatiſ- „ factio pro peccato . Si enim cederet in „ uſum eorum , pro quorum peccatis offe- „ rebatur , idem eſſet , ac ſi non offerre- „ tur . Tertium vero ſacrificium vocabatur „ *hoſtia pacifica* , quæ offerebatur Deo vel „ pro gratiarum actione , vel pro ſalute , „ & proſperitate offerentium ex debito bene- „ ficii vel accipiendi , vel accepti . Et con- „ venit *ſtatui proficientium* in impletione „ mandatorum . Et iſta dividebantur in „ tres partes : nam una pars incendebatur „ in honorem Dei : alia pars cedebat in „ uſum Sacerdotum : tertia vero pars in „ uſum offerentium , ad ſignificandum , quod „ ſalus hominis procedit a Deo , dirigenti- „ bus miniſtris ejus , & cooperantibus ipſis „ hominibus , qui ſalvantur . “ Vide , ſi lubet , plura de his , & illa quidem præclara apud S. Doctorem fuſe de iiſdem diſſerentem .

XIII. Juſtificandi virtute hujuſmodi cæremonialia præcepta caruiſſe , pro certo habendum eſt . Nunquam enim , & nuſpiam expiatio a peccatis fieri potuit , niſi per Chriſtum , & virtute gratiæ ipſius , quam nec continebant , nec continere poterant cæremoniæ veteris legis ; unde ab Apoſtolo ad *Gal.* 4. vocantur *egena & infirma elementa*. *Infirma* quidem , quia non poterant a peccato mundare : *egena* autem , quia gratiam non continebant , quam conferre poſſent . Tota ergo earum virtus in hoc ſita erat , quod emundarent homines ab immunditiis legalibus , quæ *immunditia* erat veluti irregularitas quædam impediens executionem eorum , quæ ad cultum divinum pertinebant . „ Poterat tamen , inquit S. Doctor „ hic *q.* 103. *art.* 4. mens fidelium tem- „ pore legis per fidem conjungi Chriſto in- „ carnato , & paſſo . Et ita ex fide Chri- „ ſti juſtificabantur , cujus fidei quædam „ proteſtatio erat hujuſmodi cæremoniarum „ obſervatio , in quantum erant figura Chri- „ ſti . Et ideo pro peccatis offerebantur ſa- „ crificia quædam in veteri lege , non „ quia ipſa ſacrificia a peccato mundarent , „ ſed quia erant proteſtationes fidei , quæ „ a peccato mundabat .

XIV. Legem veterem quoad cæremonialia præcepta deſiiſſe in adventu Chriſti Domini exploratum eſt . Quo tempore deſiverit , eadem non eſt apud omnes Theologos ſententia . Communior , & vera , quam ſequitur S. Thomas , docet non ceſſaſſe ante Chriſti paſſionem , & mortem ; quoniam ipſemet Chriſtus nedum circumciſioni ſe ſubjecit , ſed etiam , quoad vixit , cæteris legalibus obſervantiis . Deſiit ergo in Chriſti morte , adeo ut neminem poſtea ad ſui obſervantiam obſtringeret : idque ſatis aperte inſinuavit ipſe Chriſtus , dum moriens exclamavit : *Conſummatum eſt* ; quaſi diceret , jam impletæ ſunt figuræ , jam evanuerunt umbræ , jam patefacta prophetarum oracula , jam abolita ſacrificia : omnia demum , quæ ad legem veterem pertinebant , complementum & finem acceperunt , ut *figura* , ſicut ait S. Leo Magnus , *in veritatem , prophetia in manifeſtationem , & lex in evangelium verteretur* .

XV. At vero ſi per Chriſti mortem lex vetus abrogata eſt , dicendum ne ex illo ſtatim tempore ita deſiviſſe legales obſervantias , ut exerceri amplius non potuerint citra peccatum , quod paucioribus verbis exprimi ſolet : num ſi *mortua* tunc eſt , etiam *mortifera* tunc eſſe cœperit ? In hac quæſtione illud in primis pro comperto haberi debet , nunc temporis , ac jam pridem

legem

Digitized by Google

legem veterem evaſiſſe *mortiferam* , adeo ut ſine peccato cæremoniæ amplius obſervari nequeant . Quamquam enim, ut ſcite obſervat S. Thomas *art.* 4. eadem ſit fides , quam habemus de Chriſto , & quam antiqui Patres habuerunt ; *quia tamen ipſi Chriſtum præceſſere , nos autem ſequimur, eadem fides diverſis verbis ſignificatur a nobis , & ab eis . Nam .... cæremoniæ veteris legis ſignificabant Chriſtum ut naſciturum , & paſſurum : noſtra autem Sacramenta ſignificant ipſum ut natum , & paſſum . Sicut igitur peccaret mortaliter , qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret Chriſtum naſciturum, quod antiqui pie , & veraciter dicebant , ita etiam peccaret mortaliter , ſi quis cæremonias obſervaret , quas antiqui pie , & fideliter obſervabant* .

Cæterum circa definitum tempus , quo *mortiferæ* eſſe cœperunt legales cæremoniæ, S. Hieronymus cenſuit id contigiſſe ſtatim a morte Chriſti Domini : cumque in Scriptura legatur etiam poſt mortem Chriſti aliquas earum in uſu fuiſſe penes Apoſtolos, pia quadam ſimulatione , non ſecundum veritatem , hoc ab ipſis factum eſſe contendebat . At vero S. Auguſtinus in aliam ſententiam abiit , quæ modo obtinet apud Theologos . „ Convenientius inquit S. Thomas in Reſp. ad 1. Auguſtinus diſtinxit „ tria tempora : unum quidem ante Chriſti paſſionem , in quo legalia neque erant „ *mortifera* , neque *mortua* : aliud autem „ poſt tempus Evangelii divulgati , in quo „ legalia ſunt *mortua* , & *mortifera* : tertium autem eſt tempus medium , ſcilicet „ a paſſione Chriſti uſque ad divulgationem „ Evangelii , in quo legalia quidem fuerunt „ *mortua* : quia neque vim aliquam habebant , neque aliquis ea ſervare tenebatur: „ non tamen fuerunt *mortifera* : quia illi, „ qui converſi erant ad Chriſtum ex Judæis, „ poterant illa legalia licite obſervare, dummodo non ſic ponerent ſpem in eis, quod „ ea reputarent ſibi neceſſaria ad ſalutem, „ quaſi ſine legalibus Fides Chriſti juſtificare non poſſet . His autem , qui convertebantur ex gentilitate ad Chriſtum , non „ inerat cauſa , ut ea obſervarent . Et ideo „ Paulus circumcidit Timotheum , qui ex „ matre Judæa genitus erat : Titum autem, „ qui ex gentilibus natus erat , circumcidere noluit . Ideo autem noluit Spiritus „ Sanctus , ut ſtatim inhiberetur his , qui ex „ Judæis convertebantur , obſervatio legalium , ſicut inhibebatur his , qui ex gentilibus convertebantur , gentilitatis ritus , „ ut quædam differentia inter hos ritus oſtenderetur . Nam gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnino illicitus , & „ a Deo ſemper prohibitus : ritus autem „ legis ceſſabat tamquam impletus per Chriſti paſſionem , utpote a Deo in figuram „ Chriſti inſtitutus .

DE PRÆCEPTIS LEGIS VETERIS JUDICIALIBUS.

XVI. Quemadmodum præcepta cæremonialia veteris legis *determinationes* quædam erant, a Deo libere inſtitutæ, moralium ad cultum divinum pertinentium , ita quoque præcepta judicialia *determinationes* fuerunt eorumdem præceptorum in his , quæ ſpectant ordinationem hominum ad invicem , ſive humanam politiam , atque adeo vim obligandi proprie non habebant ex lege naturali , ſed divina poſitiva . Præceptorum hujuſmodi quadruplex genus diſtinguitur a S. Thoma *q.* 104. *art.* 4. juxta diſtinctionem humanæ ordinationis . „ Quadruplex „ enim ordo , inquit , in aliquo populo „ inveniri poteſt : unus quidem Principum „ populi ad ſubditos : alius ſubditorum ad „ invicem : tertius eorum , qui ſunt de po„ pulo ad extraneos : quartus autem ad do„ meſticos , ſicut Patris ad filium , uxoris „ ad virum , & domini ad ſervum . Et „ ſecundum iſtos quatuor ordines diſtingui „ poſſunt præcepta judicialia veteris legis . „ Dantur enim quædam præcepta de inſti-

tutio-

Digitized by Google

„ tutione Principum, & officiis eorum, & „ de reverentia eis exhibenda. Et hæc eſt „ una pars judicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia „ ad conciveſ ad invicem, puta circa emptiones, & venditiones, & judicia, & „ pœnas. Et hæc eſt ſecunda pars judicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, „ puta de bellis contra hoſtes, & de ſuſceptione peregrinorum, & advenarum. „ Et hæc eſt tertia pars judicialium præceptorum. Dantur etiam in lege quædam præcepta pertinentia ad domeſticam „ converſationem, ſicut de ſervis, & uxoribus, & filiis. Et hæc eſt quarta pars „ judicialium præceptorum.

XVII. Poſita hac præceptorum judicialium diviſione, quæſtione ſequente 105. pulcherrime oſtendit S. Doctor horum omnium ordinationem fuiſſe optime conſtitutam a Deo in populo Hebræorum, prout conditio populi, ac temporis ferebat: omniumque præceptorum egregias rationes tradit, quæ apud ipſum legi poſſunt. Unum illud obſervandum cenſeo in divinis hiſce inſtitutionibus interdum aliqua immiſceri, quæ lege naturali vel præcipiuntur, vel prohibentur. Hoc inter alia patet ex iis, quæ tradit S. Thomas *art.* 2. exponens præcepta judicialia, quæ ſpectant particularium convictum, ubi diſtinguens duplicem communicationem hominum ad invicem, aliam ſcilicet, quæ fit authoritate Principum: aliam, quæ fit propria privatorum voluntate, puta emendo, vendendo, donando &c. circa utramque ait: Communicationem lex ſufficienter ordinavit. Statuit enim *Judices*, ut patet Deuter. 16. *magiſtros conſtituendos eſſe, ut judicarent populum juſto judicio*. „ Inſtituit etiam judicii ordinem: unde dicitur Deuter. 1. *quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ille ſit, ſive peregrinus: nulla erit perſonarum diſtinctio*. Suſtulit etiam occaſionem injuſti judicii, „ acceptionem munerum judicibus prohibendo, ut patet *Exod.* 23. & *Deuter.* 16. Inſtituit etiam numerum teſtium duorum, vel trium, ut patet *Deuter.* 17. *&* 19. Inſtituit etiam certas pœnas &c. „. In quibus facile quiſque videt *judicialibus* permixta eſſe, quæ *legis naturæ* ſunt.

XVIII. Quapropter hujuſmodi judicialia præcepta perpetuo quidem obligant qua parte *legem naturalem* continent, obligare vero deſierunt, & evacuata ſunt in adventu Chriſti Domini, qua parte *Moſaicæ legis præcepta ſunt*, non eodem tamen pacto, ac cæremonialia, ut animadvertit S. Thomas *q.* 104. *art.* 3. „ Nam *cæremonialia* adeo ſunt evacuata, ut non ſolum ſint „ *mortua*, ſed etiam *mortifera* obſervantibus poſt Chriſtum, maxime poſt Evangelium divulgatum: præcepta autem *judicialia* ſunt quidem *mortua*, quia non habent vim obligandi: non tamen ſunt „ *mortifera*: quaſi ſi quis Princeps ordinaret in regno ſuo illa judicialia obſervari, „ non peccaret, niſi forte hoc modo obſervarentur, vel obſervari mandarentur, „ tamquam habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione: talis enim intentio obſervandi eſſet *mortifera*. Et hujus „ differentiæ ratio poteſt accipi ex præmiſſis. „ Dictum eſt enim, quod præcepta cæremonialia ſunt *figuralia primo, & per ſe*, „ tamquam inſtituta principaliter ad figurandа Chriſti myſteria, ut futura: & ideo „ ipſa obſervatio eorum præjudicat fidei veritati, ſecundum quam confitemur illa „ myſteria jam eſſe completa. Præcepta „ autem *judicialia* non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponendum ſtatum „ illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum. Et ideo mutato ſtatu illius populi, Chriſto jam veniente, judicialia „ præcepta obligationem amiſerunt. Lex enim fuit Pædagogus ducens ad Chriſtum, „ dicitur ad *Galat.* 3. Quia tamen hujuſmodi

„ judicialia præcepta non ordinabantur ad „ figurandum , ſed ad aliquid faciendum , „ ipſa eorum obſervatio abſolute non præju„ dicat fidei veritati : ſed intentio obſer„ vandi tamquam ex obligatione legis præ„ judicat veritati fidei : quia per hoc habe„ retur , quod ſtatus prioris populi adhuc „ duraret , & quod Chriſtus jam non ve„ niſſet .

CAPUT IV.

Consectaria.

I. *Diviſio legis divinæ in veterem , & novam non eſt niſi penes ſtatum imperfectum, & perfectum ejuſdem legis :*

II. *Lex vetus virtute juſtificandi caruit , nulluſque juſtificatus eſt , niſi per fidem Chriſti .*

III. *Lex vet. s inducebat homines ad obſervanda præcepta per minas , & promiſſiones temporales .*

IV. *Quicunque in ea lege amore bonorum ſpiritualium ad ſervanda præcepta movebantur , ad novam pertinebant .*

V. *Præcepta* cæremonialia , & judicialia *proprie pertinent ad legem veterem .*

VI. *Quo pacto conveniant , ac differant* cæremonialia , & judicialia *præcepta .*

VII. *Duplex finis proprius inſtitutionis præceptorum* cæremonialium .

VIII. *Diſtinctio cæremoniarum legis veteris ab iis , quæ antea in uſu fuerunt .*

IX. *Cæremoniæ veteris legis non emundabant ab immunditia ſpirituali , ſed ſola legali.*

X. *Peccaret mortaliter , qui* cæremonias *veteres nunc obſervaret .*

XI. *Non autem , qui unum , aut alterum præceptorum* judicialium *obſervandum præſcriberet .*

Consectarium primum.

I. CUM lex divina poſitiva dividitur in *veterem* , & *novam* ,hæc diviſio non eſt tamquam in duas leges inter ſe ſpecie diverſas , ſed veluti in duos ſtatus ejuſdem legis , alterum imperfectum , alterum perfectum , juxta illud Apoſt. li *ad Gal. C.* 3. ubi comparat ſtatum legis veteris ſtatui pueri exiſtentis ſub Pædagogo ; ſtatum vero novæ legis ſtatui viri perfecti , qui ſub Pædagogo amplius non eſt . Quemadmodum ergo diviſio hominis in puerum , & virum perfectum non eſt niſi penes duplicem ſtatum ejuſdem hominis ; ita quoque ſentire oportet de diviſione legis poſitivæ divinæ in veterem , ac novam .

Consectarium Secundum.

II. Lex vetus nunquam contulit virtute ſua juſtificationem , & ſalutem : neque ullus extitit ante Chriſtum , qui per ſolam legem juſtificatus fuerit . Ita ſexcentis in locis teſtatur S. Paulus , ex quibus ſat eſt illud proferre ad Gal. 3. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur , manifeſtum eſt , quod juſtus ex fide vivit* , ex fide nempe mediatoris Chriſti , per quem gratiam , & ſalutem quotquot juſti erant conſequebantur , cujus fidei cæremoniæ illius legis quædam poteſtationes erant . Unde ſubdit ibidem Apoſtolus : *Omnes filii Dei eſtis per fidem , quæ eſt in Chriſto Jeſu .* Atque ita per fidem Chriſti juſtificati ſunt antiqui Patres , ac juſti omnes , qui in lege , vel ante legem vixerunt . Quare fides Chriſti fuit omni tempore neceſſaria ad ſalutem, licet non eodem modo . Nam ante Chriſtum ſufficiebat *implicita* , ac veluti involuta in obſervantiis , quæ tunc adhibebantur : nunc autem requiritur *explicita* , ſicut alibi dicemus.

Consectarium Tertium.

III. Quia lex vetus imperfecta erat relate ad novam , congruum fuit , ut ad obſervantiam præceptorum induceret per temporales promiſſiones , & comminationes . Hanc convenientiam declarat S. Thomas *q.* 99. *art.* 6. quia hujuſmodi temporanæ promiſſiones , & minæ propriæ ſunt imperfe-

ctorum hominum, qui his præcipue moventur, & inducuntur ad mandatorum obſervantiam: cum e contra perfecti hominis ſit, ut contemptis temporalibus, ſpiritualibus inhæreat: unde *legi veteri*, inquit, *conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manduceret homines ad Deum*. Sapienter tamen obſervat, quod aliud ſit temporalia bona deſiderare, ſed tamen in ordine ad Deum: aliud in bonis temporalibus finem conſtituere: illud *imperfectorum* eſt: hoc autem *perverſorum*. Quare qui ſub lege erant, inducebantur quidem ad obſervandam legem ob temporalia promiſſa, & comminationes; non ita tamen, ut in eis finem conſtituerent, quod ſine lethali peccato fieri nequit.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quicunque in ſtatu legis veteris gratia Spiritus Sancti præditi legem obſervabant, non amore temporalium bonorum, ſed ſpiritualium, æternarumque promiſſionum, non jam ad *veterem*, ſed ad *novam legem* pertinebant: ſicut etiam modo non ad iſtam, ſed ad illam legem pertinere dicendi ſunt, qui ad obſervanda mandata Dei vel promiſſionibus, vel minis temporalibus permoventur. Hoc fluit ex corollario præcedente, & expreſſe traditur a S. Thoma *q.* 107. *art.* 1. *ad* 2. his verbis: *Fuerunt aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas. Et ſecundum hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam ſunt in novo Teſtamento aliqui carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo Teſtamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promiſſa*.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Cum tria ſint præceptorum genera ad legem veterem pertinentia, *cæremonialia*, & *judicialia* propria, & peculiaria illius legis dicenda ſunt, & ex ſola inſtitutione divina vim obligandi obtinebant, neque antequam inſtituerentur, intereſſe videbantur, an ſic, vel aliter fieret. At vero præcepta *moralia* ex ipſo dictamine naturalis rationis efficaciam habent, & ad ſui obſervantiam obſtringebant, quamvis in lege nunquam conſtituta fuiſſent. Neque tamen inutilis fuit horum promulgatio a Deo facta, ob errores depellendos ex tenebris ignorantiæ, & pravis hominum conſuetudinibus in ipſorum intelligentia invectos.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. *Judicialia* præcepta & conveniunt cum *moralibus*, & ab iiſdem differunt. Nam „ *judicium*, ex quo dicta ſunt, ut ait S. „ Thomas *q.* 99. *art.* 4. *ad* 2. ſignificat exe„cutionem juſtitiæ: quæ quidem eſt ſecun„dum applicationem rationis ad aliqua par„ticularia determinate. Unde præcepta *ju„dicialia* communicant in aliquo cum *mo„ralibus*, in quantum ſcilicet a ratione de„rivantur: & in aliquo cum *cæremonialibus*, „ in quantum ſcilicet ſunt quædam deter„minationes communium præceptorum. Et „ ideo quandoque *ſub judiciis* comprehen„duntur præcepta *judicialia*, & *moralia*, „ ſicut dicitur Deuter. 5. *Audi Iſrael cære„monias, atque judicia*: quandoque vero „ judicialia, & cæremonialia, ſicut dicitur „ Levit. 18. *Facietis judicia mea, & præ„cepta mea ſervabitis*: *ubi præcepta* ad mo„ralia referuntur: *judicia* vero ad judicia„lia, & cæremonialia.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Cæremonialia præcepta veteris legis inſtituta fuerunt ob duplicem finem æque a ſupremo Legiſlatore intentum, ſcilicet & ad determinandum cultum, quem Deus ſibi a populo Iſraelitico exhibendum eſſe re-

qui-

quirebat, & ad præfigurandum Chriſtum Dominum, & myſteria gratiæ in nova lege revelanda. Et ex utroque capite repetuntur rationes, ſive cauſæ convenientes inſtitutionis eorumdem, quemadmodum repetit Doctor Angelicus tota *q.* 102. Ex quo etiam duplici capite obſervat *q.* 101. *art.* 3. ſapientiſſime a Deo multiplicata fuiſſe hujuſmodi præcepta cæremonialia. Nam ob priorem quidem finem nempe cultum Deo exhibendi, oportebat, ut homines ab idololatria, cui multipliciter gentiles tunc temporis deſerviebant, per multas cæremonias ad cultum Dei revocarentur. Ob alterum vero finem, *quia myſterium Chriſti*, verba ſunt Sancti Thomæ, *quod per hujuſmodi cæremonialia figurabatur, multiplices utilitates attulit mundo, & multa circa ipſum conſideranda erant, quæ oportuit per diverſa cæremonialia figurari*.

Consectarium Octavum.

VIII. Diſtinctio cæremoniarum, quæ ad legem veterem pertinebant, ab iis, quæ ante legem in uſu fuerunt apud homines Deum colentes, ex eo præſertim deſumenda eſt, quod hæ non authoritate divina, ſed hominum voluntate, ac devotione peculiari inductæ, ac determinatæ fuerint. Qua in re præſtat audire Præceptorem Angelicum, qui quæſtionem hanc dilucide dirimit *q.* 103. *art.* 1. inquiens: „ Sicut ex
„ dictis patet, cæremoniæ legis ad duo or-
„ dinabantur, ſcilicet *ad cultum Dei*, &
„ *ad figurandum Chriſtum*. Quicunque autem
„ colit Deum, oportet, quod per aliqua
„ determinata eum colat, quæ ad exterio-
„ rem cultum pertinent. Determinatio au-
„ tem divini cultus pertinet ad *cæremonias*,
„ ſicut etiam determinatio eorum, per quæ
„ ordinamur ad proximum, pertinet ad præ-
„ cepta *judicialia*. Et ideo, ſicut inter ho-
„ mines communiter erant aliqua *judicialia*,
„ non tamen ex authoritate legis divinæ
„ inſtituta, ſed ratione hominum ordina-
„ ta; ita etiam erant quædam cæremoniæ
„ non quidem ex authoritate alicujus legis
„ determinatæ, ſed ſolum ſecundum volun-
„ tatem, & devotionem hominum Deum
„ colentium „. Addit tamen S. Doctor, & quidem admodum congrue: „ Sed quia e-
„ tiam ante legem fuerunt quidam viri
„ præcipui prophetico ſpiritu pollentes, cre-
„ dendum eſt, quod ex inſtinctu divino,
„ quaſi ex quadam privata lege, induce-
„ rentur ad aliquem certum modum colen-
„ di Deum, qui & conveniens eſſet inte-
„ riori cultui, & etiam congrueret ad ſi-
„ gnificandum Chriſti myſteria, quæ figu-
„ rabantur etiam per alia eorum geſta, ſe-
„ cundum illud 1. Corinth. 10. *omnia in*
„ *figura contingebant illis*.

Consectarium Nonum.

IX. Virtus & efficacia, quæ inerat cæremoniis veteris legis, non erat emundandi homines ab immunditia ſpirituali, ſive culpæ, ſed ab immunditia corporali, ſive legali, per quam impediebantur homines ab iis, quæ ad divinum cultum pertinebant. Hæc eſt certa S. Thomæ, & aliorum Theologorum doctrina, quæ firmatur authoritate Apoſtoli Pauli ad Hebræos 9. dicentis, quod *ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*: & Cap. 10. *impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Et ratio evidens eſt: quia expiatio a peccatis nunquam fieri potuit, niſi per Chriſtum, *qui tollit peccata mundi: & quia myſterium Incarnationis, & paſſionis Chriſti*, inquit S. Thomas q. 103. art. 2. *nondum erat realiter peractum, veteris legis cæremoniæ non poterant in ſe continere realiter virtutem profluentem a Chriſto incarnato, & paſſo, ſicut continent Sacramenta novæ legis: & ideo non poterant a peccato mundare* ..... Poterat tamen, ſubdit, *mens fidelium tempore legis per fidem conjungi Chriſto incarnato, & paſſo: & ita*

Digitized by Google

ex fide Chriſti juſtificabantur: cujus fidei quædam proteſtatio erat hujuſmodi cæremoniarum obſervatio, ut diximus &c.

Consectarium Decimum.

X. Peccaret mortaliter, ſi quis modo veteris legis cæremonias obſervaret. Ut enim animadvertit S. Thomas ibidem *art.* 4. „ omnes cæremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei, in qua conſiſtit interior Dei cultus. Sic autem fidem interiorem poteſt homo proteſtari factis, ſicut & verbis, & in utraque proteſtatione, ſi aliquid homo falſum proteſtetur, peccat mortaliter. Quamvis autem ſit eadem fides, quam habemus de Chriſto, & quam antiqui Patres habuerunt, tamen, quia ipſi præceſſerunt Chriſtum, nos autem ſequimur, eadem fides diverſis verbis ſignificatur a nobis, & ab eis. Nam ab eis dicebatur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, quæ ſunt verba futuri temporis; nos autem idem repræſentamus per verba præteriti temporis dicentes, quod *concepit*, & *peperit*. Et ſimiliter cæremoniæ (ut etiam ſupra diximus) veteris legis figurabant Chriſtum, naſciturum, & paſſurum: noſtra autem Sacramenta ſignificant ipſum, ut natum, & paſſum ... Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc ſuam fidem proteſtando diceret Chriſtum naſciturum, quod antiqui pie, & veraciter dicebant: ita etiam peccaret mortaliter, ſi nunc cæremonias obſervaret, quod antiqui pie, & fideliter obſervabant.

Consectarium Undecimum.

XI. Nullo modo peccaret, ſi quis legiſlator aſſumeret unum, vel alterum ex præceptis judicialibus, illudque præſcriberet a ſuis ſubditis obſervandum, dummodo id non ex intentione præſtaret, quod crederet illa præcepta adhuc vim obligandi non amiſiſſe. Ratio eſt: ſiquidem præcepta *judicialia* inſtituta a Deo non fuerunt ad præfigurandum Chriſti myſteria, ſed ad diſponendum ſtatum politicum populi Iſraelitici, qui ordinabatur ad Chriſtum; adeoque ipſorum obſervatio nullum infert veritati fidei præjudicium. Si qui tamen omnia illa præcepta judicialia præſcriberet obſervanda, culpam fortaſſe non effugeret, eo quod ipſo facto ſignificare videretur, veterem legem nondum deſiiſſe, quod falſum eſt.

CAPUT V.

De lege nova, ſive Evangelica.

DOCTRINA.

I. *Exponuntur nomina, quibus appellatur.*
II. *Ejus definitio propoſita, & explicata.*
III. *Prima excellentia novæ Legis ſupra veterem ex triplici capite deducta.*
IV. *Altera novæ legis excellentia, quod data fuerit omnibus hominibus.*
V. *Tertia ejuſdem excellentia, quod in gratia, & charitate principaliter conſiſtat.*
VI. *Quarta excellentia, quod duratura ſit ad uſque mundi finem.*
VII. *Exponitur ſenſus quarumdam locutionum Scripturarum de nova, ac veteri lege.*
VIII. *Quo ſenſu intelligendum ſit, quod Chriſtus aſſeruit, ſe* non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere.

I. JAM vero de lege *nova*, in qua feliciter nati ſumus, quæque legis veteris complementum eſt, omniumque perfectiſſima, diſſeremus, ac paulo quidem uberius, quam cæteri Theologi ſoleant, qui de rebus moralibus tractant, ut ejus naturam, & indolem exacte percipiamus, & quæ ab ea nobis præcipiuntur, perfecte calleamus. Hæc pluribus nominibus appellari ſolet. *Nova* in primis dicitur, tum quia data hominibus eſt poſt legem Moſaicam, cui ſuccedit veluti ipſius complementum; tum quia ratione eorum, quæ continet, renovat hominem, per fidem ſcilicet, ſpem, & chari-

Digitized by Google

charitatem, quæ ſunt hujuſce legis portio præcipua, ac veluti characteres, aut proprietates. *Lex fidei* abſolute vocatur ab Apoſtolo *Rom.* 3. quod in ſe fidei gratiam contineat. *Lex Evangelica* ſæpiſſime dicitur, quia bona præſtantiſſima nobis annunciat, nempe Chriſtum Salvatorem, ejuſque gratiam, & præmia cæleſtia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Evangelium quippe perinde eſt, ac *bonum nuncium*, ut proinde lex evangelica ſit egregium illud, & feliciſſimum nuncium hominibus allatum a Chriſto de ſalute ſempiterna totius humani generis, quam ille operatus eſt. Vocatur etiam *lex novi Teſtamenti*, ſive abſolute *Teſtamentum novum*, quod inſinuat pactum illud, ſive promiſſionem, qua benigniſſimus Deus filium ſuum nobis promiſit, ac dedit, & cum ipſo nobis pariter promiſſa omnia ſuperexcellentia donavit. *Lex gratiæ* quoque appellari ſolet, quia illud, quod in ea potiſſimum eſt, eſt *gratia Dei* diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, ſimulque auxilia ad eam obtinendam.

II. Ex his haud difficulter colligi poteſt, nomine *legis novæ* non intelligi vel unum aliquod mandatum noviter datum, vel ſolam congeriem novorum præceptorum ſecundum ſe, ſive ut præciſe nova præcepta ſunt; ſed totam illam diſciplinam, doctrinam, & ordinationem, quam Chriſtus Dominus per ſemetipſum tradidit, ac inſtituit. Quare, ſi quis eam preſſe definire vellet, hanc, ut mihi videtur, aptiore uti definitione poſſet.

Legis novæ definitio.

Lex nova eſt illa diſpoſitio, ſive œconomia per Chriſtum inducta, qua & gratiam Spiritus Sancti nobis donavit, & præcepta tradidit ad illam vel obtinendam, vel conſervandam neceſſaria.

Huic definitioni lucem clariſſimam præſtat doctrina Sanctorum Patrum, quam collegit, ac propoſuit S. Thomas *p.* 2. *q.* 106 & ſequentibus. In primo namque *art.* ubi quærit, an *lex nova ſit lex ſcripta*, hæc habet: „ Unaquæque res illud videtur eſſe, „ quod in ea potiſſimum eſt. Id autem, „ quod eſt potiſſimum in lege novi Teſta„ menti, & in quo tota virtus ejus con„ ſiſtit, *eſt gratia Spiritus Sancti, quæ* „ *datur per fidem Chriſti*. Et ideo *princi*„ *paliter* lex nova eſt ipſa gratia Spiritus „ Sancti, quæ datur Chriſtifidelibus. Et „ hoc manifeſte apparet per Apoſtolum, „ qui ad Rom. 3. dicit: *Ubi eſt ergo glo*„ *riatio tua? Excluſa eſt: per quam legem?* „ *Factorum? Non: ſed per legem fidei*. „ Ipſam enim fidei gratiam *legem* appellat. „ Et expreſſius ad Rom. 8. dicitur: *Lex* „ *ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me* „ *a lege peccati, & mortis*. Unde & Au„ guſtinus dicit *in lib. de Spiritu, & lit*„ *tera*: quod *ſicut lex factorum ſcripta fuit* „ *in tabulis lapideis; ita lex fidei ſcripta* „ *eſt in cordibus fidelium*. Et alibi dicit „ in eodem libro: *quæ ſunt leges Dei ab* „ *ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præ*„ *ſentia Spiritus Sancti* „? Addit ſubinde Doctor Angelicus: *Habet tamen lex nova quædam ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritus Sancti, & ad uſum hujus gratiæ pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege nova, de quibus oportuit inſtrui fideles Chriſti & verbis, & ſcriptis tam circa credenda, quam circa agenda. Et ideo dicendum eſt, quod principaliter lex nova eſt lex indita, ſecundario autem eſt lex ſcripta.*

Hinc vero clareſcit & firmatur poſita definitio, quæ duo complectitur, alterum *primario*, alterum *ſecundario*. Primario continet gratiam Spiritus Sancti, quæ per fidem Chriſti nobis confertur, ſimulque auxilia omnia, quæ neceſſaria nobis ſunt ad obtinendam gratiam ſanctificantem, & gloriam ſempiternam. Secundario vero præcepta tum quæ ad finem eumdem aſſequendum

Digitized by Google

dum diſponunt, tum quæ ad rectum uſum gratiæ ſanctificantis ſpectant, quæ Chriſtus nobis per ſemetipſum tradidit, & obſervanda mandavit. Dixi, quæ Chriſtus *per ſemetipſum tradidit, ac mandavit*. Nam præcepta, quæ Apoſtoli, non tamquam teſtes doctrinæ Chriſti, ſed tamquam ſupremam exercentes in Eccleſia poteſtatem tradiderunt, eatenus *ad legem novam* pertinere dicuntur, quod circa idem tempus tradita fuerint, ejuſque obſervantiæ judicata ſunt convenire: proprie tamen *legis novæ præcepta* vocari non poſſunt. Siquidem cum *lex nova* ſit quædam lex *divina poſitiva*, ea ſola præcepta dicenda ſunt *novæ legis* propria, quæ divina Chriſti authoritate immediate conſtituta fuere. Hæc porro Chriſti diſciplina, ſive ordinatio congrue *lex* appellatur, quia præter id, quod ejuſdem peculiare eſt, multas leges, aut præcepta continet: *Nova* vero ob rationem paulo ante indicatam.

III. Excellentia hujuſce *novæ legis* ſupra cæteras omnes ſatis manifeſta eſt, & ex notione, quam de ipſa dedimus, evidenter colligitur. Excellit in primis legem *veterem*, licet & ipſa divina fuerit: eo quod imperfecta erat illa, perfecta vero iſta: quam majorem perfectionem egregie declarat S. Thomas ea perpendens, quæ de perfectione, aut imperfectione legis ſunt, inquiens *q.* 91. *art.* 5. „ Perfectio, & imperfectio legis attenditur ſecundum tria, quæ ad legem pertinent. Primo enim ad legem „ pertinet, ut ordinetur ad bonum commune, ſicut ad finem, quod quidem „ poteſt eſſe duplex, ſcilicet bonum ſenſibile, & terrenum. Et ad tale bonum „ ordinabat directe *lex vetus*. Unde ſtatim „ Exod. 3. in principio legis invitatur populus ad regnum terrenum Chananæorum. „ Et iterum ad bonum intelligibile, & „ cæleſte: & ad hoc ordinatur *lex nova*. Unde ſtatim Chriſtus *ad Regnum* „ *Cælorum*, in ſuæ prædicationis principio „ invitavit dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*. Et ideo Auguſtinus dicit *in 4. contra Fauſt.* „ quod temporalium rerum promiſſiones in „ Teſtamento veteri continentur, & ideo „ *vetus* appellatur. Sed æternæ vitæ promiſſio ad *novum* pertinet Teſtamentum. „ Secundo ad legem pertinet dirigere humanos actus ſecundum ordinem juſtitiæ. „ In quo etiam ſuperabundat lex *nova* legi *veteri*, interiores actus hominis ordinando, ſecundum illud Math. 5. *Niſi* „ *abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in* „ *regnum cælorum*. Et ideo dicitur, quod „ *lex vetus* cohibet *manum*, *lex nova animum*. Tertio ad legem pertinet inducere homines ad obſervantias mandatorum. „ Et hoc quidem lex *vetus* faciebat *timore* „ *pœnarum*. Lex autem *nova* facit hoc *per* „ *amorem, qui in cordibus noſtris infunditur* „ per gratiam Chriſti, qui in lege nova „ confertur, ſed in lege veteri figurabatur. „ Et ideo dicit Auguſt. contra Adamantium „ Manichæi diſcipulum, quod *brevis differentia eſt legis, & Evangelii, timor, &* „ *amor*.

IV. Excellentia altera legis *novæ* tum ſupra veterem, tum ſupra cæteras leges humanas in hoc ſita eſt, quod lata non fuerit pro aliquo peculiari populo, ſicut lex vetus, & cæteræ humanæ leges, ſed univerſim pro omnibus mundi hominibus, ut conſtat ex verbis Chriſti diſcipulos ſuos mittentis ad hanc legem promulgandam Marci ultimo: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Hoc ipſum confirmant veteres omnes prædictiones, ac Scripturarum teſtimonia, quæ ubique perſonant in adventu Chriſti gentes omnes vocandas eſſe ad fidem, & legem ipſius. Ratio autem evidens hæc eſt, quia, ſicut Chriſtus Redemptor univerſalis eſt omnium hominum; ita quoque omnium legiſlator eſt, quemadmodum a Propheta vocatur,

Digitized by Google

Deus & legifer noſter. Quare reſpectu omnium, quos a Diaboli ſervitute vindicavit in libertatem filiorum Dei, Legislatoris officium exercet, eiſque præcepta tradit,ut ad vitam ſempiternam perveniant. Hinc Eccleſia ab ipſo fundata non eſt cœtus aliquis fidelium particularis, ſicut vetus Synagoga, ſed plane *catholica*, ſive univerſalis, ſicut in ſymbolo Apoſtolico profitemur, quoad loca, perſonas, & tempora ab inſtitutione Chriſti.

V. Tertia & quidem omnium præcipua novæ legis excellentia ex ipſa ejuſdem definitione colligitur, quod proprie, & principaliter conſiſtat *in gratia, & charitate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ut ait Auguſtinus *Cap. 17. de Spiritu, & littera*: ſicut jam prænunciatum fuerat a Deo apud Hieremiam *Cap. 31.* dicente: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum* &c. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Non enim aliud hæc verba ſignificant, prout ea exponit Apoſtolus ad Hebr. *C.* 8. & 10. niſi ſpecialem novæ legis prærogativam, quod poſita ſit *in gratia, & charitate cordibus hominum indita per Spiritum Sanctum*. Ex quo habet, quod ſuapte natura juſtificet, & conſtituat homines Dei filios, & hæredes vitæ æternæ. Hinc S. Auguſtinus loco laudato comparans fœdus, ſive veterem legem cum fœdere, ſive lege nova ait: *Ibi*, in veteri nempe teſtamento, *lex extrinſecus eſt poſita, qua terrerentur: hic*, in novo ſcilicet teſtamento *intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur*. Quare, cum S. Thomas adverſus hanc veritatem objeciſſet *art.* 2. „ nullum juſtificari, niſi „ legi Dei obediat; *non omnes* autem, ut „ ait Apoſtolus, *obediunt Evangelio*; Reſ„ pondet, hanc objectionem procedere de „ lege nova, non quantum ad id, quod „ eſt principale in ipſa, ſed quantum ad „ id, quod eſt in ipſa *ſecundarium*, ſcili„ cet qoantum ad documenta, & præcep„ ta exterius homini poſita vel ſcripto,vel „ verbo „, ut denotet legem novam ſe ipſa juſtificare quoad id, quod in ea potiſſimum eſt.

VI. Sed & alia novæ legis excellentia prætereunda non eſt, quod nimirum nunquam deficere debeat, nunquam abroganda ſit, ſed duratura in eodem ſtatu ad uſque Mundi finem. Lex quidem vetus, quoniam figuralis, & imperfecta erat, temporaria eſſe debuerat, ac deſinere adveniente veritate, quam adumbrabat. At lex nova, quæ perfecta eſt, ac veterem complet, nullum finem eſt habitura uſque ad finem ſæculi, cui ſuccedet ſempiternæ gloriæ plena poſſeſſio. Sic enim Chriſtus Dominus Apoſtolos mittens ad docendas omnes gentes, non utique ſolum tunc temporis exiſtentes, ſed etiam futuras per eorumdem ſucceſſores, dixit eis Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Et Apoſtolus 1. *ad Corinth. c.* 2. loquens de ſacrificio, & Sacramento præcipuo novæ legis, ſcilicet Euchariſtia, ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat: In quo*, ſubdit S. Thomas, *datur intelligi, quod hic ritus Eccleſiæ non ceſſabit uſque ad finem mundi*.

VII. Ex quibus omnibus facile conſtat legitimus ſenſus quarumdam Scripturarum locutionum, quoad conformitatem, ac diverſitatem legis *veteris*, ac *novæ*, quæ pugnare inter ſe videntur. Qua in re doctrina, quam habet S. Thomas *q.* 107. plurimam lucem affert. „ Duæ leges, in„ quit, diſtingui poſſunt dupliciter, uno „ modo quaſi omnino diverſæ, utpote or„ dinatæ ad diverſos fines ..... alio modo diſtingui

„ diſtingui poſſunt, ſecundum quod una *propinquius* ordinat ad finem: alia vero *remotius*, puta in una, & eadem civitate dicitur alia lex, quæ imponitur viris perfectis qui ſtatim poſſunt exequi ea, quæ pertinent ad bonum commune: & alia lex datur de diſciplina puerorum, qui ſunt inſtruendi, qualiter poſtmodum opera virorum exequantur. Dicendum eſt ergo, quod ſecundum primum modum lex nova non eſt alia a lege veteri: quia utriuſque eſt unus finis, ſcilicet ut homines ſubdantur Deo (authori gratiæ, & gloriæ). Eſt autem unus Deus & novi, & veteris Teſtamenti, ſecundum illud Rom. 1. *Unus Deus eſt, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Alio modo lex nova eſt alia a lege veteri: quia lex vetus eſt quaſi Pædagogus puerorum, ut Apoſt. dicit ad *Gal*. 3. lex autem nova eſt lex perfectionis: quia eſt lex charitatis, de qua Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 3. quod *eſt vinculum perfectionis* „. Propria namque prærogativa novæ legis eſt, ut per eam detur Spiritus Sanctus, *per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris*: qua prærogativa carebat lex vetus, tametſi præcepta charitatis daret.

VIII. Atque hinc etiam intelligi facile poteſt, quo ſenſu Chriſtus Dominus apud Matth. c. 5. dixerit: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Cum enim lex vetus imperfecta fuerit, perfecta vero ſit lex nova, *ſecundum hoc*, ait S. Thomas *art*. 2. lex nova adimplet veterem legem, in quantum ſupplet illud, quod veteri legi deerat. Id autem exactius ex eodem declarari valet, animadvertendo duo poſſe in lege veteri conſiderari, *finem* videlicet, ac *præcepta*. Quoad *finem* attinet, tripliciter lex nova veterem implet: primo, quatenus efficit id, quod lex vetus efficere neutiquam poterat. Nam quamvis etiam veteris legis *finis* fuerit hominum juſtificatio, ei tamen efficiendæ impar omnino erat; at nova ob virtutem paſſionis Chriſti in ipſam redundantem illam efficit, juxta Apoſtoli textum ad Rom. 8. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis*. Deinde quatenus exhibet illud, quod promittebat; ac demum in quantum adimplet, quod illa præfigurabat. Siquidem lex vetus verbis quidem promittebat juſtificationem, & quibuſdam cæremoniis eam adumbrabat: Sed lex nova illam præſtat. Unde S. Auguſtinus lib. 17. cont. Fauſt. cap. 6. *Impletur*, inquit, *lex, vel cum fiunt, quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur, quæ ibi prophetata ſunt*.

Quod *præcepta* ſpectat, pariter lex nova, ſive novæ legis author, & conditor Chriſtus veterem implevit, idque dupliciter, nimirum opere, & ſermone. Opere quidem; quia Chriſtus ſe ſubjecit circumciſioni, ac cæteris operibus, quæ pro eo tempore lex vetus præſcribebat. Doctrina vero, tum veram legis intelligentiam aperiendo, quam Phariſæi ſuis falſis traditionibus corruperant, ut conſtat ex *cap*. 5. *Matth*. aliiſque: tum præcepta legis doctrina ſua ordinando, ac oſtendendo, quo pacto tutius, ac ſecurius obſervanda forent: tum ſuperaddendo conſilia perfectionis, quæ in Evangelio propoſita ſunt. Quibus addi poteſt ex Auguſtino, Chriſtum pariter adimpleviſſe cæremonialia præcepta veteris legis, quia illa abrogavit, & abſtulit, novaque alia perfectiora, & efficaciora ſubſtituit. *Prima*, inquit S. Doctor loco citato, *Sacramenta, quæ obſervabantur, & celebrabantur ex lege, prænunciativa erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo adventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt: & ideo ablata, quia impleta*. Et Cap. 16. *Qui venit leges, & Prophetas non ſolvere, ſed adimplere, ipſa adimpletione abſtulit ea, per quæ adhuc promittebatur implendum, quod jam conſtat impletum*.

CA-

CAPUT VI.

CONSECTARIA.

I. *Lex nova alio modo dicitur indita cordibus hominum, ac lex naturæ.*

II. *Quicunque ſancti, & juſti fuerunt ſive in lege naturali, ſive in lege veteri, ad novam legem pertinebant.*

III. *Nemo unquam ſive juſtitiam, ſive ſalutem adeptus eſt, niſi per fidem Chriſti ſaltem implicitam.*

IV. *Tanquam errores ab Eccleſiæ fide alieni rejicienda ſunt, quæ aliter de hac re docuerunt Harduinius, & Berruyerus.*

V. *Congruum non fuit, ut lex nova ab ipſo mundi exordio daretur hominibus.*

VI. *Etiam totæ legis præcepta ex ſe non juſtificant, quamvis ad juſtificationem diſponant.*

VII. *Commenta vaniſſima ſunt, quæ de alia lege, novæ ſubſtituenda, effinxerunt Montaniſtæ, & Manichæi, & effingunt Muhamedani.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. LEX nova proprie, & principaliter non eſt lex ſcripta, nec verbo tradita, ſed indita cordibus hominum. Alio tamen modo indiia eſt lex nova, ac lex naturalis, quam eiiam inditam fuiſſe ſupra docuimus. Diſcrimen autem in eo conſiſtit, quemadmodum advertit S.Thomas *p.2.q.*106. quod dupliciter aliquid inditum homini dici poteſt: *Uno modo quaſi pertinens ad naturam humanam: & ſic lex naturalis eſt lex indita homini. Alio modo eſt aliquid inditum homini, quaſi ſuperadditum per gratiæ donum: & hoc modo lex nova eſt indita homini, non ſolum indicans quid ſit faciendum, ſed etiam adjuvans ad implendum.*

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Quicunque ſive in lege veteri, ſive ante legem ſancti, & juſti fuerunt, atque adeo Deo placuerunt, nonniſi per Chriſti fidem, juſtitiam & charitatem habuerunt, adeoque ad novam legem pertinebant. Hoc conceptiſſimis verbis edocet S. Thomas hic *ad* 3. Divum Auguſtinum, alioſque Eccleſiæ Patres, immo Scripiurarum authoritatem ſecutus, inquiens: *Nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti, niſi per fidem Chriſti explicitam, aut implicitam. Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum, Unde quibuſcunque fuit lex gratiæ indita, ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Hinc vero tenendum omnino eſt, neminem, univerſim loquendo, nec in lege naturæ, nec in lege Moſaicia juſtitiam, & ſalutem adeptum fuiſſe, nec modo adipiſci, niſi virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, & ex fide ejuſdem ſive expreſſa, ſive implicita, per quam duntaxat pertinet ad legem novam, quæ ſola juſtificat homines poſt Adami peccatum. Hæc catholica veritas ab ipſomet Chriſto diſerte propoſita eſt *Joan.* 14. dum ait: *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me*: & promulgata, præter alios, ab Apoſtolo Petro *Act.* 4. dicente: *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: ac demum declarata a Synodo Tridentina *ſeſſ.* 6. *de juſtific. cap.* 1. &c. his verbis: ,, Declarat Sancta Synodus ad juſtificationis ,, doctrinam probe, & ſincere intelligendam oportere, ut unuſquiſque agnoſcat, ,, & fateatur, quod cum omnes homines ,, in prævaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, ... uſque adeo erant ſervi ,, peccati, & ſub poteſtate Diaboli, ac ,, mortis, ut non modo gentes *per vim naturæ*, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam litteram legis Moyſi (ſive ,, ſine aliqua Chriſti fide) inde liberari,

Digitized by Google

„ aut ſurgere poſſent. Quo factum eſt, ut „ cæleſtis Pater miſericordiarum, & Deus „ totius conſolationis Chriſtum Jeſum Filium „ ſuum, & ante legem, & legis tempore „ multis Sanctis Patribus declaratum, „ & promiſſum, cum venit beata illa plenitudo „ temporis, ad homines miſerit, „ ut & Judæos, qui ſub lege erant, redimeret, „ & Gentes, quæ non ſectabantur „ juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, „ atque omnes adoptionem filiorum „ reciperent &c. „: Quam nonniſi per gratiam ſanctificantem, quæ proprius eſt novæ legis character, conſequi poterant.

Consectarium Quartum.

IV. Propterea tamquam erroneæ, ut mitius loquar, & Scripturis, & Eccleſiæ traditioni contrariæ repudiandæ ſunt ſententiæ plures, quas nuper de hac re docuerunt Harduinus, ejuſque diſcipulus Berruyerus. Unam, vel alteram audire non pigeat. Berruyerus *p.* 2. *T.* 8. *q.* 4. ſcribit: „ Hæ „ ſenſa, virtutes illæ (ſpiritus nempe fi„ dei, ſpei, & charitatis, ſpiritus adop„ tionis) .... *ex lege naturali*, cujus a„ nima, & quaſi ſpiritus, *in legem Mo„ ſaicam derivabantur* .... Hic ille eſt fidei „ ſpiritus *legibus communis omnibus*, fidei „ inquam, in unum verum Deum congni„ tum, ut judicem, & remuneratorem omnibus „ inquirentibus ſe ... ille ſpiritus eſt, qui, „ quocunque loco, & tempore, fecit filios „ Dei eos omnes, qui ex Deo naſci vo„ luerunt .... adoptionis ſpiritus, qui ſuum „ conferebat legis ſcriptæ obſervatoribus me„ rium .... ætatum omnium erat, & le„ gum, & gentium: „ quod & pluribus aliis in locis repetit: ex quibus perſpicuum eſt hunc Authorem communem facere tum legi naturali, tum legi Moſaicæ, quod ſolius novæ legis prærogativa eſt, quod ſcilicet gratiam, & charitatem conferat, per quam *filii Dei nominamur*, *& ſumus*: nec ad hoc neceſſaria ſit fides in Chriſtum, ſed ſufficiat in Deum remuneratorem, & judicem. Harduinus in *epiſt. ad Rom. cap.* 3. errorem eumdem prælocuerat dicens: *Habuere viri pii omnes ſub lege Moſaica ſpiritum adoptionis, & dilectionis Dei, ut remuneratoris, & largitoris vitæ æternæ: verum non vi legis Moſaicæ, ſed vi legis naturæ, quæ præceſſerat, cui lex Moſaica certe non derogabat.* Plures alios utriuſque textus omitto, quibus & errorem hunc cofirmant, & alium tradunt ex eo conſequentem, quod nempe Chriſtus Dominus non ſit Salvator omnium hominum, ſed eorum duntaxat, qui ipſum, novamque legem ſubſecuti ſunt.

Consectarium Quintum.

V. Ex ipſa indole, & natura novæ legis jam explicata deducitur, haud congruum fuiſſe, ut ea daretur hominibus ab ipſo mundi exordio. Tres rationes ad id comprobandum affert S. Thomas *art.* 3. *q.* 106. quarum poſtremam tantum produco, nempe quod *lex nova ſit lex gratiæ. Et ideo primum oportuit, quod homo relinqueretur in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo ſuam infirmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratia indigere: & hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom.* 5. *dicens:* „ lex ſubintravit, ut abundaret delictum. „ Ubi autem abundavit delictum, ſuperabun„ davit & gratia.

Consectarium Sextum.

VI. Cum præcepta, quæ in lege nova continentur, ſecundario ſolum ad ipſam pertineant, ut diximus ex Sancto Thoma, quoad hoc lex nova non juſtificat: hoc enim ſpectat, quod eſt in ea primario, & principaliter, ſcilicet *gratiam* Spiritus Sancti interius collatam. Quapropter etiam de præceptis legis novæ verificatur illud Apoſtoli dicentis 2. ad Corinth. 3. *littera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Nam *per litteram*, ut ait S. Doctor hic art. 2. ex Di-

Divo Auguſtino, *intelligitur quælibet ſcriptura extra homines exiſtens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam littera Evangelii occideret, niſi adeſſet interius gratia fidei ſanans*. Aliquo tamen ſenſu lex nova, ſi quoad præcepta accipiatur, juſtificare dicenda eſt, quatenus præcipit uſum Sacramentorum, per quæ in nos derivatur Spiritus Sancti gratia; ac etiam ex eo, quod in hac lege præcepta quædam præſcribuntur, quæ ad gratiam, & charitatem proxime diſponunt.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ex eo quod lex nova perfecta ſit, nullumque adeo finem habitura uſque ad conſummationem mundi, evidens eſt vaniſſimum commentum eſſe tum illud, quod Montanus, & Priſcilla excogitarunt, promiſſionem ſcilicet Chriſti de conferendo Spiritu Sancto completam non fuiſſe in Apoſtolis, ſed in ſemetipſis; tum illud, quod effinxit Manes, ejuſque Diſcipuli, quod Manes ipſe fuerit Spiritus Sanctus a Chriſto promiſſus: tum demum Muhamedanorum legem, quam illi legi a Chriſto conditæ ſubſtituunt, veluti perfectiorem, quam omnes homines amplecti debere effutiunt, ut juſtitiam, & ſalutem conſequantur.

CAPUT VII.

De præceptis novæ legis, quæ diſponunt ad id, quod eſt in hac lege præcipuum, gratiam ſcilicet Spiritus Sancti.

DOCTRINA.

I. *Doctrina S. Thomæ de hac re præmittitur.*

II. *Duplex genus præceptorum novæ legis diſtingui debet.*

III. *Primum præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti eſt humilitas.*

IV. *Alterum præceptum diſpoſitivum eſt abnegatio ſui ipſius. Quo ſenſu intelligendum ſit declaratur.*

V. *Tertium præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti eſt jugis oratio.*

I. FIRMUM itaque, certumque ſit illud, quod peculiare, ac præcipuum eſt in *lege nova*, quodque ipſam tum a veteri, tum a cæteris legibus diſtinguit, eſſe *gratiam, & charitatem diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*. Cum vero in hac lege etiam præcepta contineantur, de his agendum modo eſt. Porro de hac re præmittere oportet doctrinam S. Thomæ, quam habet *p.* 2. *q.* 106. *art.* 1. *ad* 1. eamque prorſus neceſſariam huic materiæ illuſtrandæ: ſic ergo ait: „ In Scriptura Evangelii (ex quo divina nobis innoteſcunt præcepta) non continentur niſi ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus Sancti, vel ſicut *diſpoſitiva*, vel ſicut *ordinativa* ad uſum hujus gratiæ. Sicut *diſpoſitiva* quidem quantum ad intellectum, per fidem, per quam datur Spiritus Sancti gratia, continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad manifeſtandam divinitatem, & humanitatem Chriſti. Secundum affectum vero continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad contemptum mundi, per quem homo fit capax Spiritus Sancti gratiæ. *Mundus* enim, ideſt (amatores mundi,) *non poteſt capere Spiritum Sanctum*, ut habetur Joan. 14. *Uſus* vero *ſpiritualis gratiæ* eſt in operibus virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura novi Teſtamenti homines exhortatur.

II. Duplex igitur diſtinguendum eſt præceptorum genus, quæ in nova lege hominibus præſcribuntur. Aliud ſcilicet ea præcepta continet, unde ad recipiendam gratiam Spiritus Sancti diſponimur. Aliud ea omnia complectitur, quorum obſervantia recte utimur eadem gratia, ut eam incolumem cuſtodiamus, & fructus vitæ facientes ad gloriam æternam preveniamus. Quoad primum præceptorum genus attinet, alia

alia ſpectant intellectum, alia voluntatem. Quæ ad intellectum pertinent, ſunt maxime præcepta fidei, qua plura myſteria credere nos debemus explicite, quæ antea ſolum implicite credebantur, ut myſterium Trinitatis, divinitatem, & humanitatem Chriſti Domini, ipſumque veluti totius gratiæ authorem, & fontem, per quem in nos derivatur, præcipue per Sacramenta ab ipſo ad hunc finem inſtituta, Baptiſmum ſcilicet, Euchariſtiam, & alia. Quare & horum Sacramentorum ſuſceptio ſpectat præcepta, queis diſponimur ad gratiam Spiritus Sancti conſequendam. Quoad affectum vero, ſive voluntatem, nobis in Evangelio ea omnia prohibentur, quæ gratiæ conſecutionem impediunt, ſive quæ incapaces nos efficiunt hujus pretioſiſſimi doni, quod nobis ſanguine ſuo Chriſtus acquiſivit, uti ſunt amor Mundi, & eorum, quæ in Mundo ſunt, ea ſcilicet, quæ S. Joannes complexus eſt illis verbis: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex Mundo eſt*: & ideo *ſi quis diligit Mundum, non eſt charitas Patris in eo*, adeoque nec Filii, nec Spiritus Sancti. Hæc igitur impedimenta a nobis omnia removenda ſunt, ut participes ſimus *gratiæ, quæ per Chriſtum nobis confertur*. Quæ præcepta ſæpius in Evangelio, pluribuſque modis inculcata diſtinctius a nobis explicanda ſunt, ut ſpiritum novæ legis intelligamus; quæque neceſſaria ſunt, ut diſponamur ad gratiam Spiritus Sancti, non ignoremus.

Primum præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti, ſive novam legem; eſt humilitas.

III. Humilitas, inquam, qua homo practice cognoſcat ſemetipſum, ſuam infirmitatem, ſuam impotentiam, ſuam omnimodam dependentiam a Deo, a quo totum habet, quod eſt, quod poteſt, quod operatur in quocunque ordine ſive ſupernaturali ſive naturali; adeo ut perſuaſus ſibi intime ſit, *non eſſe ſufficientem*, ut ait Apoſtolus, *cogitare aliquid ex ſeipſo, quaſi ex ſemetipſo, ſed omnem ſufficientiam ſuam ex Deo eſſe*: unde ſibi ipſi vileſcat, de ſuis viribus non præſumat, nemini ſe præferat, Deoque tribuat, quod ab eo accepit. Hujuſce humilitatis præcepti pluries, ac pluries in ſacris Evangeliis, & in cæteris divinis Scripturis mentio fit, ejuſque neceſſitas ad gratiam, & ſalutem conſequendam diſertiſſime declaratur. *Amen dico vobis*, inquit cæleſtis Magiſter apud Matth. 18. *niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum.* Et apud Lucam 18. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Similiter, ut alia ſexcenta prætercam, Jacobi C. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Sicut enim Angelus in cælo, & primus homo in paradiſo per ſuperbiam gratiam amiſere; ita humiles eam inveniunt.

Præclariſſime poſt Eccleſiæ Patres declarat S. Thomas, quo pacto hæc humilitas diſponat ad gratiam, & charitatem, in qua lex nova maxime conſiſtit, eam comparans fundamento totius ædificii ſpiritualis erecti a Chriſto Salvatore noſtro, inquiens 2. 2. *q.* 161. *art.* 5. *ad* 2. " Sicut ordinata virtutum congregatio per quamdam ſimilitudinem ædificio comparatur; ita etiam, quod eſt primum in acquiſitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio jacitur. Virtutes autem vere infunduntur a Deo (quarum princeps, & omnium perfectior charitas eſt). Unde primum in acquiſitione virtutum poteſt accipi dupliciter: uno modo *per modum removentis prohibens*: & ſic *humilitas* primum

„ locum

Digitized by Google

„ locum tenet, in quantum ſcilicet expel-
„ lit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit, & præ-
„ bet hominem ſubditum, & patulum ad
„ ſuſcipiendum influxum divinæ gratiæ, in
„ quantum evacuat inflationem ſuperbiæ.
„ Unde dicitur Jacobi 4. quod *Deus ſu-*
„ *perbis reſiſtit, humilibus autem dat gra-*
„ *tiam*. Et ſecundum hoc *humilitas* dici-
„ tur ſpiritualis ædificii fundamentum". Sicut ergo ſine gratia non pertinemus ad novam legem, cujus proprius character eſt, & hanc Deus ſuperbis negat, humilibus autem elargitur; ſic abſque humilitate Evangelica, quam Chriſtus tantopere nobis præcepit, & commendavit, ad eamdem legem pertinere non poſſumus, utpote neceſſaria diſpoſitione carentes, adeoque nec æternam ſalutem conſequi.

De altero præcepto diſpoſitivo ad legem novam, ſive ad gratiam, nempe abnegatione ſui ipſius.

IV. Nihil frequentius legimus in ſacris libris commendatum, & inculcatum a Chriſto Domino, vel iiſdem, vel æquipollentibus verbis, quam hoc præceptum de abnegando ſe ipſo, de cruce ferenda, de mundo non diligendo &c. Sic Matth. cap. 16. Chriſtus Dominus intonat: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Sic Lucæ C. 9. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*. Et Cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus ..... Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Sic etiam apud Joannem: *Qui amat animam ſuam, perdet eam: qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam: nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*; & alia his ſimilia, quæ paſſim occurrunt in ſacris libris.

Permulti ſunt inter Chriſtianos, qui dum hujuſmodi locutiones audiunt, eas vel non eſſe præceptivas exiſtimant, & ad conſilia, aut opera ſupererogationis pertinere, vel ſi præceptivæ ſunt, non omnes obſtringere autumant, ſed monachos duntaxat, & religioſos viros. Sed hæc illuſio plane eſt, atque error admodum pernicioſus, quem jam profligarunt Eccleſiæ Patres. S. Auguſtinus ſerm. 69 ea Chriſti verba expendens: *Qui vult me ſequi, abneget ſemetipſum &c. Non hoc*, inquit, *virgines debent audire, & maritatæ non debent: aut viduæ debent, & nuptæ non debent: aut monachi debent, & conjugati non debent: aut clerici, debent, & laici non debent*. S. Leo Magnus ſerm. 9. de Quadrag. illud Chriſti referens: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, ſubdit: *Dubitare non debemus hanc vocem non ſolum ad diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles, totamque Eccleſiam pertinere*. Copioſius de hac re diſſerunt S. Joannes Chryſoſtomus in libro adverſus *Vituperatores vitæ monaſticæ*, & S. Baſilius Magnus in ſermone *de Abrenunc. rerum temporalium*, quos, ne prolixior ſim, prætermitto, præſertim cum de hoc argumento infra ſermo recurrere debeat: ac modo ſufficiat advertere id, quod ſacer Evangeliſta notavit, cum Chriſtus ea verba protulit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum* &c. quod ad omnes præceptum iſtud direxerit: *Dicebat autem ad omnes*, non ad hos, aut illos tantummodo, ſed ad omnes, qui ſui diſcipuli eſſe vellent.

Cæterum iſtud Chriſti Domini præceptum præfatis locutionibus expreſſum eo ſenſu intelligendum eſt, & explicandum, non ut omnem prorſus ſui ipſius, vel creaturarum amorem damnet, ac prohibeat, ſed amorem inordinatum, amorem cum charitate pugnantem, amorem quo diligimus noſmetipſos, vel creaturas tanquam finem.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter cum nobis præcipitur abnegare nos ipſos, odiſſe patrem, & matrem, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam noſtram, ſicut & contemnere mundum, & bona ipſius, non aliud a nobis exigit divinus Præceptor, niſi ut in Deo finem ultimum noſtrum conſtituamus, ut Deum ſuper omnia diligamus, ut omnia ea abdicemus, quæ impedimento ſunt, ne charitas Dei in corde noſtro dominetur, ſibique affectus noſtros, deſideria, metuſque cæteros ſubjiciat, atque coerceat. Hoc ſenſu Chriſti preceptum explicandum monet inter alios Eccleſiæ Patres *S.* Gregorius Magnus in Lucam c. 14. Cum enim ea Chriſti verba retuliſſet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, quæſtionem movet; *quomodo hæc præcipimur odiſſe, qui jubemur & inimicos diligere*, eamque ſtatim ſolvit dicens: *Sed ſi vim præcepti perpendimus, utrumque agere per diſcretionem valemus, ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti ſunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos adverſarios in via Dei patimur, odendo, & fugiendo neſciamus*. Sic etiam intelligi debent, quæ *de cruce jugiter ferenda*, ipſumque ſequendo Chriſtus injungit, quemadmodum & illud, quod *per multas tribulationes introire* nobis neceſſe ſit *in regnum Dei*. Cum enim, ut amor Dei dominetur in noſtro corde, plura, & quidem ardua præſtanda ſint, ob corruptionem naturæ noſtræ in ſui amorem propenſæ, reprimendæ cupiditates, quæ ad bona ſenſibilia, ac terrena nos pertrahunt, continendæ in officio inordinatæ paſſiones, Amatorum Mundi exempla, minæ, & blandimenta ſuperanda, atque adeo perpetua pugna nobiſcum gerenda ſit; hæc peragi nequeunt abſque magna difficultate, labore, violentia, & aſſiduo conatu: quod perinde eſt, ac crucem ſemper ferre, Chriſtumque ſequi crucifixum. Unde, ut verbis utar S. Leonis Magni ſerm. 9. de Quadrag. *Nunquam deeſt tribulatio perſecutionis*, & crucis, *ſi nunquam deſit obſervantia pietatis*.

Tertium præceptum diſpoſitivum ad gratiam Spiritus Sancti, ſive ad novam legem eſt jugis oratio.

V. Jam olim per Zachariam Prophetam *legem novam* animo revolventem prædictum fuerat cap. 12. *In die illa*, in novo ſcilicet Teſtamento, *effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ, & precum*, ſive ſuper Chriſti fideles. Ubi vides ſimul jungi ſpiritum *gratiæ* cum *ſpiritu precum*, ut appareat, quanta ſit inter unum, & alium connexio, ac ſpiritum precum eſſe veluti canalem quemdam, unde in nos effluunt aquæ ſalutiferæ gratiæ divinæ. Profecto, ſi ut ſupra diximus ex Apoſtolo, ea eſt inopia, & impotentia noſtra, ut ne quidem ſufficientes ſimus cogitare ex nobis quaſi ex nobis quidpiam ad ſalutem æternam pertinens, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo, & ab ejus ſola gratuita miſericordia expectanda eſt; quid aliud remanet nobis, ut gratiam & gloriam acquiramus, niſi ut ad Deum confugiamus, eumque indeſinenter, deprecemur, ut utrumque elargiatur, eaque auxilia conferat ad gratiam obtinendam neceſſaria, ſine quibus ipſam nec aſſequi, nec conſervare valemus? Hac de cauſa benignus Salvator paupertatem noſtram probe perſpectam habens præceptum orationis magnopere nobis commendavit in Evangelio, tum verbis illis apud Lucam c. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*; &, *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*; tum aliis apud Joan. 17. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciet, ut glorificetur Pater in Filio*; quod & aliis teſtimoniis confirmabitur, cum de hac neceſſitate fuſius diſſeremus.

Adeo

Adeo certa eſt veritas hæc, ut in ore omnium ſit effatum illud S. Auguſtini, ſive Gennadii *de Eccl. Dogmat. Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire: nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari: nullum niſi orantem auxilium Dei promereri*. Et Sanctus Thomas *p. 3. q. 39. art. 5.* exponens illud Lucæ cap. 3. *Chriſto baptizato, & orante, apertum eſt cælum*, aſſerit, " primum quidem neceſſarium eſſe baptiſma „ ad ſalutem. Poſt baptiſmum autem *ne-„ ceſſaria eſt homini jugis oratio* ad hoc, „ quod cælum introeat. Licet tamen per „ baptiſmum remittantur peccata, remanet „ tamen fomes peccati nos impugnans in-„ terius, & mundus, & Dæmones, qui „ impugnant exterius. Et ideo ſignanter „ dicitur, quod *Jeſu baptizato, & orante „ apertum eſt cælum*: quia ſcilicet fidelibus „ neceſſaria eſt oratio poſt baptiſmum ". Liquet ergo, orationem eſſe neceſſariam diſpoſitionem etiam fidelibus, ut cohibendo concupiſcentiam carnis, & vincendo mundum, ac Dæmones, gratiam Spiritus Sancti, quam in baptiſmo accepere, incolumem cuſtodiant, atque ita pertineant ad novam legem, legem ſcilicet *gratiæ, & charitatis*.

CAPUT VII.

Consectaria.

I. *Lex nova nedum præcipit actus interiores, ſed etiam exteriores.*

II. *Charitas eſt finis omnium præceptorum novæ legis. Cætera præcepta a charitate diſtincta media ſunt ad charitatem abſolute neceſſaria: alia vero bona opera ſunt media ad eamdem utilia.*

III. *Diſcrimen præceptorum a conſiliis novæ legis in eo poſitum eſt, quod præcepta ſint media omnibus neceſſaria: non ita vero conſilia.*

IV. *Unde dignoſci queat, quænam in Evangelio præcepta ſint, quænam autem ſolum conſilia.*

V. *Perfectio Chriſtiana non conſiſtit in conſiliis, ſed in præceptis, maximeque in charitate.*

VI. *Chriſtiana perfectio æque exigitur a Sæcularibus, & a Religioſis.*

VII. *Lex Evangelica non præcipit niſi charitatem juxta S. Auguſtinum, nec culpat, & damnat niſi cupiditatem.*

VIII. *Præcepta Evangelii huc conſpirant, ut comprimant, ac ſubigant cupiditatem.*

IX. *Quænam præcipue diſpoſitio a Confeſſario in Pœnitentibus attendenda, ut eos idoneos judicet ad Sacramentalem gratiam in Sacramento recipiendam.*

X. *Quomodo hac in re peccent plurimi Caſuiſtæ.*

Consectarium Primum.

I. NEDUM lex nova præcipit actus interiores, ſed etiam exteriores, ſive ea opera omnia, per quæ gratia Spiritus Sancti ex Chriſti inſtitutione nobis infunditur, uti ſuſceptionem Baptiſmi, Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum: ſicut & illa omnia exteriora prohibet, quæ pugnant cum gratia interiori, quæ in fide per dilectionem operante conſiſtit. Ut enim ait S. Thomas *q. 108. art. 1. ad 1.* quamquam ex Apoſtolo *regnum Dei*, quod eſt ipſa lex Evangelica *non ſit eſca, & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, adeoque in interioribus actibus principaliter conſiſtat; " Ex conſequenti tamen „ etiam ad regnum Dei pertinent omnia „ illa, ſine quibus interiores actus eſſe non „ poſſunt: ſicut ſi regnum Dei eſt interior „ juſtitia, & pax, & gaudium ſpirituale, „ neceſſe eſt, quod omnes exteriores actus, „ qui repugnant juſtitiæ, aut paci, aut „ gaudio ſpirituali, repugnent etiam regno „ Dei: & ideo ſunt in Evangelio regni „ prohibendi. Quæ autem, ſubdit, indif-„ ferenter ſe habent reſpectu horum, in „ his non eſt regnum Dei ", adeoque in

nova

nova lege non prohibentur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Cum charitas ſit ſpiritus & anima novæ legis, in ea principaliter ſita eſt tota perfectio Moralis Chriſtianæ, omniumque præceptorum principium, & finis eſt. Omnia proinde præcepta a charitate diſtincta, media ſunt, & quidem abſolute, & ſimpliciter neceſſaria ad illam ſive obtinendam, ſive conſervandam, eaque removenda, quæ ſunt charitati contraria, cum quibus ſcilicet charitas conſiſtere nequit. Cætera vero pia opera, jejunia, vigiliæ, eleemoſynæ, privatio ſuarum facultatum, aliaque hujuſmodi utiliſſima ſunt ad hunc finem, quia refrænant, ac moderantur cupiditatem, quæ charitati contraria eſt; non autem abſolute neceſſaria, niſi forte cadant ſub præcepto.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Hinc vero diſcrimen præceptorum novæ legis, & conſiliorum, quæ pariter in nova lege propoſita a Chriſto fuerunt, ex eo præſertim capite deſumendum eſt, quod præcepta neceſſaria ſint ad charitatem, qui eſt finis proximus ejuſdem legis, & æternam beatitudinem, quæ eſt finis ultimus, quem per charitatem aſſequimur. Id egregie, nitideque explicatur a S. Thoma hic *art.* 4. *quæſt.* 108. his verbis: " Hæc eſt differentia inter conſilium, & præceptum: " quod præceptum importat neceſſitatem: " conſilium autem in optione ponitur ejus, " cui datur . . . . . Oportet igitur, quod " præcepta novæ legis intelligantur eſſe data de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum finem æternæ beatitudinis, in " quem lex nova immediate introducit. " Conſilia vero oportet eſſe de illis, per " quæ melius, & expeditius poteſt homo " conſequi finem prædictum. Eſt autem homo conſtitutus inter res mundi hujus, " & ſpiritualia bona, in quibus æterna " beatitudo conſiſtit, ita quod quanto plus " inhæret uni eorum, tanto plus recedit " ab altero, & e converſo. Qui ergo totaliter inhæret rebus hujus mundi, ut " in eis finem conſtituat, habens eas quaſi " rationes, & regulas ſuorum operum, " totaliter excidit a ſpiritualibus bonis. Et " ideo hujuſmodi inordinatio (quæ eſt ipſa " *cupiditas*) tollitur per præcepta. Sed " quod homo totaliter ea, quæ ſunt mundi, abjiciat, non eſt neceſſarium ad perveniendum in finem prædictum (charitatis ſcilicet, & beatitudinis æternæ): " quia poteſt homo utens rebus hujus mundi, dummodo in eis finem non conſtituat, ad *beatitudinem æternam pervenire*. " Sed expeditius perveniet totaliter bona hujus mundi abdicando. Et ideo de hoc " dantur conſilia Evangelii.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ex ipſis verbis Evangelii dignoſci facile poteſt, quænam in eodem contenta cadant ſub præcepto, adeoque ad charitatem neceſſaria ſint, quænam ſub conſilio, quæ charitati melius conſervandæ utiliſſima ſunt. Cum enim Chriſtus quidpiam abſolute faciendum jubet, vel omittendum; cum pœnam apponit gehennæ, aut æternæ mortis; cum ſermonem ſuum ad omnes dirigit, ut aliquid peragant, aut fugiant &c. præcepta exiſtimanda ſunt. Cum vero ſolummodo vel hortatur, vel ſuadet, vel proponit quidem, ſed in arbitrio, aut libertate relinquit, mera conſilia ſunt. Sic dum de perpetua caſtitate ſervanda loquitur, eum dixiſſet: *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*; ſtatim ſubjecit: *Qui poteſt capere capiat*. Et ſimiliter de aliis operibus, quæ ſub præcepto non cadunt, ita temperat orationem ſuam, ut quiſque haud difficulter agnoſcat ſe præbere conſilium, non præceptum.

CON-

Consectarium Quintum.

V. Perfectio Chriſtiana, quæ cunctis fidelibus in lege nova, ſive in Evangelio præcipitur, non conſiſtit in conſiliis, ſed in præceptis, maximeque in præcepto charitatis. Hoc probat S. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. ex eo, " quod unumquodque dicitur eſſe perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui eſt ultima rei perfectio. Charitas autem eſt, quæ unit nos Deo, qui eſt ultimus finis humanæ mentis: quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, ut dicitur 1. *Joan.* 4. Et ideo ſecundum charitatem ſpecialiter attenditur perfectio Chriſtianæ vitæ ". In reſp. *ad* 2. cum docuiſſet etiam alias virtutes aliquo pacto concurrere ad perfectionem Chriſtianæ vitæ; *Quia tamen*, ſubdit, *id quod eſt ſimpliciter, & principaliſſimum, & maximum reſpectu aliorum, inde eſt, quod perfectio charitatis eſt principaliſſima reſpectu perfectionis, quæ attenditur ſecundum alias virtutes*.

Consectarium Sextum.

VI. Hinc eſt, quod perfectio Chriſtiana eadem eſt quoad ſubſtantiam, quæ exigitur tum a viris Religioſis Deo ſpecialiter addictis, tum a Sæcularibus, qui nullis ſe votis obſtrinxerunt. Siquidem, cum Chriſtiana perfectio non deſumitur a mediis, ſed a fine, qui *charitas* eſt, omnes ad hunc finem tendere debent, omnes eumdem aſſequi tenentur. Quapropter diverſa denominatio perfectionis *Religioſæ*, & perfectionis *Chriſtianæ* deſumitur non ex fine, qui unicus eſt, ſcilicet *charitas*, ſive amor Dei ſuper omnia, ſed ex diverſitate mediorum, per quæ tendunt homines ad finem. Nam Religioſi præter media omnibus neceſſaria alia aſſumunt, quibus facilius, & expeditius finem conſequantur, non ita vero viri ſæculares.

Consectarium Septimum.

VII. *Scriptura*, ut ait S. Auguſtinus *de doctrina Chriſt. cap.* 10. ac præſertim lex Evangelica, *non præcipit, niſi charitatem, nec culpat, & damnat, niſi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum*. Charitas, & cupiditas ſunt duo amores invicem contrarii, invicem pugnantes, adeo ut alter alterum excludat, nec ſimul ſociari valeant. Si charitas dominatur in corde noſtro, *cupiditatem* expellit: ſi cupiditas, *charitatem* deſtruit. Quare ea præcepta, quæ neceſſaria ſunt, vel ut diſponamur ad charitatem, vel ut bene charitate utamur, ea omnia conſpirant, ut comprimamus cupiditatem, ſive affectum inordinatum ad nos ipſos, ad bona hujus mundi, qui vel impedit ingreſſum charitatis, vel eam excludit, ſi prædominetur in corde.

Consectarium Octavum.

VIII. Quæ ſupra indicata ſunt, præcepta *diſpoſitiva* ad novam legem, ſive gratiam, & charitatem, huc referuntur, ut ea de corde tollantur impedimenta, quæ obſtant, ne charitas dominetur in nobis, uti ſunt ſuperbia, & concupiſcentia, aut amor mundi, vel auxilia a Deo impetremus, quibus affectiones noſtras inordinatas compeſcamus, & viam charitati paremus. Quare ita comparatus animo debet eſſe verus Chriſti fidelis, ut bona quæque terrena potius abjiciat, quam charitati quidpiam contrarium admittat, ſive Deum ſuper omnia diligat, eique ſubjiciat affectus, & appetitiones ſuas, quæ a charitate ſeparare ipſum poſſent. Hinc S. Auguſtinus *epiſt.* 89. de divitibus vere Chriſtianis loquens ita illos deſcribit: *Qui licet bona terrena teneant, non tamen ab iis ita teneantur, ut hæc Chriſto anteponant: qui veraci corde ſæculo renunciarunt, ut nullam ſpem in talibus ponant. Hi uxores, & fi-*

Digitized by Google

lios, univerſaſque familias ſana erudiunt diſciplina ..... ſi forte pro fide Chriſti pecuniaria damna perpetienda ſint, oderunt divitias ſuas. Si ſuorum orbitates, vel ſeparationem pro Chriſto minatur hic mundus, oderunt parentes, fratres, filios, uxores. Poſtremo ſi de ipſa hujus corporis vita cum adverſario paciſcendum eſt, ne deſertur deſerat Chriſtus, oderunt inſuper animam ſuam. De his quippe omnibus mandatum acceperunt, quod aliter diſcipuli Chriſti eſſe non poſſint.

Consectarium Nonum.

IX. Juxta principia poſita neceſſe eſt, quod Confeſſarius accurate diſcutiat pœnitentium, qui ad ipſum accedunt, diſpoſitionem, de eorumque operibus recte judicet, ut abſolutionem a peccatis vel tribuat, vel neget. Si enim cognoſcat, mundi amorem in eorum corde dominari, & ex operibus, aut ſignis perſpiciat ad ipſum reprobandum difficiles, aut imparatos, diſpoſiti minime ſunt ad gratiam Spiritus Sancti recipiendam, quæ nonniſi cum charitate confertur. Sic exempli cauſa ſi aliquos inveniat, quos a reſtitutione bonorum temporalium, quæ injuſte acquiſiverunt, nimium retardat divitiarum amor, quas ad pompam, voluptatemque ſervare volunt, vel ad eas augendas impotenti affectu, ac deſiderio feruntur, certam inde conjecturam capiat, ipſos plus amare divitias, quam Deum. Si enim corde mundi bonis nimiom non adhærerent, nec tanto ſtudio ea quærerent, nec ea, cum opus eſt, tam ægre dimitterent, ſicut exigit præceptum abnegationis ſui ipſius, & creaturarum. *Non eſt* ſiquidem, ut ait Sanctus Auguſtinus, *in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas*, & quidem inordinata. Idem judicium ferat, ubi de honore agitur: non enim qui colaphum, aut baculi ictum accepit, vel repercuteret, aut etiam interficeret offenſorem, aut ad duellum provocaret, ſi nimium affectus non eſſet ad dignitatem ſuam, & honorem. Atque idem in cæteris ſentiendum eſt, ubi ſatis apparet bonum aliquod temporale plus amari, quam Deum: neque enim qui hujuſmodi inordinatum amorem non exuit, diſpoſitus eſt ad gratiam, & charitatem. De his plura, cum de Sacramento Pœnitentiæ.

Consectarium Decimum.

X. Quis hinc non merito redarguendos colligat tot Caſuiſtas, in quorum libris vix, ac ne vix quidem mentio fit de hac tam neceſſaria animi diſpoſitione, quæ baſis eſt totius Chriſtianæ pietatis, & ſpiritus novæ legis? Pertractant fuſo calamo de cæteris præceptis: congerunt caſus innumeros: plurimas ſubtiles difficultates accumulant, & in iis diſcutiendis, & enodandis omne ſtudium, & operam collocant: Interim vero prætermittunt id, quod caput eſt totius Ethicæ Chriſtianæ, quod nempe homines, & Confeſſarii, qui ipſos dirigunt in viam ſalutis, ita inſtituantur in hac diſciplina, ut addiſcant omnes, ſibique perſuadeant, nihil ad ſalutem homini prodeſſe, niſi charitas Dei dominetur in corde, eæque ponantur diſpoſitiones, ſine quibus nec Spiritus Sancti gratiam, nec charitatem conſequimur, nempe *humilitas cordis*, quæ antidotum eſt adverſus præcipuum ex peccati originalis effectibus, quo homines inquinati, & vulnerati naſcuntur: *ſui ipſius abnegatio*, qua comprimamus, vincamuſque concupiſcentiam noſtram adeo charitati inimicam, ut ſimul ſociari nullo modo queant: & *jugis oratio*, qua auxilia impetremus a Deo, ſine quibus nec cupiditatem inordinatam coercere, nec charitatem conſequi valemus. Hæ ſiquidem diſpoſitiones animi non utiles tantum, ſed plane neceſſariæ ſunt, ut charitas Dei, quæ *vinculum eſt perfectionis*, omniumque præceptorum finis, & complementum, regnet in cordibus noſtris, n oſ-

Digitized by Google

que idoneos efficiat ad felicitatem ſempiternam adipiſcendam, ad quam tendit inſtitutio totius Chriſtianæ diſciplinæ.

CAPUT IX.

De præceptis novæ legis ad uſum gratiæ *pertinentibus*.

DOCTRINA.

I. *Præcepta novæ legis, quæ ad uſum gratiæ pertinent, ea præcipue ſunt, quæ continentur in ſermone Chriſti* in monte, *apud Matth.* 5. *&c.*

II. *In hoc primum agitur de cœlo beatitudinibus, cujus ordo deſcribitur; & quæ ſub præcepto cadant, indicatur.*

III. *Prima beatitudo*: Beati pauperes ſpiritu *&c.*

IV. *Secunda beatitudo*: Beati mites *&c.*

V. *Tertia beatitudo*: Beati, qui lugent *&c.*

VI. *Quarta beatitudo*: Beati, qui eſuriunt *&c.*

VII. *Quinta beatitudo*: Beati miſericordes *&c.*

VIII. *Sexta beatitudo*: Beati mundo corde *&c.*

IX. *Septima beatitudo*: Beati pacifici *&c.*

X. *Octava beatitudo*: Beati, qui perſecutionem patiuntur *&c.*

I. JUXTA diviſionem ſupra traditam ex Angelico Præceptore præcepta *novæ legis* alia ſunt *diſpoſitiva ad gratiam*, in qua principaliter eadem conſiſtit: alia vero pertinent *ad uſum gratiæ*. De prioribus jam egimus: ſupereſt, ut de poſterioribus nunc agamus. Hæc autem præcepta *opera virtutum* ſpectant, inquit S. Doctor, *ad quæ multipliciter Scriptura novi Teſtamenti homines exhortatur*: adeoque hujuſmodi præcepta moralia ſunt, & ad legem naturæ referuntur, ſed a Chriſto Domino explicata in eo ſenſu, quo ſunt intelligenda, a falſis Phariſæorum, aliorumque traditionibus, & commentis vindicata, & ad ordinem ſupernaturalis beatitudinis evecta. Hæc autem omnia, aut ſaltem ferme omnia continentur in celebri illo ſermone, quem Divinus Magiſter habuit *in monte*, & refertur a Sancto Matthæo C. 5. 6. *&c.* 7. ſui Evangelii: de quo S. Auguſtinus lib. 1. eumdem exponens hæc præmittit: *Sermonem, quem locutus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus in monte, ſicut in Evangelio ſecundum Matthæum legimus, ſi quis ſobrie conſideraverit, puto, quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Chriſtianæ modum*: quod probat ex verbis ipſius Chriſti Domini ſermonem ſuum ita concludentis cap. 7. *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram*. Hoc ipſum confirmat S. Thomas hic *q.* 108. *art.* 3. Nam inducta S. Auguſtini ſententia ſubdit: *Sermo, quem Dominus in monte propoſuit, totam informationem Chriſtianæ vitæ continet, in quo perfecte interiores motus hominis ordinantur*. Exſcribenda forent integra tria illa Capita Sancti Evangelii, & fidelium oculis ſubjicienda, ut quiſquis in eis expreſſam vitæ Chriſtianæ formam contemplaretur: præcipua tamen brevitatis cauſa ſolum afferemus cum brevibus, ubi opus fuerit, annotationibus.

II. Sic igitur enarrationem ſuam exorditur S. Evangeliſta Cap. 5. *Videns Jeſus Turbas aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos*. Cum vero S. Lucas narret ſermonem factum eſſe nedum ad diſcipulos, ſed etiam ad turbas; ideo dicendum eſt in iis, quæ locutus eſt, omnes compleƈti voluiſſe. Propoſuit in primis octo *beatitudines*, quæ idcirco hoc nomine appellantur, ut obſervat S. Thomas 1. 2. *q.* 157. *art.* 2. *ad* 3. quia ſunt actus virtutum, quæ nos perficiunt in ordine ad beatitudinem æternam conſequendam. Por-

Digitized by Google

to cuilibet earum Chriſtus appoſuit præmia ſua peculiaria, quæ quidem, ut idem S. Doctor animadvertit *p. 2. q. 69. art. 4. ad 1. omnia unum ſunt in re, ſcilicet beatitudo æterna, quam intellectus humanus non capit. Et ideo oportuit, quod per diverſa bona nobis nota deſcriberetur, obſervata convenientia ad merita, quibus præmia attribuuntur.*

Harum beatitudinum ordinem congrue propoſitum a Chriſto fuiſſe, præclare admodum idem S. Doctor oſtendit *art. 3.* ex triplici beatitudine a quibuſdam conſtituta. „ Quidam enim, inquit, poſuerunt beatitudinem in vita *voluptuoſa*: quidam in vita *activa*: quidam in *contemplativa*. Hæ autem tres beatitudines (a Chriſto propoſitæ) diverſimode ſe habent ad vitam futuram, cujus ſpe dicimur hic *beati*. Nam beatitudo *voluptuoſa*, quia falſa eſt, & rationi contraria, impedimentum eſt beatitudinis futuræ: Beatitudo vero *activæ* vitæ diſpoſitiva eſt ad beatitudinem futuram: Beatitudo autem *contemplativa*, ſi ſit perfecta, eſt eſſentialiter ipſa beatitudo: ſi autem eſt imperfecta, eſt inchoatio ejuſdem. Et ideo Dominus primo quidem poſuit quaſdam beatitudines, quaſi removentes impedimentum *voluptuoſæ* beatitudinis. Conſiſtit autem *voluptuoſa* vita in duobus. Primo quidem in affluentia exteriorum bonorum, ſive ſint divitiæ, ſive ſint honores, a quibus quidem retrahitur homo per virtutem ſic, ut moderate eis utatur .... Unde prima beatitudo ponitur Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*: quod poteſt referri vel ad contemptum divitiarum, vel ad contemptum honorum, quod fit per humilitatem. Secundo vero *voluptuoſa* vita conſiſtit in ſequendo proprias paſſiones ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis. A ſequela autem paſſionum iraſcibilis retrahit virtus, ne homo in eis ſuperfluat, ſecundum regulam rationis .... Unde ſecunda beatitudo ponitur: *Beati mites*. A ſequela vero paſſionum concupiſcibilis retrahit virtus, moderate hujuſmodi paſſionibus utendo .... Unde tertia beatitudo ponitur: *Beati qui lugent* „. Atque ita pergit declarare convenientiam beatitudinum, quas Chriſtus poſuit, quæ ibidem legi poteſt: de quibus ſigillatim aliquid breviter dicendum exiſtimo, & paucis explicandum, quid ſub præcepto cadat, quid vero tantum ſub conſilio.

De prima Beatitudine: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

III. Cum Chriſtus *beatos* appellat *pauperes ſpiritu*, *hoc referri poteſt*, ut diximus ex Sancto Thoma, *vel ad contemptum divitiarum, vel ad contemptum honorum*. Porro triplex hic paupertas diſtinguenda eſt; altera eorum, qui ſunt re quidem, ſive patrimonio pauperes, ſed affectu divites, quatenus ita animo inhiant divitiis, quibus carent, ut nedum eas ſollicite quærant, ſed nec fraudibus, nec illicitis modis aliis parcant, ut eas quomodocunque acquirant: & hæc turpiſſima paupertas eſt, vituperatione digna, quæ non ad beatitudinem, ſed potius ad damnationem æternam diſponit. Paupertas altera eorum eſt, qui divites quidem ſunt patrimonio, ſed affectu pauperes, quatenus nempe ita ſunt animo comparati, ut nec immoderato affectu divitiis, quibus abundant, inhæreant, & amittere ipſas malint, quam charitatem, legemque Dei ullatenus lædere, aut violare. Et hæc paupertas neceſſaria eſt Chriſtianis omnibus ad ſalutem, & in hac prima beatitudine præcipitur. Tertia demum paupertas illos complectitur, qui nedum animo divitias contemnunt, ſed etiam ob Dei amorem omnino relinquunt, ut his exſoluti impedimentis divinis rebus facilius, & impenſius inſerviant. Et hæc paupertas conſulitur equidem a Chriſto, ſed

non

Digitized by Google

non præcipitur. Atque idem ſimili modo dicendum eſt, ſi paupertas referatur ad contemptum honorum, quod fit per humilitatem. Quare, qui eo ſaltem ſpiritu paupertatis animatus non eſt, ut vel ad anguſtias redactus potius eligat privationem ſive facultatum, ſive honorum, quam a Dei charitate excidere, aut legem infringere, beatitudinem a Chriſto *pauperibus ſpiritu* promiſſam conſequi minime poteſt: nec ipſius *regnum Cœlorum eſt*.

De ſecunda Beatitudine: Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram.

IV. Cum voluptuoſa vita, quæ nos avocat a poſſeſſione regni cœleſtis, ſecundo loco *conſiſtat in ſequendo paſſiones ſive iraſcibilis, ſive concupiſcibilis*, quoad primum attinet, ſcilicet quoad paſſiones *iraſcibilis*, nos ab illis ita revocare virtus debet, ut rectæ rationis regulam non excedant, nec nos pertrahant in motus inordinatos adverſus charitatem Dei, vel proximi. Unde ſecunda beatitudo a Chriſto ponitur: *Beati mites*; additurque præmium: *quoniam ipſi poſſidebunt terram*. In hac beatitudine præcipit nobis Chriſtus Dominus quamdam animi ſtabilitatem, qua nulla rerum adverſantium perturbatione, nulla iniquæ fortunæ procella, nullo hoſtium ſive calumniantium, ſive perſequentium furore, vel impetu a charitate Chriſti, diviniſque præceptis dimoveamur. Hoc præceptum urget quam maxime tum in calamitatibus, quæ ſæpe nobis occurrunt in hac vita mortali; tum in offenſis, vel injuriis, quæ nobis irrogantur, tum in cæteris quibuſcunque adverſitatibus, queis concutitur animi noſtri conſtantia, ne nimia vel iracundia, vel mœſtitia abſorbeatur. *Mitibus* autem promittitur *poſſeſſio terræ*, ſcilicet *viventium*, *per quam*, inquit S. Thomas, *ſignificatur ſoliditas æternorum bonorum*.

De tertia Beatitudine: Beati, qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur.

V. Quoad paſſiones concupiſcibilis vitæ ſpectat, in quarum expletione voluptuoſi homines felicitatem præcipue collocant, Chriſtus Dominus nos retrahit tertia hac beatitudine dicens: *Beati qui lugent*, hoc eſt, qui fugiunt delicias mundi, delectationes, voluptates immoderatas, quibus ſe ſeduci, & abripi ſinunt plerique mortalium in interitum ſempiternum, & contra vitam ducunt ab his abhorrentem, quæ miſera, ac luctuoſa ab illis exiſtimatur. Præcipit itaque Dominus verbis illis moderatum uſum harum paſſionum, adeo ut eas ita in officio contineamus, ne limites a ratione recta conſtitutos prætergrediantur: quin *immo*, ut ex doctrina Patrum inquit S. Thomas, *ſi neceſſe fuerit, totaliter abjiciamus, & voluntarium luctum aſſumamus*, illam nempe ſalutarem *triſtitiam ſecundum Deum, quæ ſalutem operatur*, noſque ad recipiendam æternam conſolationem diſponit. Unde huic beatitudini præmium aſſignatur, quod *ipſi conſolabuntur*: cum ex oppoſito Chriſtus voluptuoſis hominibus comminetur Lucæ C. 6. *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis vos*, in cruciatu nimirum ſempiterno.

De quarta Beatitudine: Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur.

VI. Sapienter obſervat S. Thomas loco citato, quod tum hæc, tum quæ proxime ſuccedit, beatitudo *ad activam* vitam pertinent: „ Activa autem vita, inquit, in his præ„ cipue conſiſtit, quæ proximis exhibemus „ vel ſub ratione debiti, vel ſub ratione „ ſpontanei beneficii. Et ad primum qui„ dem nos virtus diſponit, ut ea, quæ de„ bemus proximis, non recuſemus exhibe„ re.... Unde quarta beatitudo ponitur

Beati

„ *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam* “. Nomine ergo *juſtitiæ*, quam ex Domini præcepto eſurire, ac ſitire debemus, intelligit S. Thomas peculiarem virtutem, quæ *unicuique reddit, quod ſuum eſt*; ſive, quæ ita diſponit animum noſtrum, ut ea, quæ proximis debemus, exhibere minime prætermittamus. Quare hoc eſſi ax juſtitiæ ſic intellectæ deſiderium ſub præcepto cadere perſpicuum eſt. Sed non minus idem nobis præcipitur, ſi nomine *juſtitiæ*, de qua in hac beatitudine ſermo eſt, cum aliis Eccleſiæ Patribus intelligamus quamcumque virtutem, qua *juſti* efficimur coram Deo. *Juſtitia* ſiquidem, ut ait S. Ambroſius, *communis eſt virtus*, quam votis omnibus concupiſcere oportet, ut ad eam beatitudinem perveniamus, in qua deſideria noſtra bonorum omnium poſſeſſione pleniſſime *ſaturabuntur*: quod eſt præmium a Chriſto propoſitum *eſurientibus, & ſitientibus juſtitiam*.

De quinta Beatitudine: Beati miſericordes; quoniam ipſi miſeri ordiam conſequentur.

VII. His verbis nobis a Chriſto miſericordiæ opera commendantur, ac præcipiuntur, ut nempe, prout permittit conditio noſtra, & exigit proximorum neceſſitas, eſurientibus, & ſitientibus cibum, ac potum tribuamus, nudos operiamus, ægrotantibus, & indigentibus auxilium præbeamus, peccatores corrigamus, mœſtos conſolemur, ignorantes doceamus, aliaque id genus miſericordiæ officia præſtemus: inſuper etiam injurias patienter feramus, ac offenſas libenti animo remittamus. S. Pater Auguſtinus hanc beatitudinem explicans duobus Chriſti mandatis opera omnia miſericordiæ complectitur *ſerm.* 15. inquiens: *Duo ſunt opera miſericordiæ, quæ nos liberant, quæ breviter Dominus poſuit in Evangelio, nempe*: dimittite, & dimittetur: date & dabitur vobis; *ſcilicet eam a Deo miſericordiam conſequentur, quam proximis remittendo, & donando exhibebitis*. Unde præmium, quod huic beatitudini reſpondet, hoc eſt, quod *miſericordes miſericordiam conſequentur*, miſericordiam, inquam, tum in præſenti vita per remiſſionem peccatorum, tum in futura per largitionem omnium bonorum.

De ſexta Beatitudine: Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt.

VIII. Admonet hic S. Thomas juxta illud, quod ſupra notaverat, “ quod ea, „ quæ ad contemplativam vitam pertinent, „ vel ſunt ipſa beatitudo finalis, vel aliqua „ inchoatio ejus. Et ideo non ponuntur in „ beatitudinibus tanquam merita, ſed tanquam „ præmia. Ponuntur autem tanquam me„ rita effectus activæ vitæ, quibus homo „ diſponitur ad contemplativam vitam. Ef„ fectus autem activæ vitæ, quantum ad „ virtutes, & dona, quibus homo per„ ficitur in ſe ipſo, eſt *munditia cordis*, „ ut ſcilicet mens hominis paſſionibus non „ inquinetur. Unde ſexta beatitudo poni„ tur: *Beati mundo corde* “. Hæc cordis mundities potiſſimum in Dei charitate conſiſtit, aut ſaltem ex ipſa conſequitur. Eſt enim charitas ignis ille cæleſtis, qui cor noſtrum purgat ab omni immunditia terrena, & mundi hujus ſordidis affectionibus, quibus dum inhæremus animo, impuritatem earumdem contrahimus, digniqne efficimur abominatione, juxta illud Prophetæ: *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*. Hinc *mundis corde* divina viſio repromittitur: quia, ſicut munditia oculi deſervit ad objecta clare videnda; ita munditia cordis diſponit hominem ad claram Dei viſionem.

De ſeptima Beatitudine: Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur.

IX. Ex ipſa cordis munditia, quæ oritur ex Dei charitate in corde noſtro regnante

gnante, & immundas affectiones noſtras purgante, conſequitur hæc ſeptima beatitudo. Unde Apoſt. ad Coloſſ. 3. ſcripſit: *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*. Porro triplicem pacem ſervare tenemur, nempe cum Deo, cum hominibus, cum nobiſmetipſis. *Cum Deo pacem* ſervamus, quando ejus voluntati, atque ordini ab eo conſtituto ſubjecti ſumus: *Cum hominibus*, quando diſſenſiones, & rixas devitamus, omneſque ſincero charitatis affectu complectimur: *Cum nobiſmetipſis*, quando eatnem ſpiritui, paſſionem rationi obſequentes tenemus. Conſervare autem hujuſmodi pacem, *manifeſtat*, inquit S. Thomas, *hominem eſſe Dei imitatorem, qui eſt Deus unitatis, & pacis: & ideo pro præmio redditur ei gloria divinæ filiationis, qui eſt in perfecta conjunctione ad Deum per ſapientiam conſumatam*. Unde dicitur: *quoniam filii Dei vocabuntur*.

De octava, & ultima Beatitudine: **Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.**

X. De hac poſtrema beatitudine ita loquitur S. Thomas *in reſp. ad* 5. " Dicendum, quod octava beatitudo eſt quædam confirmatio, & manifeſtatio omnium præcedentium. Ex hoc enim, quod aliquis eſt confirmatus in paupertate ſpiritus, & mititate, & aliis ſequentibus provenit, quod ab his bonis propter aliquam perſecutionem non recedit. Unde octava beatitudo quodammodo ad ſeptem præcedentes pertinet ". Hic autem attente advertendum eſt, Chriſtum Dominum vocaſſe *beatos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Plures namque ſunt ita animo comparati, ut perſecutionem patiantur, & vitam ipſam expugnant propter fidem Chriſti, in quo quidem laudandi ſunt: at hoc ſolo non implent omnem *juſtitiam*, niſi etiam eamdem diſpoſitionem habeant ad perſecutiones ſuſtinendas propter doctrinam Chriſti, ſive propter ſanctitatem, & puritatem Moralis Chriſtianæ ſartam tectam cuſtodiendam, quam falſis, & erroneis doctrinis benignæ Moralis magiſtri corrumpunt, evertunt, labefactant. Ac propterea quam multi ſunt, qui æternum pereunt, & *regnum patientibus propter juſtitiam* promiſſum miſerrime amittunt, dum ementitæ pacis ſimulacro decepti nedum perſecutiones hominum potentum pati reſugiunt, ſed & moleſtias leviſſimas, aut propriæ quietis jacturam, & incommoda: Ex quo & cauſa Chriſti proditur iniquo ſilentio, & tot animarum ruina manat. Quapropter diligenter conſiderent ii præſertim, qui vel ex officio, vel ex alio titulo tenentur ad impediendam ſanæ doctrinæ corruptelam, ne ob timorem perſecutionum, odiorumque hominum ſe periculo exponant amittendi *regni cælorum*, quod Dominus promiſit omnibus *patientibus perſecutionem propter juſtitiam*.

CAPUT X.

Ejuſdem ſermonis Chriſti Domini in monte *proſecutio: ac primum de præceptis novæ legis ad directionem interiorum motuum hominis Chriſtiani*.

DOCTRINA.

I. *Summa doctrinæ Chriſti de his præceptis ex Sancto Thoma*.
II. *Præceptum de bono exemplo præbendo, & fugienda vana gloria*.
III. *Chriſtus corrigit pravam Phariſæorum intelligentiam circa præcepta legis quoad actus interiores homicidii, & mœchiæ*.
IV. *Præceptum de vitandis cauſis, & occaſionibus peccati*.
V. *Alii errores inter Judæos vigentes a Chriſto correcti, ac primum circa juramenta*.
VI. *Quoad ea, quæ licita reputabant, quia in lege Moſaica permiſſa*.

VII.

VII. *Quoad appetitum vindictæ, & motus cupiditatis.*

VIII. *Quoad odium erga inimicos.*

I. S. Thomas in *Cap. 5. Matth.* animadvertit, præcepta alia, quæ Chriſtus dedit in ſermone habito *in monte*, revocari ad octo beatitudines, quas præmiſit. Hinc, ut docet hic art. 3. *poſt declaratum Beatitudinis finem* (ad quem maxime per charitatem erga Deum pervenimus), *commendata Apoſtolorum dignitate, per quos erat doctrina Evangelica promulganda, ordinat* divinus Legiſlator *interiores hominis motus, primo quidem quantum ad ſe ipſum, & deinde quantum ad proximum*. Hoc autem breviter explicans ſubjicit: „ Quantum „ ad ſe ipſum dupliciter (Chriſtus ordinat „ interiores hominis actus) ſecundum duos „ interiores hominis motus circa agenda, „ qui ſunt *voluntas de agendis*, & *intentio* „ *de fine*. Unde primo ordinat hominis „ voluntatem ſecundum diverſa legis præ„ cepta, ut ſcilicet abſtineat aliquis non „ ſolum ab exterioribus operibus, quæ ſunt „ ſecundum ſe mala, ſed etiam ab inte„ rioribus, & ab occaſionibus malorum. „ Deinde ordinat intentionem hominis di„ cens, quod in bonis, quæ agimus, ne„ que quæramus humanam gloriam, neque „ mundanas divitias: quod eſt *theſaurizare in terra*. Conſequenter autem ordinat „ interiorem hominis motum quoad proxi„ mum, ut ſcilicet eum non temerarie, „ aut injuſte judicemus, aut præſumptuo„ ſe. Nec tamen ſic ſimus apud proximum „ remiſſi, ut eis ſacra committamus, ſi „ ſint indigni. Ultimo autem docet mo„ dum adimplendi Evangelicam doctrinam, „ ſcilicet implorando divinum auxilium, & „ conatum apponendo ad ingrediendum per „ anguſtam portam perfectæ virtutis, & „ cautelam adhibendo, ne a ſeductoribus „ corrumpamur: & quod obſervatio man„ datorum ejus eſt neceſſaria ad virtutem: „ non autem ſufficit ſola confeſſio fidei, „ vel miraculorum operatio, vel ſolus au„ ditus “. Hæc ille. Nunc vero, quæ ſummatim ab eo dicta ſunt, paulo amplius exponamus præcipua præcepta Chriſti in *ſermone in monte* contenta percurrendo.

II. Primum, quod Chriſtus præſcribit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, quin & Chriſtianis omnibus, mandatum his verbis exprimit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Non itaque Chriſti fideles, iique præſertim, qui in aliqua dignitate, vel gradu conſtituti ſunt, abſcondere, aut celare debent opera bona, quæ peragunt: Sed non ob id ea facere debent, ut videantur ab hominibus, aut ex his gloriam humanam aucupentur, ſed ut in Deum referant, ac gloriam divinam, ut cæteri intuentes exempla bonorum operum accendantur ad eadem exequenda, Deumque glorificandum. Unde S. Gregorius Magnus ait (apud S. Th. in Matth.) *Sic opus bonum ſit in publico, ut intentio maneat in occulto: ut de bono opere proximis præbeamus exemplum: & tamen pro intentione, qua ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum*.

III. Deinde, cum dixiſſet Chriſtus Dominus, *ſe non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere*, ſubdit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Hæc Chriſti verba præceptum profecto denotant ob excluſionem a cælorum regno, quam comminatur. In quo ergo abundare amplius debet juſtitia Chriſtianorum ſupra juſtitiam Scribarum, & Phariſæorum? Ex iis, quæ ſequuntur, ſatis evidenter colligitur, quibus pravam corrigit præceptorum legis intelligentiam, quæ invaluerat apud Scribas, & Phariſæos, quod nempe lex non præciperet, aut prohiberet, niſi actus *exteriores*: *interiores* autem ſub legis præcepto minime caderent: qui error etiam modo obtinet

tinet apud Judæos . Apertæ falſitatis opinationem hanc Chriſtus Dominus convincit , eamque corrigit duplici præcepto in medium producto , homicidii nempe & adulterii , inquiens : *Audiſtis , quia dictum eſt antiquis* : Non occides : qui autem occiderit , reus erit judicio , *Ego autem dico vobis : quia omnis , qui iraſcitur* (ſive qui vindictam appetit) *fratri ſuo , reus erit judicio &c. Audiſtis , quia dictum eſt antiquis*: Non mœchaberis . *Ego autem dico vobis : quia omnis , qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam , mœchatus eſt eam in corde ſuo* ; ſive æque peccatum comittit eam concupiſcendo , ac mœchando cum ipſa . Quibus manifeſtat , nedum exteriorem ſive homicidii , ſive adulterii , ſive alterius peccati actum divina lege prohiberi , ſed ipſum quoque interiorem vindictæ , & mœchiæ , aut fornicationis appetitum .

IV. *Quod ſi oculus tuus* , addit Magiſter divinus , *ſcandalizat te : ejice eum , & projice abs te &c. & ſi dextera manus tua ſcandalizat te , abſcinde eam , & projice abs te. Expedit enim tibi , ut pereat unum membrorum tuorum , quam totum corpus tuum eat in gehennam* ; quibus nos docet nedum exteriores , & interiores peccati actus eſſe vitandos , ſed etiam peccati cauſas tollendas , occaſiones fugiendas , & objecta illa removenda etiam nobis valde amabilia , quæ vel efficacia ſua , vel infirmitate noſtra in malum pertrahere nos facile poſſunt.

V. Alios errores inter Judeos vigentes Dominus pergit evellere , ac divinis ſuis documentis veritatem in aperta luce conſtituere , inquiens : *Audiſtis , quia dictum eſt antiquis* , Non pejerabis . *Ego autem dico vobis non jurare omnino &c.* Quod ſic exponit S. Thomas hic ad 1. " Circa perjurium habebant Judæi falſum intellectum , credentes perjurium quidem eſſe peccatum ; juramentum autem per ſe eſſe appetendum , & frequentandum : quia videtur ad Dei reverentiam pertinere . Et ideo Dominus oſtendit juramentum non eſſe appetendum tanquam bonum , ſed melius eſſe abſque juramento loqui , niſi neceſſitas cogat " : qua ſublata debemus ſequi , quod ſubjecit Chriſtus Dominus : *Sit autem ſermo veſter eſt eſt ; non , non ; quod autem his abundantius eſt , a malo eſt* .

VI. Alius Judæorum error erat circa quædam , quæ in lege Moſaica tantummodo permiſſa fuerant ; ipſi autem exiſtimabant tanquam per ſe juſta , ſcilicet *repudium uxorum , & uſurarum ab extraneis exactionem*. Quoad primum falſam eorum opinionem corrigens Chriſtus ait : *Dictum eſt autem* : Quicunque dimiſerit uxorem ſuam , det ei libellum repudii : *ego autem dico vobis , quia omnis , qui dimiſerit uxorem ſuam , excepta fornicationis cauſa , facit eam mœchari ; & qui dimiſſam duxerit , adulterat* . Quoad alterum , uſurarum voraginem compeſcuit dicens : *Qui petit a te , da ei , & volenti mutuari a te , ne avertaris* . Quod clarius expreſſit Lucæ 6. præcipiens omnibus: *Mutuum date , nihil inde ſperantes* .

VII. Sed & in aliis quoque præceptis explicandis longe aberant a veritate Scribæ , & Phariſæi ; circa quæ Chriſtus admonere voluit ſuos diſcipulos , ac edocere , quæ ab ipſis agenda forent . Sibi namque perſuadebant illi " quædam , ut ait S. Thomas hic *ad* 2. quæ lex vetus inſtituerat facienda propter juſtitiam , eſſe exequenda ex appetitu vindictæ , vel ex cupiditate temporalium rerum , vel ex odio inimicorum : & hoc in tribus præceptis. Appetitum enim vindictæ credebant eſſe licitum propter præceptum datum de pœna *talionis* : quod quidem fuit datum , ut juſtitia ſervaretur , non ut homo vindictam quæreret . Et ideo Dominus ad hoc removendum docet , animum hominis ſic debere eſſe præparatum , ut , ſi neceſſe ſit , etiam paratus ſit plura ſuſtinere " : quod præſtitit verbis illis verſ. 38. *Audiſtis , quia dictum eſt* , Oculum

pro oculo, & dentem pro dente. *Ego autem dico vobis: non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram &c.*

Rurſus, ſequitur S. Thomas, Scribæ, & Phariſæi " motum [ſive appetitum) cu„ piditatis æſtimabant eſſe licitum propter „ præcepta judicialia, in quibus mandaba„ tur reſtitutio rei ablatæ fieri etiam cum „ aliqua additione: & hoc quidem lex „ mandavit propter juſtitiam obſervandam, „ non ut daret cupiditati locum. Et ideo „ Dominus docet, ut ex cupiditate noſtra „ non repetamus, ſed ſimus parati, ſi ne„ ceſſe fuerit, etiam ampliora dare ": quod verbis illis Chriſtus expoſuit: *Ei qui, voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

VIII. Præterea Scribæ, & Phariſæi „ motum odii credebant eſſe licitum (quod e„ tiam nunc credunt) propter præcepta „ legis data de hoſtium interfectione: quod „ quidem lex ſtatuit propter juſtitiam im„ plendam, non propter odia exſaturanda. „ Et ideo Dominus docet, ut ad inimi„ cos dilectionem habeamus, & parati ſi„ mus, ſi neceſſe fuerit, etiam beneface„ re. Hæc enim præcepta ſecundum præ„ parationem animi ſunt accipienda, ut „ Auguſtinus exponit ". Atque hinc celebre illud Chriſti mandatum v. 43. & 44. *Audiſtis, quia dictum eſt*, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros; benefacite iis, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri &c. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt &c. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quibus verbis Chriſti S. Evangeliſta claudit *caput V.* ſermonis Chriſti *in monte*. Duo alia capita, nempe *ſextum*, & *ſeptimum* percurrenda ſuperſunt.

CAPUT XI.

De reliquis novæ legis præceptis, quæ in Chriſti ſermone in monte *continentur.*

DOCTRINA.

I. *Præceptum de hypocriſi, & jactantia fugienda.*
II. *Cor noſtrum non in terra, ſed in cælo defigere debemus.*
III. *Impoſſibile eſt cor humanum ſimul adhærere Deo, & mundo.*
IV. *Nimia ſollicitudo rerum temporalium amputanda.*
V. *Temere de proximo non judicandum.*
VI. *Myſteria fidei, & Sacramenta prophanationi malorum non exponenda.*
VII. *Omnia proximis facienda, quæ fieri nobis volumus.*
VIII. *Ingrediendum per anguſtam viam.*
IX. *Attendendum a falſis Prophetis, ſive Doctoribus, ac Magiſtris.*
X. *Voluntas Dei adimplenda, ut aſſequamur ſalutem æternam.*

I. SICUT ſupra præceperat Chriſtus Dominus iis, quorum vita debet eſſe bonæ ædificationis exemplar, ut lucerent coram hominibus, qui videntes eorum opera Deum glorificarent imitatione virtutum; ſic in exordio cap. 6. apud S. Matth. præſcribit Chriſtianis omnibus, ut in bonis, quæ peragunt, operibus intentionem ſuam in Deum dirigant, & non ad captandam gloriam hominum referant. *Attendite*, inquit, *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Non prohibet itaque Dominus, ne pia, ac juſta opera faciamus *in conſpectu hominum*: ſed ne hoc fine, aut intentione faciamus, ut videamur, & glorificemur ab hominibus. Hinc. S. Auguſtinus *tract. 8. in epiſt. Joan.* ait: *Nunquid hoc* [Chriſtus) *voluit dicere, ut quæcunque bona facimus, abſcondamus ab*

ocu-

Digitized by Google

oculis hominum, & timeamus videri? Si times ſpectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri: ſed non ad hoc debes facere, ut videaris. Hoc exemplo eleemoſynæ, & orationum, quæ fiebant a Phariſæis, declarat Chriſtus Dominus dicens: *Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam &c. Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Hic docuit nos modum orandi, ut ſcilicet non multum loquamur: quoniam in oratione majorem vim impetrandi obtinet cor, quam lingua, gemitus, quam verba. *Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur.* Tradit autem formam, & exemplar orandi in oratione, quæ ab ipſo *Dominica* nuncupatur, quam alibi exponemus.

Poſtquam nobis oſtendit, hypocriſim, & jactantiam fugiendam eſſe tum in eleeſymoſinis, tum in orationibus, progreditur etiam ad eam reprobandam in exterioribus corporis mortificationibus, maximeque in jejuniis, inquiens: *Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Non enim*, ſubdit S. Maximus, *Deo jejunat, quicumque oſtentatione jejunii gloriam requirit humanam.*

II. Ex condemnatione hypocriſis procedit inde Chriſtus Dominus ad abſtrahendum cor noſtrum ab affectu rerum temporalium, illudque defigendum in amore cæleſtium, ac æternarum; aitque: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Et rationem affert: *Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Siquidem, cum cor humanum ibi ſit, ubi amat, ſi terrena diligit, divitias, honores, voluptates, terræ inhæret, ac terrenum totum efficitur: ſi autem ſempiterna, ac cæleſtia diligit, in cælo eſt, & evadit cæleſte.

III. Quoniam vero ex amore noſtro ſequitur etiam puritas, aut impuritas noſtræ intentionis, illam nobis ſubinde commendat, ac explicat, adhibita metaphora oculi corporei. *Lucerna*, inquit, *corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Quid eſt oculus ſimplex, niſi pura intentio, quæ cæleſtia, quæ Deum, ac juſtitiam ejus unice quærit? Sicut oculus ſimplex, & purus non eſt, cum objecta, quæ ipſi repræſentantur, duplicata cernit; ſic intentio ſimplex, & pura non eſt, cum non Deum ſolum quærit, ſed alia etiam terrena bona, quibus per affectum adhæret: cum vult conjungere fruitionem Dei, & mundi, eſſe ſervum Chriſti, & placere hominibus, Evangelium ſequi, ſimulque obſequi cupiditatibus ſuis. Hoc ſenſu textum hunc eſſe intelligendum colligi videtur ex iis verbis, quæ ſequuntur: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*; ſive impoſſibile prorſus eſt duos eſſe in corde noſtro prædominantes amores, Dei ſcilicet, & mundi, ſive divitiarum, ſive honorum, ſive voluptatum. Quapropter, ut amor Dei regnet in noſtro corde, excludendus eſt horum bonorum amor, nec iis affectu inhærendum, atque fruendum. *Audiat hoc avarus* [clamat proinde S. Hieronymus in Matth. *c.* 6.], audiat ambitioſus, audiat voluptuoſus, *audiat, qui*

Digitized by Google

cenſetur nomine Chriſtiani, *non poſſe ſe ſimul divitiis*, honoribus, voluptatibus, *Chriſtoque ſervire*. Subdit autem appoſite: *Et tamen non dixit* (Chriſtus), *qui habet divitias*, *ſed qui ſervit divitiis*. *Qui enim divitiarum ſervus eſt*, ſicut & cæterorum mundi bonorum, *divitias cuſtodit ut ſervus*: *qui autem ſervitutis excuſſit jugum*, *diſtribuit eas ut Dominus*, ſive utitur rebus mundi, prout ipſis utendum eſt.

IV. *Ideo*, ſubdit Chriſtus, *dico vobis*, *ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ*, *quid manducetis*, *neque corpori veſtro*, *quid induamini* &c. nimiam ſcilicet ſollicitudinem amputandam eſſe docet divinus Magiſter, rerum temporalium, & earum etiam, quæ ad victum, & veſtitum nobis neceſſariæ ſunt. Quamquam enim hæc procurare nobis oporteat, laborque exercendus ſit, ut eadem comparemus; noſtra tamen fiducia magis in Providentia divina, quam in curis noſtris, atque laboribus collocanda eſt. Ad hanc fiduciam nos adhortatur rerum aliarum exemplo. *Reſpicite*, inquit, *volatilia cæli*, *quomodo creſcunt*, *non laborant*, *neque nent*: *& Pater veſter cæleſtis paſcit illa &c. Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*: *& hæc omnia adjicientur vobis*. Officia ergo noſtra erga Deum, & cura noſtræ ſalutis in obſervantia mandatorum ipſius, cogitationes noſtras, ac ſollicitudines occupare in primis debent, adeo ut etiam labores, quos exercemus in acquirendis rebus corpori noſtro neceſſariis, ad finem præ omnibus quærendum referantur. S. Thomas in Matth. hoc Chriſti mandatum ita ſapienter exponit. " *Sollicitudo* „ nominat providentiam cum ſtudio: *ſtudium* autem eſt vehemens applicatio animi. In iſta autem vehementi applicatione poteſt eſſe peccatum, quando ſcilicet ponit animum ibi ut ad finem: & ſic non debemus ſolliciti eſſe .... Item *ſollicitudo* poteſt eſſe, quia animus nimis ſollicitatur ad temporalia acquirenda „ & neceſſaria .... Item quidam ſolliciti ſunt „ cum quodam timore, & deſperatione: „ quia timent ſibi deficere: & hæc ſollicitudo prohibetur.

V. Cap. 7. S. Matth. Magiſter divinus primum prohibet temeraria, aut injuſta judicia de proximis noſtris, dicens: *Nolite judicare*, *ut non judicemini*: *in quo enim judicio judicaveritis*, *judicabimini*, *& in qua menſura menſi fueritis*, *remetietur vobis*. „ Hoc loco, ſubdit ibidem S. Auguſtinus, „ nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi „ ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt: „ *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ſicut ſunt ſtupra, blaſphemiæ, & ſi quæ ſunt alia, de quibus nobis judicare permittitur. " Haud igitur Chriſtus vetat nobis judicare de his, quæ apparent, aut ob indicia mala, quæ cernimus, timere, diffidere, ſuſpicari, præcavere, dum ſufficientia fundamenta ſuppetunt, ſed judicium ferre de peccato proximi abſque evidenti, certaque probatione. *Quid autem*, adjungit, *vides feſtucam in oculo fratris tui*, *& trabem in oculo tuo non vides? ...... Hypocrita*, *ejice primum trabem de oculo tuo*: *& tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui*. His verbis nos edocet, proprium amorem ſæpe nos obcæcare in ferendo judicio de culpis noſtris, & alienis. Culpas ſiquidem noſtras vel non omnino cernimus, vel admodum leves eæ nobis videntur; dum interim fratrum noſtrorum defectus vel minimi non effugiunt oculos noſtros, graveſque vel ob livorem, vel invidiam, aliamve paſſionem judicamus. Inſpicere itaque primum debemus nosmetipſos, rectumque judicium ferre de actionibus noſtris: a judicandis vero proximorum actionibus, quoad poſſumus, abſtinere.

VI. Præceptum aliud nobis injungit divinus

vinus Legiſlator verbis iſtatim ſequentibus: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis*: ſcilicet non exponatis aut Chriſtianas veritates, aut myſteria fidei, aut Sacramenta deſpectui, & prophanationi malorum hominum. Præceptum hocce ſummopere ponderandum eſt nedum ab iis, qui fidem Chriſtianam, ejuſque myſteria annunciant infidelibus, ſed ab illis præſertim, qui Sacramenta Eccleſiæ fidelibus adminiſtrant. Nam hodiedum hæc divina regula non ſolùm a multis non obſervatur, verum etiam crimini ferme vertitur eorum omnium, qui ipſam obſervare ſtudent, negando Sacramenta indignis, qui in luto peccatorum hærent, & tamen Sacramenta certis diebus requirunt: nec ad officia ſacra eos admittendo, qui vita, & converſatione eadem conculcant.

VII. Poſt commendatam ſubinde orationem, ſub oculis omnium ponit generale illud mandatum, ac regulam, qua complectitur præcepta omnia, quæ tradiderat de diligendo proximo, de eleemoſyna eroganda, de temere non judicando, & alia hujuſmodi: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc eſt enim lex, & Prophetæ*. Quidquid namque lex, & Prophetæ docuerunt de proximi dilectione, in hac divina regula continetur; cui ſimilis eſt illa: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Ex quibus officia omnia, ac opera menſurantur, quæ vel facere, vel non facere debemus proximis noſtris, ut adimpleamus legem Chriſti.

VIII. Poſtquam autem hæc, & alia commemorata edocuit Chriſtus Dominus, ſubjungit graviſſimam illam, & ab omnibus ſerio perpendendam ſententiam: *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui intrant per eam*. Ac deinde eamdem repetit veluti admirando, & exclamando: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Hanc formidandam ſententiam confirmat Veritas infallibilis Chriſtus apud Lucam *Cap.* 13. ubi cum interrogatus fuiſſet a diſcipulis, *ſi pauci ſunt, qui ſalvantur?* nullam aliam reſponſionem dedit, niſi: *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Quod & aliis in locis tum parabolis, tum ſimilitudinibus adſtruit. Quænam porro eſt hæc *anguſta porta*, per quam intrare contendere oportet, ut aſſequamur ſalutem? Quænam eſt *lata porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem*? Reſpondet S. Auguſtinus, anguſtam portam, qua intratur in cælum ad beatitudinem, eſſe legem Dei, quæ cupiditates noſtras arctat, atque conſtringit, continentiam, abnegationem ſui ipſius, crucem, quam jugiter ferre debemus, mortificationem paſſionum noſtrarum, quæ neceſſaria omnino eſt, ut Chriſti legem fideliter obſervemus. E contra *porta lata, & ſpatioſa via, quæ ad perditionem ducit*, eſt libertas, quæ divinæ legi repugnat, quæ concupiſcentias ſequitur, quæ vitia fovet, appetitiones explet, voluptates, & blandimenta ſæculi conſectatur, quæ per mundi bona divagatur, abjecto fræno, quod ipſam coercet. Reſpicit hic Chriſtus Dominus ea omnia præcepta, quæ in ſermone ſuo jam propoſuerat, *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, &c. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, &c. Si oculus tuus ſcandalizat te, &c. Diligite inimicos veſtros, &c. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c.* aliaque, quæ tum in Beatitudinibus, tum in cæteris illius ſermonis verbis expoſita ſunt: quæ plane omnia ardua ſunt, ac difficilia, viamque cæli *arctam*, & *anguſtam portam* conſtituunt, quam proinde pauci ingrediuntur, cum pleriqne ambulent per viam latam, & ſpatioſam, quæ ad perditionem ducit. Audiamus

diamus de hoc Sanctum Patrem Hieronymum epiſt. ad Celant. *Duas converſationis vias Salvator oſtendit* ..... Quam, *inquit*, ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad mortem, & multi ſunt, qui intrant per eam! *Et rurſum*: Quam arcta eſt via, & anguſta, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam! ... *Illa teritur a multis: hæc vix invenitur a paucis. Illa etiam vitiis per conſuetudinem, quaſi declivior, & mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum facile ad ſe rapit commeantium multitudinem: hæc vero inſueto calle virtutum triſtior, atque horridior, ab iis tamen eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quam utilitas manſionis.*

IX. Conſequenter ad hæc immediate ſubjicit Chriſtus: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Non hic profecto deſignat Chriſtus Dominus infideles, & hæreticos: neque enim in toto hoc Chriſti ſermone ulla de infidelibus mentio fit, quamquam & ipſi *falſi Prophetæ* vocari poſſint, ac debeant: ſed falſos Doctores, ac Magiſtros, qui dilatant viam cæli, quam ille arctam, & anguſtam eſſe denunciaverat: qui blanda, & placentia loquuntur, & doctrinis ſuis benignis in viam ſpatioſam deducunt homines, per quam non ad vitam tenditur, ſed ad mortem ſempiternam. " Prophetæ, inquit „ hic eruditus Auctor Cornelius a Lapide, „ ſunt Doctores, qui officium vivendi, „ & cognoſcendi ea, quæ aliis non ſunt „ manifeſta, profitentur ac docent. Ex his „ alii veri ſunt, ac vera docent: alii falſi, „ falſa tradunt, quæ vergunt in ruinam „ animarum "; falſa, inquam, benignitatis, aut probabilitatis fuco illita, quæ hominibus per viam latam gradientibus magis arrident. Priores ſequendos eſſe Salvator docet; poſteriores fugiendos ac tota diligentia cavendos, tamquam *lupos rapaces*, qui animas devorant, & in exitium æternum præcipitant, dum peccatoribus adblandiuntur, ac dulcia pollicentur. Sed unde hos ab illis diſcernemus? *A fructibus eorum*, ait Chriſtus, *cognoſcetis eos*: nempe, juxta laudatum Auctorem, vel ex falſa doctrina, vel ex corruptis eorum moribus. Si doctrina, quam tradunt, aut qua dirigunt animas, laxa eſt: ſi actiones ſint opera carnis, ambitionis, avaritiæ &c. ex his fructibus facile cognoſci poſſunt Doctores, quos fugere, & evitare debemus.

X. Monita, ac præcepta ſua in hoc ſermone contenta demum concludit cæleſtis Magiſter, oſtendens, ad obtinendam ſalutem ſola verba nequaquam ſufficere, ſed neceſſaria eſſe opera bona, quibus Dei voluntatem fideliter impleamus, inquiens: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum*: qui fecerit, inquam, voluntatem Patris mei, ea omnia accurate obſervando, quæ meis diſcipulis præcipio. *Omnis ergo, qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram*. Quibus oſtendit, veram ſapientiam hominis eſſe, operari ſalutem ſuam ſequendo exacte verba ſua, & divinas vivendi regulas ab ipſo in Evangelio traditas; ſic enim ſpiritualem domum ſuam ædificat ſupra firmiſſimam petram, qui eſt ipſe Chriſtus, quam nec pluviæ, nec ventorum turbines diruere, aut evertere valeant, ſed ſemper immota conſiſtat in omnem æternitatem.

CAPUT XII.

Consectaria.

I. *Quæ Chriſtus* in monte *tradidit, documenta, non ad conſilia, ſed ad præcepta revocantur*.

II. *Hinc non ad Religioſos dumtaxat, ſed*

etiam

etiam ad ſæculares pertinere dicenda ſunt. S. Joannis Chryſoſtomi de hac re gravis ſententia .

III. *Iſaaci Berruyeri error refellitur .*

IV. *Alia ejuſdem Berruyeri abſurda interpretatio textus Evangelici .*

V. *Aliena a verborum Chriſti ſenſu , & Patrum interpretatione Cæſaris Calini, aliorumque ſententia quoad electorum numerum rejicitur .*

VI. *Abſurdiſſima P. Benedicti Piazzæ de numero ſalvandorum opinio Eccleſiæ judicio ſubjicitur .*

VII. *Octo beatitudines a Chriſto propoſitæ magna cura perpendendæ a fidelibus .*

VIII. *Fideles maxime rudiores de pravitate actuum interiorum ſæpe monendi .*

IX. *Ex doctrina Chriſti probe perpenſa plurimæ Theologorum quæſtiones evaneſcunt .*

X. *Quam immane diſcrimen verſetur inter doctrinas Chriſti , & plurium Caſuiſtarum .*

XI. *Studium Evangelicæ doctrinæ promovendis ad ſacros Ordines , & Eccleſiæ miniſtris admodum neceſſarium .*

Reflexio .

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUOD ſuperius dictum eſt de præceptis ad novam legem , ſive ad gratiam Spiritus Sancti diſpoſitivis , idem pariter dicendum de iis , quæ ad uſum gratiæ pertinent, & in ſermone habito a Chriſto *in monte* maxime continentur , non ad opera conſilii , aut ſupererogationis referenda eſſe , ſed ad vera præcepta , ſine quorum obſervatione ſalutem æternam conſequi minime poſſumus : idque patet tum ex verbis ipſius Chriſti , tum ex verborum toto contextu , qui nonniſi obligationem ubique inſinuat , & enunciat . Quod etiam validiſſime confirmatur ex eo , quod ſi recte expendantur , quæ a Chriſto propoſita ſunt , nihil aliud eſſe comperiemus , niſi vel confirmationes , vel explicationes legis divinæ naturalis , quæ ſane omnes adſtringit ſub peccato .

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Quapropter repetendum a nobis eſt , & a Confeſſariis , & Concionatoribus magnopere inculcandum fidelibus , errorem eſſe perniciosum , quod permulti ſibi perſuadent , omnia , aut plura ſaltem documenta Chriſti , quæ in Evangelio denunciantur , ad Monachos , aut Religioſos pertinere , non autem ad Chriſtianos omnes in ſæculo degentes . Præter auctoritates ſupra laudatas ad hunc , ſi fieri quidem poteſt , evellendum errorem ex plurimorum animis, afferre proderit Sancti Joannis Chryſoſtomi, licet paulo prolixius , teſtimonium ex *libro 3. adverſus vituperatores vitæ monaſticæ*, ubi invehitur adverſus illos , qui Monachos a ſæcularibus diſtinguentes , illos quidem , non iſtos obligare effutiebant monita , ac præcepta Chriſti . Falluntur profecto , inquit S. Doctor , qui ita ſentiunt : “ Neque enim Chriſtus , cum de his „ monita ederet , legeſque ſtatueret , ita „ diſtinxit &c. Cum enim dicit : *Beati „ pauperes ſpiritu : Beati , qui lugent : „ Beati mites : Beati , qui eſuriunt , & „ ſitiunt juſtitiam : Beati miſericordes : Bea„ ti pacifici : Beati , qui perſecutionem pa„ tiuntur propter juſtitiam &c.* nec Mo„ nachi , nec ſæcularis nomen adjecit . „ Diſtinctio iſta ex hominum conſuetudi„ ne introducta eſt : Sacræ vero litteræ „ nihil horum penitus noverunt ; ſed om„ nes Monachorum vita , & inſtituto vi„ vere volunt . Audi , quid Paulus mo„ neat , quem cum nomino, rurſum Chriſ„ tum prædico . Hic itaque cum ſcriberet „ uxoratis hominibus , filioſque nutrienti„ bus , omnem ab illis monaſticæ vitæ „ diligentiam requirit . Namque delicias „ omnes penitus abſcindens , ſive quæ ad „ cultum veſtium , ſive quæ ad cibos per„ tinent &c. “ Atque ita plura Chriſtianæ diſciplinæ capita perſequitur , quorum

potiora

Digitized by Google

potiora jam recenſuimus. Inde vero exclamans, *hoc eſſe, quod univerſum orbem evertit, quod ſumma vitæ bene agendæ diligentia Monachis opus eſſe arbitramur, cæteris negligenter vivere*, pergit Chryſoſtomus „ Non ita eſt, non ita eſt: ſed
„ eadem ab omnibus philoſophiæ (ſcili-
„ cet Chriſtianæ vitæ) ratio requiritur:
„ atque id equidem vehementer, immo ve-
„ ro non ego, ſed ipſe judex omnium
„ Chriſtus: ac mox inducit divitem il-
„ lum damnatum, Virgines reprobatas
„ &c. Neque vero in inferendis ſolum cru-
„ ciatibus, ſed etiam in ſanciendis legi-
„ bus id Chriſtum feciſſe reperies. Ete-
„ nim cum dicit: *Venite ad me omnes,*
„ *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego*
„ *reficiam vos: tollite jugum meum ſuper*
„ *vos, & diſcite a me, quia mitis ſum,*
„ *& humilis corde, & invenietis requiem*
„ *animabus veſtris*, non Monachos tantum
„ alloquitur, ſed & omne prorſus huma-
„ num genus. Itemque cum jubet, *per*
„ *anguſtam viam ingredi*, non iſtos mo-
„ do, ſed omnes omnino homines hoc
„ imperio convenit. Cumque *odiſſe ani-*
„ *mam ſuam in hoc mundo*, atque cæte-
„ ra hujuſmodi juberet, nullum hominum
„ genus excepit. Cum vero non omnes
„ alloquitur, neque jura, & leges omni-
„ bus conſtituit, hoc ipſum inſinuat nobis
„ aptius. Denique, cum de Virginitate
„ loqueretur, adjunxit: *Qui poteſt capere,*
„ *capiat*; neque *omnis* adjiciens, neque
„ in præcepti ordine ſtatuens. Ita Paulus
„ quoque: nam in omnibus locis Magiſ-
„ trum imitari deprehenditur, cum in
„ hanc incidiſſet materiam, ajebat: *De*
„ *Virginibus autem præceptum Domini non*
„ *habeo*. Itaque quod ad eamdem vitæ
„ diligentiam, ſupremum perfectionis faſti-
„ gium per divinas leges pariter & ſæcu-
„ laris, & Monachus cogantur: quodque
„ ambo, ſi ceciderint, æqualia ſint excep-
„ turi vulnera, neminem jam, quantum-
„ libet ſit ille contentioſus, & impudens,
„ contradicturum exiſtimo“. Hæc ille. Gemina tradunt S. Baſilius, aliique Patres, quos, ne longior ſim, prætermitto.

Consectarium Tertium.

III. Repudiandus itaque Berruyerus eſt, qui verba illa ſupra relata ex ſermone Chriſti in monte: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet: Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*; ſolis Apoſtolis dicta eſſe pertendit, & a proprio, & nativo in alienum ſenſum detorquet. Ita namque ea exponit *part.* 2. *T.* 4. *lib.* 9. *Ne credatis vos, qui Apoſtoli mei eſtis, ſimul jungere poſſe duas res alteo invicem oppoſitas, officium nempe Apoſtolatus, & curas bonorum hujus mundi*. Hæc explicatio abſona omnino eſt, & contraria interpretationi Sanctorum Patrum, & ipſi ſacro textui. Perſpicuum ſiquidem eſt legendi textum ea verba ad omnes eſſe directa, & Chriſti præceptum omnes complecti. Cur Berruyerus ad Apoſtolos gravem illam ſententiam coarctat? Nunquid *duobus Dominis*, *Deo* ſcilicet, & *Mammonæ ſervire* non licebit Apoſtolis, cæteris licebit? Si dum uni ſervitur, alter odio habetur, atque contemnitur, nunquid ſæculares viri conſociare hæc duo invicem poterunt, ut ſimul unum odio habeant, & diligant, ſuſtineant, & contemnant? Vah abſurdiſſimum commentum!

Consectarium Quartum.

IV. Non minus falſa, & abſurda credenda eſt ejuſdem Berruyeri ſententia, qui *part.* 2. *Tom.* 2. *pag.* 325. &c. exponens illa Chriſti verba ſuperius adducta: *Ego autem dico vobis: non reſiſtere malo* &c. pari-

ter

ter docet ſolis Apoſtolis ea dicta fuiſſe: quoad reliquos vero fideles hocce oraculum *non eſſe præceptum*, *ſed merum novæ legis conſilium*, *cujus obſervantia non ad obligationem pertineat*, *ſed ad ſolam legis perfectionem*. Falſa, inquam, eſt, & contraria tum ſenſui nativo verborum Chriſti, qui ibidem denunciat omnibus graviſſimum illud præceptum: *Ego autem dico vobis*: *diligite inimicos veſtros*, *benefacite his*, *qui oderunt vos*, *& orate pro perſequentibus*, *& calumniantibus vos*: tum etiam verbis Apoſtoli ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes* &c. *Non vosmetipſos defendentes*, *chariſſimi*, *ſed date locum iræ*: *ſcriptum eſt enim*: *mihi vindicta*, *& ego retribuam* &c. *Noli vinci a malo*, *ſed vince in bono malum*.

Consectarium Quintum.

V. Aliena quoque ab obvio, & legitimo verborum Chriſti ſenſu exiſtimanda eſt interpretatio, quam P. Cæſar Calinus *lect.* 21. *in libros Reg.* & alii affingunt ſententiæ illi plane formidandæ, *Lata porta eſt &c. Quam anguſta porta*, *& arcta via eſt*, *quæ ducit ad vitam*, *& pauci ſunt*, *qui inveniunt eam*, quod nempe Chriſtus locutus ſit *de tempore ſuo*, *in quo pauci convertebantur*, *& ad ſalutem perveniebant*, *non autem de futuris temporibus*, *in quibus plurimi ſalvandi erant*. Hæc interpretatio nedum falſa, ſed cenſura digna mihi videtur: tum quia adverſatur Sanctis Eccleſiæ Patribus, quorum nullum invenire eſt, qui ita divinum textum ſit interpretatus; tum quia hoſtiliter pugnat cum litterali ſenſu verborum, quæ ibi leguntur, & quæ habentur apud S. Lucam C. 13.; cum enim, ut jam notavimus, interrogatus Chriſtus eſſet, *Num pauci ſint*, *qui ſalventur*, reſponſio, quam attulit, non præſens tantummodo tempus, ſed & futurum omne complectitur. *Contendite*, inquit, *intrare per anguſtam portam*: *quia multi*, *dico vobis*, *quærent intrare*, *& non poterunt*; ubi de futuro tempore loqui expl oratiſſimum eſt. Tum vero, ne quis verba ſua de paucitate electorum exponeret per comparationem ad multitudinem infidelium, ut reapſe exponunt idem auctor, & alii, propoſita parabola ſubdit: *Cum intraverit Pater-familias*, *& clauſerit foris oſtium*, *incipietis foris ſtare*, *& pulſare oſtium dicentes*: Domine aperi nobis: *Et reſpondens dicet vobis*: Neſcio vos, unde ſitis. *Tunc incipietis dicere*: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti; *& dicet vobis*: Neſcio vos: diſcedite a me omnes operarii iniquitatis &c. Hic certe Chriſtus loquitur non de infidelibus, ſed de fidelibus, qui manducant, & bibunt ſanctiſſimum Chriſti corpus, & ſanguinem, & docentur ab ejus miniſtris, qui tamen a cælorum regno excludendi ſunt. Propterea interpretatio Calini, aliorumque tamquam aperte Evangelio repugnans prorſus eſt rejicienda.

Consectarium Sextum.

VI. Quid vero dicendum nobis erit de opinione, quam in lucem edidit elapſo nuperrime anno P. Benedictus Plazza, ſive potius continuator, & editor ipſius Diſſertationis de *Paradiſo* P. Joſephus M. Gravina, uterque Societatis Jeſu, ubi a *pag.* 519. ad *pag.* 693. nervis omnibus probare contendit, ſed ineptis prorſus ratiunculis futilibuſque conjecturis, adeo ſpatioſam eſſe viam cæli, adeo latam ejuſdem portam, ut illuc *turmatim* introducendos putet nedum Catholicos, & Hæreticos, ſed etiam Turcas, ſive Muhamedanos, ſed etiam Hebræos, ſed etiam

cæteros

cæteris Infidelibus? Verba quædam ejuſdem duntaxat affero, quæ habet in fine operis ſui *pag.* 689. ne cui fortaſſe videar imponere authori ſententiam, quæ omnem plane fidem ſuperat, aut eam quoquo modo corrumpere. Sic itaque *Corollar.* 2. ſcribit: *Ingenue fateor rudibus primo aſpectu ſententiam noſtram præſeferre grave offendiculum, ut quæ Ethnicos, Mahometanos, Hæreticos, Schiſmaticos, Hebræos turmatim ſalutem aſſequi ſempiternam doceat. Sed id offendiculo eſſe poteſt rudibus, Theologis non item &c.* Adeo inſolens mihi viſa eſt hujuſmodi opinio, adeo abſurda, adeo verbis Chriſti Domini, totiuſque Eccleſiæ traditioni, ac perenni ſenſui repugnans, quin & innumerabilium ſcandalorum plena, ut ne verbum quidem in ea refellenda impendere opus eſſe judicem. Quid? nedum Catholicis, nedum Hæreticis, & Schiſmaticis, ſed etiam Mahometanis, Hebræis, cæteriſque Infidelibus reſerata eſt cælorum janua, atque hi omnes *turmatim ſalutem aſſequuntur ſempiternam!* Quis audivit unquam tale in Eccleſia Dei? aut quis ſimile unquam monſtroſum paradoxon commentus eſt a primordiis Chriſtianæ Religionis ad hæc uſque tempora? Oh! *ubi eſtis*, exclamare oportet cum D. Auguſtino, *fontes lacrymarum*: Hanc ego ſententiam Catholicæ Eccleſiæ judicio ſubjicio, quam profecto ad ſuum tribunal deductam, diris omnibus devovendam, & fulmine anathematum ſuorum percutiendam minime dubito.

Consectarium Septimum.

VII. Beatitudines, quas Chriſtus præmiſit cæteris præceptis in ſuo ſermone propoſitis, maxima cura, ac diligentia conſiderandæ ſunt a fidelibus, ac identidem ſub oculos ponendæ. Hæ ſiquidem ſunt, ut animadvertit S. Thomas in Commentario, veluti *ſumma vitæ Chriſtianæ, ad quam cætera omnia reducuntur præcepta*: hæ detegunt, ac manifeſtant errores plurimos, in quibus verſantur permulti, qui præſertim in ſæculo vivunt: hæ judicia noſtra reformant, quoad hujus mundi bona, honores, divitias, voluptates, in quibus beatitudinem ſuam ſtatuunt excæcati mortales: hæ demum in viam ſalutis tuto nos dirigunt, & a ſemita perditionis abducunt.

Consectarium Octavum.

VIII. Quamquam tum lex naturalis, tum lex divina poſitiva luculenter oſtendant, non ſolum prava opera exteriora, ſed pravos etiam interiores actus, & affectus lege prohiberi, ac eſſe peccata; nihilominus de veritate hac crebro docendi, ac monendi ſunt homines, præſertim ſimplices, ac rudes, qui de horum actuum pravitate vel ſæpe non cogitant, vel ignorantia tenentur. Si enim Scribæ, & Phariſæi, qui reputabantur ſapientes in lege, certiſſimam hanc, ac evidentem veritatem ignorabant, quos idcirco Chriſtus admonendos putavit, ignorantque in hodiernum diem recentiores Hebræi; quid mirum, ſi etiam inter Chriſtianos rudiores quidam eamdem ignorent? Experientia ſane compertum eſt, multos eſſe, qui dum de peccatis ſuis in confeſſione ſe accuſant, hæc peccata frequenter omittunt, perinde ac ſi nulla forent, nec in diſtricto divino judicio punienda. Quare nemo non videt, quam neceſſario iterandæ ſint hujuſmodi admonitiones, ut agnoſcant omnes, quæ præcavere omnino debent.

Consectarium Nonum.

IX. Cognitis, alteque animo comprehenſis Chriſti Domini documentis tum in ſermone habito in monte, tum in cæteris Evangelii locis, evaneſcunt in auras, ac, ut inquit S. Pater Auguſtinus, *plane diſparent* plurimæ, ac potiſſimæ de moribus quæſtiones, quæ magna animorum contentione pertractantur a Theologis. Nam ex his facile conſtat quænam ſint certa principia, unde eruamus veritates plane neceſſarias ad ſalutem,

quæ

Digitized by Google

quæ Theologiæ Moralis ſcopus eſt : quo in loco habenda ſint bona æterna , ac bona hujus mundi , divitiæ , honores , voluptates , circa quæ Theologicarum quæſtionum pars magna verſatur . Neque enim ad perfectum Magiſtrum pertinet peculiares omnes dirimere controverſias , quæ numero carent; ſed vera principia ſtatuere , ex quibus illæ colligendæ ſunt : falſa vero evertere , ac eliminare . Hoc autem præſtitit Chriſtus Dominus vel unico illo ſermone , quem *in monte* habuit , *de Beatitudinibus* , aliiſque Chriſtianæ vitæ documentis, atque præceptis . In eo ſiquidem nobis oſtendit, quænam ſit , & in quo conſiſtat vera illa *beatitudo*, quam perſequi in hac vita debemus , ut æternam adipiſcamur : *Beatos* declaravit , qui miſeri a mundo , ejuſque amatoribus cenſentur ; *miſeros* e contra , qui a mundo beatiſſimi exiſtimantur : damnavit legis Dei relaxationes , falſaſque interpretationes, quæ apud Judæos invaluerant & modo etiam invaleſcunt apud plures Chriſtianos: nec hos , aut illos ſive per probabilitates opiniorum, ſive per ignorantiam invincibilem excuſandos putavit : dilectionem proximi commendavit , & ad inimicos etiam obligationem dilectionis extendit : damnavit hypocriſim , & exteriorem pietatem ab interiori ſejunctam : fraudes omnes , dolos & inimicitias execratus eſt &c. An hæc *morum doctrina* non ſunt ? Quin immo principia ſunt certiſſima *moralis doctrinæ* , unde concluſiones innumeræ derivantur , & innumeri caſus facile reſolvi poſſunt , ſi bona fide agamus , & Chriſtiano ſpiritu ea principia noſtris actionibus applicemus .

Consectarium Decimum.

X. Si quis conferat doctrinam in hoc ſermone a Chriſto traditam cum doctrinis plurium Caſuiſtarum, non poteſt non vehementer admirari ſummam,quæ inter ipſas apparet, diſſimilitudinem, & contrarietatem . Ex multis unum exemplum ſeligo ex officiis , quæ Chriſtus præſcribit erga proximum noſtrum. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis oculum pro oculo , & dentem pro dente . Ego autem dico vobis , non reſiſtere malo , ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram &c*. Quibus verbis patientiam deſignat , ac manſuetudinem , qua injurias nobis illatas tolerare debemus. Audi nunc , quid doceant novi Caſuiſtæ , fieri licite poſſe ab eo , qui vel alapa , vel baculo ab alio percutitur . P. Leſſus magni nominis ſcriptor *lib*. 2. *de juſt*. *cap*. 9. *dub*. 12. *n*. 77. ait : *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem , qui fuſtem , vel alapam nititur impingere , ut ignominiam inferat , ſi aliter hæc ignominia vitari nequit* . Paria ſcribit Buſembaum *in* 5. *præc*. *Decal*. cum aliis : *Licere* (occidere) *ſi aggreſſor fuſtem , vel alapam viro valde honorato impingere conaretur , quam aliter avertere non poſſet , docent cum Diana Leſſus , Hurtadus , & alii duodecim* , quibus adjungi debent PP. Salmanticenſes , Tamburinus , (qui citat etiam P. Suarez) Bonacina , Coninchus , & alii paſſim : immo P. Vaſquez In Opuſc. Moral. c. 2. §. 1. *dub*. 9. *n*. 34. ita teſtatur : *Omnes* (Caſuiſtæ certe moderni) *fatentur , quod licitum eſt invaſorem , qui fuſte , aut alapa minatur malum contra honorem , occidere ſi alius non ſit ſufficiens modus defenſionis* . Vide , quæſo , quam immaniter differat doctrina Chriſti Domini a doctrinis Caſuiſtarum . Chriſtus docet, ut percutienti nos alapa maxillam alteram percutiendam præbeamus , ſive hanc injuriam patienter toleremus : & qui nedum profeſſores, ſed & Magiſtros vitæ Chriſtianæ ſe prædicant , etiam necem nos inferre poſſe minanti alapam docere audent ? Quænam major oppoſitio concipi valet ?

Consectarium Undecimum.

XI. Una ex præcipuis curis eorum , qui ad Eccleſiaſticos Ordines aſſumuntur, ac præſertim directionis animarum miniſterium ſuſcipiunt , debet eſſe ſtudium ſacrarum litte-

teratum, maximeque Evangeliorum; ut inde hauriant regulas, ac principia formandæ vitæ Chriſtianæ tum in ſeipſis, tum in aliis, & reſolvendi etiam peculiares caſus, qui ſæpius occurrunt. Non ille quidem ego ſum, qui improbem lectionem, ac ſtudium librorum Caſuiſtarum: Sed Eccleſiæ Miniſtri, ac Paſtores animarum legere in primis debent, meditari, altiuſque infigere menti Evangelica documenta, quibus ſpiritum divinæ legis percipiant, & ad ipſorum normam ſubinde exigant Theologorum doctrinas, ne in errores labantur, in quibus Caſuiſtæ ſæpe prolapſi ſunt, dum divina hac regula neglecta, ſolas ideas humanas, adeoque fallaces conſuluerunt. Hinc etiam oportet, ut Epiſcopi ſerium examen inſtituant in eos, qui ſacris Ordinibus initiandi ſunt, circa ſtudium veritatum, quæ in Evangelio deſcribuntur juxta orationem illam, quam pronunciant ſuper Clericos ad Sacerdotium promovendos, Deum deprecantes, *Ut, in lege ſua die, ac nocte meditantes, quod legerint, credant: quod crediderint, doceant*. Quo onere eo gravius urgentur ætate noſtra Eccleſiæ Miniſtri: cum enim vernaculæ Scripturarum verſiones aut omnino non ſuppetant, aut his laicæ perſonæ uti non poſſint ob ignorantiam linguæ latinæ; Sacerdotum officium eſt eas rudi populo explanare, ac docere omnia, quæ in Evangelica lege præſcripta ſunt.

REFLEXIO.

Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime locutus eſt nobis in Filio. O certe admirabilem Dei bonitatem, o immenſam dignationem! Qui olim nobis locutus fuerat per Moyſem, per Patriarchas, & Prophetas, inæſtimabili plane charitate, locutus tandem nobis eſt in Unigenito Filio ſuo, ut per illum, qui *eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, humana carne indutum, factumque viſibilem, clarius, certiuſque agnoſceremus conſilia voluntatis ſuæ, viamque tutiſſimam mandatorum ſuorum, qua inoffenſo pede pervenire poſſemus *ad patriam claritatis æternæ*. Hoc nimirum illud eſt, quod prædictum fuerat per Iſaiam cap. 30. *Et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: hæc eſt via: ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Quis, dum tale, tantumque beneficium ſerio perpendit, ſupra omne id, quod admiratione dignum eſt, non admiratur, non obſtupeſcit? Quis unquam dubitare valet, num veritatem nos edocuerit Veritas increata, quæ nec falli, nec fallere poteſt? Quis ambigere, num præcepta nobis tradiderit ad vitam, & ſalutem ſempiternam prorſus neceſſaria, qui ſalus, & vita eſt, & in hunc mundum venit *ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, & dirigendos pedes noſtros in viam pacis*? At quis etiam, dum hæc conſiderat, non intelligit, quanta devinctus obligatione ſit, nedum gratias ſummas reddendi æterno Patri pro tam ſingulari beneficio nobis miſericorditer collato, verum etiam tota animi cura, atque ſollicitudine audiendi, ac opere complendi divini hujuſce Magiſtri legem, atque mandata, quæ nobis edixit, & exacte obſervanda præcepit? Quænam porro eſt potiſſimum hujuſmodi lex, quam *novam* appellamus ob animi *renovationem*, quam ipſamet tribuit, atque elargitur? *Gratia*, inquit S. Thomas, (1. 2. q. 108. art. 1.) *Spiritus Sancti, quæ manifeſtatur in fide per dilectionem operante*. Quænam mandata, quæ nos edocuit, atque obſervanda præcepit divinus Legiſlator? Ea, quæ continentur in Evangeliorum libris, maximeque in ſermone, quem habuit in *monte*, nimirum humilitas ſpiritus, terrenarum rerum contemptio, cordis mundities, animi candor, & ingenuitas, ſimplicitas mentis ſolum Deum ſuper omnia quæren-

tis,

Digitized by Google

tis, proximorum amor, patientia in injuriis, & adverſitatibus, aliaque id genus jam expoſita, quorum fideli, & accurata obſervatione *gratia Spiritus Sancti*, quæ propria, & peculiaris *novæ legis* prærogativa eſt, *manifeſtatur in fide, quæ per dilectionem operatur*. Hæc plane ſunt, quæ Verbum Dei homo factum nos edocuit, atque exemplo ſuo confirmavit: hæc, quæ ab iis, qui ſe diſcipulos ſuos profitentur, omnino requirit, ut æternam aſſequantur ſalutem, quam pretioſo Sanguine ſuo mercatus eſt. Qui hæc negligunt, & exequi opere contemnunt, qui ſola carnalia appetunt, qui mundo, & mundi vanitatibus adhærent, qui pravas appetitiones ſuas ſectantur, qui proximum non diligunt, aut in neceſſitatibus ejus opem non ferunt, qui gloriam hominum quætunt: hi non jam vocandi ſunt Chriſti diſcipuli, non legis *novæ* profeſſores, atque adeo non *genus electum*, [ut ait Apoſtolus Petrus] *regale Sacerdotium*, *gens ſancta*, *populus acquiſitionis*; ſed potius, ut Iſaiæ verbis utar, *gens peccatrix*, *ſemen nequam*, *filii ſcelerati*, atque rebelles, ac propterea majori pœna digni, quo majus eſt beneficium, quod per Chriſtum novæ Legis Inſtitutorem accepere. Ut enim ſcite animadvertit idem S. Doctor (ibi q. 106. art. 2. ad 2.) *Gratia novi Teſtamenti adjuvat ad non peccandum. Et ideo ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens*. Fac quæſo, benigniſſime Jeſu, per infinitam tuam miſericordiam, ne tot, tantiſque beneficiis ingratus inveniar, aut abutar novi Teſtamenti gratia, quam mihi peramanter contuliſti. Sanctus tuus Evangeliſta ita concluſit divinum ſermonem a te in *monte* habitum: *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ, & Phariſæi*. Exere itaque, Domine, etiam ſuper me tuam hanc poteſtatem: doce me legem, & juſtificationes tuas cum omni virtute, & efficacia doctrinæ tuæ, ut eam nedum addiſcam, ſed & opere compleam, atque ita per mandatorum tuorum ſemitam ad ſempiternam beatitudinem perveniam: quoniam *beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA

DE LEGE HUMANA.

P*RÆTER legem naturalem , ac divinam poſitivam , de quibus hactenus egimus , admittenda pariter eſt lex humana , ſive lex ab hominibus condita . Hujuſce legis utilitatem , ſive etiam , ſpectata hominum indole , atque natura , neceſſitatem declarat , & probat S. Thomas* p. 2. q. 91. art. 1. *in medium producta S. Iſidori auctoritate ex* lib. 5. Etymol. cap. 25. *ubi ait* : Factæ ſunt leges , ut earum metu humana coerceatur audacia , tutaque ſit inter improbos innocentia , & in ipſis improbis , formidato ſupplicio , refrænetur nocendi facultas : *nimirum , ut protervi homines , & ad vitia proni , ſubdit S. Doctor* , per vim , vel metum cohibeantur a malo , ut ſaltem ſic malefacere deſiſtentes , & aliis quietam vitam redderent , & ipſi tandem per hujuſmodi aſſuetudinem ad hoc perducerentur , quod voluntarie facerent , quæ prius metu implebant : & ſic fierent virtuoſi . Hjuſmodi autem diſciplina cogens metu eſt diſciplina legum . Unde neceſſarium fuit ad pacem hominum , & virtutem , quod leges ponerentur .

Ex ea , quam ab initio dedimus , legis in communi notione , facile conſtat , quænam definitio aptanda ſit legi humanæ generatim inſpectæ , quod nempe Quædam ordinatio rationis ad bonum commune hujus vitæ , ab homine authoritatem habente condita , & promulgata .

Quapropter lex humana in eo & a divina naturali , & a divina poſitiva diſtinguitur , quod illius conditor homo ſit , & felicitatem temporalem duntaxat reſpiciat ; harum vero author ſit ipſe Deus , & ad finem altiorem , divinioremque ordinentur , præter alias differentias , quæ infra conſtabunt .

Diviſio legis humanæ non eadem eſt penes Authores , pluresque S. Thomas diviſiones affert hic art. 5. *prout ea ſub diverſo reſpectu , aut ratione conſiderari poteſt . Cæteris omiſſis eam ego amplector , quam ipſe S. Doctor primo loco proponit , ſcilicet* in jus genitum , & civile, *ſive legem* gentium , *& legem* civilem , *ſub qua comprehendimus legem Eccleſiaſticam , quamvis relate ad finem ab aliis differat : De quibus in hac Diſſertatione tractabimus , ac primo de* jure gentium *pauca quædam dicemus* .

CAPUT I.

De jure gentium .

DOCTRINA.

I. *Quædam prænotantur ad germanam juris gentium notionem neceſſaria* .

II. *Juris gentium preſſe ſumpti definitio traditur , & explicatur* .

III. *Hæc plane conſentit cum ea , quæ a Juſtiniano tradita eſt* .

IV. *Jus gentium cur , & quomodo inſtitutum* .

V. *Du-*

Digitized by Google

V. *Dupliciter aliquid dici poteſt de jure gentium* .

VI. *Exempla juris gentium priori modo accepti* .

VII. *Exempla juris gentium modo altero conſiderati* .

VIII. *Alia hujuſmodi exempla proferuntur* .

I. IDEA *juris gentium* penes Authores tum antiquos , tum recentes , qui de eo verba fecerunt , ambigua , atque obſcura eſſe videtur , variiſque modis exponitur . Alii namque nomen *juris* non pro lege , ſed pro facultate quidpiam agendi , vel omittendi ſumentes , prout non incongrue ſumi poteſt , eo nomine id intelligunt, quod authoritate , vel facultate gentium omnium, aut plurimarum invectum , & conſtitutum eſt , tametſi proprie legis rationem non obtineat . Atque in hoc ſenſu poſſeſſionum diviſio , & rerum proprietas dicitur *jure gentium* inducta , eo quod non ab ipſa natura , ſed ab hominum voluntate , & conſenſione pendeat .

Alii , qui *jus gentium* ſumunt , non pro facultate , ſed pro lege , eo nomine intelligunt vel *jus naturale* in tota ſua amplitudine , prout fundatur in primis principiis hominum propriis , vel ſaltem partem illam juris naturæ , quæ mutua hominum moderatur officia . Alii *collectionem legum omnium poſitivarum , morumque , & conſuetudinum , quæ vigent , & probantur a pleriſque nationibus , ſive illæ verſentur circa materiam juris naturæ , ſive non , dummodo conſentaneæ ſint rectæ rationi , aut ſaltem eidem non adverſentur* . Hæc acceptio *juris gentium*, quæ nuper a doctiſſimo Authore defenſa eſt, magna gaudet probabilitate , nec fundamento caret tum in antiquis Juriſtis , tum in ipſo S. Thoma , qui non uno in loco ita jus gentium accepiſſe videtur .

Cæterum ut ut in tam ampla ſignificatione *jus gentium* ſumi poſſe minime diffitear, tamen preſſius , atque in arctiore ſenſu accipiendum exiſtimo , adeo ut excludat tum leges naturales , tum poſitivas civiles, ſitque ſpeciale jus ab hiſce diſtinctum . Hanc ſententiam docuiſſe S. Thomam certum mihi eſt , ejus mente accuratius expenſa in pluribus locis , ubi de hoc jure verba facit . Nam , ut cætera prætercam , hic *q.* 95. *art.* 4. abſolute jus poſitivum dividit in jus gentium , & *jus* civile , & utrumque docet eſſe humanum jus derivatum a naturali . Cum autem juxta rectæ diviſionis leges unum membrum in alio contineri non debeat , ſequitur jus gentium neque jus civile , nec naturale poſſe comprehendere . Proinde juris gentium ita preſſius accepti hæc ſit definitio .

II. *Jus gentium eſt lex poſitiva humana ab omnibus , vel pleriſque gentibus uſu , & conſuetudine conſtituta , ac recepta* .

Declaratur : Dicitur in primis *lex* : non enim *jus* modo ſumitur pro *facultate*: lex, inquam , ſive ordinatio rationis efficax, adeoque regula , & menſura , ſecundum quam ad aliquid agendum inducimur, vel ab agendo retrahimur . Subditur *poſitiva humana* : *poſitiva* quidem ; qua parte differt a lege naturali , quæ rationali creaturæ inſita eſt: *humana* vero , per quam diſtinguitur a lege poſitiva divina . Demum adduntur cæteræ particulæ , *ab omnibus , vel pleriſque gentibus uſu , & conſuetudine recepta* ; quibus jus gentium ſecernitur ab alio quocunque jure, ſive lege nedum naturali , ac poſitiva divina , ſed etiam civili , aut poſitiva humana . Ideo autem dixi *ab omnibus vel pleriſque gentibus conſtituta* : neque enim ad hujuſmodi jus neceſſe eſt , quod gentes omnes in eo probando conſentiant , aut penes omnes uſus illius , & conſuetudo invaluerit ; ſed ſufficit , ut vigeat apud pleraſque præſertim cultiores , aut politiores : immo etiam ad jus iſtud conſtituendum ſatis eſſe mihi videtur , ut jam a vetuſtis temporibu

bu

bus inter nationes alicujus ex mundi partibus in uſu fuerit.

III. Hæc tradita a nobis, & explicata definitio plane conſentit cum ea, quæ legitur in §. *jus autem* Inſtit. *De jure naturæ, gentium, & civili*, ubi dicitur: *Jus autem gentium omni humano generi* (ſive pleriſque gentibus) *commune eſt. Nam uſu exigente, & humanis neceſſitatibus gentes humana jura quædam ſibi conſtituerunt*. Ex eo quod dicatur, ſibi gentes tale jus conſtituiſſe, ſignificatur, non a natura illud eſſe conſtitutum, atque adeo nec naturale eſſe, ſed ab hominibus, ſive ab humano libero arbitrio. Jus enim naturale non ab aliqua humana conſtitutione, ſed ab ipſo inſtinctu naturæ derivatur: cum vero ait, jus illud *humano generi commune eſſe*, illud ſecernit a *jure civili*, quod non omnibus, aut pleriſque commune eſt, ſed alicui tantummodo Civitati, Provinciæ, vel Regno.

IV. Ex iis etiam Juſtiniani verbis colligi facile poteſt, cur, & quomodo hæc juris gentium inſtitutio, quæ vi obligandi polleat, tacita gentium conſenſione, aut conſuetudine invecta fuerit, dum ait: *Uſu exigente, & humanis neceſſitatibus*. Cum enim nationes præſertim cultiores, ac politiores, nativo lumine cernerent, ſpectata communi hominum conditione, ac neceſſitatibus, nonnulla ſibi admodum congruere, & expedire, nonnulla vero ſibi valde incommoda eſſe, atque nociva; in id communibus ſtudiis convenerunt, non conſenſu quidem explicito (quis enim gentes omnes in unum ad deliberandum conveniſſe ſibi confingat?) ſed tacito, ac ex ſola conſuetudine præſumpto, ut priora tamquam ſibi convenientia ſeligerent: poſteriora vero tamquam vitanda judicarent: atque ita praxi, & conſuetudine invaleſcente effectum eſt, ut induceretur apud omnes obligatio ea vel præſtandi, vel omittendi: eo ferme modo quo peculiares conſuetudines introduci ſolent, aut ſaltem poſſunt in aliqua Civitate, vel Regno, quæ non ex aliquo Principum edicto, ſed ex populi conſenſione vim legis ſortiuntur. Quod eo facilius fieri potuit in iis, quæ ad jus gentium pertinent, quod hæc pauca ſint, & juri naturali longe propinquiora.

V. At quænam, inquies, ſunt hæc præcepta, quæ ad jus gentium preſſe dictum pertinent, adeo ut horum materia non contineat intrinſecam, aut neceſſariam honeſtatem, vel turpitudinem, ſed ab hominum voluntate pendentem? Fateor hæc, ut dixi, eſſe pauca, & exempla plura, quæ afferri ſolent, aut pertinere ad jus naturæ, vel ſaltem in iiſdem hoc jus ſæpius immiſceri, ut difficile ſit alterum ab altero ſecernere. At nihilominus quædam non deeſſe mihi videntur, quæ hujuſmodi diſtinctionem ſatis aperte produnt. Quod ut clarius evincam, advertendum puto ex S. Iſidoro, aliiſque probatis Scriptoribus dupliciter aliquid dici poſſe *de jure gentium*, & quidem preſſe accepto: videlicet, vel quia jus quoddam commune eſt, quod aut ſingulæ Civitates, aut Provinciæ, vel Regna bene inſtituta ex conſuetudine jam pridem obtinente communiter obſervant, aut obſervandum præſcribunt, etiamſi nulla cum cæteris nationibus commercia intercedant: vel quia eſt jus quoddam uſu invectum, quod omnes, aut plerique populi aliquam inter ſe communionem habentes ſervare debent.

VI. Itaque, ſi priore modo jus gentium conſideretur, ea præcepta continet, quæ reſpiciunt ritus aliquos religioſos, vel aliquos vivendi modos, hominum naturæ admodum conſentaneos, quos ſolum communis uſus, & conſuetudo determinavit, ut E. C. *ſacrificium* cum immolatione victimæ, quo gentes omnes utuntur ad ſuam erga Deum proteſtandam ſubjectionem, & cultum. Quamquam enim homines ex ipſo jure naturæ cultum aliquem & oblationem

Digitized by Google

tionem Deo præſtare tenebantur, de jure tamen naturali non eſt, ut illud determinate præſtent per *ſacrificia* modo poſito oblata: nam aliis pluribus modis cultus Deo exhiberi valet. Cum igitur exploratum, compertumque ſit vel omnes, vel ſaltem pleraſque gentes in eo conveniſſe, ut hoc ſpeciali ritu *ſacrificii* uterentur ad ſuam erga Deum ſervitutem, & dependentiam profitendam, dicendum merito eſt *ad jus gentium* ſacrificium pertinere. Similiter, quod in Republica ſit ſtatus quidam hominum ad cultum Dei ſpecialiter deputatus, non videtur eſſe intrinſece, & abſolute de lege naturæ: quia tamen huic legi valde conſentaneus eſt, idcirco fere omnes nationes, & Reſpublicæ ad illum conſtituendum tacite aſſenſerunt, ſaltem in communi: neque enim abnuo in particulari magnam fuiſſe, & eſſe rituum, & cæremoniarum varietatem, quæ *jus civile* ſpectant; adeoque ſaltem in communi morem illum ad jus gentium pertinere nemo jure negaverit. Atque ita alia nonnulla hujuſce generis proferri poſſent.

VII. Quoad alterum vero modum juris gentium attinet, exempla etiam plura non deſunt, quæ illud ſatis luculenter evincunt: atque in primis conſuetudo communis apud nationes recipiendi legatos ſub lege immunitatis, & ſecuritatis abſolute ſpectata, non eſt de neceſſitate juris naturalis: neque enim ex aliquo naturali principio neceſſario profluit, ut unaquæque Communitas legatos alterius Communitatis admittat: eos tamen admittere de *jure gentium* eſſe cenſetur, adeo ut qui eos ex mero arbitrio ſuo repudiaret, jus gentium offenderet, licet non jus naturale. Quapropter tametſi poſita receptione, aut admiſſione legatorum pacto aliquo aut expreſſo, aut tacito intercedente, teneatur Communitas ex jure naturæ illud obſervare, quia juſtitiam læderet, debitamque fidelitatem: attamen pactum illud non ex jure naturali, ſed gentium inductum eſt, & abſolute poterat non induci.

VIII. Aliud exemplum occurrit in quocunque contractu, & commercio cum aliis nationibus, in quo tria diſtingui poſſunt. Primum peculiaris contrahendi modus, qui plerumque pertinet *ad jus civile*, ac ſæpe fieri valet ex ſolo contrahentium arbitrio, nulla cæteroqui lege repugnante. Alterum eſt obſervatio contractus initi, & conſummati: & hoc pertinet *ad jus naturale*. Tertium libertas contrahendi, & ineundi commercia cum hominibus etiam extraneis, & non inimicis: & hæc eſt *de jure gentium* quoniam jus naturæ illam neque vetat, neque præſcribit; potuiſſet enim una Reſpublica abſolute per ſe vivere, ac nolle commercium cum aliis, etiamſi nulla adeſſet inimicitia. At jure gentium introductum eſt, ut contractus, & commercia libera forent, violareturque hujuſmodi jus, dum citra cauſam rationabilem prohiberentur: atque hoc pacto intelligendum arbitror quod dicitur in d. §. *jus autem &c. Ex hoc jure gentium pene omnes contractus introductos eſſe, emptiones, venditiones &c.* Idem dici poteſt de *rerum diviſione*, *ac proprietate*, quam ob graviſſimas cauſas introductam eſſe non *jure naturali*, ſed *gentium* omnes conſentiunt. Si quis enim nunc alium vivendi modum in aliqua natione vellet invehere, populoſque ad bonorum communionem ſectandam inducere, is plane delinqueret, non contra jus naturale, quod de hac nullum extat, ſed contra jus gentium, quæ talem modum utpote utiliorem, & convenientiorem humanæ vitæ univerſim amplexæ ſunt.

In hoc etiam ordine conſtitui poſſunt ſervitutes quoad reos, & bello captos. Hoc ſiquidem jure utuntur inter ſe gentes, & populi, quod neceſſarium non erat ex pura naturali ratione: alius namque modus pœnæ introduci potuiſſet. Nunc autem jus hoc inter gentes invectum hujuſmodi eſt, ut &

rei pœnam hanc ſubire teneantur, & victores haud poſſint citra piaculum gravius punire hoſtes jam victos, & finito bello, niſi alius ſpecialis titulus interveniat. Ad idem jus referuntur fœdera pacis, & induciarum, non quatenus ſervanda ſunt, poſtquam facta fuerunt: hoc enim pertinet ad jus naturæ; ſed quatenus admittenda ſunt, minimeque neganda, dum debito modo, ac rationabili petuntur. Id quippe, tametſi valde conſonum ſit naturali rationi; uſu tamen ipſo, adeoque gentium jure inductum videtur, atque firmatum. Atque hoc modo alia id genus exempla afferri queunt, & explicari juris gentium præcepta.

Quædam dicenda ſupereſſent, quæ ad *juris gentium* conditiones ſpectant. Sed cum hæc communia ſint juri, ſeu legibus civilibus, ideo ea infra exponemus.

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. *Quid jus gentium in ampla ſignificatione ſumptum complectatur.*

II. *Quid in arctiore, magiſque proprio ſenſu.*

III. *Textus S. Thomæ, qui contrarius videtur, explicatur.*

IV. *Quæ univerſalitas requiratur ad jus gentium conſtituendum.*

V. *Unde oriatur obligatio, quam jus gentium inducit.*

VI. *Vim obligandi non habet, ſi pugnet cum jure divino.*

VII. *In quo differat, & conveniat cum jure naturali.*

VIII. *In quo conveniat, ac differat a jure civili.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. JUS gentium in ampla ſignificatione ſumptum complectitur tum leges communes, & particulares humanas poſitivas, ſive hominum voluntate conditas, tum etiam leges juris naturæ, prout hominis propriæ ſunt, aut ſaltem eas, quæ hominum inter ſe moderantur officia, quatenus vel gentes omnes obſtringunt, vel ab humanis legibus probatæ, ac denuo confirmatæ fuerunt ad hominum uſum, & utilitatem: Nihil etenim obſtat, quominus eadem vel actio, vel omiſſio duplici jure, divino, & humano præſcribatur. Hoc amplo in ſenſu *jus gentium* accipitur l. 1. §. *hujus ſtudii*, & in §. 1. & 2. Inſtit. *de jure naturæ &c.* ubi dicitur: *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit ...... Jus gentium eſt, quo omnes gentes utuntur, & apud omnes peræque cuſtoditur.* Quibus liquet ſub jure gentium comprehendi etiam jus naturale, quatenus hominum proprium, ac peculiare eſt: quod etiam exempla ibidem allata confirmant, ſcilicet *Religio in Deum, obedientia ad Patres & Patriam.* Hoc etiam in ſenſu jus gentium aliquando ſumpſiſſe S. Thomam inficiari penitus nolim: licet propriore in ſenſu ſæpius illud uſurpaſſe contendam.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Jus gentium in arctiore, propriaque ſignificatione acceptum, prout a naturali, & civili diſtinguitur, non comprehendit, niſi quædam generalia præcepta quæ gentium omnium, aut plerarumque maxime politiorum, libera voluntate, & arbitrio conſtituta fuere, non aliquo quidem communi decreto, ſive ſcripto, ſive verbo tradito, ſed uſu, & conſuetudine vim præcepti obtinente invecto. Hoc ex dictis patet, ſumiturque ex D. Thoma hic q. 95. art. 4. & ex aliis antiquis Juriſconſultis.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Cum D. Thomas hic in reſp. ad. 1. loquens de jure gentium preſſe accepto ait: *Jus gentium eſſe aliquo modo naturale homini, ſecundum quod eſt rationalis, in quantum derivatur a lege naturali per modum*

con-

concluſionis, *quæ non eſt multum remota a principiis*: intelligendus non eſt de *concluſione*, quæ neceſſario fluat a principiis naturalibus, quamvis ab iiſdem remota ſit, ſed de concluſione iis principiis admodum cohærente, & affini, non abſolute tamen, & intrinſece cum ipſis connexa. Quare ideo eam vocat *non multum a principiis remotam*, non quia in iis contineatur, ex quibus ſubinde educenda ſit; neque enim ullum extat naturale principium, unde E. C. colligi debeat inducendam eſſe in hominibus bonorum diviſionem: ſed quia iiſdem valde cohæreat: valde ſiquidem conſonum naturali lumini eſt, ut homines ea ſeligant, ac determinent media, quæ aptiora videntur ad conſulendum communi omnium bono, pacemque ac tranquillitatem populorum ſecurius promovendam. Hinc, cum S. Thomas dixiſſet, *Jus gentium derivari a lege naturæ per modum concluſionis, quæ non eſt multum remota a principiis*, ſtatim ſubjungit: *Unde de facili homines in hujuſmodi conſenſerunt*. Quibus ſatis denotat, ſe non loqui *de concluſione*, quæ ad jus naturale pertineat, ſed ad jus humanum: nam quæ de jure naturæ ſunt, non indigent hominum *conſenſu*, ut ſint *hujuſmodi*.

Sed cur, quæret aliquis, ibidem Sanctus Doctor in eo diſtinguit jus gentium a jure civili, quod hoc derivetur a lege naturæ, *per modum determinationis*, illud vero per modum *concluſionis*? Reſponſio eſt: quod ea, quæ cadunt ſub jure gentium, nedum a jure naturali indeterminata relinquuntur, ſed etiam ex vi ipſius juris gentium non recipiunt integram *determinationem* in particulari, ſed in communi introducuntur a gentibus ad omnium utilitatem, & commodum; determinantur autem omnino in particulari per leges civiles a qualibet Republica, prout civium bono judicat magis expedire. Unde, quamquam abſolute & ipſa, quæ ad jus gentium pertinent, dici queant a jure naturæ derivari *per modum determinationis*, hoc tamen magis competit iis, quæ determinantur per leges civiles.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ut aliquid ſit, ac dici valeat eſſe *de jure gentium*, neceſſe non eſt, ut gentes omnes, nec pleræque ſimul convenerint, communique conſilio, ac deliberatione quidpiam ſervandum, vel omittendum ſtatuerint, ſed ſufficit vel unamquamque earum idem ſingillatim ſtatuiſſe ob ſimiles neceſſitatis, utilitatis, aut convenientiæ rationes: vel uſus, & conſuetudo ab antiquis temporibus jam introducta, atque recepta. Item neceſſe non eſt, ut hæc conſuetudo adeo univerſalis ſit, ut apud omnes gentes invaluerit, ſed ſufficit ut apud plurimas gentes obtineat præſertim recte inſtitutas, & ſub politica gubernatione viventes. Quin immo ſatis etiam eſt, ut populi ad aliquam ex quatuor mundi partibus ſpectantes in eam conſentiant, eamque tamquam ab omnibus obſervandam vel expreſſe, vel tacite judicent. Hinc, quamvis univerſalitas aliqua requiratur ad jus gentium conſtituendum, hæc tamen omnimoda eſſe non debet, ſicut illa, quæ juris naturæ propria eſt.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Obligatio, quam jus gentium inducit, non ex aliquo Communitatis Rectore, aut Superiore profecta eſt, ſed ſingularum gentium, vel ſingulorum in gentem propriam imperantium authoritate invecta: ſcilicet unaquæque gens vel ſibi ipſi hanc obligationem impoſuit per conſuetudinem, uſumque diuturnum, vel illam a proprio Superiore ſuſcepit per legem vel expreſſam, vel tacitam, adeoque quælibet ſingillatim, & abſque ulla ab aliis dependentia, *jure gentium*, quod in illa viget, obſtringitur. Hic vero conſequitur, unamquamque gentem propria, vel Principis ſui authoritate poſſe mutare, vel omnino auferre jus gen-

tium quoad ipſam attinet; niſi tamen pactum aliquod, vel conventio ſive explicita, ſive implicita cum aliis gentibus interceſſerit: cujuſmodi intercedere ſolet inter gentes finitimas in iis, quæ ſpectant negotia, aut commercia reciproca, eo ipſo, quod tale, vel tale commercium hoc, vel illo modo jamdudum invicem exercuerint, vel certas aliquas conditiones obſervaverint.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Ex generali ratione nec jus gentium, ſive juris gentium præcepta, aut conſuetudines, quemadmodum nec leges juris civilis, vim ullam habent obligandi, nec præcepta, vel leges dicendæ ſunt, ſi juſtitiæ, aut legi ſive naturali, ſive divinæ repugnent. Ut enim hic *art.* 2. docet S. Thomas ex Divo Auguſtino: " Non videtur eſſe lex, quæ juſta non fuerit. Unde in quantum habet de juſtitia, in „ tantum habet de virtute legis. In rebus autem humanis dicitur aliquid juſtum „ ex eo, quod eſt rectum ſecundum regulam rationis. Rationis autem prima „ regula eſt lex naturæ, ut ſupra dictum „ eſt. Unde omnis lex humanitus poſita „ in tantum habet de ratione legis, in- „ quantum a lege naturæ derivatur. Si „ vero in aliquo a lege naturali diſcordet, „ jam non erit lex, ſed legis corruptio". Quapropter, ſi qua conſuetudo ſit etiam a multis ſæculis inveterata, & inter plurimas gentes recepta, atque probata, quæ pugnet cum lege naturali, aut divina, ut olim erat Idololatria, quæ nunc etiam apud pleraſque nationes Americanas, & Aſiaticas viget, nec legis rationem, atque adeo nec obligationem inducit, ſed potius tamquam abuſus, & corruptela communis rejicienda eſt.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ex iis, quæ dicta ſunt, facile apparet, in quo *jus gentium* differat a lege naturali, & in quo etiam cum ipſa conveniat. Primo enim ac præcipue differt: quia quatenus præcepta affirmativa continet, non infert neceſſitatem rei præceptæ ex ipſa rei natura ob evidentem ex principiis naturalibus illationem: quia quidquid hujuſmodi eſt, ad legem naturæ pertinet. Quatenus vero comprehendit præcepta negativa, non prohibet aliqua, quia per ſe mala ſint: hæc enim pariter de lege naturæ ſunt: ſed prohibendo efficit mala; quod comune habet cum lege civili. Secundo *jus gentium* ex conſequenti differt a jure naturali, quod nequit eſſe adeo immutabile, ſicut iſtud. Immutabilitas enim oritur ex neceſſitate, adeoque quod non eſt æque neceſſarium, neque poteſt eſſe æque immutabile. Quare *jus gentium* abſolute mutationi ſubjectum eſt, ut ſi nationes in eo mutando convenirent, vel in nationibus ſenſim introduceretur conſuetudo contraria, ac tandem prævaleret. Verum hoc licet cogitari poſſit, ut minime repugnans; moraliter tamen impoſſibile videtur. Convenit vero *jus gentium* cum *naturali*, tum quia in utroque ſunt præcepta, & prohibitiones, atque etiam conceſſiones: tum quia, ſicut materia juris gentium propria hominum eſt, ſic etiam eſt hominum propria magna ſaltem ex parte, ac potiori materia juris naturæ.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex dictis conſtat etiam, in quo *jus gentium* conveniat cum *jure*, aut *lege civili*, & in quo differat. Convenit quidem, quia utriuſque materia non eſt intrinſece, & neceſſario bona, vel mala; ſed utraque *bona*, vel *mala* redditur ex eo, quod vel præcipiatur, vel vetetur. Deinde utrumque poſitivum humanum eſt ſive arbitrio hominum, & voluntate conditum. Tum autem utriuſque proprium eſt verſari circa actiones exteriores, ac hujuſce vitæ felicitatem tamquam finem. Ac demum

utrum

Digitized by Google

utrumque abſolute loquendo mutabile eſt. Differt vero a *jure civili* tum penes amplitudinem, & univerſalitatem: nam jus civile intra terminos alicujus vel Provinciæ, vel Regni continetur: jus autem gentium longe latius extenditur; tum ratione originis: juris enim civilis conditor eſt vel privata Communitas, vel Princeps Communitatis: non ita vero juris gentium, ut diximus; tum ex parte promulgationis, quæ in jure civili perficitur vel ſcripto, vel publici præconis voce: jus autem gentium ſcriptum non eſt, nec voce traditum, ſed uſu, & conſuetudine populorum promulgatum. Ac tandem, ne alia perſequar, jus civile facile, & non infrequenter mutari ſolet, cum e contra difficillima ſit, ac moraliter impoſſibilis mutatio in jure gentium.

CAPUT III.

De lege humana civili.

DOCTRINA.

I. *Legis humanæ civilis definitio.*

II. *Explicatur, & illuſtratur ex S. Thomæ doctrina.*

III. *Legis civilis qualitates, ſive conditiones deſcribuntur.*

IV. *Hujuſmodi qualitates amplius expoſitæ.*

V. *Quo modo derivetur a lege naturali.*

VI. *Præcepta a lege civili ſancita alia ſunt communia legi naturæ, alia propria, & peculiaria ipſius.*

VII. *Quæ præcepta ſecundi generis ad legem civilem pertineant.*

VIII. *Quænam ſit legis civilis materia, circa quam verſatur, ex fine, ad quem ordinatur, colligenda.*

IX. *Quæ ab ipſa prohibeantur, aut prohiberi valeant, determinatur.*

X. *Item quæ ab ipſa jubentur, aut juberi poſſint.*

XI. *Conſtitui debet non in particulari, ſed in communi, & ſecundum perſonas, & ſecundum negotia, & ſecundum tempora.*

I. QUUM in pluribus jus humanum civile conveniat cum jure gentium, idcirco, quæ de hoc præcedente capite dicta ſunt, civili juri, ſive legi aptari facile poſſunt, nempe quod hæc ſit lex poſitiva ab hominum arbitrio, & voluntate dependens: quod ipſius materia juſta ſit, oporteat, ſive naturali, ac divinæ legi minime diſſentanea: quod circa actiones humanas exteriores verſetur, & quod bonum, ac felicitatem temporalem communem reſpiciat. Quapropter ea præcipue, quæ hujuſce legis magis propria ſunt, attingemus, licet & illa, quæ communia ſunt, prætermittere neutiquam debeamus. Unde ad ejus legitimam notionem dignoſcendam ſit in primis hæc, quæ ex D. Thoma q. 91. art. 3 colligitur.

DEFINITIO.

Lex humana civilis eſt diſpoſitio, ſive ordinatio particularis inventa per rationem humanam ex principiis generalibus legis naturalis ad bonum commune temporale, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.

II. Hæc definitio explicatur, & illuſtratur ex ejuſdem Sancti Thomæ doctrina: „ Lex, inquit ibidem, eſt quoddam dictamen practicæ rationis. Similis autem proceſſus eſſe invenitur rationis practicæ, „ & ſpeculativæ. Utraque enim ex quibuſ„ dam principiis ad quaſdam concluſiones „ procedit. Secundum hoc ergo dicendum „ eſt, quod ſicut in ratione ſpeculativa ex „ principiis indemonſtrabilibus naturaliter „ cognitis producuntur concluſiones diverſa„ rum ſcientiarum, quarum cognitio non „ eſt nobis naturaliter indita, ſed per in„ duſtriam rationis inventa; ita etiam ex „ præceptis legis naturalis, quaſi ex qui„ buſdam principiis communibus, & in-

demon-

Digitized by Google

„ demonſtrabilibus , neceſſe eſt , quod ratio
„ humana procedat ad aliqua magis parti-
„ culariter diſponenda . Et ipſæ parti-
„ culares diſpoſitiones adinventæ ſecundum
„ rationem humanam dicuntur *leges huma-*
„ *næ* , obſervatis aliis conditionibus , quæ
„ pertinent ad rationem legis. Unde Tullius
„ dicit in ſua Rhetorica , *quod initium juris*
„ *eſt a natura profectum* . *Deinde quædam*
„ *in conſuetudinem ex utilitatis ratione vene-*
„ *runt : poſtea res a natura profectas , & con-*
„ *ſuetudine probatas legum metus , & Reli-*
„ *gio ſanxit* ". Hactenus D. Thomas ; qua in expoſitione notandum, quod cum aſſerit, rationem humanam *ex præceptis legis naturalis quaſi ex quibuſdam principiis communibus , & indemonſtrabilibus procedere ad aliqua magis particularia* , non illud velle, quod diſpoſitiones , quæ ſunt præcepta legis civilis , eruantur ex ipſis principiis communibus legis naturæ , in qua contineantur : tunc enim & ipſæ legis naturalis præcepta forent , ſed quod *adinveniantur, ac determinentur* ab humana ratione juxta ea principia , quemadmodum poſtea explicabimus .

III. Præter eſſentiam , ſive naturam legis civilis , ejuſdem etiam qualitates quibus gaudere debet , S. Thomas deſcribit *q. 95. art. 3.* ex Divo Iſidoro lib. 5. Etymol. c. 3. dicente : *Lex erit omne &c.* ſive ut legendum eſt , *omne , quod ratione conſtiterit* (ſupple , & a legitima poteſtate ordinatum fuerit) *tunc ſolum erit lex , ſi religioni congruat , ſi diſciplinæ conveniat , ſi ſaluti proficiat* . Quas conditiones , ſive qualitates fuſius exponit *C. 2r.* his verbis : *Erit lex honeſta , juſta , poſſibilis ſecundum naturam , ſecundum conſuetudinem , Patriæ , loco temporique conveniens , neceſſaria , utilis , manifeſta , ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat , nullo privato commodo , ſed pro communi utilitate civium ſcripta* . Hæ legis civilis qualitates tum a S. Thoma , tum a cæteris Doctoribus approbantur , immo & in jus canonicum relatæ ſunt *d. 4. c. 2.* Harum omnium convenientiam , ſive neceſſitatem declarat Doctor Angelicus ſolidiſſimis hiſce præmiſſis principiis .

Primum eſt : *Uniuſcujuſque rei , quæ eſt propter finem , neceſſe eſt , quod forma determinetur ſecundum proportionem ad finem* . Alterum : *Qualibet res , quæ recta , & menſurata eſt , oportet , quod habeat formam proportionatam ſuæ regulæ , & menſuræ* . Porro lex humana utrumque habet , & quod ad aliquem finem ordinetur , ſcilicet ad hominum utilitatem , & quod regula quædam ſit , ac menſura humanorum actuum , regulata , & menſurata ab alia regula ſuperiore , a lege nempe divina . Igitur opus eſt , ut lex humana proportionata ſit tum utilitati hominum , tum legi divinæ . Leges autem humanæ , quæ præditæ ſunt qualitatibus ab Iſidoro deſcriptis , triplicem illam proportionem habent. " Et ideo, ſub-
„ dit S. Thomas , Iſidorus in conditione
„ legis primo quidem tria poſuit , ſcilicet
„ *quod Religioni congruat*, in quantum ſci-
„ licet eſt proportionata legi divinæ: quod
„ *diſciplinæ conveniat* , in quantum eſt pro-
„ portionata legi naturæ : *quod ſaluti pro-*
„ *ficiat* , in quantum eſt proportionata uti-
„ litati humanæ .

IV. Ad tres autem haſce conditiones , ſive qualitates S. Tomas revocat omnes alias , quæ in poſteriore deſcriptione recenſentur . Etenim , ait , quod dicatur in primis *honeſta* , refertur ad hoc , quod *Religioni congruat* . Quod autem ſubditur *juſta, poſſibilis ſecundum naturam , ſecundum conſuetudinem , Patriæ , loco , temporique conveniens* , reducitur ad hoc , quod *conveniat diſciplinæ* . Attenditur enim humana *diſciplina* , primum quidem quantum ad ordinem rationis , qui importatur in hoc, quod dicitur *juſta* . Secundum quantum ad facultatem agentium : debet enim eſſe conveniens unicuique ſecundum ſuam poſſibilitatem , obſervata etiam poſſibilitate naturæ .

Non

Non enim eadem ſunt imponenda pueris, quæ imponuntur viris perfectis: & ſecundum humanam conditionem: non enim poteſt homo ſolus in ſocietate vivere aliorum morem non gerens. Tertio quantum ad debitas circumſtantias dicit, *loco, temporique conveniens*. Quod vero ſubditur *neceſſaria, utilis* &c. refertur ad hoc, quod *expediat ſaluti*, ut *neceſſitas* referatur ad remotionem malorum, *utilitas* ad conſecutionem bonorum, *manifeſtatio* vero ad cavendum nocumentum, quod ex ipſa lege poſſet provenire. Et quia, ſicut ſupra dictum eſt, lex ordinatur ad bonum commune, hoc ipſum in ultima parte determinationis oſtenditur.

V. Lex humana civilis, quæ his qualitatibus, ſive conditionibus gaudet, proprii nominis dicenda lex eſt, adeoque obligandi vim habet ab ipſa lege naturæ, a qua derivatur. Neque enim lex eſſet, & obligationem induceret, ſi ab ea ſuprema lege nequaquam derivaretur, prout ſupra jam diximus. Verum cum modus iſte derivationis a lege naturæ, quæ legi humanæ conveniat, oportet, haud ſatis clarus, apertuſque videri poſſit, paulo fuſius explicandus eſt ex aurea S. Thomæ doctrina, quam tradit hic *q.* 95. *art.* 2. his verbis: „ Sciendum eſt, quod a lege naturali dupliciter poteſt aliquid derivari: uno modo ſicut *concluſiones ex principiis*: alio „ modo ſicut *determinationes* quædam aliquorum communium. Primus quidem modus ſimilis eſt ei, quo in ſcientiis ex „ principiis concluſiones demonſtrativæ producuntur. Secundo vero modo ſimile eſt, „ quo in artibus formæ communes determinantur ad aliquid ſpeciale, ſicut artifex formam communem domus neceſſe „ eſt, quod determinet ad hanc, vel illam „ domus figuram. Derivantur ergo quædam „ a principiis communibus legis naturæ per „ modum *concluſionum*, ſicut hoc, quod „ eſt *non eſſe occidendum*, ut concluſio quædam derivari poteſt ab eo, quod eſt, *nulli* „ *eſſe faciendum malum*. Quædam vero per „ modum *determinationis*: ſicut lex naturæ „ habet, quod *ille, qui peccat, puniatur*: „ ſed quod tali pœna, vel tali puniatur „ hoc eſt quædam determinatio legis naturæ. Utraque igitur inveniuntur in lege „ humana poſita. Sed ea, quæ ſunt primi „ modi, continentur in lege humana, non „ tamquam ſint ſolum lege poſita, ſed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali. Sed ea, quæ ſunt ſecundi modi, „ ex ſola lege humana vigorem habent.

VI. Duplicis itaque generis ſunt leges, ſive præcepta, quæ ab humana lege conſtituuntur ad finem ſuum conſequendum. Alia pertinent quidem ad naturæ legem, & ex illa vim obligandi habent; ſed quia eorum obſervantia maxime confert ad commune bonum Reipublicæ, ideo etiam ab humanis legibus confirmantur, pœniſque temporalibus urgentur Cives ad ea adimplenda. Alia vero præcepta ſunt legis humanæ propria, & peculiaria, quæ ab illa duntaxat intimantur, & obligandi vigorem obtinent. Priora derivantur a lege naturæ, ut *concluſiones* contentæ in principiis primis naturalibus, ex quibus per humanam rationem medio quodam ſyllogiſmo practico eruuntur, & a quibus proinde pendent, ut effectus a cauſa velut efficiente, ac neceſſaria. Poſteriora & ipſa quidem derivantur a lege naturali, at non tanquam a cauſa efficiente, ſed potius a cauſa, ut ita dicam, *exemplari*: quia videlicet leges, aut præcepta hujuſmodi debent eſſe naturali legi ſubordinata, eidemque conformia: & hæc derivari dicuntur tanquam *determinationes* legis naturæ, quatenus determinant ad aliquid particulare, quod erat indeterminatum in lege naturæ.

VII. Determinationem hanc aptiſſimo exemplo declarat S. Thomas, dum ait, ſimilem eſſe *artibus, in quibus formæ communes determinantur ad aliquid ſpeciale, ſi-*

cut.

cut artifex formam communem domus neceſſe eſt, quod determinet ad hanc, vel illam domus figuram. Sicut enim in forma, vel idea communi domus non continetur determinate una potius, quam altera domus figura, quæ multiplex eſt, ſed determinatur per artificem ad hanc potius quam ad illam, prout magis expedire judicaverit, inſpectis variis circumſtantiis loci, ſpatii, habitatorum, expenſarum &c. ita in lege naturali non continentur peculiares determinationes, quæ fieri per humanam rationem poſſunt, præceptorum communium legis naturæ: a quibus ideirco non inferuntur, nec inferri queunt per aliquem ſyllogiſmum neceſſarium; ex eo namque principio legis naturæ, quod præſcribit, *malos eſſe puniendos*, ſequitur quidem pœnam aliquam malis eſſe infligendam, ſed non hanc potius, quam illam. Determinatur autem per leges humanas juxta qualitates locorum, temporum, neceſſitatis boni publici, delicti gravitatem &c. Atque adeo non eſt eadem apud omnes nationes, ſed diverſa, ut exploratum eſt. Similiter jejunium in communi, ſicut & cultus Dei, & alia, ſunt de jure naturæ: ſed quod jejunandum ſit hoc, vel illo modo per abſtinentiam a carnibus, per unicam refectionem, per plures, vel paucos dies, aut Deum colendum eſſe tali pacto, his cæremoniis, hoc vel alio tempore &c. jus naturæ non præcipit, ſed ab humanis legibus conſtituitur, quæ ideo determinant præcepta illa naturæ communia, & indeterminata: atque ita de reliquis dicendum eſt.

VIII. Quænam ſit legis civilis materia, circa quam verſatur, ex ipſo fine, ad quem ordinatur, colligi facile poteſt. *Legis humanæ* (*civilis*) *finis*, inquit S. Th. hic q. 98. art. 1. eſt temporalis tranquillitas civitatis (ſive provinciæ, aut regni); *ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus quantum ad illa mala, quæ poſſunt perturbare pacificum ſtatum civitatis*: & eos præcipiendo, ſicut alibi docet, qui ad promovendum, conſervandumque bonum publicum ſocietatis humanæ referuntur. Objectum igitur, ſive materia legis civilis ſunt ea omnia, quæ ad pacem, bonumque temporale Reipublicæ conferunt, aut neceſſaria ſunt, quæque hoſce terminos prætergrediuntur, reliquis legibus naturali, divinæ poſitivæ, & etiam humanæ Eccleſiaſticæ diſponenda relinquit.

IX. Quoad mala attinet, quæ ad legem civilem cohibere ſpectat, pœnarum temporalium comminatione propoſita, ut finem ſuum aſſequatur, hæc duplicis generis ſunt: alia nempe, quæ ex ſe pacem, & ſocietatem civilem perturbant, uti ſunt homicidia, adulteria, furta, & alia omnia, quæ lædunt juſtitiam commutativam, & communionem hominum ad invicem: alia vero ſcelera quædam enormia, & horrenda, quæ Deum quidem potius, quam humanam ſocietatem directe reſpiciunt, ſed quæ ab ipſa Republica humana cohibenda ſunt; ſiquidem & in ſui ipſius perturbationem vergunt, & dum impunita relinquuntur, Deus nedum eorumdem authores, ſed & Reſpublicas ipſas punire conſuevit, cujuſmodi ſunt blaſphemiæ, hæreſes, & fœdiſſima carnis peccata, quæ dicuntur *contra naturam*. Utrumque porro horum genus indicat S. Thomas q. 96. art. 2. Poſterius quidem, dum ait, *Quod lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuoſi abſtinent, ſed ſolum graviora, a quibus poſſibile eſt majorem partem multitudinis abſtinere*. Primus autem, cum ſubdit: *Et præcipue, quæ ſunt in nocumentum aliorum, ſine quorum prohibitione ſocietas humana conſervari non poſſet*. Ubi tamen ex Dominico Soto *lib. 1. de juſt. q. 6. art. 2.* obſervandum eſt, quod non, quo graviora ſunt coram Deo peccata, eo pœnis gravioribus per legem humanam coerceantur, ſed quo ſunt magis nociva bono, ac paci

paci

paci Reipublicæ . Perjuria namque, & blaſphemiæ, licet furtis graviora ſint , non prohibentur ſub eadem pœna , ſed mitiore, Deoque , prout ipſa reapſe merentur , punienda reſervantur .

X. Quoad bona , quæ lex humana civilis præcipit , aut præcipere valet , ea itidem ſunt , quæ fini temporalis felicitatis conſequendo inſerviunt , adeoque non illa tantum , quæ juſtitiam ſpectant , ſed aliquos etiam actus exteriores aliarum virtutum moralium , qui eidem fini conſequendo poſſunt inſervire . Id probat S. Thomas hic *q.* 96. *art.* 3. adducta primum Ariſtotelis authoritate *lib.* 5. *Ethic. cap.* 1. ajentis : *præcipit lex & fortis opera facere , & quæ temperati , & quæ manſueti . Similiter autem , & ſecundum alias virtutes , & malitias , hoc quidem jubens , hoc autem prohibens* . Quod amplius exponit in *Corp. Art.* inquiens : " Species virtutum diſtinguuntur ſecundum objecta . Omnia autem „ objecta virtutum referri poſſunt vel ad „ bonum privatum alicujus perſonæ , vel „ ad bonum commune multitudinis : ſicut „ ea , quæ ſunt fortitudinis , poteſt aliquis exequi vel propter conſervationem „ civitatis , vel ad conſervandum jus amici ſui : & ſimile eſt in aliis . Lex autem , ut dictum eſt , ordinatur ad bonum commune . Et ideo nulla virtus eſt, „ de cujus actibus lex præcipere non poſſit . Non tamen de omnibus actibus „ omnium virtutum lex humana præcipit : „ ſed ſolum de his , qui ordinabiles ſunt ad „ bonum commune vel *immediate* , ſicut „ aliqua directe propter bonum commune „ fiunt : vel *mediate* , ſicut aliqua ordinantur a Legislatore pertinentia ad bonam diſciplinam , per quam cives informantur , ut commune bonum juſtitiæ , „ & pacis conſervent " . Hæc ille diſertiſſime .

XI. Ex bono communi Reipublicæ , ad quod lex humana refertur , aliud attributum ejuſdem prorſus neceſſarium deducit Doctor Angelicus *q.* 96. *art.* 1. quod Legislator ſancire illam debeat in communi potius , quam in particulari , hoc ſolido principio nixus , quod *unumquodque , quod eſt propter finem , neceſſe eſt , quod ſit fini proportionatum* . Finis autem legis civilis , ſicut & aliarum , eſt bonum commune . *Pro communi enim utilitate* civium , ut ait S. Iſidorus , *lex debet eſſe conſcripta*; ideoque hujus communi utilitati debet eſſe accommodata . Porro cum bonum commune coaleſcat ex multis, oportet , quod ipſa lex ad multa reſpiciat & ſecundum perſonas , & ſecundum negotia , & ſecundum tempora . *Conſtituitur enim Communitas ex multis perſonis , & ejus bonum per multiplices actiones procuratur : nec ad hoc inſtituitur , quod aliquo tempore modico duret , ſed quod omni tempore perſeveret per Civium ſucceſſionem , ut Auguſtinus dicit in* 2. *de Civ. Dei* . Ex quibus illud etiam colligitur , neceſſarium eſſe omnino ad legem civilem , quod feratur , & promulgetur ab eo , qui curam Communitatis habet , quæ eſt pars poſtrema ad legem generatim ſumptam requiſita : de quo poſtea .

CAPUT IV.

Consectaria.

I. *Objectum , & finis legis civilis eſt temporalis tranquillitas , & bonum Reipublicæ* .

II. *Quo pacto ad hunc finem aſſequendum perveniat* .

III. *Hinc neque præcipit , neque præcipere poteſt actus interiores* .

IV. *Eſt regula & menſura actuum humanorum ſubordinata , & dependens ab alia ſuperiore* .

V. *Non eſt menſura certiſſima , ſed prout poſſibile eſt in genere ſuo* .

VI. *Huic ſemper prævalere debet lex , aut præceptum naturale* .

VII. *Nunquam approbare poteſt, quod divinæ legi contrarium eſt.*

VIII. *Quomodo intelligendum, quod debeat eſſe* poſſibilis.

IX. *Semper præſumi debet eſſe poſſibilem, niſi oppoſitum evidenter conſtet.*

X. *Sententia de hac re P. Viva, & aliorum Probabiliſtarum rejecta.*

XI. *Non obligat, ſi experientia deprehendatur bono communi nociva.*

XII. *Neceſſe non eſt, ut in bonum ſingulorum Civium referatur.*

XIII. *Neque, ut Legiſlator in ea ferenda commune bonum intendat, ſi in illud reapſe ſit ordinata.*

XIV. *Quomodo extendatur etiam ad ea, quæ cultum divinum ſpectant.*

XV. *Quando* congruere religioni *dicatur.*

XVI. *Pſeudopoliticorum doctrina impia, ac publico bono perniciosa exiſtimanda.*

XVII. *Juſta quidem eſſe debet, ſed non ad unumquemque pertinet dijudicare de juſtitia legis. Laxa ſententia Tamburini, aliorumque refutatur.*

XVIII. *Duplex genus præceptorum legis civilis. In quo differant, explicatur.*

XIX. *Principium quoddam Probabiliſtarum ex doctrina S. Thomæ evertitur.*

Consectarium Primum.

I. OBJECTUM, & finis legis civilis eſt temporalis tranquillitas, bonumque commune Reipublicæ. Id patet ex dictis, & exploratum eſt apud omnes. *Conſtat profecto*, inquit Cicero lib. 1. de legibus, *ad ſalutem Civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, & beatam, conditat eſſe leges.* Atque in hoc præſertim diſtinguitur ab aliis legibus, tum naturali, tum divina poſitiva, tum humana Eccleſiaſtica, quæ in fines ſublimiores ordinantur.

Consectarium Secundum.

II. *Ad hunc finem*, verba ſunt D. Thomæ hic q. 98. art. 1. *pervenit lex cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ poſſunt perturbare pacificum ſtatum Civitatis*, Provinciæ, vel Regni, eoſque jubendo, qui ejuſdem bono conferunt, aut neceſſarii ſunt. Quare non attendit, qua quis intentione præceptum exequatur, ſed quod executioni mandetur. Hoc ipſo ſiquidem finem ſuum aſſequitur, bonum ſcilicet, & tranquillitatem Reipublicæ: adeoque qui furtum aut homicidium non perpetrat, qui vectigalia ſolvit, qui agit excubias, qui reum ſervato juris ordine morti adjudicat &c. tametſi hæc iniqua intentione peragat, etiam extrinſecus erumpente, aut ad hæc præſtanda paſſione aliqua moveatur, non peccat in legem humanam, nec ab humano magiſtratu punitur.

Consectarium Tertium.

III. Hinc conſequitur, legem humanam civilem neque præcipere, neque præcipere poſſe actus mere internos: tum quia poteſtas legiſlativa humana ſolum ordinatur ad exteriorem politiam, & honeſtatem Communitatis humanæ, ad quam nihil referunt actus, qui pura mente conſummantur: tum quia nullus homo ſubjicitur alteri homini, niſi ſecundum corpus, ſive opera exteriora, ut declarat S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ex Seneca dicente: *Errat, ſi quis putat ſervitutem in totum hominem deſcendere: pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis: mens ſui juris eſt.* Nam duntaxat inveniri ſubjectio poteſt inter homines, quatenus inter ſe communicationem habere poſſunt, & actiones unius poſſunt aliis eſſe utiles, vel nocivæ. Et ideo ſolum de his actibus valent præcepta humana ferri, quæ ad diſpoſitionem rerum humanarum pertinere queunt.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Lex civilis eſt quidem regula, & menſura humanorum actuum; hoc enim cujuſcunque legis proprium eſt; non tamen regula, & menſura abſoluta, & independens, ſed potius ſubordinata, & dependens omnino ab alia ſuperiore, & prima regula, a lege ſcilicet naturali; ſive, ut ait S. Thomas hic q. 91. art. 3. ad 2. *a principiis naturaliter inditis, quæ ſunt regulæ quædam generales, & menſuræ omnium eorum, quæ ſunt per hominem agenda, quorum ratio naturalis eſt regula, & menſura, licet non ſit menſura eorum, quæ ſunt a natura*. Unde menſura quidem eſt & ipſa lex humana civilis, ſed menſurata ab alia priore, a qua dependet, & cui non debet eſſe diſſentanea.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Neque tamen, ut lex humana civilis veræ legis rationem obtineat, debet eſſe menſura certiſſima. Nam *ratio practica*, inquit idem S. Doctor in reſp. ad 3. *eſt circa operabilia, quæ ſunt ſingularia, & contingentia, non autem circa neceſſaria, ſicut ratio ſpeculativa. Et ideo leges humanæ non poſſunt illam infallibilitatem habere, quam habent concluſiones demonſtrativæ ſcientiarum. Nec oportet, quod omnis menſura ſit omnino infallibilis, & certa, ſed ſecundum quod eſt poſſibile in genere ſuo*. Quod confirmat *q.* 96. *art.* 1. *ad* 3. ubi cum dixiſſet, non eſſe in omnibus quærendam eamdem certitudinem, ſubdit: *Unde in rebus contingentibus, ſicut ſunt naturalia, & res humanæ, ſufficit talis certitudo, ut aliquid ſit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus*.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Si duæ leges, aut duo præcepta naturale, aut divinum, & humanum concurrant, cujus alterum alterius obſervantiam impediat, aut ſimul obſervari nequeant, lex, aut præceptum naturale prævalere debet humano, quod tunc obligare deſinit. Lex enim naturalis, ut jam diximus, prima regula eſt, ejuſque præcepta materiam reſpiciunt ad morum honeſtatem omnino neceſſariam, ideoque cuilibet humano præcepto præferenda. Vulgatum eſt exemplum de præcepto opem ferendi infirmo gravi neceſſitate laboranti, tuaque opera indigenti, quod prævalet alteri præcepto humano Eccleſiæ de audiendo Sacro in die feſtivo. Generatim vero in concurſu duorum præceptorum præceptum excellentioris virtutis præferri debet præcepto virtutis inferioris, quia gravius obligat; & præceptum negativum affirmativo: quia *numquam ſunt facienda mala, ut veniant bona*.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Lex humana nunquam approbare poteſt, quod divinæ legi contrarium eſt. Siquidem huic legi ſubordinari omnino debet, & ab ea drivari, ut juſta, & honeſta ſit. Hinc S. Thomas hic *q.* 93. *art.* 3. *ad* 3. cum ſibi objeciſſet textum S. Auguſtini 1. *de libero arbitrio* dicentis: *Lex, quæ populo regendo ſcribitur, recte multa permittit, quæ per divinam providentiam vindicantur*, reſpondet, quod " lex humana dicitur aliqua permittere, non quaſi approbans, ſed quaſi ea dirigere non potens: multa autem diriguntur lege divina, quæ dirigi non poſſunt lege humana. Plura enim ſubduntur cauſæ ſuperiori, quam inferiori. Unde hoc ipſum, quod lex humana non ſe intromittit de his, quæ dirigere non poteſt, ex ordine legis æternæ provenit. Secus autem eſſet, ſi approbaret ea, quæ lex æterna reprobat. Unde ex hoc non habetur, quod lex humana non derivetur a lege æterna, ſed quod non perfecte eam aſſequi poſſit.

Consectarium Octavum.

VIII. Cum inter Legis qualitates a S. Iſidoro recenſitas ea ponitur, *quod ſit poſſibilis*, id non ita intelligendum eſt, ac ſi non debeat eſſe ſimpliciter, & abſolute impoſſibilis, ſed quod non adeo difficilis ſit, ut impoſſibilis *moraliter* judicetur. Quæ enim *nimium difficilia ſunt*, ut ait Ariſtoteles lib. 5. Metaphyſ. *impoſſibilia ſolent appellari*. Hinc humanæ leges toti Communitati præcipere non debent actus heroicos virtutum, qui tamen aliquibus nonnunquam præcipi poſſunt, id exigente bono communi. Etenim lex humana accommodata ſit oportet hominum conditioni, & vere moraliter poſſibilis toti Communitati, vel ſaltem majori parti illius. Hujuſmodi autem non eſt exercitium quorumlibet actuum virtutis; hoc enim paucorum eſt, & perfectorum.

Consectarium Nonum.

IX. Hic tamen attente animadvertendum eſt, ne quis a lege jam promulgata recipienda, vel obſervanda ſe eximat ſub ſpecie, vel prætextu impoſſibilitatis, vel nimiæ difficultatis. Siquidem ſæpe contingit, ut nonnulli impoſſibilitatem legis a Principe latæ cauſentur, quæ reapſe non extat: ſemperque præſumi debet, niſi oppoſitum evidenter conſtet, & communi prudentum ſenſu, ſapientem Legislatorem tuliſſe legem obſervatu poſſibilem: cum eam condiderit poſt accurate perpenſam tum Reipublicæ neceſſitatem, tum gravitatem oneris, quod imponebat, tum ſubditorum idoneitatem, & vires ad illud ferendum, aliaſque circumſtantias.

Consectarium Decimum.

X. Quare tamquam laxa, bonoque communi admodum perniciosa rejicienda mihi videtur ſententia plurium Probabiliſtarum, prout proponitur, & adoptatur a P. Dominico Viva in propoſ. 28. Decreti Alexandrini num. 10. ſcilicet: *Conſtat probabile eſſe, quod ſi lex ſit ardua, tunc ex benignitate Legislatoris præſumi poſſit, non ſolum, quod velit illam tacite revocare, ſi ea non acceptetur, ſed etiam quod feratur ſub ea tacita conditione, quod acceptetur, ut proinde probabiliter non peccet, qui per epichejam credit ad legem nimis arduam etiam a principio non obligari, quouſque Legislator non inſiſtat ad ejus obſervantiam: quod præter Suarez docent etiam Salas, Bonacina, & alii*. Quam latam viam aperiat hæc probabiliſtica doctrina humanis legibus eludendis, nemo non videt: vix enim lex ulla humana eſt, quæ *ardua*, ac nimis etiam ardua ſubditis non videatur.

Consectarium Undecimum.

XI. Si lex aliqua a Principe conderetur ex præſumptione, quod aut Reipublicæ tranquillitati, aut communi Civium bono utilis ſit, nec tamen utilis, ſed potius nociva experientia deprehenderetur; neque legis ratione gauderet, neque aliquam obligationem induceret, quæ legis proprietas eſt. Ratio evidens eſt; quia cum lex humana tam ex generali, quam ex peculiari legis notione in bonum commune tanquam in finem ordinata ſit, eique prodeſſe, aut ſaltem non obeſſe oporteat, ceſſante hoc fine, attributo eſſentiali caret, ſine quo lex veri nominis non conſiſtit.

Consectarium Duodecimum.

XII. Lex humana civilis ordinari quidem debet ad commune Reipublicæ bonum: ſed neceſſe non eſt, ut in bonum ſingulorum Civium referatur: ſufficit enim, quod vel immediate, vel mediate redundet in bonum Communitatis, e. g. leges regni in utilitatem ipſius regni, leges provinciæ in utilitatem provinciæ &c. adeo ut quamquam ſingulis Civitatibus ſuæ peculiares leges, vel conſuetudines permittendæ ſint, leges

tamen

Digitized by Google

tamen omnes conſpirent in bonum commune regni, vel provinciæ: cum Civitates ipſæ ſint unius, ejuſdemque regni, vel provinciæ partes & membra: omnia autem membra unius corporis tendere debeant in illius ſalutem, & commodum. Sed non videtur eodem modo ſentiendum, quando ſub eodem Rege regna plura inveniuntur, ſi ſubordinata invicem minime ſint. Tunc enim Regnum quodlibet regi poteſt, ac adminiſtrari propriis legibus, quamquam ad aliorum utilitatem ordinatæ non ſint, aut etiam in illorum præjudicium vergere poſſe judicentur. Hinc plures recentiores Theologi Sotum ſecuti *lib. 1. de juſt. q. 1. art. 2.* docent, quod, cum regna plura ſunt ſub dominio ejuſdem Regis, e. g. regna Hiſpaniæ, & Americæ, Rex poſſit condere legem in bonum commune unius cum detrimento etiam alterius, modo ſervet æqualitatem, quæ ſpectatis circumſtantiis omnibus ſervari poteſt.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Ut lex civilis valida ſit, & obligationem inducat, neceſſe non eſt, ut Legislator in lege ferenda commune bonum intendat, modo lex ipſa ſecundum ſe in illud referatur, illudque promoveat. Atque adeo, ſi Princeps non ex amore communis boni, ſed vel ex odio aliquorum, aut ex vindicta, vel ex alia prava voluntate legem ferret Reipublicæ utilem, peccabit ipſe quidem ex animo perverſo, quo movetur; ſubditi tamen ad legis obſervantiam obſtringentur. Prava namque Principis voluntas perſonæ vitium eſt, nec legem corrumpit ab ipſo conditam, quæ non minus in commune Reipublicæ bonum refertur: eo ferme modo, quo iniqua voluntas Judicis juſtam ſententiam pronunciantis, ſententiæ valorem non adimit.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Lex humana extendi poteſt etiam ad ea, quæ cultum divinum ſpectant, quatenus ea, quæ cultus divini ſunt, in temporalem Reipublicæ utilitatem, & ſocietatis bonum conſpirant. Ita S. Thomas hic *q. 99. art. 3.* his verbis: *Lex divina principaliter inſtituitur ad ordinandum homines ad Deum. Lex autem humana principaliter ad ordinandum homines ad invicem. Et ideo leges humanæ non curaverunt aliquid inſtituere de cultu divino, niſi in ordine ad bonum commune hominum. Et propter hoc multa confinxerunt etiam circa res divinas, ſecundum quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum, ſicut patet in ritu Gentilium.*

Consectarium Decimumquintum.

XV. Tunc cenſetur lex humana *congruere Religioni*, prout diximus ex S. Iſidoro in deſcriptione qualitatum legis, quando in præceptis ſuis ſive affirmativis, ſive negativis conſentanea eſt vero Dei cultui, ejuſque legi, adeout nec præcipiat, quod lex divina prohibet, nec prohibeat, quod illa præcipit, neque demum ea permittat, quæ in detrimentum tendunt divini cultus, Religionis, ac honeſtatis, quæ præ oculis habere ſemper debet pius, & Chriſtianus Legislator. Quamquam enim minora quædam mala tolerari valeant, ſi neceſſe ſit, ut præcaveantur majora, permittenda tamen nequaquam ſunt ea, quibus Dei cultus, & vera Religio labefactari queant. Ut enim ſcribit S. Auguſt. epiſt. 3. *Neque conditur, neque cuſtoditur optima civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei, firmaque concordia eſt, cum bonum commune diligitur, quod ſummum, ac veriſſimum Deus eſt.* Et lib. 3. contr. Creſc. c. 51. *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam Religionem.*

CON-

Digitized by Google

Consectarium Decimumsextum

XVI. Hinc conſtat, quam falſa, quam impia, & ipſi publico bono nociva ſit, ut alibi etiam notavimus, quorumdam Pſeudopoliticorum doctrina, qui pacem, utilitatemque Reipublicæ procurandam a Principe exiſtimant, nulla habita ratione vel honeſtatis naturalis, vel veræ & Chriſtianæ Religionis, immo etiam cum ejuſdem detrimento. Nec illis quidquam prodeſt, quod obtrudere ſolent, finem videlicet legum, Magiſtratuumque civilium non eſſe naturalem omnem honeſtatem, nec Dei cultum, veramque Religionem, qui proprius eſt legis divinæ, & canonicæ finis, ac Prælatorum Eccleſiæ. Eſto ſiquidem leges civiles non hunc finem immediate, ac per ſe reſpiciant: quia tamen hujuſmodi leges divinis ſubordinari debent; idcirco neceſſum eſt, ut leges civiles ita tendant in temporalem Reipublicæ tranquillitatem, & commodum, ut ſpirituali civium bono non obſint, aut præjudicium inferant, quin immo adjumento ſint: ſic enim firmior erit civium tranquillitas, & conſtantius bonum Reipublicæ.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. *Juſta* quidem debet eſſe lex omnis humana, ut *diſciplinæ conveniat*, quemadmodum conveniat oportet, ut a lege æterna derivetur, adeoque legis rationem habeat. At non ad cujuſque ſubditorum judicium pertinet de juſtitia, vel injuſtitia legis decernere, atque ex hoc capite a legis ſubjectione, & obſervantia ſemet eximere, niſi injuſtitia nimium evidens ſit, apud viros pios, & prudentes communiter explorata. Quod ſi dubium ſit de legis humanæ juſtitia, ſervanda omnino eſt ex illa generali regula, præſumendum ſcilicet eſſe in eo caſu de recta, & juſta Legislatoris voluntate, ac diſpoſitione. Hinc tamquam laxa, & perniciosa repudianda eſt ſequens propoſitio P. Thomæ Tamburini lib. 1. in Decal. c. 3. quam & alii plures Probabiliſtæ ſequuntur, & P. Lacroixius in ſua probabilitate relinquit, nempe: *Si dubium ſit, an lex ſit juſta, non obligor illi parere, ut fuſe probat Januarius* &c. *Nec ſufficit eſſe juſtam opinabiliter, vel dubie: neque enim mea libertas cedere debet legi dubiæ.*

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Ex duplici modo, quo humanæ leges a lege divina naturali derivantur, quod aliæ nempe ſint *concluſiones* in principiis naturalibus præcontentæ, aliæ vero ſint *determinationes* quædam particulares principiorum communium, prout expoſuimus, conſequitur leges priores ab humana poteſtate conſtitutas, ſive potius explicatas, aut confirmatas, ſemper vel jubere id, quod ſuapte natura, & per ſe bonum eſt: vel prohibere ea, quæ ſunt per ſe mala, ut homicidium, furtum, perjurium &c. Quæ autem juxta poſteriorem modum ſanciuntur, præcipere, aut vetare ea, quæ ſublata lege indifferentia ſunt, ut abſtinere ab eſu carnium die Veneris, frumentum e patria evehere, vectigalia ſolvere, &c. Determinantur autem, ut bona, vel mala ſint per legem humanam. Ex quo fit, ut leges primi generis nedum ex authoritate humana, verum etiam ex divina naturali virtutem obligandi habeant: quæ autem alterius generis, ex ſola humana authoritate obligationem inducant.

Consectarium Decimumnonum.

XIX. Ex doctrina S. Thomæ jam expoſita evertitur penitus unum ex principiis, quibus plures Probabiliſtæ, maximeque D. *Alphonſus de Liguorio* videntur adſtruere ſuum de Probabilitate ſyſtema, oportere ſcilicet, ut tot leges, ſive regulæ ſint, quod actiones hominum, vel caſus particulares. Lex enim, docet S. Præceptor, *ſtatui de-*

bet

Digitized by Google

bet in communi & quoad perſonas, *& quoad negotia*, *& quoad tempora* : idque ex ipſa generali *regulæ* conditione requiritur. „ Illud, inquit, quod eſt directivum, oportet eſſe plurimum directivum; ſi enim „ eſſent tot regulæ, vel menſuræ, quot „ ſunt menſurata, vel regulata, ceſſaret „ utique utilitas regulæ, vel menſuræ, quæ „ eſt, ut ex uno multa poſſint cognoſci: „ & ita nulla eſſet utilitas legis, ſi non „ ſe extenderet, niſi ad unum ſingularem „ actum. Ad ſingulares enim actus dirigendos dantur ſingularia præcepta prudentum : ſed lex eſt præceptum commune “. Quæ doctrina nedum in humana lege, ſed etiam in naturali, & divina poſitiva æque locum habet.

CAPUT V.

De lege humana Eccleſiaſtica.

DOCTRINA.

I. *Definitio legis Eccleſiaſticæ*, *& ejuſdem explicatio*.

II. *In quibus conveniat cum lege civili.*

III. *In quibus a lege civili differat. Primum, & ſecundum diſcrimen.*

IV. *Duo alia diſcrimina legis Eccleſiaſticæ, & Civilis notantur.*

V. *Sapiens monitum SS. Auguſtini, & Thomæ abſtinendum eſſe ab Eccleſia a multiplicandis legibus, quæ Fidelium communitatem obſtringant.*

VI. *Interdum lex Eccleſiaſtica, & Civilis circa eamdem materiam : at ſub diverſa ratione verſantur.*

VII. *Dirimitur quæſtio, an Eccleſia præcipere, aut prohibere valeat actus internos.*

VIII. *Quædam animadvertuntur circa originem, & notionem Canonum, ſive legum Canonicarum.*

IX. *De Canonum authoritate diſſeritur, eorumque uſu ad Eccleſiæ regimen, ac morum inſtitutionem.*

X. *Quædam regulæ de his ſtatuuntur. Prima regula ſpectans varias Canonum collectiones.*

XI. *Secunda regula ſpectans Authores Canonum.*

XII. *Tertia regula : Si Canones aliquid præſcribunt ad jus naturale, aut divinum pertinens, eadem, ac ipſa jura, authoritate pollent.*

XIII. *Quarta regula : Idem judicium ferendum, ſi juri humano aliquid juris divini admiſceatur.*

XIV. *Regula quinta : Quo ſenſu intelligendum*, Canones per contrariam conſuetudinem abrogari.

XV. *Regula ſexta : Non ideo plures Canones abrogati dicendi ſunt, quod eorum obſervantiæ rigorem Eccleſia non urgeat.*

XVI. *Regula ſeptima : Si Canones, qui in deſuetudinem abierunt, inſtaurantur, vim rurſum legis acquirunt.*

XVII. *Regula octava : Canones uſu Eccleſiæ conſecrati obſervandi omnino ſunt.*

XVIII. Regula *nona : In ſacris Canonibus ſpiritus, ac diſciplinæ ratio præſertim attendenda.*

I. LEX Eccleſiaſtica dicitur etiam frequentiſſime *lex Canonica* a Canone, quæ græca vox eſt, idemque ſignificat, ac *Regulam*. Qua ratione etiam lex civilis, & alia quæcumque lex *canonica* appellari poſſet, cum legi cuilibet hoc neceſſario conveniat, quod *Regula* ſit humanorum actuum. Uſus tamen obtinuit, ut jus, ſive lex Eccleſiaſtica ſpecialiter hoc nomine nuncuparetur. Hujuſce legis hæc eſſe definitio poteſt.

Lex Eccleſiaſtica eſt ordinatio, ſive diſpoſitio poſitiva humana, ab Eccleſia, ſive Eccleſiæ Rectoribus conſtituta ad cultum Dei promovendum, ad pacem Reipublicæ Chriſtianæ conſervandam, & dirigendos homines in finem beatitudinis æternæ.

Hæc

Hæc definitio continet id, quod lex Eccleſiaſtica commune habet cum cæteris legibus, & id, quo a cæteris differt, ſive *genus*, & *differentiam* ipſius. Convenit quidem cum cæteris legibus, etiam naturali, & divina poſitiva in eo, quod *diſpoſitio* ſit, ſive *ordinatio rationis practicæ*, ut habet S. Thomas, adeoque quod & ipſa ſit *regula*, atque *menſura* humanorum actuum. Convenit etiam in hoc, quod ad commune bonum ordinetur, & ab habente poteſtatem promulgetur. Differt vero a naturali, ac divina poſitiva lege, quod *humana* eſt, ſive ab homine condita, non a Deo. Cum lege autem *civili* & convenit in pluribus, & in pluribus etiam ab ea differt; quæ ſpecialiter notanda ſunt.

II. Itaque lex Eccleſiaſtica multa quidem communia habet cum lege civili, ſed multa etiam, quibus ab illa differt, prout ex ipſa definitione colligitur. Convenit quidem cum lege civili, quod utraque ſit *poſitiva humana*, ſive ab homine authoritatem habente condatur, adeoque prædita ſit oportet iis qualitatibus, quas ſupra ex S. Iſidoro, & D. Thoma deſcripſimus, eique competere valent: primo nempe, quod *honeſta* ſit, ſive circa materiam honeſtam verſetur: quæ conditio, ſi ad finem legis civilis requiritur, multo magis ad finem Eccleſiaſticæ legis neceſſaria eſt. Secundo, quod *diſciplinæ Eccleſiæ conveniat*, ſive, ut exponit S. Thomas, ſit *juſta*, *poſſibilis*, *locis*, *temporibuſque conveniens*; ſi enim vel *injuſta ſit*, *vel impoſſibilis*, *vel locis*, *temporibuſque minime conveniat*, jam obligare deſinit. Tertio, quod *expediat ſaluti*, ſive quod ſit *neceſſaria*, *utilis*, *manifeſta*, *ita ut neceſſitas referatur ad remotionem malorum*, *utilitas ad conſecutionem bonorum*: *claritas* autem requiritur ad præcavenda nocumenta, quæ ex ejus obſcuritate, vel ambiguitate provenire poſſent.

Hinc conſequitur, quod ſicut lex civilis præcipere poteſt in materia cujuſcumque virtutis moralis, non tamen omnium virtutum actus, idem quoque dicendum ſit de lege Eccleſiaſtica, quæ quidem aliquos omnium virtutum actus præcipere valet, ſed non omnes. Siquidem cum & ipſa debeat eſſe *moribus hominum accommodata*, *moraliter poſſibilis*, *& utilis multitudini*, inter virtutum opera plura ſunt ſolius conſilii, quæ generatim ab Eccleſia imponi nequeunt ſub obligatione abſoluta, ut perpetua caſtitas, voluntaria paupertas &c. tametſi & hæc facta aliqua hypotheſi ab ipſa imponi queant. Similiter, quamquam Eccleſia maxime vellet, ut vitia & peccata omnia vitarentur, idque ſummopere curet per doctrinam, & monitiones Miniſtrorum ſuorum; non ea tamen omnia peculiari ſua prohibitione vetat, aut cenſuris coercere conatur. Hoc enim nimium oneroſum foret fragiliati humanæ, potiuſque in deſtructionem cederet, quam in ædificationem fidelium ob majora mala, quæ ex hujuſmodi prohibitione, quam ex eorum tolerantia ſequerentur. Regula ergo a D. Thoma pro legibus civilibus conſtituta hic *q.* 95. *art.* 2. proportione ſervata legi Eccleſiaſticæ aptanda eſt, ut ea quidem vitia, vel peccata prohibeat, ac cenſuris coerceat, quæ vel graviora ſunt, & enormia, vel ſcandalum, aut nocumentum peculiare aliis afferre poſſunt: alia vero minora toleret, aut diſſimulet.

III. At quamquam plura ſunt, in quibus lex civilis, & Eccleſiaſtica conveniunt, plura ſunt etiam, quibus hæc ab ea differt, ejuſque excellentiam ſupra illam conſtituunt: quæ differentiæ omnes tanquam ex fonte maxime derivantur, ac pendent a fine ſublimiore, ad quem ordinatur. Nam finis legis civilis eſt temporalis hominum felicitas: finis autem legis Eccleſiaſticæ eſt felicitas hominum ſempiterna. Unde in

ejus

Digitized by Google

ejus definitione diximus eam ordinari *ad cultum Dei promovendum, ad Reipublicæ Chriſtianæ pacem conſervandam*, *ac dirigendos homines in beatitudinem æternam*, quæ licet tria videantur, unum tamen reapſe ſunt, quatenus in hunc finem omnia collineant, qui eſt ſpiritualis hominum ſalus, & æterna beatitudo. Hac de cauſa legi novæ *divinæ poſitivæ* ſubordinatur, quæ, ut ex Divo Thoma notatum eſt, hominem ordinat in finem ſupernaturalem beatitudinis æternæ. Sicut enim Chriſtus Dominus propter hunc præſtantiſſimum finem pretioſum Sanguinem ſuum in ara Crucis effudit; ita propter eumdem Eccleſiam inſtituit, ac poteſtatem ad illam ſalubertimi legibus regendam in ordine ad hunc finem hominibus contulit: quod luculenter expreſſit Apoſtolus Paulus illis verbis: *Poſuit nos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Quem finem diſerte, ac ſæpiſſime repetunt ſacri Canones, & Epiſtolæ Decretales Summorum Pontificum, dum ajunt, Paſtores Eccleſiæ conſtitutos fuiſſe vel *ut ea curent, quæ ad ſalutem pertinent populi Chriſtiani*, vel *ut animarum periculis obvient*, vel *ut ea provideant, quæ ad bonum ſpirituale conferunt*, aliaque id genus, quæ paſſim occurrunt.

Ex hac *finis* inter civilem, & Eccleſiaſticam legem diverſitate oritur etiam diſcrimen utriuſque poteſtatis, nempe quod poteſtas *Eccleſiaſtica* ferendi leges longe excellentior ſit poteſtate *civili*. Cum enim finis poteſtatis Eccleſiaſticæ ſit ſpiritualis, ſupernaturalis, & æternus, atque adeo excellentior fine inſpecto a poteſtate civili, qui temporalis hominum felicitas eſt, quis dubitet & poteſtatem ipſam Eccleſiaſticam longe excellentiorem eſſe debere civili poteſtate? Atque hoc eſt, quod ſæpe in memoriam revocant Eccleſiæ Patres. S. Ignatius in Epiſt. ad Smyrnæos hæc habet: *Ego autem dico: honorate quidem Deum, ut Auctorem omnium, & Dominum: Epiſcopum autem tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum quidem ſecundum Deum, Sacerdotium autem ſecundum Chriſtum: & poſt hunc honorare oportet etiam Regem*. S. Ambroſ. *lib.* 2. *de dignit. Sacerd.* C. 2. ait: *Honor, & ſublimitas Epiſcopalis nullis comparationibus poterit adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videam Regum colla, & Principum committi genibus Sacerdotum*. Quæ, aliorumque Patrum, quos prætermitto, locutiones generatim intelligendæ ſunt, ſive ſecundum totam amplitudinem poteſtatis Epiſcoporum, aut Sacerdotum, prout ſcilicet complectitur nedum poteſtatem *ordinis*, ſed etiam *juriſdictionis*, penes quam leges condere poſſunt ad bonum Reipublicæ Chriſtianæ: de qua infra ſermo recurret.

IV. Sed & aliud ex fine utriuſque legis civilis, & Eccleſiaſticæ diſcrimen oritur, quod ſe tenet ex parte materiæ, circa quam verſantur. Nam juxta illud ſolidiſſimum Sancti Thomæ principium, *finis eſt menſura eorum, quæ ſunt ad finem, & requiruntur ad finem*. Cum igitur non ſit idem finis legis Eccleſiaſticæ, & civilis, unaquæque verſari debet circa illam materiam, ſive quod perinde eſt, præcipere actus illarum virtutum, qui fini ſuo accommodati ſunt, aut prohibere contrarios. Hinc vero conſequitur, quod legis Eccleſiaſticæ præ civili primaria materia ſint actus ſupernaturalium virtutum, maximeque *Fidei*, quæ eſt fundamentum totius ædificii ſpiritualis. Et ideo leges omnes, quæ ad fidem pertinent, vel ad fidem reſeruntur, ſunt per ſe, ac principaliter *Eccleſiaſticæ*: quia tota earum materia ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt. In eodem ſubinde ordine collocantur actiones Sacramentorum, aut quæ Sacramenta reſpiciunt. Unde etiam factum eſt, ut actiones quædam quæ

quæ alias ſunt mere naturales , aut temporales , veluti matrimonium , quatenus contractus humanus eſt , propter elevationem ad ordinem ſpiritualem , pertineant ad leges Eccleſiaſticas , ſive Canonicas . Idemque dicendum de aliis actionibus , ac de iis præcipue , quæ proxime , & immediate ad cultum Dei referuntur , ad conſervationem tranquillitatis Eccleſiæ , fidei Chriſtianæ incrementum , & animarum ſalutem . Ex quo ulterius ortum eſt , ut res omnes , atque actiones , quæ ad illas ordinantur , ſub ea ratione materia Canonicæ legis ſint , ut perſonæ ſacræ , loca , templa , vaſa &c. aliaque ad Dei cultum proxime deputata .

Hinc etiam vitia , aut pravæ actiones , quæ his adverſantur , aut divinum cultum lædunt , atque corrumpunt , ad Canonicas pertinent prohibitiones , ut ex ſe patet , ſumiturque ex Cap. *Ut inquiſitionis* de hæret. in 6. ubi ſermo eſt de crimine hæreſis , de qua dicitur ſolam ſpectare Eccleſiaſticam juriſdictionem . Quoniam vero peccata omnia avertunt hominem a fine ſupernaturali , nullum , abſolute loquendo, peccatum eſt , quod eſſe non poſſit legis Eccleſiæ materia, juxta C. *Novit* de Judic. idque conſtat , tum quia contraria quodammodo ſunt ejuſdem generis , tum quia omnia crimina ſunt offenſæ , & injuriæ Divini Numinis , cujus honor , & cultus a poteſtate canonica maxime promovetur ; unde ejuſdem materia ſunt , ſi tamen conditiones aliæ concurrant , quas ſupra recenſuimus de lege civili differentes , eaque præſertim , *ſi expediat communi bono de illis legem ferre* , quod raro contingit .

V. Quamquam autem ampliſſima ſit legum Eccleſiaſticarum materies , circa quam verſari poſſunt , a pluribus tamen condendis legibus abſtinere par eſt Eccleſiam , potiſſimum quæ fidelium communitatem arctent , & obſtringant , & aliqua ab omnibus obſervanda præcipiant . Hoc eſt ſapiens D. Thomæ monitum , quod ex S. Auguſtino tradit hic q. 107. art. 4. ubi quærir, *utrum lex nova ſit gravior , quam vetus* , & in corp. art. docet , *legem veterem , quoad exteriora opera , multo eſſe graviorem, quam novam* : „ Quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus cæremoniis , quam lex nova , quæ præter præcepta legis naturæ , *pauciſſima* ſuperaddidit in doctrina Chriſti , & Apoſtolorum : licet poſtmodum ſint aliqua ſuperaddita (ab Eccleſia) ex inſtitutione Sanctorum Patrum " : ac ſubinde ſubjicit : " In quibus etiam Auguſtinus dicit eſſe moderationem attendendam , ne converſatio fidelium oneroſa reddatur . Dicit enim ad Inquiſitionem Januarii [epiſt. 119.] de quibuſdam , quod *ipſam Religionem noſtram , quam in manifeſtiſſimis , & pauciſſimis celebrationum ſacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam , ſervilibus premunt oneribus , adeout tolerabilior ſit conditio Judæorum , qui legalibus ſarcinis , non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur* " . Et reapſe paucæ ſunt leges , quas pro univerſis fidelibus præſcripſit Eccleſia . Ut enim obſervat Vir Cl. Sylvius in expoſitione *art. 2. q. 106.* " Leges Pontificiæ , quæ omnes Chriſtianos obligant , ſunt pauciores , & faciliores præceptis Moſaicis totum populum obligantibus . Præter eas enim , quæ ſunt de feſtis obſervandis, de jejunio, de confeſſione annua , & de communione Paſchali , pauciſſimæ ſunt , quæ fideles omnes obſtringant . Nam quæ in corpore Juris plurimæ leges continentur , eæ vel ad paucos pertinent , veluti ad eos , qui ſacros Ordines recipiunt , aut Religionem ingredi, aut Judices fieri voluerint : vel non ſunt leges humanæ , ſed divinæ.

VI. Ex his intelligi facile poteſt , qua ratione contingat , ut leges canonica , & civilis interdum verſentur circa eamdem ma-

materiam, ſive circa idem materiale objectum: quia nimirum ſunt aliqua objecta, quæ, cum temporalem felicitatem vel lædant, vel juvent, ſub hac ratione lex civilis decernere poteſt, quod ad finem ſuum temporalem aſſequendum confert. Quia tamen objecta eadem relationem aliquam habere poſſunt ad finem ſpiritualem, quem Eccleſiæ poteſtas reſpicit; idcirco ſub hac ratione & ipſa Eccleſia quidpiam de iiſdem ſtatuere valet. Atque inde fit, quod plura delicta *mixti fori* dicantur, quia ad utramque pertinere poſſunt poteſtatem. Sic leges civiles multa delicta prohibent, ac puniunt, quæ per Canones etiam prohibentur, & puniuntur, uti ſunt, ex. g. matrimonia inceſtuoſa, clandeſtina, ac ſimilia crimina. Nonnunquam vero leges civiles pœna plectunt delicta, quæ fori ſunt Eccleſiaſtici, ut hæreſes, blaſphemias &c. quatenus hæc valde nocent Reipublicæ temporali Chriſtianæ quoad externam felicitatem, & pacem.

Animadvertendum etiam eſt, interdum leges civiles admitti ad uſum fori Eccleſiaſtici: quatenus, ubi deſunt canonicæ leges, Eccleſia civiles leges, quæ in finem ſuum conſpirare poſſunt, veluti ſibi proprias efficit, iiſque utitur: quod duplici modo fieri per canones conſuevit. Primus eſt per generalem regulam, quod leges civiles in foro Eccleſiaſtico obſervantur, ubi Canones nihil diſponunt, & leges illæ uſui Eccleſiæ accommodatæ ſunt. Ita enim profitetur Pontifex Lucius III. c. 1. *de novi operis nuntiat*. his verbis: *Sicut leges* (civiles) *non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur*. Alter modus eſt, cum lex aliqua civilis ex acceptatione Eccleſiæ, vel approbatione Pontificia inter Canones recepta eſt, ac veluti *Canonica* effecta, ut fit in c. 1. & 2. *de cauſa poſſeſſionis*. Haud tamen ex hoc ejuſmodi leges deſinunt eſſe de ſe civiles.

VII. Hic vero locum habet illa controverſia, in qua magna videtur eſſe inter Theologos diſſenſio, an ſcilicet ſub materia legis Eccleſiaſticæ cadant, aut cadere poſſint *actus interni* ſive virtutum, ſive vitiorum. Eos namque ad materiam legis civilis pertinere abnuimus, quod hæc tamquam finem ſuum reſpiciat temporalem Reipublicæ felicitatem, ac pacem, ad quam nihil conferunt interiores ſubditorum actus. Cum igitur legis Eccleſiaſticæ finis ſit felicitas hominum ſpiritualis, & æterna, aliter de hac ſentiendum videtur. Ut hæc quæſtio, quæ ſatis obſcura eſt, atque implexa, congrue, ac quoad fieri poteſt, perſpicue dirimatur, prolixiore diſputatione dimiſſa, duplicem oportet diſtinguere legem, ſive legis officium, aliam nempe *mere directivam*, quæ nullam imponit tranſgreſſoribus pœnam, & cui, ut dicemus, Legiſlatores ipſi ſubjecti ſunt: aliam vero *directivam* ſimul & *coactivam*, quæ videlicet non ſolum dirigit hominem ad actum aliquem vel peragendum, vel omittendum, verum etiam ad illum urget pœnarum metu. Hæc lex coactiva iterum duplex eſt, alia coactiva coactione *interna* quæ & ſub culpa, & ſub pœna ipſo facto incurrenda ante Judicis ſententiam obſtringit; alia eſt coactiva coactione *externa*, quæ pœnam poſt cauſæ cognitionem infligendam denunciat: quod præter alios ſapienter advertit P. Cardenas *in Criſi* 11. *Diſſertat* 25.

His poſitis, illud in primis ſtatuo, Eccleſiaſticæ legis materiam non eſſe directe, & per ſe actus mere internos, legis, inquam, *coactivæ coactione externa*; ſive, quod perinde eſt, Eccleſiam hos actus ita præcipere minime poſſe. Hoc docet, & probat S. Thomas non uno in loco, ſed præſertim 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. ubi agit: „ Præceptum legis habet vim coactivam. „ Illud ergo directe cadit ſub præcepto legis,

, gis , ad quod lex cogit : Coactio autem
,, legis eſt per metum pœnæ , ut dicitur
,, in 10. *Ethicor* . Nam illud proprie ca-
,, dit ſub præcepto legis , pro quo pœna
,, legis infligitur . Ad inſtituendam autem
,, pœnam aliter ſe habet lex divina , &
,, aliter lex humana . Non enim pœna le-
,, gis infligitur , niſi pro illis , de quibus
,, Legislator habet judicare : quia ex ju-
,, dicio lex punit . Homo autem , qui eſt
,, Legislator humanæ (legis) , non habet
,, judicare , niſi de exterioribus actibus :
,, *Quia homines vident ea , quæ parent* , ut
,, dicitur 1. *Reg.* 16. : ſed ſolius Dei , qui
,, eſt Legislator legis divinæ , eſt judicare
,, de interioribus motibus voluntatis ſecun-
,, dum illud Pſalm. 7. *Scrutans corda , &*
,, *renes Deus* " . Idem jam prius conſti-
tuerat Papa Stephanus V, ad Lambertum Epiſc. Mogunt. inquiens : *Spontanea confeſſione , vel teſtium approbatione publicata delicta habito præ oculis Dei timore , commiſſa ſunt regimini noſtro judicare : occulta vero , & incognita illi ſunt relinquenda , qui ſolus novit corda filiorum hominum* . Atque hoc ſenſu accipi debet illud , quod in communi proloquio eſt : *Eccleſia non judicat de occultis , ſive de internis* , ſumiturque ex ſacris Canonibus cap. *Sicut tuis* , & cap. *Tua nos* de ſimonia , & ex aliis locis . Hoc idem ratione jam indicata ſuadetur ; quoniam Eccleſiæ corpus , ut conſtat , viſibile , & humanum eſt , nec abdita cordium introſpicere valet : adeoque materia primo & per ſe accommodata ad communem ipſius , & externam gubernationem , debet etiam eſſe ſenſibilis , & externa , ut de ipſa judicare valeat , homineſque ad finem ſibi convenientem dirigere . Et plane experientia ipſa compertum eſt , leges , quæ ab Eccleſia feruntur pro regimine populi Chriſtiani , exteriora opera communiter reſpicere , ad quæ adimplenda , aut evitanda homines urget comminatione pœnarum .

Statuo ſecundo loco , actus interno directe cadere poſſe ſub lege Eccleſiaſtica dirigente , & coactione interna obligante , nimirum ad ſolam culpam iis in caſibus , in quibus id expedire viſum fuerit ad æternam animarum ſalutem . Hoc evincitur ex illo jam conſtituto S. Thomæ principio , *finis eſt menſura eorum , quæ ſunt ad finem* , & requiruntur ad ipſum . Porro finis legis Eccleſiaſticæ , ut diximus , eſt ſempiterna hominum felicitas . Hoc enim eſt diſcrimen inter Eccleſiaſticos , & civiles Legislatores , quod hi ſolum politiam exteriorem , & tranquillitatem ſubditorum reſpiciunt , illi e contra animarum ſalutem primum , ac per ſe intendunt . Cum igitur ad hanc homines perveniant nedum per opera externa , ſed etiam , & maxime quidem , per interna , hæc quoque ſub Eccleſiaſtica lege cadere poſſunt . Duplex itaque in Eccleſia poteſtas admittenda videtur : altera , quæ diſciplinam exteriorem lege exterius per cenſuras cogente adminiſtrat : altera , quæ lege interius directiva ad culpam obligante æternam ſalutem promovet : atque hoc pacto finem ſibi præſtitutum conſequitur . Hoc probatur etiam ex verbis Chriſti dicentis Petro , & Prælatis Eccleſiæ apud Joan. 21. *Paſce oves meas* , & Matth. 16. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram , erunt ligata & in cœlis* : quæ verba ampliſſimam denotant poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ conceſſam , quæ proinde limitanda non eſt ad actus externos , ſed & ad internos extendenda . Hinc , ut plura alia exempla prætercam , Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. in Proœmio prohibet , *ne quiſpiam aliter credat* [qui certe actus interior eſt] *quam ſuo decreto ſtatuitur* .

Demum ſtatuo , materiam legis Eccleſiaſticæ eſſe ſaltem *indirecte* , actus internos , qui cum externis neceſſario connexi ſunt , ut boni ſint , & honeſti . Hæc ſententia apud omnes ferme Theologos certa eſt ; cujus ea ratio præcipua eſt , quia

Ec-

Digitized by Google

Eccleſia citra dubium omni poteſtate gaudet præcipiendi actus exteriores honeſtos: hoc enim valde confert, quinimmo neceſſarium eſt ad Eccleſiæ rectam gubernationem, ad cultum religioſum Deo præſtandum, & ad animarum ſalutem: ergo præcipere poteſt ſaltem *indirecte* etiam actus illos internos, qui neceſſarii ſunt ad externorum bonitatem, & honeſtatem, præſertim cum poteſtas Eccleſiæ ſpiritualis ſit, & ad ſupernaturalem hominum ſalutem ordinata. Id confirmat perpetua Eccleſiæ praxis hujuſmodi bonitatem, & honeſtatem actuum, *indirecte* ſaltem, præſcribentis. Sic reipſa præcipit actum doloris internum ad Sacramentalem peccatorum confeſſionem neceſſarium: unde damnata eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Sic etiam præcipit internam animi diſpoſitionem ad digne ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, ut ex hac alia ab Innocentio XI. proſcripta propoſitione liquet: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Sic itidem præcipit beneficiariis cap. *Dolentes* de celebr. ut Horas Canonicas *ſtudioſe*, & *devote* recitent &c. Quis autem dixerit, Eccleſiam ſibi poteſtatem uſurpare, quam a Chriſto Domino non acceperit? In his autem hæc regula aſſignari poteſt. Quando Eccleſia præcipit actum, qui ſuapte natura importat aliquam intentionem, vel electionem, aut devotionem, hoc ipſo, quo illum præcipit, cenſetur etiam præcipere talem intentionem, electionem, aut devotionem: præcipit enim hujuſmodi actum, qualis natura ſua eſſe debet. Eſt autem de natura v. g. auditionis Miſſæ, orationis, ſacramentalis confeſſionis, & communionis, ut fiat *attente*, *devote* cum tali, vel tali animi diſpoſitione: igitur & hæc ab Eccleſia præcipi dicendum eſt.

VIII. Quoniam vero leges, quæ ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, præcipue continentur in ſacris Canonibus, qui jam in plura excreverunt volumina, ideo de horum origine, authoritate, atque uſu pauca quædam advertere conſultum erit. Jus Canonicum ſuam depromit originem ab ipſis Apoſtolis, qui omnium primi pro Eccleſiæ regimine Concilia aliqua celebrarunt, in quibus, quæ ab Eccleſia ſervanda tunc temporis eſſent, condiderunt. Plura ſubinde pro diſciplina Eccleſiæ conſtituta ſunt ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, quos inter S. Clemens Petri diſcipulus, cujus nomine circumferuntur tum Canones, qui dicuntur *Apoſtolici*; tum etiam octo libri *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, qui licet fœtus genuini minime ſint, ſive Sancti Clementis, ſive alterius Patris Apoſtolis coævi; antiquiſſimos tamen eſſe, multaque utilia admodum continere dubitandum non eſt. At quoniam plurima etiam in his continentur ab hæreticis, & ab aliis inſerta, ut Eruditi notant, ideo vim ſuam, atque authoritatem amiſere. Cum autem decurſu temporum Patres, ac Paſtores Eccleſiæ ſive in Conciliis, ſive extra, maximeque Romani Pontifices plures ediderint pro Eccleſiæ bono Conſtitutiones, Decreta, & Canones, hinc variæ horum Canonum factæ ſunt collectiones, quarum aliæ majorem, aliæ minorem æſtimationem adeptæ fuere; donec tandem prodiit in lucem Corpus Juris Canonici tribus Voluminibus compactum.

Primum Volumen Decretum *Gratiani* continet Digeſtum in partes tres. Alterum Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum. Tertium in tres partes dividitur, quarum prima complectitur librum ſextum Decretalium: ſecunda *Clementinas* a Clemente V. editas, & a Joanne XXII. evulgatas: tertia *Extravagantes*, quarum plures ab eodem Joanne conditæ ſunt, & Corpori Juris inſertæ: aliæ autem extra corpus juris vagantur. Huic collectioni addendæ ſunt ræ-

teræ:

Digitized by Google

teræ omnes Conſtitutiones, ac Decreta Summorum Pontificum, qui poſtea ſubſecuti ſunt, multiſque voluminibus comprehenduntur.

IX. Quoad authoritatem Canonum in Corpore Juris collectorum, illud in primis nunc temporis compertum, exploratumque eſt penes Eruditos, Epiſtolas Pontificum, quas collectioni ſuæ inſeruit Iſidorus Mercator, ſive *Peccator*, ut ſe appellabat, uſque ad Pontificem Siricium, fætus eſſe ſuppoſititios, nullaque adeo authoritate gaudere. *Decretum* quoque *Gratiani*, licet legatur in Scholis, ſicut etiam legitur Petrus Lombardus, ob commodam ab ipſo elaboratam veterum Canonum collectionem, non alia authoritate potiri, præter illam, qua potiuntur documenta, ſive Decreta, quæ ab ipſo producta, quamquam interdum interpolata, aut truncata referuntur: qua de cauſa Romæ elapſo ſæculo nova ejuſdem editio curata eſt longe correctior, quæ tamen adhuc in pluribus manca, & imperfecta deprehenditur. Cum igitur in hoc Gratiani *Decreto* habeantur textus Sacræ Scripturæ, Conſtitutiones Apoſtolicæ, Decreta Conciliorum, Sanctorum Patrum ſententiæ, textus aliqui Juris Civilis, hiſtorica facta, & ejuſdem Gratiani interpretationes, ſua omnibus his afferenda authoritas eſt, quæ hiſce ſeparatim, & in propriis locis collocatis convenit. Nam textus Sacræ Scripturæ ſumma ab ipſo Authore Deo fruuntur autoritate, ut nemo neſcit: reliqua vero documenta pro ratione Authorum, quorum fætus ſunt, quemadmodum notabimus.

Cæterum ſi generatim loquamur de aliis Canonibus, maximeque de iis, quæ ſunt Eccleſiæ leges ad regimen populi Chriſtiani conſtitutæ, magni faciendos eſſe nemo Catholicorum ambigit. Hinc a Sanctis Patribus appellantur *divini Canones*, *Statuta Spiritus Sancti*, *Regulæ Spiritu Dei inſtruente inſtitutæ*, *per Spiritum vero Sanctum ordinatæ*, aliiſque ſimilibus vocabulis. Neque hoc tantum dixere de his, quos Eccleſia edidit in Synodis Œcumenicis congregata, ſed de illis etiam, quos Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, & Apoſtolico ſpiritu pleni nedum pro Eccleſia ſuorum gubernatione, aut judiciis forenſibus, ſed & pro morum, ac vitæ fidelium directione, vel ſejunctim, vel præſertim in Synodis particularibus condidere, & ab univerſa Eccleſia approbati ſunt, ut patet inter alia de decretis, aut ſtatutis, quæ habentur in pluribus Conciliis Toletanis, adeo ut poſt divinas Scripturas ſacri Canones maximam obtineant in Eccleſia authoritatem. Hoc perſpectiſſimum erat eximio noſtri temporis diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratori S. Carolo Archiepiſcopo Mediolanenſi, de quo in ejus vita ita refert Petrus a Baſilica lib. VII. c. 11. *Canonum ſcientia ipſi perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continent. Dolens autem communi conſuetudine tantummodo eos Canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites judiciaque valent, conſtituit ipſe, qui eis declarandis præeſſet: unde ſacra Majorum inſtituta, & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauritur.*

X. Verum ut amplius eluceat, quænam in praxi vis ſit, & authoritas ſacrorum Canonum ad obligandos Chriſti fideles ad eorumdem obſervationem, ſimulque innoteſcat uſus, qui de iiſdem fieri poteſt, ac debet ad vitam, moreſque recte componendos, proderit regulas aliquas conſtituere, quæ ex multis, quæ poſſent afferri, opportuniores in rem noſtram mihi videntur; primamque ſtatuo, quæ ſpectat varias Canonum collectiones, quæ factæ fuere. Neque enim omnes ejus generis ſunt, ut quæcunque in eis referuntur, legis Eccleſiaſticæ authoritatem ſortiantur. Sit igitur

PRIMA REGULA.

XI. Sola ſive Canonum, ſive aliarum ſen-

ſententiarum in certum aliquod volumen compilatio, aut collectio, ſive diſpoſitio, nullam Canonibus, aut aliorum dictis authoritatem addere poteſt, niſi vel publica authoritate facta fuerit illa collectio, vel ſaltem a privato quidem Authore compoſita, ſed publica deinde authoritate ſuſcepta ſit eum in finem, ut quidquid in ea continetur, vim legis obtineat. Hoc pacto codex Canonum a Dionyſio Exiguo privata primom authoritate compoſitus, a Romana Eccleſia ſoſceptus eſt, atque probatus. Si vero codex aliquis, aut Canonum collectio privato ſit Authore conflata, nullaque ſubinde ipſi publica authoritas acceſſerit, quæcunque in collectionem illam relata ſunt, non aliam vim obligandi habebunt præter eam, quam ex fontibus, unde deſumpti ſunt, acceperunt: atque adeo fontes conſulendi erunt, ut rectum de Canonibus judicium feratur.

Regula Secunda.

XII. Non omnes Canones, generatim loquendo, ejuſdem eſſe authoritatis fateri opus eſt. Ut igitur ita utatur in communi, quiſnam authoritatis gradus iiſdem conveniat, præmittenda mihi videtur ſententia S. Agobardi, qui poſtquam demonſtravit cunctis Canonibus magnam deberi reverentiam, ſubjungit: *Neque hoc idcirco dicitur, ut paſſim omnium Epiſcopalium Conventuum ſanctiones æquali authoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Chalcedonenſis, & cæterorum generalium ex totius mundi conſenſu congregatorum, & receptorum*. In primis itaque extra omnem dubitationem eſt, Concilii Œcumenici univerſalem Eccleſiam repræſentantis majorem eſſe authoritatem, quam cujuſvis alterius Concilii, particularis Conventus, atque adeo Canones ab eo conſtitutos cæteris omnibus authoritate præcellere, ſicut etiam, qui in Romanorum Pontificum Decretis continentur. Poſt Œcumenicas Synodos ſequuntur Nationales, Provinciales, ac Diœceſanæ, quarum Canones eo majore, cæteris paribus, authoritate fruuntur, quo ad Œcumenicam magis appropinquant, & majorem totius Eccleſiæ partem repræſentant: quod ſi alicui ex his ſpecialis accedat Summorum Pontificum approbatio, tunc majorem cæteris authoritatem acquirit. Dico *ſpecialis approbatio*; neque enim, quæ fit, ac fieri ſæpius ſolet *in forma communi*, eamdem ipſis authoritatem conciliat. Atque eo modo ſentiendum eſt de Canonibus deſumptis a Sanctis Eccleſiæ Patribus.

Regula Tertia.

XIII. Canones, qui aliquid præſcribunt, quod juris naturæ eſt, vel divini poſitivi, hi ea prorſus authoritate pollent, qua jura ipſa, ſive naturale ſit, ſive divinum poſitivum in Scripturis, & Traditione contentum. Pluſquam enim manifeſtum eſt in Sacris Canonibus plurimos inveniri, qui non jus mere humanum ſpectant, ſed divinum naturalem, vel poſitivum, quod vel proponunt, vel explanant, vel caſibus peculiaribus applicant. Hujuſmodi ſunt plerique Canones, quibus Eccleſia prohibet, ac damnat incontinentiam, avaritiam, ambitionem, fœnera, ſimonias, aliaque id genus vitia, præſertim Miniſtrorum ſuorum, quæ jam prohibentur a jure divino. Quapropter his aptari minime poteſt, quod a pluribus afferri ſolet, *conſuetudine Canones abrogari*, vel *conſuetudinem optimam eſſe legum interpretem*: neque enim conſuetudo unquam præſcribere, aut valere poteſt adverſum jus divinum, quod immutabile ſemper eſt.

Regula Quarta.

XIV. Idem omnino dicendum eſt, cum Juri Canonico admiſcetur jus naturale, vel divinum. Sunt enim plures Canones in Corpore Juris inſerti, quibus Eccleſia quædam prohibet, & a fidelibus, maximeque ſuis Mi-

Digitized by Google

Miniſtris, evellere pro viribus ſatagit, incuſſo cenſurarum metu, quæ licet quoad aliquid ad jus humanum pertineant, quod tamen in illis præcipuum eſt, jure ipſo naturali, aut divino prohibetur, uti ſunt ferme omnes Canones, qui circa ea verſantur, quæ a ſacris Conciliis, Summiſque Pontificibus ſancita ſunt de Clericorum vita, converſatione, morum honeſtate, ac doctrina, de luxu, comeſſationibus, choreis, luſibus, nec non ſæcularibus negotiis evitandis. Ut de iis itaque idea recta formetur, attendere oportet, ac diligenter diſcernere, quid in iis juris naturalis, aut divini implicetur, & quid juris mere humani contineatur. Quoad illa namque, quæ in Canonibus juris naturalis, ac divini ſunt, nullam unquam lapſu temporum pati poſſunt mutationem, ſed ſemper immota conſiſtunt, & obligant, nullaque contraria conſuetudine abrogari queunt, licet quoad id, quod eſt meri juris humani, quoad cenſurarum pœnam, ceſſare valeant.

Regula Quinta.

XV. Vulgatum illud, *Canones per conſuetudinem contrariam abrogari*, de his potiſſimum intelligendum eſt, quæ ſpectant exteriorem diſciplinam, ritus, aut cæremonias Eccleſiaſticas; non autem diſciplinam morum, vitæque recte componendæ inſtitutionem, præcipue quoad Eccleſiæ Miniſtros. Exterior namque diſciplina pro locorum, hominum, ac temporum varietate mutationi ſubjecta eſt, ac de genere eorum, de quibus ſcripſit S. Auguſtinus Epiſt. ad Januarium: *Totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes, nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eodem modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit*. Quare & illud de his Eccleſiaſticæ diſciplinæ ritibus exterioribus veriſſimum eſt, quod ſicut eos vigentes contemnere nefas, ita iis jam abolitis nimium inſiſtendum non ſit a prudente Epiſcopo, ut ad uſum iterum revocentur, niſi ſpecialis aliqua cauſa occurrat, & urgeat. Sed aliud plane de Canonibus, quibus morum diſciplina decernitur, ferendum judicium eſt. Quæ enim hiſce præſcribuntur, vel aliquid juris naturalis involvunt, vel etſi non ſemper hujuſmodi ſint, media tamen eſſe ſolent vel penitus neceſſaria, vel admodum idonea vitæ ad ejus regulam rite componendæ, ut vix poſſibile ſit, iis non obſervatis, vitia caveri poſſe, aut extirpari.

Regula Sexta.

XVI. Canones morum inſtitutionem præſcribentes non idcirco aboliti cenſendi ſunt, quia Eccleſia quoad externum diſciplinæ rigorem eoſdem amplius non urget, aut ſervat. Siquidem extra omne dubium eſt, quod Eccleſia, veluti pia Mater filiorum ſuorum infirmitati indulgens, aut temporum difficultatibus, aut vitiorum redundantia quodammodo coacta, puriſſimam morum diſciplinam jam pridem a Sanctis Patribus conſtitutam, & in ſacris Canonibus expreſſam, quaſi negligere, aut ſaltem ad tempus diſſimulare, aut attemperare interdum convenientius judicat. Qui igitur ex hac Eccleſiæ indulgentia, aut diſſimulatione argueret diſciplinam morum primævis Canonibus expoſitam, non ſecus ac cæteras civiles leges, abrogatam eſſe, atque abolitam, næ ille longe a ſenſu, ac mente Eccleſiæ aberraret. Cum enim idem ſemper ſit Eccleſiæ ſpiritus, qui ipſam per omnes temporum ætates regit, & informat, non minus hodie, quam olim vehementer optat, caſtiſſimos, ſanctoſque eſſe Sacerdotes, atque Adminiſtros; non minus hodie, quam olim avaritiam, ambitionem, ſimonias, aliaque vitiorum monſtra in filiis ſuis deteſtatur; ac proinde ſummopere deſiderat, ut ſacratiſſimi Canones,

Digitized by Google

nes , quos eodem ſpiritu directa primis ſæculis nondum vitiis , pravisque conſuetudinibus filiorum ſuorum , ac temporum duritie prægravata edidit , in ſua puritate & integritate ſerventur , tametſi hoc tempore quoad exteriorem diſciplinam illos in ſuo rigore ſervare nequeat , nec ut ſerventur abſolute , & ſub cenſurarum comminatione præcipiat . Quod explicari poteſt exemplo diſciplinæ , quæ per ſeptem , & amplius ſæcula obſervata in Eccleſia eſt , quoad illos , qui in peccatum carnis lapſi fuerant poſt baptiſmum , quos in clerum non admiſiſſe compertum eſt , aut poſt adeptum Clericatum nunquam priſtino gradui etiam poſt pœnitentiam peractam reſtituiſſe . Diſciplinam hanc ſequioribus ſæculis Eccleſia relaxavit , ſaltem quoad exteriorem agendi modum , ut jam a Clero non plane excludat , qui ſe poſt baptiſmum hujuſmodi crimine inquinaverit , & interdum etiam priſtino gradui reſtituat poſt Clericatum aſſumptum in idem crimen prolapſos , ſi modo congrua pænitentia peccata eluerint . Porro quis dubitet , quin Eccleſia eodem ſemper animata divino ſpiritu maximopere optet , ut quantum temporum difficultates patiuntur , & neceſſitas Miniſtrorum permittit , ſanctiſſima illa Patrum diſciplina obſervetur , ſicut in allato crimine , ita & in aliis præſertim enormibus ? Certum quippe eſt , hodie Eccleſiam non minorem de Sacerdotii ſanctitate ideam habere , quam olim habuerit , nec minus hodie , quam olim ea vitia miniſterii Eccleſiaſtici ſanctitati adverſa judicare. Qui igitur Eccleſiæ votis tanquam ſinceri filii, ac miniſtri obſequi ſtudent , Canones illos ſpiritu Dei a Sanctis Patribus jam pridem pro morum directione exaratos haud reſpiciunt tanquam penitus abolitos , ac ſepultos , ſed dolent cum ipſa Matre Eccleſia, quod in toto ſuo rigore ob duritiem temporum , vitiorumque multitudinem obſervari nequeant ; & adlaborant pro Chriſtiana prudentia , ut aliqua ſaltem ex parte inſtaurentur .

Regula Septima.

XVII. Ii ſacri Canones , qui licet decurſu temporum in deſuetudinem abierint, ab Eccleſia tamen , vel a Sacris Paſtoribus innovantur , & in priſtinum vigorem reſtituuntur , tamquam Eccleſiæ leges exiſtimandi ſunt . Hac de re audire præſtat , quæ Synodus Tridentina decrevit *ſeſſ.* 22. relate ad Reformationem Clericorum : *Statuit Sancta Synodus , ut quæ alias a Summis Pontificibus , & a ſacris Canonibus de Clericorum vita , honeſtate , cultu , doctrinaque retinenda , ac ſimul de luxu , comeſſationibus , choreis , aleis , luſibus , ac quibuſcunque criminibus , nec non ſecularibus negotiis fugiendis , copioſe , ac ſalubriter ſancita fuerunt , eadem in poſterum iiſdem pœnis , vel majoribus , arbitrio Ordinarii imponendis , obſerventur ; nec appellatio executionem hanc , quæ ad morum correctionem pertinet , ſuſpendat . Si qua vero ex iis in deſuetudinem abiiſſe compererint , ea quamprimum in uſum revocari , & ab omnibus exacte cuſtodiri ſtudeant , non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcunque , ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas , Deo vindice , pœnas perſolvant* . Hinc plures , pluresque ſancti , zeloque animarum flagrantes Epiſcopi Concilii Tridentini mandatis obſequentes antiquos permultos Eccleſiæ Canones conſtitutionibus ſuis , in Diœceſanis præſertim Synodis , ad primævum uſum revocarunt : quos inter laudatus S. Carolus ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen in his Canonibus ex mente Concilii reſtituendis noſtris fere temporibus ſtrenue, ſtudioque non intermiſſo laboravit , adeo ut cuidam Cardinali , qui tot ab ipſo in hunc finem celebrari Concilia minime neceſſarium judicabat , reſponderit : *Cum Tridentina Synodus veterem Eccleſiæ diſciplinam in uſum revocari juſſiſſet , Concilia uſque eo* eogen.

cogenda eſſe, *dum eam in primævam integritatem reſtituiſſet*; planeque ipſe reſtituit in ampla ſua Diœceſi, ita ut, quemadmodum conſtat ex Actis Canonizationis ipſius, tanto animi ardore, tantaque diligentia in hoc ſaluberrimum opus incubuerit, ut poſt multos exantlatos labores, multaque pericula, ac difficultates ſuperatas, *quæ inſanabilia videbantur*, *ſuæ reſtituerit integritati*, *adeout Civitas Mediolanenſis*, *& Univerſitas Diœceſis domicilium ſanctitatis*, *devotionis*, *& pietatis videretur*.

REGULA OCTAVA.

XVIII. Canones, qui ſpectant adminiſtrationem Sacramentorum, prout in uſu eſt in Eccleſia ſive Latina, ſive Græca, adminiſtrantium, & ſuſcipientium ſanctitatem, ac diſpoſitionem, modum, quo ad ſacra munia Clerici aſſumendi, qui ut indigni, aut incapaces ab his repellendi, quo pacto vitia arguenda, aut punienda, quæ media adhibenda reſecandis abuſibus, ſive extirpandis, obſervare ſemper oportet. Hi ſiquidem in Eccleſia vigent, & tamquam Eccleſiæ leges computantur ejuſdem perpetua praxi conſecratæ, nec ejus generis ſunt quæ vel deſuetudine, vel contraria conſuetudine obliterari queant.

REGULA NONA.

XIX. In ſacris Canonibus nedum exterior diſciplina, ſed & ipſorum ſpiritus, ac diſciplinæ ratio quam maxime attendenda eſt. Hoc enim præſertim intendit Eccleſia in Canonibus condendis. Unde ab Eccleſiæ ſcopo longe abſunt, qui in exteriore duntaxat per canones conſtituta diſciplina ſiſtentes, ſpiritum, & intimam diſciplinæ rationem nequaquam perpendunt, & morum regulas ſanctiſſimas in ea latentes non conſiderant. Exemplum ſit inter alia, quæ poſſent afferri. Conſtans eſt, omnibuſque perſpecta Eccleſiæ Latinæ diſciplina e ſacris Canonibus eruta, ad ſacra miniſteria Eccleſiaſtica non admittendi conjugatos, niſi uſui, & uxorum habitationi renuncient, immo Eccleſiaſticis beneficiis ipſo jure privandi, ſi ea obtinentes nuptias contraxerint. Hæc diſciplina, ſi nuda, & in ſolo cortice inſpiciatur, ſimplicem a nuptiis abſtinentiam præſeferre videtur. At ſi interior ejus ſpiritus penitius attendatur, eluceſcet per eam alia continere obſervatione digniſſima. Ideo namque nuptiis implicatos a ſacris Miniſteriis Eccleſia removet, quoniam, ut ait Pontifex Alexander III. in cap. 2. *de Clericis conjug. cum diviſi ſint*, & eos cogitare oporteat, quomodo uxoribus placere valeant, filiosque educare, *non poſſunt ſolummodo intendere divinis*, vel, ut inquit c. 3. quod *ſimul voluptatibus*, *& carnalibus deſideriis*, *ac divinis*, *& Eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeant*. Alia plura exempla prætereo. Itaque diſciplina, quæ primo aſpectu nonniſi ſimplicem cæremoniam continere videtur, ſi ex mente Eccleſiæ introſpiciamus, non exigui momenti reputabitur.

CAPUT VI.

CONSECTARIA.

I. *Finis*, *ad quem lex Eccleſiaſtica ordinatur*, *præ oculis ſemper habendus*.

II. *Leges qualibet a Prælatis Eccleſiæ conditæ obſervandæ*, *niſi a ſuperiore Poteſtate revocentur*.

III. *Laxa eſt*, *&* *improbabilis quorumdam doctrina circa poteſtatem Eccleſiæ in actus internos*.

IV. *Propoſitiones quædam Michaelis Molinos de hac re meritiſſime ab Eccleſia damnatæ*.

V. *Opus virtutis ſine interna voluntate elicitum ſubeſſe poteſt excommunicationi Eccleſiæ*.

VI. *Damnatione digna videtur Caramuelis opinio*, *Eccleſiam non poſſe prohibere actus externos propter internos*.

VII. *Di-*

VII. *Diſciplina Eccleſiæ eo majori veneratione digna, quo antiquior, & communior.*

VIII. *Sacri Canones nedum inſervire debent pro controverſiis Eccleſiaſticis dirimendis: ſed præſertim pro componendis fidelium moribus.*

IX. *Ex præcepto Concilii Tridentini tenentur Epiſcopi dare operam, ut ad uſum revocent antiquos Canones ſaltem ſuæ Eccleſiæ utiliores, magiſque neceſſarios.*

X. *Canones antiqui a Prælatis Eccleſiæ ad uſum revocati obligant ſub peccato.*

XI. *Abrogantur eo prorſus loquio*, Canones per deſuetudinem abrogare, *plures Caſuiſtæ. Exempla de hoc propoſita.*

XII. *Canones, qui aliquid juris divini naturalis, aut poſitivi involvunt, nunquam totaliter abrogari poſſunt.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. ILLUD præ oculis ſemper habendum eſt, ut recta de legibus Eccleſiæ idea formetur, quinam earum finis ſit, ad quem referuntur. Finis nempe Eccleſiaſticæ legis, ut jam diximus, ſpiritualis, ac ſupernaturalis eſt, cultus videlicet Dei, ac ſempiterna animarum ſalus, quæ in Dei poſſeſſione conſiſtit. Ex hoc ſiquidem fine, ad quem ordinatur, tamquam ex fonte effluunt prærogativæ omnes ejuſdem ſupra cæteras leges humanas, quæ nonniſi temporalem felicitatem ex ſe, ac directe reſpiciunt, ſimulque amplitudo ipſius, ac termini, intra quos eadem concluditur. At primo quidem, ſicut anima corpori, & bonum ſupernaturale, & æternum naturali, ac temporario longe præeminet, ita lex Eccleſiaſtica, quæ ad animarum ſalutem, & felicitatem æternam ordinatur, civilem, quæ bonum inferioris ordinis ſpectat, longe præcellat neceſſe eſt, adeoque etiam majore dignam eſſe veneratione, curaque in ea obſervanda, atque diligentia. Tum vero conſequitur, magnam equidem eſſe amplitudinem eorum, quæ ſub ejus materia, ſive objecto continentur; ſed nihilominus ſuos habere terminos, quos excedere, aut prætergredi minime debet, ut omnis evitetur Juriſdictionum confuſio, nullaque Civilis Reipublicæ perturbatio ſequatur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Equidem, ut ex Sanctis Auguſtino, & Thoma adnotavimus, non ſunt a Prælatis Eccleſiæ multiplicandæ leges, quæ Communitatem fidelium obſtringant ſupra illas a jure poſitivo divino conſtitutas, ne lex gratiæ, quæ ſuavior eſt lege Moſaica, *nimium onerosa reddatur*. Attamen, ſi quis Prælatorum hujuſmodi leges, aut præcepta circa ea præſertim exteriora opera, quæ legem nec naturalem, nec divinam poſitivam continent, in ſua vel Diæceſi, vel Provincia multiplicaret, ipſe quidem haud prudenter ſe gereret, & a Romano Pontifice corrigendus eſſet; ſed interim ſubditi fideles ad earum obſervatiam tenerentur. Quoniam non propterea quod parum prudenter ſe gerat Prælatus, ſubditi ab ejus poteſtate, aut obedientia ſubtrahuntur, aut deſinunt eſſe ſub ejuſdem juriſdictone, qua leges ferunt, ipſiſque vim obligandi imponunt, niſi forte a Prælato ſuperiore authoritatem habente revocarentur.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Laxa, & improbabilis reputanda eſt plurium recentium Authorum opinio, qui univerſim negant, Eccleſiam poteſtate gaudere præcipiendi actus internos tum *directe*, tum etiam *indirecte*. Id ex tradita doctrina liquet. Cum enim Eccleſia præcipere valeat veros actus virtutum, vitia prohibere, poterit conſequenter eos internos actus ſaltem *indirecte* præcipere, ſine quibus externi veri actus virtutum neutiquam ſunt. Unde præcipiendo orationem vocalem,

Digitized by Google

lem, ſimul præcipit attentionem, ſine qua oratio non eſt actus Religionis. Quare graviter peccant, qui aut Miſſam præceptam non audiunt, aut canonicas horas, ad quas obligantur, non recitant cum devotione, & attentione interna, qua voluntarias mentis evagationes coerceant.

Consectarium Quartum.

IV. Meritiſſime damnatæ ſunt ab Eccleſia in Decreto Innocentii XI. ſequentes Michaelis Molinos propoſitiones. -65-: *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit: In interiore vero aliter ſe habet, quo ſolus Deus, & Director intrant.* -66-: *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod animæ quoad internum gubernari debeant ab Epiſcopo. Quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico doctrinam: quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt: quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcunque ſibi bene viſum.* -67-: *Dicere, quod internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio: quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.* -68-: *In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ: & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ.* Præter falſitatem, quæ in his propoſitionibus continetur, eæ ſunt ſubdolæ, captioſæ, ſcandaloſæ, Eccleſiæ injurioſæ; quoniam extrahunt animas fidelium ab ejus regimine.

Consectarium Quintum.

V. Si quidpiam opus virtutis, aut obligationis præcipiatur ab Eccleſia ſub pœna excommunicationis, E. C. adminiſtratio Sacramenti Extremæ Unctionis, vel auditio Sacri: & Sacerdos exterius quidem infirmum ungeret, ſed ſine interna voluntate conficiendi Sacramentum: vel Miſſæ quis intereſſet non animo implendi præceptum, ſed alia intentione E. C. expectandi amicum; ambo nedum peccarent, ſed etiam excommunicationem incurrerent in foro conſcientiæ. Nam, ut dictum eſt, ad hæc etiam ſe extendit Eccleſiæ facultas in ferendis legibus, & imponendis pœnis pro earum executione.

Consectarium Sextum.

VI. Perquam laxa, ac damnatione digna videtur opinio Caramuelis negantis, Eccleſiam præcipere poſſe actus externos propter internos. Unde docet Epiſcopum, aut alium Superiorem prohibere non poſſe ſubdito ſuo, ne accedat ad aliquam domum Mulieris ob vitandum conſenſum illius in peccatum, quod juſtis de cauſis ſecuturum formidat. Erroneam hanc opinionem late confutat P. Cardenas *in Criſi* 11. *diſp.* 25. quamquam confutatione digna non ſit, cum luculentiſſime pateat Eccleſiaſtico regimini nimium eſſe pernicioſam.

Consectarium Septimum.

VII. Diſciplina Eccleſiæ in ſacris Canonibus expoſita eo majorem ſibi venerationem jure ac merito vindicat, quo antiquior, & univerſalior eſt, ſive ab omnibus, ſive a pluribus Eccleſiis probata, atque recepta: adeoque nemo in dubium vocaverit, eam quæ continetur in Canonibus univerſæ Eccleſiæ tam Orientalis, quam Occidentalis ſingulari veneratione excipiendam eſſe. Hinc Canones Conciliorum ſive generalium, ſive etiam particularium, quos utraque Eccleſia recepit, & in ſuum reſpective Canonum codicem retulit, pro aſſequenda notitia purioris diſciplinæ Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticæ maximo ſemper in pretio habuit Eccleſia. Similiter ſingulari excipienda ſunt veneratione Decreta Romanorum Pontificum, quæ in ſuum Codicem tranſtulit Eccleſia Latina a Siricio uſque ad hæc noſtra tempora, ut nemo Catholicorum negat.

Consectarium Octavum.

VIII. Quamquam ſacri Canones plurimum inſerviant, ac inſervire debeant pro dirimendis litibus, ac dirigendis Judicibus Eccleſiaſticis in reſolutione controverſiarum, quæ ſuboriuntur in Eccleſia quoad res ſacras, & ad forum ipſius pertinentes; nihilominus non iſte duntaxat debet eſſe ſcopus ſtudii ſacrorum Canonum, ſed, & quidem maxime, ut ex ipſis hauriantur optimæ morum regulæ, moduſque aptiſſimus componendæ, ac adminiſtrandæ Eccleſiæ juxta Patrum documenta, & Sancti Spiritus, qui Eccleſiam regit, voluntatem. Ad hunc enim præcipue finem Canones inſtituti ſunt, & ad eumdem mire deſerviunt. Unde ad hunc maxime finem laudatus S. Carolus eos indeſinenter evolvebat ad mores ſuos, ſuorumque ſubditorum fidelium componendos, & Eccleſiam ſibi commiſſam gubernandam: quod & alii Sanctiſſimi Epiſcopi præſtiterunt, ac præſtant magno animorum fructu. Hoc ipſum præſtare debent omnes Eccleſiæ adminiſtri, ut Spiritum altiſſimæ vocationis ſuæ cognoſcant, & ſaluberrimas vivendi regulas addiſcant: quod tantopere inculcat Sacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. de Reform.*

Consectarium Nonum.

IX. Non ex mero conſilio, ſed ex præcepto debent Epiſcopi dare operam, ut ea, qua poſſunt, cura, atque diligentia ad uſum revocent eos ſaltem ſacros Canones, qui ad rectam propriæ Eccleſiæ adminiſtrationem, bonumque commune fidelium ſuorum utiliores, aut magis neceſſarii videbuntur, eoſque permaxime, qui ad Clericorum vitam, morumque honeſtatem, ac doctrinam pertinent. Neque enim aliter explicari poſſe arbitror verba illa jam adducta Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. Cap. 1.* quæ ſane non merum conſilium, ſed præceptum ſonant: *Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luſibus, commeſſationibus &c.* ut ſupra, *copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur* &c. *Si qua vero ex iis in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quamprimum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant &c. ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant.* Quare, ut Epiſcopi hujuſmodi Œcumenicæ Synodi præcepto pareant, præfigere ſibi debent, veluti exemplar abſolutiſſimum nunquam ſatis laudatum S. Carolum, qui tot ad hunc ſanctiſſimum finem Concilia tum Provincialia, tum Diœceſana brevi vitæ ſuæ curriculo celebravit, omneſque in his adſtantes Epiſcopos, & Prælatos ferventiſſimis allocutionibus ad opus tam ſalutare inflammare ſolebat.

Consectarium Decimum.

X. Ab Eccleſiæ ſcopo, ac veritate longe abſunt ii Theologi, qui ſacros Canones parum curant, eo prætextu frigidiſſimo, quod antiquati ſint, & in deſuetudinem abierint. Ut ut enim concedamus plures ex iis, qui diſciplinam præſertim exteriorem ſpectant, decurſu temporum obſoleviſſe, aut contraria conſuetudine eſſe abrogatos; plures tamen ſunt ab Eccleſia, maximeque a Concilio Tridentino, & ab Epiſcopis, qui edicto Concilii paruerunt, inſtaurati, & ad uſum denuo reſtituti, qui nedum magnam venerationem promerentur, ſed etiam tamquam leges recipiendæ ſunt obligantes ſub peccato. Quapropter

Digitized by Google

ter Canones, qui in aliqua Synodo ſive Nationali, ſive Provinciali, ſive Diœceſana, vel etiam ab Epiſcopis extra Synodum iterum innovantur, & ad uſum vel Nationis, vel Provinciæ, vel Diœceſis revocantur, non minorem vim ad ſubditos obligandos, & authoritatem habent, quam habuerint, cum primum inſtituti fuere. Si enim quilibet Epiſcopus in propria Diœceſi Decreta ferre valet, quæ vigorem legis obtineant ſubditos ſuos obligantis, cur etiam haud poterit Canones antiquos revocare, qui ſimili vigore, & authoritate potiantur? Videant proinde, quam male ſe gerant, quantoque peccandi periculo ſemet exponant aliqui, qui dum ipſis objiciuntur, *Eccleſiæ* propriæ Decreta, vel *Canones* ab ea ſuſceptos nedum debita veneratione non recipiunt, ſed reſpuunt, ac ferme contemnunt, perinde ac ſi nulla vi obligandi ſubditos ſub peccato fruerentur, iiſdemque præferre audeant quorumdam Theologorum aliter opinantium ſententias.

Consectarium Undecimum.

XI. Audiendi non ſunt *Caſuiſtæ* illi, qui generatim, & abſque ulla diſtinctione decernunt, Canones, ſive leges plures *Eccleſiæ* deſuetudine jam eſſe abrogatas; qua ſola doctrina, quæ paſſim in eorum libris invenitur, & quam indefinite, & imprudenter tradere ſolent, plane caſſos, & inutiles reddunt ſacratiores *Canones*, conatuſque Prælatorum *Eccleſiæ* in iis aliqua ſaltem ex parte reſtituendis: atque eadem defendunt, ac fovent relaxationes omnes, & corruptelas, vel quæ invectæ jam ſunt in moralem diſciplinam, vel invehi facile poſſunt. Quoniam vero res hæc magni momenti eſt, id declaremus exemplo. In *Concilio* Lateranenſi noſtris fere temporibus celebrato ſancitum eſt, non debere a Confeſſariis abſolvi publicos blaſphemos, niſi graviſſima pœnitentia impoſita. Quid autem? Nedum integro elapſo ſæculo ab hujuſce decreti conditione P. Thomas Sanchez innixus memorato deſuetudinis fundamento defendit obligationem nullam eſſe, ſeveram pœnitentiam imponendi blaſphemis. En verba Sanchez *lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 44. “Juxta Decretum Concilii Lateranenſis n. 95. *ad abolendum*, blaſphemus non poteſt abſolvi a Confeſſore, niſi gra„viſſima pœnitentia ipſius arbitrio impoſita. „Sic enim expreſſe *ibi* definitur. Et ita „docent Navarrus Summa C. 12. *n.* 83. „Ludovicus Lopez 1. *p. Inſtruct. cap.* 5. „Petrus de Ledeſma 2. T. *Summæ tract.* 1. „C. 9. in fine. At id Decretum non eſt „uſu receptum, & ita hodie non obligat. „Quod etiam Armilla &c. Emanuel Sà &c. „Azotius &c. Suarez *T.* 1. *de Relig. tract.* „3. *l.* 1. C. 7. *n.* 2. ubi etiam optime „docet, hoc peccatum non eſſe reſerva„tum &c.”. His acceſſere P. Fillucius, & paſſim alii Caſuiſtæ. Sed in hoc fallunt ſe ipſos, falluntque alios. Neque enim Lateranenſe Concilium novum jus poſitivum condidit Decreto ſuo; ſed tantummodo applicavit delicto huic peculiari blaſphemiæ divinum jus, quod generatim Sacerdotes obſtringit ad imponendam gravem pœnitentiam juxta delictorum gravitatem. Unde Magnus Sanctus Carolus Concilii Decretum in ſua prima Mediolanenſi Synodo inſtaurandum putavit. Ut alio exemplo recentium Caſuiſtarum aberrationes oſtendam, nihil in ſacris Canonibus frequentius inculcatum, quam removendos eſſe ab altari ſaltem ad aliquot dies Sacerdotes, qui ſe peccato carnis inquinaverint, idque multi jam obſervarunt, ac fatetur ipſe P. Vaſquezius. Et tamen Caſuiſtæ communiter, prætextu legis contraria conſuetudine jam abolitæ, docere non reformidant, Sacerdotem poſt habitam ea ipſa die carnalem copulam cum fœmina, ſive etiam pollutionem vel ſecum, vel cum complice, etiam per adulterium, aut peccatum nefa-

Digitized by Google

nefarium, poſſe, ſine veniali culpa, præmiſſa tantum confeſſione, rei divinæ operari, adeo ut ita ſe gerendo opinionem tutam in praxi ſequatur: non attendentes, ſacros Canones, qui hos Sacerdotes tanta ſeveritate a ſacrorum Myſteriorum participatione ablegarunt, divino ipſo jure fulciri, quod nulla contraria conſuetudine abrogari valet.

Consectarium Duodecimum.

XII. Hinc vero colligendum, quod licet pœnæ illæ graviſſimæ, quæ olim pro expiatione quorumdam delictorum a ſacris Canonibus injunctæ fuerant, non amplius in uſu Eccleſiæ ſint, quoad omnem ſuum rigorem, nec eas Confeſſarii imponere teneantur, liberum tamen ipſis non eſt quaslibet arbitrio ſuo etiam leviores injungere. Quamquam enim ii Canones quoad pœnitentiæ determinationem ad jus humanum poſitivum pertineant, quod mutationi ſubjectum eſt, in iiſdem tamen etiam involvitur jus ipſum divinum, quod mutari nequit: quatenus Chriſtus Dominus ita Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, non ut abſque ulla pœnarum aſperitate remitterentur peccata, ſed ut congrua ſatisfactione expiarentur. Hinc potuit quidem Eccleſia mutationem inducere in ſuam diſciplinam, pœnaſque pro peccatis modo graviores, modo mitiores ſtatuere: ſed efficere nequit, ut pœnitentia non ſit *baptiſmus laborioſus*, quemadmodum ait Tridentina Synodus, nec obligationem ſolvere, quæ impoſita a jure divino Confeſſariis eſt, injungendi congruas pro peccatis ſatisfactiones juxta eorum qualitatem, & numerum; nec pœnitentes ipſos eximere ab iiſdem ſubeundis: de quo plura, cum de Sacramento Pœnitentiæ. Generatim vero obſervare oportet id, quod ſupra diximus, ac diligenter ſecernere, quid in ſacris Canonibus juris eſt humani poſitivi, quid vero juris naturalis, aut poſitivi divini. Primum nonnumquam contraria conſuetudine aboleri poteſt; non autem alterum, quod ſemper eſt immutabile, ſemperque obligat. Atque hæc eſt ſapiens S. Thomæ animadverſio, quæ in hac re ſemper ante oculos eſt habenda, *Quodl.* 10. *art.* 15. ubi loquens de iis Canonibus, quibus Beneficiorum pluralitas prohibetur, adeoque de aliis ſimilibus, inquit: *Quantum ad hoc, quod jura illa continent jus naturale, abrogari non poſſunt per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod ſolum de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata, præcipue ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare, intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare.* Quædam alia de conſuetudine agentes adjiciemus.

CAPUT VII.

De utraque humana Poteſtate, Civili, & Eccleſiaſtica quoad ferendas leges, quæ obligent in foro conſcientiæ.

Doctrina.

I. *Doctrina fidei eſt, Poteſtatibus Civilibus, & Eccleſiaſticis ferendi leges, quæ conſcientias obligent, ineſſe facultatem.*

II. *Evincitur hæc doctrina quoad Civiles Poteſtates ex divinis Scripturis.*

III. *Quo ſenſu hæc Principum poteſtas a Deo ſit.*

IV. *In quibus reſideat ferendi leges civiles facultas, definitur.*

V. *Poteſtas ferendi leges etiam in Eccleſiæ Rectoribus ex Scripturis adſtruitur.*

VI *Quædam adverſus conſtitutas veritates hæreticorum objectiones ſolutæ.*

VII. *Quibus conveniat poteſtas condendi leges Eccleſiaſticas.*

VIII. *An Epiſcopis hujuſmodi poteſtas immediate conveniat.*

IX. Rec

IX. *Regula generalis ſtatuitur de iis, qui legum ferendarum poteſtate fruuntur.*

X. *De limitibus, intra quos utraque poteſtas temporalis, & ſpiritualis continetur. Doctrina S. Thomæ præmiſſa.*

XI. *Ex Scripturis juxta ejuſdem Sancti Doctoris expoſitionem quæſtio determinatur.*

XII. *Illuſtre in hanc rem Papæ Gelaſii teſtimonium affertur, & explicatur.*

XIII. *Sæculares Principes ſunt Eccleſiæ defenſores, ac protectores.*

I. EXTITERE nonnulli hæretici, qui omnem hominibus poteſtatem ademerunt condendarum legum, quæ ſubditorum conſcientias obligarent, quos inter recenſetur Lutherus *lib. de captivit. Babyl.* cujus ſententia a Leone X. in Concilio Lateranenſi damnata eſt: & Calvinus *lib. 4. inſtit.* aliique cum ipſo, qui non diffitentur quidem ineſſe Principibus tum ſæcularibus, tum Eccleſiaſticis poteſtatem ea proponendi, ac etiam interpretandi, quæ jam divina lege præſcripta ſunt; negant vero eoſdem tales condere leges poſſe, quæ mere humanæ ſint, & homines ad eas obſervandas obſtringant in foro conſcientiæ, ſive ſub reatu culpæ, licet hoc concedant in foro exteriore quoad ſubeundam pœnam, quam ipſi denunciant. Verum doctrina Catholicæ Eccleſiæ eſt, hanc eſſe in omnibus iis, qui vel temporalem Rempublicam, vel Eccleſiaſticam adminiſtrant, legitimam facultatem ferendi leges, quæ ſubditorum conſcientias obligent: idque evidens eſt ex pluribus Scripturarum auctoritatibus, quæ hanc catholicam veritatem diſerte adſtruunt, & evincunt, quarum aliquas profero.

II. Et quod quidem attinet priorem partem de temporalis Reipublicæ Principibus, aut Rectoribus, ſufficere plane deberet textus Apoſtoli Pauli in Epiſtola ad Rom. c. 13. qui clariſſimus omnium eſt, nullaque contraria expoſitione eludi valet, in quo de ſæculari poteſtate loqui una ſemper fuit Sanctorum Patrum, tum Latinorum, tum Græcorum ſententia, & contextus ipſe ſermonis, nec non *gladii*, ac *tributorum* mentio aperte manifeſtant. Apoſtolus itaque primum generatim denunciat: *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Omnis*, inquit, nullam excipit a ſubjectione debita Poteſtatibus ſublimioribus ſæculi. Ut hanc porro ſubjectionem, ac obedientiam Principibus, & Magiſtratibus Civilibus exhibendam perſuadeat, ait: *Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo, Quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*: hoc eſt, quanquam Principes, & Magiſtratus, qui hodie poteſtate in terris fruuntur, gentiles ſint, fideique Chriſtianæ hoſtes, ac perſecutores, ipſis nihilominus hæc ſubjectio, & obedientia præſtanda eſt; ſiquidem quæcunque ſunt Poteſtates, ſive quicunque ſunt homines poteſtate præditi, ii ſub tali reſpectu, aut conſideratione, ordinati, & inſtituti ſunt a Deo, qui ita decrevit, ut ad bonum univerſi, & Reipublicæ tranquillitatem eſſent aliqui, qui cæteris præeſſent, & Rempublicam gubernarent. Hinc ſubdit Sanctus Apoſtolus: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Hæc ſola verba ſatis declarant divino præcepto contraire, qui terrenis Principibus non obtemperant: neque enim ex hoc ſolum reſiſtunt humanæ poteſtati, verum etiam ordinationi divinæ. Sed ea, quæ ſequuntur, luculentius oſtendunt; ſcilicet, *Qui autem reſiſtunt, ipſi damnationem acquirunt*: damnationem, inquam, nedum ad pœnam aliquam temporariam, quam illi infligere tantum poſſunt, ſed etiam æternam infligendam a Deo. Quod adhuc manifeſtius fit ex aliis, quibus adhortationem ſuam concludit; *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, nimirum non ſolum ne per inobedientiam veſtram Principum indignationem incurratis,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam ne peccato conſcientias veſtras aggraveris coram Deo.

Pulchre hunc Apoſtoli textum exponit S. Thomas in Commentario, cujus hæc ſunt verba: " Poteſtates ſublimiores hic dicuntur homines in Poteſtatibus conſtituti, quibus ſecundum juſtitiæ ordinem ſubjici debemus .... Si poteſtas Principum, in quantum talis eſt, a Deo eſt, & nihil eſt a Deo ſine ordine; conſequens eſt, quod etiam ordo, quo inferiores Poteſtatibus ſublimioribus ſubjiciuntur, ſit a Deo .... Propter prædictas rationes (quæ interſeruntur in textu Apoſtoli) ſubditi eſtote Principibus ex *neceſſitate*: quia ſcilicet hoc eſt de neceſſitate ſalutis .... *Non ſolum propter iram*, ideſt vindictam vitandam, *ſed etiam propter conſcientiam* bonam &c. quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

III. Quo ſenſu poteſtas Principum temporalium *a Deo ſit*, quemadmodum in altero S. Apoſtoli textu, & in aliis Scripturarum locis aſſeritur, an ſcilicet proxime, & immediate, an vero mediate, & remote, in diſceptationem vocatur a pluribus. Ego fuſiore diſputatione relicta de re, quæ noſtra parum, vel nihil intereſt, exiſtimo, quod, poſita hominum ſocietate, poteſtas illa derivetur ab ipſa lege naturæ, adeoque ab ipſomet Deo hujuſce legis auctore, quatenus lumen ipſum naturale inſinuat, atque præſcribit, ut aliquid regimen, quodcunque poſtea illud ſit, inſtituatur pro ſocietatis conſervatione, defenſione, ac tranquillitate, atque adeo, ut unus, vel plures huic regimini præſint, cui cæteri obſequi, ac parere teneantur. Neque enim ſine hac diſpoſitione, ac ſubordinatione Reipublicæ bonum conſiſtere poteſt, & conſervari. Atque hoc in ſenſu intelligenda arbitror tum laudata Apoſtoli verba, tum alia Scripturæ loca, quibus hæc poteſtas exprimitur, E. G. Sapientiæ C. 6. *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite Judices finium terræ* &c. *quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo*. Petri Epiſt. 1. c. 11. *Subditi eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi, tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis* &c. Joan. 19. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: & id genus alia. Atque hoc eſt, quod docet S. Th. *in 2. ſent. q. 44. art. 2.* ubi ait: quod *Ordo prælationis a Deo deſcendit*, & quod *prælatio quantum ad formam*, ſive quantum ad poteſtatem, *a Deo ſit*. Id, quod ante S. Thomam egregie expoſuerat S. Joannes Chryſoſtomus *homil. 23. in Epiſt. ad Romanos* inquiens: *Non eſt poteſtas, niſi a Deo. Quid dicis? Ergo omnis Princeps a Deo conſtitutus eſt? Iſtud non dico. Non enim de quovis Principe mihi ſermo eſt: ſed de re ipſa, ſeu de ipſa poteſtate. Quod enim Principatus ſint, quodque non ſimpliciter, ac temere cuncta ferantur, divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit* (Apoſtolus): *non enim Princeps eſt, niſi a Deo: ſed de re ipſa diſſerit, dicens: non eſt poteſtas, niſi a Deo*.

IV. In quibus autem reſideat hæc poteſtas ferendi leges, quæ obligent in foro conſcientiæ, non aliter definire fas eſt, quam attenta regiminum diverſitate. Si enim ſit *monarchicum*, in uno tantum, ſcilicet in Imperatore, Rege, vel Principe abſoluto reſidet ſuprema poteſtas, quam tamen communicare poteſt etiam Magiſtratibus inferioribus, licet cum dependentia, & ſubordinatione ad ſeipſum, propriamque voluntatem. Si *ariſtocraticum* ſit, tota & integra poteſtas eſt in Optimatibus; ſi demum *democraticum*, in populi Communitate invenitur, juxta formam a Communitate ipſa conſtitutam. Quare falſa dicenda eſt, & abſque ullo fundamento excogitata ſententia quorumdam antiquiorum Juriſtarum, qui hanc Juriſdictionis poteſtatem in unico tantum homine, nimirum in Imperatore, ſtatuerunt. Siquidem Imperator, nec

nec univerſalem hanc poteſtatem a Deo immediate conſecutus eſt, nec ab hominibus totius univerſi ad hoc officium primum delectus fuit, ut ab illo potuerint alii ſuccedere cum eadem univerſali poteſtate: neque etiam bello ſibi omnia ſubjecit; neque tandem unquam reapſe hujuſmodi univerſale dominium habuit: adeoque nullus cogitari poteſt juſtus titulus talis poteſtatis, cum hi ſint omnes juſti tituli regnandi, legumque ferendarum, quæ conſcientias adſtringant.

V. Jam vero quod etiam Eccleſiæ, ſive Eccleſiæ Rectoribus conveniat jus, aut poteſtas nedum paſcend gregem ſibi creditum, quam hæretici concedere ipſi non abnuunt, ſed etiam præcepta, legeſque ſtatuendi ad finem ſibi competentem aſſequendum, quibus fideles obtemperare teneantur, tum ex verbis Chriſti Domini, tum ex exemplo Apoſtolorum, tum ex perpetua Eccleſiæ traditione ſolidiſſime comprobatur. Nam in primis Matth. 16. legimus, Chriſtum Petro dixiſſe: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*. Atque adeo ſi Petrus, ejuſque ſucceſſores juxta poteſtatem ſibi a Domino traditam obligare velint Chriſtianum populum per leges atque præcepta, quis neget, ipſum coram Deo obligatum eſſe? Item *Matth.* C. 18. Chriſtus ait: *Si Eccleſiam non audierit*, hoc eſt, ut Chryſoſtomus interpretatur, *ſi Eccleſiæ Prælato non obedierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Si ſub tam diſtricta comminatione obediendum eſt Prælatis Eccleſiæ, nonne colligere oportet ipſorum leges fidelium conſcientias obſtringere? Lucæ quoque C. 10. dictum a Chriſto eſt: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Dubium autem non eſt, peccare illum, qui ſic ſe gerit, ut merito videatur Chriſtum ſpernere, dum Prælatis non obſequitur, nedum ipſorum doctrinam non recipiendo, ſed etiam mandatis eorumdem obedientiam non præſtando, prout exponunt Cyprianus *epiſt.* 69. & Baſilius in *Conſtit. Monaſt.* c. 22. & 23. ſumiturque ex aliis Chriſti verbis apud Joan. 20. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos*. Miſus eſt autem Chriſtus a Patre non ſolum ut Doctor, ſed etiam ut Legislator, & Gubernator, unde in Prophetia *Legifer noſter* vocatus eſt.

Hoc idem confirmat hujuſce poteſtatis uſus, quem factum ab Apoſtolis fuiſſe Scriptura commemorat. Actorum namque C. 15. eos in Concilio Hieroſolymitano congregatos hoc modo decreviſſe legimus: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis* &c. Ubi duo continentur canonica præcepta: aliud, quo onus neceſſario geſtandum a fidelibus imponebant: quod clare inſinuat prohibitionem ſub præcepto: aliud, quo fideles ſolvebant ab obligatione Circumciſionis, & cæterarum cæremoniarum legis Moſaicæ; quod ſane ſine poteſtate juriſdictionis præſtare nequaquam poterant. Unde in fine illius capitis de Paulo dicitur: *Perambulabat præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*. Fuerunt igitur illa non divina, ſed humana præcepta ab Apoſtolis lata ex authoritate ſibi a Deo collata. Deinde Paulus idem in Epiſtolis ſuis non ſemel de hac authoritate mentionem facit, quam ſibi Dominum contuliſſe declarat *in ædificationem, non in deſtructionem*. Et ad Hebr. 13. ita fidelibus præcipit: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. Et ut alia prætercam, diſerte in *Cap.* 20. *Actuum* de Epiſcopis dicitur, eos *Spiritum Sanctum poſuiſſe regere Eccleſiam Dei*. Regimen autem Eccleſiæ perfectum intelligi minime poteſt abſque legislativa poteſtate. Huic veritati accedit in confirmationem perpetua Eccleſiæ traditio, quæ conſtat ex perenni tum Conciliorum, tum Summorum Pon-

tifi-

tificum uſu hujuſce poteſtatis.

VI. Plures ſunt objectiones, quas adverſus utramque Poteſtatem Civilem, & Eccleſiaſticam congerunt hæretici. Cæteris omiſſis quæ legi poſſunt apud permultos ex noſtris Scriptoribus, unam tantum, vel alteram propono. Dicunt in primis, *unum eſſe Legislatorem, ac Judicem*, nempe Deum, quemadmodum affirmat S. Jacobus C. 4. Quid vero? Nonne etiam Chriſtus aſſeruit: *Unus eſt Pater veſter, qui in cælis eſt. Non vocemini Magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus*? Quis tamen hinc inferat, nullum alium eſſe Patrem, vel Magiſtrum? Sicut igitur hic textus intelligitur de Patre, ac Magiſtro ſupremo, a quo Paternitas omnis, ac Magiſterium derivatur; ita & illum intelligere oportet de ſupremo Legislatore, ac Judice, a quo poteſtas omnis legislativa deſcendit.

Inſiſtunt: præcepta divina naturalia, ac poſitiva debere ſufficere ad obligandas conſcientias hominum. Sed reſpondemus præter ea divina præcepta neceſſarias fuiſſe leges alias humanas tum Civiles, tum Eccleſiaſticas, ut oſtendimus. Quare, ſicut Deus diſpoſuit, ut Præſides, ac Rectores exiſterent ad bonum Univerſi; ita ad eumdem finem conſtituit, ut poteſtate legum ferendarum gauderent. Hinc inter alia præcepta naturæ, & poſitiva divina unum hoc eſt, *legitimis ſuperioribus obediendum eſſe*; atque ex hoc fit, quod obligent in foro conſcientiæ. Nam tametſi inferior ex ſe obligare nequeat in foro ſuperiori, ſi tamen inferioris poteſtas a ſuperiore deſcendit, iſque velit, ut inferiori obediatur, ſicut Deus vult, ac præcipit, tunc ab hujus voluntate obligatio procedit, ad quem pertinet forum conſcientiæ. Sed ad alia pergamus.

VII. Quoniam de iis dictum eſt, in quibus reſidet poteſtas ferendi leges civiles, aliqua dicenda ſunt etiam de illis, quibus eadem poteſtas ineſt ferendi leges Eccleſiaſticas, ſive Canonicas: quæ in re loqui poſſumus vel in generali, vel in particulari. Si priore modo loquamur, certiſſimum eſt, poteſtatem hanc eſſe in Œcumenicis Conciliis legitime congregatis ſub ſupremo capite Romano Pontifice. Sic enim primæ Eccleſiæ leges pro Eccleſia univerſa inſtitutæ ſunt in Concilio Hieroſolymitano, ubi omnes Apoſtoli, & Eccleſiæ Seniores convenerunt ad ea decernenda, quæ communi bono fidelium expedire judicarunt, eaque decreta condenda, quæ ab omnibus religioſe forent obſervanda. Si autem de perſonis particularibus ſermo ſit, certum itidem eſt apud Catholicos omnes, Primatum poteſtatis nedum ordinis, ſed etiam juriſdictionis reſidere in Summo Pontifice Romano pro univerſæ Eccleſiæ regimine. Hæc enim ab ipſo Chriſto Domino collata Petro eſt, & Succeſſoribus ejus verbis illis apud Matth. 16. *Ego dico tibi: tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. *Et tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Quibus ſingulari, ſpecialique modo hanc in univerſam Eccleſiam ſanciendi leges poteſtatem Chriſtus Petro premiſit, & contulit, cæteriſque, qui in ejus Cathedra ſuccederent, uti ſunt Romani Pontifices. Hinc Adrianus Papa, ut aliorum plane innumera omittam teſtimonia, in Epiſt. ad Imperatorem relata in ſeptima Synodo *Act.* 2. ad illa verba, *Tibi dabo*, ſcripſit: *Ab ipſo Redemptore Mundi Beato Petro Apoſtolo principatus, & poteſtas data eſt, & per eumdem Apoſtolum Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romana uſque hactenus tenet Principatum, & poteſtatis authoritatem.* At præterea Chriſtus ipſe eamdem Petro legislativam poteſtatem confirmavit apud Joan. c. 21. cum ipſi commiſit, ut ſuas oves paſceret: *Paſce oves meas*. In verbo namque *paſcendi* tum *regendi*, tum *leges ad finem eumdem ferendi* ſignificata poteſtas eſt,

ſicut dictum a Domino fuerat Reg. 2. c. 5. *Tu paſces populum meum Iſrael*, *paſces*, inquam, tum directione, tum legum inſtitutione.

VIII. Nedum S. Petro, Summiſque Romanis Pontificibus, ſed cæteris etiam Apoſtolis ferendarum legum pro Eccleſiarum ſuarum regimine collatam fuiſſe a Chriſto Domino poteſtatem, concors eſt Catholicorum opinio: quod ex Scripturis, & perenni Eccleſiæ traditione colligitur. Sic enim Apoſtolis omnibus locutus eſt Chriſtus Dominus: *Sicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos*: miſſus eſt autem, ut adnotavimus, Chriſtus non ſolum ut Redemptor, & Doctor, ſed etiam ut Rex, ac Legiſlator. Matth. quoque c. 18. omnibus dictum eſt: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram* &c. quod potiſſimum per leges fit, atque præcepta. Et ſane ad congrue exercendum munus Apoſtolicum, & fundandam Eccleſiam poteſtas hujuſmodi neceſſaria omnino erat. Cum igitur ad hoc officium eos Chriſtus delegerit, talem ipſis contuliſſe poteſtatem dubitandum non eſt.

Porro cum Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum ſint, his quoque condendi legem poteſtatem convenire apud omnes exploratum eſt: hoc ſolo intercedente diſcrimine, quod, cum Apoſtoli ad Eccleſiam per totum terrarum orbem erigendam miſſi fuerint, ſive ut prædictum erat per Davidem Prophetam: *Conſtitues Principes ſuper omnem terram*, ampliſſima ubique juriſdictionis poteſtate gaviſi ſunt. Sed Eccleſia jam fundata, & in peculiares Diœceſes diſtributa, rectus ordo poſtulabat, ut ipſum regimen divideretur in plures, atque ita plures eſſent Epiſcopi, qui illud adminiſtrarent. Quapropter Epiſcopi Apoſtolis quidem in Epiſcopatu ſuccedunt, non autem in amplitudine juris Apoſtolici, ſive non ea univerſali poteſtate ferendi leges potiuntur, qua inſtructi fuerunt Apoſtoli, ſed intra propriarum Diœceſum confinia limitata, extra quæ non extenditur, niſi in generali Concilio ſimul conveniant, in quo Eccleſiam repræſentent.

Hanc juriſdictionis poteſtatem Epiſcopos a Chriſto Domino immediate accipere, communiter inter Doctores Catholicos, ac omnino tenenda ſententia eſt. Nam præter perpetuam Conciliorum, Sanctorumque Eccleſiæ Patrum traditionem, id ſatis evidenter colligitur ex cap. 20. Actuum Apoſt. ubi Sanctum Paulum dixiſſe legimus ad eoſdem: *Attendite vobis*, *& univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Si Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Dei Eccleſiam ſibi commiſſam, procul dubio etiam contulit authoritatem inſtituendi leges, ac ferendi præcepta pro Eccleſiæ ſuæ bono; nam in poteſtate *regendi* etiam hæc poteſtas includitur: atque adeo ab ipſomet Spiritu Sancto immediate conceſſa eſt: ſervato tamen ordine, ac dependentia ad ſupremum Eccleſiæ caput Romanum Pontificem, qui corrigere valet errantes, aut ſua poteſtate abutentes Epiſcopos, legeſque eorum bono Eccleſiæ repugnantes, aut noxias abrogare. Hic autem obſervandum, quod licet Epiſcopi plerumque in Conciliis Diœceſanis leges pro bono Eccleſiæ ſuæ condere ſoleant, tota tamen authoritas in Epiſcopo eſt, nihilque vigoris, aut ponderis addunt, qui Conciliis interſunt.

IX. Quoniam vero plures excitantur quæſtiones circa illos, qui authoritate pollent ferendi leges ſive Eccleſiaſticas, ſive Civiles, hæc generalis regula pro iis omnibus dirimendis inſervit. *Quicumque præſunt Communitati perfectæ*, *eamque adminiſtrant*, *ſive civilis ea ſit*, *ſive ſpiritualis*, *aut Eccleſiaſtica*, *ii legiſlativa poteſtate gaudent quoad ea*, *quæ finem ſuum*, *aut materiam ſpectant*, *circa quam verſantur*, *utpote neceſſaria ad illam recte*, *& congrue gubernandam*. *Communitatis* autem *perfectæ* nomine, ut ab

ut ab initio jam diximus hujus Tractatus, ea intelligitur, quæ ſuapte natura perpetua eſt, ac politicæ gubernationis capax. Siquidem perfecta Communitas congrue regi, ac gubernari minime poſſet, niſi in Rectore poteſtas ſit ea efficaciter conſtituendi, quæ ad commune bonum illius neceſſaria ſunt, aut expediant, curandique, ut obſerventur, coercendo, & puniendo improbos, ac refractarios, omneſque in officio continendo. Cæteri autem ſuperiores privati, & ab aliorum authoritate dependentes, præcepta quidem ferre poſſunt, quæ in materia ſuo ſubjecta regimini, vim habeant obligandi ſubditorum conſcientias, ſed leges condere nequeunt.

X. Quinam ſint limites, intra quos continetur utraque poteſtas, Civilis, & Eccleſiaſtica, ex iis, quæ diximus de fine, ad quem ordinantur, ac utriuſque materia differentes, haud difficulter cognoſci poteſt. Quædam nihilominus ad hoc argumentum amplius elucidandum addenda judico: ac in primis generalem præmitto S. Thomæ doctrinam, quam habet *lib.* 2. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 4." Poteſtas, inquit, „ ſpiritualis, & ſæcularis utraque deducitur a poteſtate divina. Et ideo in tantum ſæcularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, in quantum eſt ei a Deo ſuppoſita; ſcilicet in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent: & ideo in his magis eſt obediendum poteſtati ſpirituali, quam ſæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, eſt magis obediendum poteſtati ſæculari, quam ſpirituali, ſecundum illud Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo* ". Quibus verbis S. Doctor amplitudinem ſimul, & confinia utriuſque poteſtatis deſignavit, ita ut in iis, quæ ſalutem animæ ſpectant, poteſtates duntaxat ſpirituales decernere valeant, ac leges conſtituere, quibus ſubjecti ſint vel ipſi Principes ſæculares, eiſque obedire teneantur; in iis vero, quæ bonum civile, ſive temporalem felicitatem reſpiciunt, leges condere queant ſoli ſæculares Principes, queis & ipſi Eccleſiaſtici ſubjiciantur, niſi forte ſpeciali aliquo privilegio ab earum ſubjectione eximantur.

XI. Hæc S. Thomæ doctrina eruitur ex Scripturarum locis jam adductis; quæ ſicut ſæcularibus Principibus plenam in rebus temporalibus adminiſtrandis facultatem tribuunt, ita ſolam Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in rebus ſpiritualibus poteſtatem adjudicant; & inſuper ſatis aperte comprobatur ex illo teſtimonio Chriſti Domini apud Joan. c. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: quo Chriſtus ſe veniſſe perhibuit, non ut quidpiam detraheret de his, quæ Imperatoribus, ac Regibus terrenis proprio ipſorum jure conveniebant, ſed ut novum illud adſtrueret ſpirituale regnum, quod animarum ſempiternam ſalutem ſpectat, ſuper temporalia regum, ac Principum Dominia. Hoc idem Angelicus Doctor declarat 3. *p. q.* 57. *art.* 4. ubi quærit, *utrum Chriſti* (prout homo eſt) *poteſtas judiciaria ſit univerſalis reſpectu omnium hominum*: Sic enim eam aſſerit, ac probat: " Cuicunque committitur principale, committitur & acceſſorium. Omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ eſt ſalus æterna, ad quam homines admittuntur, vel a qua etiam repelluntur, ut patet Matth. 25. Et ideo manifeſtum eſt, quod ad judiciariam poteſtatem Chriſti pertinent omnes res humanæ "; ſub ea ſcilicet ratione, qua pertinent ad æternam hominum ſalutem: quod clarius apparet ex his, quæ habet *in reſp. ad* 1. ubi quamvis concedat, Chriſtum regem fuiſſe conſtitutum, non tamen, dum in terris viveret, terrenum regnum temporaliter adminiſtravit. Unde Pilato ipſum de regno ſuo interroganti reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Verba D. Thomæ ſunt: *Judi-*

ci.ræ.

ciaria poteſtas conſequitur regiam dignitatem. Chriſtus autem, quamvis eſſet Rex conſtitutus a Deo; non tamen in terris vivens terrenum regnum adminiſtrare voluit: unde ipſe dixit Joan. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Similiter etiam*, ſubdit, *judiciariam poteſtatem exercere noluit ſuper res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Unde Ambroſius in Lucam* c. 12. *dicit*: *Bene terrena declinat, qui propter divina deſcenderat &c.*

Hæc igitur eſt ſola poteſtas, quam Chriſtus Dominus ex Æterni Patris ordinatione in hunc mundum deſcendens exercuit: & hanc ſolam Apoſtolis, aliiſque legitimis eorum Succeſſoribus communicavit, ad fundandum ſcilicet, propagandumque *regnum ſuum* ſpirituale, & imbuendos homines Chriſtianæ fidei myſteriis, eoſque admonitionibus, præceptis, & legibus provehendos ad ſalutem æternam, dicens, *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*: quæ poteſtas alterius, altioriſque ordinis nihil penitus officit temporali Principum hujus mundi authoritati, qua terrenam rempublicam regunt, & adminiſtrant, & a quorum in rebus temporalibus ſubjectione nemo Eccleſiaſticæ authoritatis prætextu ſe ſubtrahere valet; ſed omnes in his ſequi debent præceptum Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* ex ipſa Dei ordinatione, quemadmodum & terrenæ ipſæ Poteſtates ſubjici omnino debent Poteſtatibus Eccleſiaſticis in rebus ſpiritualibus, ac divinis.

XII. Utraque hac poteſtate juxta ab ipſomet Deo præfinita confinia, regi ac gubernari Chriſtianum orbem, jampridem agnoverunt Eccleſiæ Patres, & ſacra Concilia, & agnoverunt etiam Summi Romani Pontifices, quos inter Gelaſius Papa in Epiſt. ad Imperatorem Anaſtaſium ita ſcripſit: " Duo ſunt, Imperator Auguſte,
„ quibus principaliter mundus hic regitur,
„ *Authoritas Sacra Pontificum, & Regalis*
„ *Poteſtas*: in quibus tanto gravius eſt pon-
„ dus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis
„ Regibus Domino in divino reddituri ſunt
„ examine rationem. Noſti etenim, Fili
„ Clementiſſime, quod licet præſideas hu-
„ mano generi dignitate, rerum tamen
„ Præſulibus divinarum devotus colla ſub-
„ mittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis
„ expectas, inque ſumendis cœleſtibus Sa-
„ cramentis, eiſque (ut competit) diſpo-
„ nendis ſubdi te debere cognoſcis religionis
„ ordine potius, quam præeſſe. Noſti itaque
„ inter hæc ex illorum te pendere judicio,
„ non illud ad tuam velle redigi voluntatem.
„ tem. Si enim quantum ad ordinem
„ pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcen-
„ tes imperium tibi ſuperna diſpoſitione
„ collatum, legibus tuis ipſi quoque pa-
„ rent Religionis Antiſtites, ne vel in re-
„ bus mundanis excluſæ videantur obviare
„ ſententiæ; quo, rogo, te decet affectu
„ eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus
„ ſunt attributi myſteriis? Proinde, ſicut
„ non leve diſcrimen incumbit Pontificibus
„ ſiluiſſe pro divinitatis cultu (atque ita
„ pro aliis fidem, doctrinam, aut ſacras
„ res ſpectantibus), quod congruit; ita
„ his (quod abſit) non mediocre pericu-
„ lum eſt, qui cum parere debeant, deſ-
„ piciunt ". Ita legendus eſt iſte Gelaſii textus, ſicut refertur Tom. 4. Conciliorum Editionis Labbeanæ: nam apud Gratianum truncus admodum, & interpolatus exhibetur.

Ex hoc Gelaſii decreto plura emergunt, quæ lucem afferunt præſenti noſtro argumento admodum neceſſariam. Et primo quidem liquet etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus duas eſſe inter ſe diverſas gubernationes, quibus hic mundus regitur, *ſacram* nempe *Pontificum authoritatem*, & *Regalem poteſtatem*. Secundo *authoritatem Pontificum* ſpectare res ſacras, ſive *ſpirituales*, *ac divinas*, atque adeo in his Imperatores ipſos Chriſtianos, ſive Reges, aut

Digitized by Google

aut Principes *devote ſubmittere colla debere* Prælatis Eccleſiaſticis, velut Eccleſiæ filios, non dominos, eorumque legibus obtemperare, & ex ipſorum pendere judicio, dum de aliquo agitur ad ſalutem animæ, cauſaſque ſalutis, ſive fidei, morumque doctrinæ pertinente, non autem ad propriam voluntatem redigere velle, aut in iis decernendis ſemet immiſcere. Ex quo colligit Summus Pontifex, *tanto gravius eſſe pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus Domino in divino examine reddituri ſunt rationem*. Atque hæc ſunt, quæ ad Pontificum jura pertinent. Tum vero Pontifex idem profitetur, regalem poteſtatem, qua Imperatores, aliique Chriſtiani Principes præfulgent, ac mundum in temporalibus regunt, integram prorſus in ipſis conſiſtere, nec ex ſubjectione ad Religionem Chriſtianam ullatenus lædi, aut labefactari. Quo autem hæc ſumma in ordine ſuo poteſtas extendatur, declarat Gelaſius, dum ait: *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent Religionis Antiſtites, ne vel in rebus humanis excluſæ videantur obviare ſententiæ, quo te decet &c.* Ex confeſſione igitur, ac doctrina Gelaſii Chriſtiani Principes regali ſua poteſtate humano generi præſunt, & iis, quæ ordinem ſpectant *publicæ diſciplinæ, ſive politiæ temporalis*, legibus ſcilicet, quæ latæ ſunt pro conſervando temporali diſciplinæ ordine, promovendoque communi Reipublicæ bono, ſubjecti ſunt vel ipſi ſacri Antiſtites, eiſque parere tenentur. Excipe tamen illos, qui præter dignitatem, & authoritatem ſpiritualem, fruuntur etiam temporali dominio, aliis Principibus ſuperioribus minime ſubjecto, ſed abſoluto, & independente.

Lubet hoc confirmare alio ejuſdem Pontificis Gelaſii teſtimonio, quod refertur T. 5. Concil. pag. 358. ex Tract. de Anath. *Chriſtus, inquit, memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret diſpenſatione magnifica temperans, ſic actionibus propriis, dignitatibus que diſtinctis officia poteſtatis utriuſque* (temporalis, & Eccleſiaſticæ) *diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus intercipi: ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritualis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret: ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus, ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur &c. & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.*

His ſuffragatur S. Bernardus gravi ſententia lib. 1. de Conſid. c. 6. inquiens: *Non monſtrabunt, puto, ubi aliquando quiſquam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe lego Apoſtolos judicandos: ſediſſe judicantes non lego. Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claves regni cælorum. Habent hæc infima, & terrena judices ſuos Reges, & Principes terræ. Quid fines alios invaditis? Quid falcem in alienam meſſem extenditis?*

Et lib. 2. c. 6. *Nunquid dominationem tibi dimiſit S. Apoſtolus? Audi ipſum:* Non dominantes, *ait*, in Clero: ſed forma facti gregis. *Et ne dictum ſola humilitate putes, vox Domini eſt in Evangelio:* Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic. *Planum eſt: Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque.*

XIII.

XIII. Utraque igitur Poteſtas ſuos limites habet, extra quos egredi neutri fas eſt, ne utriuſque jura turbentur, omniſque amoveatur confuſio, & pertubatæ juriſdictionis querelæ. Quod Principibus Chriſtianis competit quoad leges, & jura Prælatorum Eccleſiæ, illud ſolummodo eſt, ut ea ab impiorum hominum a verſis molitionibus ſarta tecta cuſtodiant, Eccleſiam protegant, atque defendant. Nam Deum *voluiſſe ſæculares Principes ſanctæ Fidei, & Eccleſiæ eſſe Protectores*, docet Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 25. c. 20. docentque cum ipſo Summi Pontifices. Sic enim S. Leo Papa *epiſt.* 75. Leonem Imperatorem admonuit: *Debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium tibi eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas.* Idemque animadverſum eſt in Concilio Moguntino ſub Stephano Papa de Regis officio: *Meminerit, ſe præ omnibus ita ſanctæ Matris Eccleſiæ eſſe filium, ut ejus paci, & tranquillitati per univerſum mundum ſuum prodeſſe faciat imperium.* Hæc ſola Poteſtas eſt, quam magna cum laude, meritoque apud Deum exercent in Eccleſia Chriſtiani Principes. Cæters vero, quæ ad intimas ſacri Miniſterii partes attinent, aut quæ fidei ac morum doctrinæ propria ſunt, Eccleſiæ Prælatis diſcutienda, ac decernenda relinquere debent.

CAPUT VIII.

Conſectaria.

I. *Subditi obedientiam præſtare tenentur legibus Principum etiam impiorum, ac tyrannorum. Aliquæ de hac re eliquentur difficultates ex doctrina S. Thomæ.*

II. *Laxa eſt, & damnatione digna plurium Caſuiſtarum ſententia, quoad obligationem legum ſæcularium.*

III. *Erronea Puffendorfii opinio rejecta de poteſtate Principum ſæcularium in ſpiritualia.*

IV. *Nemo poteſt ferre leges adverſantes legibus ſui Superioris.*

V. *Leges Imperatoris non obligant, niſi pro regionibus, quarum dominium habet.*

VI. *Legislator humanus non habet poteſtatem ſtatuendi, niſi quæ ad bonum commune referuntur.*

VII. *Quas leges condere valeant Principes tum ſæculares, tum Eccleſiaſtici.*

VIII. *Poteſtas Principum ſæcularium non habet in temporalibus ſuperiorem, niſi Deum.*

IX. *Principes Chriſtiani temporales in his, quæ ſpiritualia ſunt, ſubjiciuntur legibus Eccleſiaſticis, ſicut cæteri fideles.*

X. *Hinc utraque poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica abſoluta, & independens ab alia eſt.*

XI. *Quinam gladius utrique Poteſtati conveniat.*

XII. *Epiſcopus poteſtatem habet in propriam Diœceſim, Summo tamen Pontifici ſubordinatam.*

XIII. *Epiſcopus condere leges poteſt, etiam ſine Capituli, aut Cleri conſenſu.*

XIV. *Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, mortuo Epiſcopo, leges condere poteſt.*

XV. *Quanam poteſtas ſit in Conciliis Nationali, Provinciali, ac Diœceſano.*

XVI. *Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium legis rationem proprie non habent.*

XVII. *Etiam in ordinibus Regularium adeſt poteſtas leges ferendi.*

XVIII. *Regula generalis præ oculis habenda circa perſonas poteſtate gaudentes ferendi leges.*

XIX. *Quò ſe extendat jus, quo potiuntur Principes ſæculares, ut Eccleſiæ Protectores.*

XX. & XXI. *Quæ vi hujuſce juris protectionis præſtare poſſint, ac ſæpe debeant Principes Chriſtiani.*

CON-

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. SUBDITI obedientiam præſtare tenentur legibus Principum etiam impiorum, ac tyrannorum. Hoc ſequitur ex poteſtate, qua fruuntur condendi leges obligantes ſubditorum conſcientias juxta Apoſtoli Pauli doctrinam. Verum quia hac in re nonnullæ difficultates occurrunt, ut eæ diluantur, plenoque in lumine veritas exponatur, afferenda, & explicanda eſt doctrina S. Thomæ, quam tradit *lib. 2. ſent. diſtinct.* 44. *q.* 2. ubi quærit, *utrum Chriſtiani teneantur obedire Poteſtatibus Sæcularibus, & maxime Tyrannis?* Sed prius illud adnotandum eſt, *Tyranni* nomen dupliciter intelligi. Nam alius dicitur *Tyrannus in adminiſtratione*, qui nempe perperam adminiſtrat Rempublicam, nec bonum commune quærit, ſed proprium. Alius *Tyrannus in titulo*, qui ſcilicet titulum regnandi non habet: qui rurſus duplex diſtingui ſolet: vel enim aliquis, cum privata perſona ſit, regnum ſibi per violentiam acquirere conatur, repugnantibus legitimis poſſeſſoribus: vel, tametſi per violentiam, & fraudem illud ſibi acquiſiverit, eo pacifice nondum fruitur. Itaque S. Thomas conſtituit in primis regulam generalem, *teneri Chriſtianos obedire Poteſtatibus ſæcularibus*, quæcunque eæ ſint: idque probat tum verbis Apoſtoli Petri dicentis: *Servi ſubditi eſtote Dominis veſtris, non ſolum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*: tum verbis adductis S. Pauli: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Sed non eſt licitum*, ſubjicit, *Dei ordinationi reſiſtere: Ergo nec ſæculari poteſtati reſiſtere licet*.

Hæc eſt generalis regula, quam ſubinde S. Doctor explanat, & quo pacto intelligenda ſit declarat, ſolido hoc conſtituto principio: "Obedientia, inquit, reſpicit in „ præcepto, quod ſervat, debitum obſer„ vandi. Hoc autem debitum creatur ex „ ordinatione prælationis, quæ virtutem „ coactivam habet non tantum temporali„ ter, ſed etiam ſpiritualiter *propter con„ ſcientiam*, ut Apoſtolus dicit *Rom.* 13. „ ſecundum quod *ordo prælationis a Deo „ deſcendit*. Et ideo ſecundum hoc, quod „ a Deo eſt, obedire talibus Chriſtiani „ tenentur: non autem ſecundum quod a „ Deo prælatio non eſt. Dictum eſt au„ tem, quod prælatio poteſt a Deo non „ eſſe, vel quantum ad modum acquiren„ di prælationem, vel quantum ad uſum. „ Quantum ad primum contingit duplici„ ter, aut *propter defectum perſonæ*; quia „ indignus eſt: aut propter *defectum in ip„ ſo modo acquirendi*; quia ſcilicet per vio„ lentiam, vel per ſimoniam, vel aliquo „ illicito modo acquirit. *Ex primo defec„ tu non impeditur, quin jus prælationis ei „ acquiratur*. Et quoniam prælatio *ſecun„ dum ſuam formam ſemper a Deo eſt, quod „ debitum obedientiæ creat*; ideo talibus Præ„ latis, quamvis indignis, obedire tenen„ tur ſubditi. *Sed ſecundus defectus impe„ dit jus prælationis*. Qui enim per vio„ lentiam dominium ſurripit, non efficitur „ vere Prælatus, & ideo cum facultas a„ deſt, poteſt aliquis tale dominium repel„ lere, niſi poſtmodum Dominus vere ef„ fectus ſit, vel *per conſenſum ſubditorum*, „ vel *per authoritatem ſuperioris*. Abuſus „ autem prælationis poteſt eſſe dupliciter, „ vel ex eo, quod eſt præceptum a Præ„ lato contrarium ejus, ad quod prælatio „ ordinata eſt; ut ſi præcipiat actum pec„ cati contrarium virtuti, ad quam in„ ducendam, & conſervandam prælatio „ ordinatur: & tunc non ſolum aliquis „ Prælato non tenentur obedire, ſed etiam „ tenetur non obedire: ſicut & Sancti „ Martyres mortem paſſi ſunt, ne impiis „ juſſis tyrannorum obedirent: vel quia „ cogunt ad hoc, ad quod ordo prælatio„ nis non ſe extendit, ut ſi dominus exi„ gat tributa, quæ ſervus non tenetur da„ re, vel

Digitized by Google

„ re, vel aliquid hujuſmodi: & tunc ſub- „ ditus non tenetur, obedire, nec etiam „ tenetur non obedire ".

Ex hac egregia S. Thomæ doctrina plura elareſcunt, pluresque difficultates eliquantur, quæ Principum poteſtatem, & ſubditorum obedientiam ſpectant. Liquet in primis, abſolute, & generatim loquendo teneri ſubditos parere legibus, ac mandatis Principum, etiamſi indigni ſint ea dignitate, ac tyrannice Rempublicam adminiſtrent: quod ſatis compertum eſt ex textu S. Petri: *Subditi eſtote Dominis veſtris non ſolum bonis, ſed etiam diſcolis*.

Liquet, ſecundo, quodnam ſit fundamentum, cur etiam his Principibus obedientia a ſubditis præſtanda ſit, ſcilicet, quod hoc conſcientiæ debitum ex ipſo ordine prælationis a Deo conſtituto derivetur, adeoque hujuſmodi ordo, prout a Deo, fundet, & inducat obligationem in foro conſcientiæ obediendi Prælatis ſive ſæcularibus, ſive Eccleſiaſticis ex illo generali juris naturæ principio profectam: *Legitimis ſuperioribus obediendum eſt*. Quapropter, ſi aliquando verum ſit hanc, aut illam, quam quis habet prælationem, a Deo non deſcendere, tunc ceſſat debitum obediendi.

Liquet tertio: ſi Princeps, aut Prælatus dignitate ſua, ſive prælatione indignus ſit ob improbitatem ipſius, aliumve defectum, qui perſonam afficiat, non dignitatem, aut prælationem, eidem nihilominus ſubditi parere tenentur, neque ex hoc capite ſe ab ejus ſubjectione, aut obedientia ſubtrahere poſſunt: quia non ex hoc a prælatione decidit, quæ *ſecundum ſuam formam a Deo eſt*: *quod debitum obedientiæ creat*.

Liquet quarto: ſi privatus aliquis per violentiam dominium, aut Principatum uſurpet, nec accedat vel Communitatis conſenſus, vel Superioris authoritas, vel alius legitimus titulus, adeo ut vere Dominus vel Civitatis, vel Regni non efficiatur [quod eſt eſſe *tyrannum in titulo*]; nullus ei obedire tenetur, liciteque poteſt ſe ab obedientia ſuis legibus, aut mandatis præſtanda ſubtrahere: quoniam, cum prælationis titulo reapſe careat, caret etiam *forma*, per quam prælatio *a Deo eſt*, quod debitum obediendi inducit.

Liquet tandem: dum ſermo eſt de Principe *tyranno in adminiſtratione* regni ſui, ſi quid iſte præcipiat contra legem, aut præceptum Superioris, a quo dependet, puta Dei; tunc nedum ſubditi juſſis ejus obtemperare minime tenentur, ſed potius tenentur non obtemperare, & obtemperando peccarent. Siquidem prima ſubjectio hominis eſt erga legem Dei, qui Regum omnium, ac Principum ſupremus dominator eſt, qui poteſtatem hominibus nec confert, nec conferre poteſt adverſum leges ſuas, atque præcepta: adeoque leges, & præcepta omnia, quæ divinis repugnant, repellere quiſque debet exemplo Sanctorum Martyrum, qui Tyrannis illos a fide avertere conantibus conſtantiſſime reſtiterunt. Si vero prælationis abuſus in eo conſiſtat, quod Princeps Tyrannus præcipiat aliquid, ad quod non ſe extendat ſuæ prælationis ordo; tunc obedire quidem ſubditi poſſunt, ſed minime tenentur. Hæc omnia ex doctrina S. Thomæ propoſita.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

* II. Laxa eſt, & damnatione digna plurium Caſuiſtarum ſententia, quam ita proponit, ac ſequitur P. Thomas Tamburinus *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 8. n. 12.* " Di„ co, leges civiles *de facto vel raro* ex „ Cajet. Imola, Felino &c. vel certe ex „ Bonac. *non frequenter* obligare ſub mor„ tali: Eccleſiaſticas item *non multum fre„ quenter*, ut late docuimus de Sacrificio „ Miſſæ. " Et lib. de Sacrif. " Tertia ſen„ tentia [ait] quam libenter amplector, „ aſſerit nullam legem pœnalem, ſive mixtam

„ tam in quacunque pœna temporali, quan-
„ tumvis gravi , obligare in conſcientia
„ ad culpam . Ita Valentia , Villalobos
„ in Summa citans Navarrum , alioſ-
„ que apud Dianam , probabilemque fa-
„ tetur Azor. Filliucius , aliique . Ratio
„ potiſſima allata a Valentia eſt: quia quoad
„ Legislatores ſæculares , cum ipſi rariſſime,
„ ne dicam nunquam , ſoleant obligare in
„ conſcientia , *certe* , *ſi ſe expreſſe non ex-*
„ *plicent* , ſed ſolum pœnam , *licet addito*
„ *etiam imperio* , exprimant , judicabimus
„ illos *more ſuo in conſcientia non obligare*,
„ & vere nihil aliud intendiſſe , *niſi quod*
„ *exprimunt* , nempe pœnam “ . Hæc poſtrema verba præſertim notanda ſunt . Ex iis quippe conſtat , hanc ſententiam plane diruere , ac evertere poteſtatem , quæ Principibus tum temporalibus , tum Eccleſiaſticis ex divina ordinatione collata eſt, obligandi legibus ſuis ſubditos nedum in foro exteriore , ſed etiam conſcientiæ . Certe terreni præſertim Principes quandonam *expreſſe exprimunt* ſe obligare ſubditos *ſub gravi peccato* ? Nunquid ſub gravi peccato exprimebant ſe obligare Principes gentiles , de quibus loquitur Apoſtolus Paulus , qui leges ferentes ne de peccato quidem cogitabant ? Et tamen S. Apoſtolus abſolute dicebat : *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* , *non ſolum propter iram* , *ſed etiam propter conſcientiam* , eorumque legibus parendum eſſe monebat ſub pœna damnationis æternæ . Ita quoque Chriſtiani Principes leges rogant pro communi Reipublicæ bono . At *expreſſe explicare* minime ſolent , ſe *intendere obligare in conſcientia* , aut *ſub gravi peccato* ſubditos , nec aliud præſtant , niſi imperio ſuo jubere , ac pœnam temporalem apponere . Nunquam igitur , ſi Valentiam , Tamburinum, alioſque Caſuiſtas audiamus , peccabunt ſubditi Principum ſuorum legibus non obtemperantes : quod plane ſacris Litteris adverſatur . Quare hæc ſententia , prout a Tamburino , aliiſque proponitur , tanquam improbabilis , Scripturæ Sacræ repugnans , & terrenarum Poteſtatum , ſicut etiam Eccleſiaſticarum authoritati perniciosa omnino repudianda eſt .

Consectarium Tertium.

III. Erronea , quin & hæretico ſpiritu plena cenſeri debet opinio Puſendorfii , aliorumque ex Heterodoxis Scriptoribus , qui contendunt , Hierarchiam Eccleſiaſticam, & Poteſtatem in Sacra non eſſe ſejunctam a Poteſtate politica civili , adeo ut Principibus ſæcularibus , qui temporalem Rempublicam adminiſtrant , competat poteſtas in omnia, quæ ſpiritualia ſunt, & animarum ſempiternam ſalutem ſpectant , nullaque & vana ſit utriuſque poteſtatis diſtinctio . Hæc, inquam , ſententia erronea , immo & hæretica exiſtimanda eſt : quoniam adverſatur tum Scripturæ , tum perenni Eccleſiæ traditioni . Non abnuo quidem , potuiſſe Deum utramque ſimul conjungere poteſtatem; ſed id reapſe non præſtitiſſe conſtat ex allatis teſtimoniis , & ex aliis , quæ poſſent afferri , ac afferuntur ab his , qui data opera de re hac diſſeruerunt . Nam , cum hæc ſit veritas alicujus *facti* , non aliunde haurire illam poſſumus , quam ex ipſa nova lege , quam Chriſtus condidit , vel ex teſtimoniis Apoſtolorum , vel ex Eccleſiæ praxi , atque doctrina . Chriſtus autem ſupremum Eccleſiæ regimen, non Principibus ſæcularibus commiſiſſe , ſed Petro , ejuſque ſucceſſoribus , pluſquam evidens eſt. Nec minus eſt exploratum , tum Apoſtolos *poſitos a Spiritu Sancto fuiſſe regere Eccleſiam Dei* , *quam acquiſivit ſanguine ſuo* ; tum etiam hanc ſemper extitiſſe in Eccleſia doctrinam , & praxim : nec ullum locum afferre licet ſive ex Scriptura , ſive ex traditione , ex quo colligere jure poſſimus, hanc poteſtatem terrenis Principibus fuiſſe commiſſam . Siquidem , quæ ex Scriptura exempla profert Puſendorfius , nullius mo-

menti ſunt, ſolumque evincunt, ut ſupra dictum eſt, poteſtatem ineſſe Principibus temporalibus tuendæ Chriſtianæ Religionis, protegendi Eccleſiam, ac jura ipſius; non autem dirimendi fidei controverſias, offerendi Sacrificia, miniſtrandi Sacramenta, aliaque obeundi propria Sacerdotum munia.

Consectarium Quartum.

IV. Nemo poteſt ferre leges adverſantes legibus legitimi ſui Superioris: quia poteſtas inferior prævalere non poteſt adverſus ſuperiorem. Hinc nec Magiſtratus, aut Præfectus quidpiam ſtatuere poteſt contra legem Principis: nec Epiſcopus, aut Archiepiſcopus contra legem Summi Pontificis: nec aut ſupremus Princeps, aut Summus Pontifex contra legem divinam ſive naturalem, ſive poſitivam.

Consectarium Quintum.

V. Imperator non poteſt condere leges, niſi pro regionibus, quarum dominium habet vel jure feudi, vel alio titulo, aut aliqua conventione poſita. Poteſtas enim legislativa conſequitur dominationem, & regimen Communitatis: atque adeo pro cæteris regnis, provinciis, aut civitatibus, quæ ab ipſo non pendent, nulla gaudet ferendi leges facultate. Unde regiones hujuſmodi non tenentur legibus Juſtiniani, aut aliorum Imperatorum, ut veteres aliqui putarunt, niſi forte adoptentur, vel conſuetudine firmentur.

Consectarium Sextum.

VI. Legislator humanus non habet poteſtatem ſtatuendi per leges, niſi ea, quæ ab bonum commune immediate, vel mediate referuntur, aut expediunt. Poteſtas ſiquidem legislativa hominibus conceſſa tanta eſt, quantum poſtulat commune bonum, propter quod confertur. Nam, ut non ſemel dictum eſt ex D. Thoma: *Uniuſcujuſque rei, quæ eſt propter finem, neceſſe eſt, quod forma determinetur ſecundum proportionem ad finem.* At multa ad bonum commune referuntur, & expediunt, quæ nulla lege divina ſtatuta, ac determinata ſunt. Hæc igitur omnia ſtatuere, ac determinare poteſt Legislator humanus. Quæ autem ad commune bonum non expediunt, ſunt extra legislatoris poteſtatem, adeoque ea ſtatuere minime poteſt. Quod ſi ſtatuat, legis vigorem non habent. Ad ſubditos tamen non pertinet judicare de his, quæ expediunt, vel non expediunt communi bono.

Consectarium Septimum.

VII. Principes ſæculares non habent poteſtatem ferendi leges, niſi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus. Principes vero meri Eccleſiaſtici non alia leges ferendi poteſtate gaudent, niſi de rebus ſpiritualibus, quæ cultum Dei, animarum ſalutem, & regimen Eccleſiæ ſpectant. Patet & dictis: quia utriuſque *Poteſta*tis hæc ſunt amplitudo, & limites, intra quos continetur.

Consectarium Octavum.

VIII. Poteſtas Principis ſæcularis abſoluti nullum habet ſuperiorem in ordine temporali, & adminiſtratione regni ſui, niſi Deum, nec ab alio, niſi a Deo, ſi leges non obſervet, puniri, aut judicium condemnationis in ipſum ferri valet. Ita D. Thomas p. 2. q. 96. art. 5. ad 3. *Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad vim coactivam legis. Nullus enim proprie cogitur a ſe ipſo. Lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege: quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſuper illud Pſalmi* 50. Tibi ſoli peccavi &c. *dicit Gloſſa, quod Rex non habet hominem, qui ſua facta dijudicet.* Hauſit S. Thomas hanc doctrinam ex Eccleſiæ Patribus,

tribus,

tribus, quos inter S. Ambroſius in Apol. David c. 10. laudatum textum, *Tibi ſoli peccavi*, exponens ait: *Rex utique erat: nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt Reges a vinculis delictorum, neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti ſub imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius*. Caſſiodorus expoſ. in eumdem locum ſcribit: *De populo ſi quis erraverit, & Deo peccat, & Regi. Quando Rex delinquit, ſoli Deo reus eſt; quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet, Merito ergo Rex Deo tantum ſe dicit peccaſſe: quia ſolus erat, qui ejus potuiſſet admiſſa diſcutere*. Paria habet S. Gregorius Turonenſis lib. 5. *hiſt. Franc*. c. 19. *Si quis*, inquiens, *de nobis, o Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit? niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam*. Alios prætereo.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Principes Chriſtiani ſæculares in iis, quæ ſpiritualia, & divina ſunt, & animarum ſalutem reſpiciunt, non minus ſubjecti ſunt legibus, & authoritati Sacrorum Pontificum, quam cæteri fideles. Et e converſo Sacri Antiſtites, aliique Eccleſiaſticæ perſonæ in his, quæ temporalia ſunt, aut temporalis Reipublicæ regimen ſpectant, non minus terrenis Principibus ſubjiciuntur, quam cæteri ſubditi, niſi ex liberalitate, & favore eorumdem Principum privilegium aliquod interceſſerit. Id conſequitur ex indole, ac natura utriuſque poteſtatis, & ex clariſſimo teſtimonio Summi Pontificis Gelaſii jam adducto; in quo, quemadmodum diſerte affirmat, Imperatores ſeſe debere ſubmittere *rerum divinarum Præſulibus* in iis, quæ divina ſunt, vel cauſas ſalutis, ac religionis concernunt; ita pro certo habet, quantum ad ordinem diſciplinæ tempora lia pertinet, Sacros ipſos Antiſtites ſubjicit legibus, quas pro pace, ac tranquillitate Reipublicæ conſervanda promulgant.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Hinc utraque poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica, dum ſola in ſemetipſa ſpectatur, abſoluta, & independens ab alia eſt, adeo ut in genere ſuo ſuprema ſit, nec una alteri proprie ſubordinetur, quamquam Eccleſiaſtica longe nobilior ſit terrena ob nobiliorem finem, quem reſpicit. Quod ſi poteſtas utraque conſideretur *in concreto*, ut inquiunt, ſive in ſubjectis, aut perſonis, quæ Poteſtate fruuntur; tunc eadem perſona, quæ ſub uno reſpectu alteri ſubjecta non eſt, ſub altero eidem ſubeſſe poteſt: atque hoc pacto Princeps, ut Princeps eſt, ſeu attenta regali ſua poteſtate, nemini ſubjicitur, niſi Deo: prout vero Chriſtianus eſt, ſive membrum Societatis Eccleſiaſticæ, ſubeſt Eccleſiæ Præſidibus, maximeque Summo Pontifici in his, quæ ad ſpiritualia officia, & miniſteria pertinent. Eodemque modo Sacri Antiſtites, prout Paſtores ſunt gregis Chriſtiani, ſive ſpectata Pontificia poteſtate, non ſubjiciuntur terrenis Principibus; at vero iidem ſubjecti ſunt in civilibus, quatenus & ipſi inter membra ſocietatis civilis computantur. Uno verbo ambæ iſtæ Poteſtates *Civilis*, & *Eccleſiaſtica* inter ſe diſparate ſe habent, & a Deo ſolo, a quo ſunt inſtitutæ, dependent, adeoque neutra illarum alterius jura attingere poteſt, licet ſpiritualis, ut dixi, longe ſit temporali nobilior.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Poteſtas utraque Civilis, & Eccleſiaſtica proprium ſuum, ac peculiarem gladium habet, quo improbos, ac ſuis legibus refractarios coerceat. Civilis gladium gerit *materialem*, quo corporales pœnæ infli-

ſiguntur; de quo locutus eſt Apoſtolus Paulus, cum de Principe dixit: *Non enim ſine cauſa gladium portat; vindex* &c. Eccleſiaſtica *ſpiritualem* gladium habet, qui conſiſtit in Eccleſiaſticis cenſuris. Jus, & exercitium hujus gladii *ſpiritualis* ſolis competit Sacris Pontificibus. Jus autem, & exercitium gladii *materialis ſolis* convenit Principibus ſæcularibus: eoque uti poſſunt, ac debent ac compeſcendos rebelles ſubditos, & Reipublicæ tranquillitatem conſervandam, atque etiam, cum juxta Concilium Tridentinum *eos Deus eſſe voluerit Eccleſiæ ſuæ protectores*, ad tuendam Religionem Chriſtianam, ad hæreſes extirpandas, & Eccleſiæ jura defendenda ab impiorum hominum auſibus, & molitionibus: de quo poſtea.

Consectarium Duodecimum.

XII. Sicut Summus Pontifex poteſtatem habet ſtatuendi pro bono, & utilitate totius Eccleſiæ, ita quilibet Epiſcopus pro bono propriæ Diœceſis. At vero cum cujuslibet Epiſcopi poteſtas ſubordinata ſit univerſæ Eccleſiæ, Summoque Pontifici capiti ipſius, ex hoc ſequitur, nullum Epiſcopum ſtatuere poſſe, quod juri communi ab Eccleſia recepto advetſetur; deinde nec aliquid, quod Summi Pontificis voluntati repugnet, aut quod ille ſibi ſpecialiter reſervavit, ſicut nec etiam in quibuſdam cauſis gravioribus, quæ per generalem regulam Apoſtolicæ Sedi reſervatæ ſunt; quod ex ipſiſmet Sacris Canonibus compertum eſt, ut ex. g. eæ, quæ novam aliquam fidei declarationem, aut promulgationem ſpectant, quæ pugnant cum privilegiis, aut conſuetudinibus univerſalibus, niſi jam ab Eccleſia reprobatæ ſint; aliaque hujuſmodi. Hoc enim ratio ſubordinationis expoſcit ab Epiſcopis inferioribus. In quo tamen ſæpe falluntur nonnulli imperiti, qui a reſervatione alicujus caſus ſibi facta a Summo Pontifice, argumentum trahunt ad alios caſus, qui expreſſi non ſunt: quum potius *exceptio*, ut in proloquio eſt, *firmat regulam in contrarium*.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Epiſcopus leges condere poteſt pro Eccleſiæ ſuæ bono, etiam ſine Capituli, aut Cleri conſenſu, niſi forte uſu, vel probata conſuetudine caſus aliqui excepti ſint. Quoniam poteſtas Epiſcopi in legibus conſtituendis, quæ ad utilitatem, aut neceſſitatem ſuæ Eccleſiæ pertinent, a Clero ſuo minime pendet: nec in jure Canonico quidpiam eſt, quod hanc ſuam poteſtatem coarctet, aut limitet. Nam caſus aliqui, qui ex jure Canonico afferri poſſunt, non hanc poteſtatem, ſed alia negotia ſpectant, ut obſervat Suarez cum aliis. Solum ergo neceſſarius dici poteſt Capituli, vel Cleri conſenſus in iis caſibus jure expreſſis, vel quæ ſpecialem rationem, aut neceſſitatem præſeferunt: veluti ſi de re aliqua agere-tur, quæ præjudicium Capitulo, aut Clero inferre poſſet, aut privilegia læderet a Superiore conceſſa, vel adverſa eſſet conſuetudini legitime præſcriptæ.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, Epiſcopo vita functo, leges aliquas, aut decreta condere valet, quæ tamdiu obligant, quamdiu a Prælato ſucceſſore non abrogantur. Nam Capitulum ſuccedit in Juriſdictionem Epiſcopi quoad regimen, & adminiſtrationem Eccleſiæ in ſpiritualibus, & reditibus temporalibus, ut colligitur ex *ſeſſ.* 24. c. 16. Concilii Tridentini: atque adeo id tunc poteſt, quod poteſt ipſemet Epiſcopus. Unde, ſi e. g. neceſſitas urgeat corrigendi pravas aliquas conſuetudines, aut conſulendi periculo alicujus ingruentis abuſus, aut detrimenti; decreta, quæ obligent, ſtatuere valet, immo etiam revocare, quæ a defuncto Epiſcopo lata ſunt.

CON-

Consectarium Decimumquintum.

XV. Præter Concilia Œcumenica celebrari conſueſcunt in Eccleſia alia minora Concilia, nempe *Nationalia*, quæ a Regni Primate convocantur, quibus interſunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi illius nationis: *Provincialia*, quæ a Metropolitano Provinciæ cum ſuis Suffraganeis celebrantur: & *Diœceſana*, quæ fieri ſolent ab Epiſcopo cum Parochis, Abbatibus, & Decanis. Hæc omnia Concilia authoritate gaudent ferendi, & promulgandi leges, quæ obligent reſpective Nationem, Provinciam, Diœceſim: proprium quippe, & immediatum caput habent, a quo vim obligandi obtinent. Attamen, ſi quidpiam contineant communi doctrinæ diſſentaneum, eaſdem vel emendare, vel abrogare poteſt Summus Pontifex vigore divini primatus nedum Ordinis, ſed & Juriſdictionis in totam Eccleſiam. Quod ſi Decreta horum Conciliorum approbentur, & confirmentur Pontificia authoritate, diſtinguendum tunc eſſe videtur. Nam vel Pontifex ea approbat, & confirmat pro ſola tantum Natione, Provincia, aut Diœceſi, vel ejus approbatio, aut declaratio ita generalis eſt, ut totam Eccleſiam afficiat; quod perraro contingit. Si hoc, ipſorum obligatio ad univerſam Eccleſiam extenditur: ſecus, ſi hanc non adjiciat approbationem, ſive declarationem.

Consectarium Decimumsextum

XVI. Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium magni quidem momenti ſunt, magnoque in pretio ſemper habendæ, at leges Eccleſiæ proprie dici non poſſunt; ſed potius legis jam conditæ, & in Eccleſia vigentis interpretationes. Quod ſi interdum aliqua declaratio fiat, quæ vel novum jus condat, vel ambiguum, & obſcurum pandat, eamdemque Summus Pontifex ad examen vocet, ſpecialiter approbet, & promulgari jubeat ad Eccleſiæ univerſæ utilitatem; tunc legis Pontificiæ vim, & efficaciam acquirit: quod maxime patet ex Decretis, quibus damnatæ ſunt, atque proſcriptæ in morum materia tot propoſitiones falſæ, laxæ, & ſcandaloſæ, quæ licet in Sacra Cardinalium Congregatione examinatæ fuerint, dignæque damnatione judicatæ, ſpeciali Pontificia approbatione earumdem damnatio facta eſt vel ab Alexandro VII. & VIII. vel ab Innocentio XI. vel a Benedicto XIV. eorumque nomine promulgata.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Etiam in Ordinibus Regularium a Summo ſaltem Pontifice collata poteſtas eſt ferendi leges ad eorumdem Inſtitutum accommodatas. Quoniam & ipſi Communitatem perfectam efficiunt relate ad finem, quem ſibi unuſquiſque eorum præſtituit: unde & in ipſis Caput, ſive Rectorem Communitatis admittere oportet, qui eam regat, atque adminiſtret, ac nedum peculiaria præcepta, ſed etiam leges ſtatuere, valeat ad quas obſervandas ſubditi teneantur. At vero in quo hæc poteſtas reſideat, an in ſupremo Prælato, vel in Capitulo, aut Congregatione generali, definiri minime poteſt, ſed uniuſcujuſque regula conſulenda eſt, juxta quam leges ferri debent: neque enim ultra illam Superiorum ſe poteſtas extendit, niſi de ſpeciali Summi Pontificia conceſſione.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Ad ſolvendas plures difficultates circa perſonas, quæ poteſtate fruuntur, aut carent, ferendi leges, ſive laicæ ſint, ſive Eccleſiaſticæ, ea ſemper ante oculos habenda regula eſt, quam ſupra notavimus, nimirum *poteſtatem legiſlativam cuicunque ſolummodo competere, qui præeſt Communitati in genere ſuo perfectæ, eamque adminiſtrat*. Hinc ex. g. facile ſolvitur,

Digitized by Google

tur, ut arbitror quidem, quœſtio illa, de qua contentioſe diſputant Juriſpubliciſtæ, an ſcilicet Regina, vivente Marito, condere leges queat, an vero facultas hæc ad virum pertineat. Nam ſi Regina regno præſideat, quod hæreditario jure conſecuta eſt, nec jus regni voluntaria pactione, aut ceſſione in virum tranſtulerit, tunc, ſicut ipſa regno præſidet, ita & poteſtate ferendi leges potitur: ſiquidem ſolo matrimonio hæc translatio non fit, cum vi ejuſdem dotem quidem marito tribuere debeat: ſecus hæreditatem.

Consectarium Decimumnonum.

XIX. Diximus ſupra ex Concilio, & traditione, *voluiſſe Deum ſæculares Principes eſſe protectores, ac defenſores Eccleſiæ ſuæ.* Intra igitur hos limites ſe continet Poteſtas Principum relate ad res Eccleſiaſticas, & ſpirituales, nec illos prætergredi poſſunt abſque piaculo. Quare nullo jure potiuntur nec prædicandi verbum Dei, nec miniſtrandi ſacramenta, nec definiendi quæſtiones fidei, aut Religionis ſive in Conciliis, ſive extra Concilia, neque exercendi per ſe ipſos Eccleſiaſtica miniſteria, neque deputandi, multoque minus conſecrandi miniſtros Eccleſiæ, nec alia ſimilia obeundi munia, quæ Eccleſiaſtica ſunt, non laicalia. Ad hæc neutiquam progredi poteſtatem ſuam vel ipſi confeſſi ſunt Chriſtiani Principes, ſicut inter alios Baſilius Imperator, cujus verba referuntur in *Concilio 8. action.* 10. "Quantæcunque Religionis, & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiam ſi univerſa interius virtute polleat, donec laicus eſt, ovis vocari non deſinet. Proinde nefas eſt, quod ſibi, quæ propria ſunt Paſtoris, aſſumat". Et infra: "Nullum nobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hæc enim inveſtigare, & quærere, Patriarchatum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſolvendi, & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cæleſtes adepti ſunt claves: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligamento ſolvi egemus".

Consectarium Vicesimum.

XX. Vi juris protectionis, ac defenſionis Eccleſiæ, quo fruuntur Chriſtiani Principes, poſſunt, immo ſæpe debent tueri fidem, ac Religionem adverſus hoſtes, coercere rebelles. & contumaces pœnis temporalibus cauſas diſſidiorum inter ipſos Eccleſiaſticos de medio tollere, curare, ut Sacri Eccleſiæ Canones obſerventur, ut divinus cultus promoveatur; ſtatuta etiam condere queunt, quibus & perſonæ, & res ſacræ, & fides, & morum diſciplina in tuto ſint poſita, & id genus alia. *In hoc*, inquit S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 51. *Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam Religionem.* Tanta namque eſt inter regalem, & Eccleſiaſticam dignitatem connexio, ut vix una ſine altera poſſint conſiſtere. Eccleſia enim inſpirat populis amorem, & obedientiam erga Reges; & Reges Eccleſiaſtica ſtatuta temporalibus pœnis formidanda efficiunt. Quod mutuum authoritatis utriuſque commercium ſic eleganter deſcribit Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus: *Dignitas*, inquit, *Eccleſiaſtica regiam provehit potius, quam adimit, dignitatem: & regalis dignitas Eccleſiaſticam potius conſervare conſuevit, quam tollere libertatem. Etenim quaſi quibuſdam invicem ſibi complexibus dignitas Eccleſiaſtica, & regalis occurrunt: cum nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia pacem ſine protectione regia conſequatur.*

CON-

Consectarium Vigesimumprimum.

XXI. Officium quoque Chriſtianorum Principum eſt, ut defenſores, & protectores Eccleſiæ ſint, factis perſonis injuſte vexatis ſuppetias ferre, bonorum Eccleſiaſticorum direptioni fortiter obſiſtere, perverſos homines a ſubruendis Eccleſiæ juribus deterrere; Conciliis etiam congregandis opem ſuam miniſtrare, eiſdem Conciliis, dum celebrantur, libertatem conſervare; ubi vero ad exitum perducta ſunt, executionem Decretalium ſedulo promovere, pœnarumque metu contumacium hæreticorum temerarios auſus cohibere. Ita, præter alios, cum laude præſtiterunt Imperatores Conſtantinus Magnus, & Marcianus: quorum prior Nicænam Synodum convocandam curavit, convocatam adjuvit, & Arianos Decretis Synodi obſiſtentes exilio, aliiſque pœnis mulctavit. Alter vero triplici edicto Synodum Chalcedonenſem executioni mandandam conſtituit, ac pœnarum timore pervicaces Clericos, ac laicos reſtagantes cohibuit. Unde *act.* 4. Concilii de illo dicitur: *Eccleſiaſticorum Canonum voluit eſſe executor, non conditor, non exactor*.

Horum præcipua munia, quæ jure protectionis Eccleſiæ Chriſtianis Principibus, ac Magiſtratibus in Eccleſiaſticis rebus conveniunt, confirmare placet auctoritate ſacrorum Canonum, qui proſtant in 2. *parte* Decreti. Itaque C. 20. primum legitur: „ Principes Sæculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam Poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleſte regnum profuit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum Poteſtas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtatis impertiat. Cognoſcant Principes Sæculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit ".

C. 21. „ Res autem humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas ".

C. 23. „ Regum officium eſt proprium facere judicium, & juſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui facilius opprimuntur a potentibus, præbere auxilium ".

C. 26. „ Adminiſtratores plane ſæcularium dignitatum, qui ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum, & viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem conſtituti eſſe proculdubio debent; quoties ab Epiſcopis, & Eccleſiaſticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & ſecundum quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant ".

C. 39. „ Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per Mundi Judices, quam per Antiſtites, & Rectores Eccleſiarum vindicantur: ſicut cum quis interficit Pontificem Apoſtolicum, Epiſcopum, Presbyterum, ſive Diaconum. Hujuſmodi reos Reges, & Principes Mundi damnant. Ergo non ſine cauſa gladium portant, qui talia ſcelera dijudicant &c. "

C. 43. *De Liguribus &c.* „ Nolite dubitare, hujuſmodi homines (ſchiſmaticos, & hæreticos) principali, vel judiciali authoritate comprimere: quia regulæ Pa-

Digitized by Google

trum hoc ſpecialiter conſtituerunt, ut ſi „ quis Eccleſiaſtici officii perſona, cui ſub„ jectus eſt, reſtiterit, vel ſeorſum col„ legerit, aut aliud altare erexerit, ſeu „ ſchiſma fecerit, iſte excommunicetur, ar„ que damnetur. Quod ſi forte & hoc „ contempſerit, & permanſerit, diviſiones „ & ſchiſma faciendo, per Poteſtates pu„ blicas opprimatur. Ecce, Domine, quod „ animus veſter forte timidus eſt, ne per„ ſequi videatis, de Patrum vobis autho„ ritate hæc breviter dirigenda curavi, cum „ mille alia exempla, & conſtitutiones ſint, „ quibus evidenter agnoſcitur, ut facientes „ ſciſſuras in Sancta Eccleſia, non ſolum „ exilii ſed etiam proſcriptione rerum, & „ dura cuſtodia per publicas Poteſtates de„ beant coerceri „. Et C. 44. *Quaſi nos de gloria* confirmat ex Pelagio Summo Pontifice dicente: „ Hoc & divinæ, & hu„ manæ leges ſtatuerunt, ut ab Eccleſiæ „ unitate diviſi, & ejus pacem iniquiſſime „ perturbantes, a ſæcularibus etiam poteſ„ tatibus comprimantur. Nec quicquam „ majus eſt, unde Deo ſacrificium poſſitis „ offerre, quam ſi id ordinetis, ut hi, „ qui in ſuam, & aliorum perniciem de„ bacchantur, competenti debeant vigore com„ peſci „.

CAPUT VII.

Determinantur ea, quæ legum tum Civilium, tum Eccleſiaſticarum obligationem ſpectant, modumque, quo hæc obligatio adimplenda eſt.

DOCTRINA.

I. *Leges injuſtæ non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte aliquando per accidens.*

II. *Lex condita a Legiſlatore falſo exiſtimante licitam eſſe, nec vera lex eſt, nec obligationem inducit.*

III. *Lex fundata in præſumptione facti non obligat, ſi præſumptio falſa ſit; bene vero fundata in præſumptione juris.*

IV. *Non eſt in poteſtate Legiſlatoris veram legem condere, quæ ſub aliqua culpa non obliget.*

V. *Gravitas, aut levitas peccati in tranſgreſſione legis repetenda eſt ex qualitate materiæ.*

VI. *Signa, unde colligi poteſt materiæ gravitas, aut levitas.*

VII. *Legiſlator humanus nec materiam gravem ſub levi culpa, nec levem ſub culpa gravi præcipere poteſt.*

VIII. *Tranſgreſſio cujuſcunque legis, aut ſtatuti ex contemptu, lethale ſemper peccatum eſt.*

IX. *Lex mere humana plerumque non obligat cum gravis damni periculo.*

X. *Aliquando tamen obligare poteſt. Quando ita reapſe obliget.*

XI. *Quælibet lex humano modo obſervanda eſt, ac juxta finem ipſius intrinſecum.*

XII. *Actu ex fine, aut circumſtantia vitioſo & corrupto, præceptum non adimpletur.*

XIII. *Ex voluntate Legiſlatoris colligendum eſt, an uno, eodemque actu plura præcepta adimpleri valeant.*

XIV. *Eodem tempore pluribus præceptis ſatisfieri poteſt.*

XV. *Peccati reus eſt, qui voluntarie impedimentum apponit, ne legem obſervet.*

XVI. *Qui integrum præceptum exequi nequit, partem, quam poteſt, exequi debet.*

I. PLURA ſunt, quæ ſub examen Theologorum veniunt de legum tum civilium, tum Eccleſiaſticarum obligatione, ac hujuſce obligationis modo differentium, quæ nonnullis propoſitis certis regulis expediemus. Sit igitur.

REGULA PRIMA.

Leges injuſtæ non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte aliquando per accidens.

Hic ſermo non eſt de humanis legibus,

bus , quæ divinæ legi contrariæ ſunt: eas etenim nunquam , ac nuſpiam obligare , aut obſervandas eſſe jam ſupra docuimus: *Obedire* namque *oportet Deo magis* , *quam hominibus* , ut dixerunt Apoſtoli *Actor.* 5. Sed loquimur de iis legibus , quæ ex aliquo alio capite Injuſtitiam continent, quas ita deſcribit S. Thomas 1. 2. q. 96 art. 4. „ Injuſtæ ſunt leges vel *ex fine* , ſicut cum „ aliquis Præſidens leges imponit oneroſas „ ſubditis , non pertinentes ad utilitatem „ communem , ſed magis ad propriam cu„ piditatem, vel gloriam : vel etiam *ex au„ thore* , ſicut cum aliquis legem fert ul„ tra commiſſam ſibi poteſtatem : vel etiam „ *ex forma* , cum inæqualiter onera mul„ titudini diſpenſantur , etiamſi ordinentur „ ad bonum commune . Et hujuſmodi ma„ gis ſunt violentiæ , quam leges : quia , „ ſicut Auguſtinus dicit in *lib.* 1. *de lib.* „ *arb. c.* 5. *Lex eſſe non videtur* , *quæ juſta* „ *non fuerit* . Unde tales leges non obli„ gant in foro conſcientiæ „ . Quibus verbis rationem affert, cur hujuſmodi leges non obligent , quia ſcilicet deficiunt a propria ratione legis , atque adeo ab inducenda obligatione , quæ legem conſequitur. Subdit tamen appoſite S. Doctor poſt illa verba : *Tales leges non obligant in foro conſcientiæ* , *niſi forte propter vitandum ſcandalum* , *vel turbationem* , *propter quod etiam homo jure ſuo debet cedere* , *ſecundum illud Matth.* 5. *Qui angariaverit te mille paſſus* , *vade cum eo alia duo* , *& qui abſtulerit tibi tunicam*, *da ei & pallium* .

Regula Secunda.

Lex a Legislatore condita falſo exiſtimante eam eſſe licitam , *nec vera lex eſt* , *nec obligare in conſcientia poteſt* .

II. Quoniam nullus ad peccatum obligari poteſt , nec ad id , quod communi bono utile non eſt : exemplum ſit, ſi ſuperior eum , qui in facie Eccleſiæ matrimonium contrahit cum occulto impedimento, dirimente quod ipſe certo novit, præcepto, ac etiam excommunicatione obſtringat ad conſummandum matrimonium ; ipſe nullatenus nec petere , nec reddere debitum poſſet , & petendo , vel reddendo peccaret, ſicut habetur *C. Licet* , *tit.* de Reſt. Spoliat. & *C. Inquiſitioni* tit. de Sent. Excom. Sic etiam ſi lex , quæ a Legislatore putabatur conferre ad commune bonum , evidenter eidem noxia experientia deprehendatur, neque vera lex eſſet , nec obligationem induceret , ut jam dictum eſt : quia de ratione legis eſt , ut in bonum commune referatur ,

Regula Tertia.

Lex fundata in præſumptione facti *non obligat* , *ſi præſumptio falſa ſit* . *Obligat vero* , *ſi* in juris *præſumptione fundetur.*

III, Priorem partem explico : cum Legislator ex præſumptione definitiva facti, ſive ex eo , quod præſumat aliquid eſſe factum , legem aliquam generalem inſtituit, ſi præſumptio falſa ſit , ita nimirum, quod factum illud minime contigerit , falſoque a Legislatore contigiſſe credatur ; lex non obligat , quam propter illud condidit: tunc quippe deficit Legislatoris intentio , obligandi ſcilicet ſubditos ſuos , cum veritas præſumptioni non reſpondeat . Unde ſi Princeps ex præſumptione hoſtilis animi populi ſuo regno contigui legem ferat de vino, aut frumento ipſi non deferendo . & experientia comperiatur Principem falſa penitus præſumptione inniti , lex illa non obligaret .

Præſumptio *juris* proprie dicta præſumptio non eſt : quia Legislator in ferenda lege judicio abſoluto , ac certo regitur, quamvis occaſionem accipiat ex dolis , aut fraudibus , quæ communiter occurrere ſolent . Quapropter etiamſi in aliquo caſu fraudes, aut fallaciæ non contingant , non ex hoc par-

particulari caſu ceſſat obligatio legis, quæ juxta S. Thomam illud reſpicit, quod *in pluribus accidit*. Sic Tridentinum Concilium Matrimonia clandeſtina prohibuit, ac nulla declaravit ob fraudes, damna, & incommoda plura, quæ ex his ſequi frequentius ſolent. Sed quia legem abſolutam, & univerſalem rogavit, idcirco, tametſi in hoc, vel illo caſu locum non habeant incommoda hujuſmodi, nihilominus lex vim non amittit obligandi omnes.

Regula Quarta.

Qualibet lex vera, propriique nominis, ſubditorum conſcientias obligat, ut in poteſtate Legiſlatoris non ſit veram legem inſtituere, quæ ſub aliqua culpa non obliget.

IV. Obligare namque, ut docet S. Thomas, proprietas quædam legis eſt, quæ ab ipſa ſeparari non poteſt: hoc ipſo ſiquidem, quod proprie lex ſit, jubet aliquid vel fieri, vel omitti, quod obedientiæ præceptum infert relate ad ſubditos: adeoque inobedientia, ſeu legis tranſgreſſio nunquam eſt ſine peccato. Quaſi ſibi contradiceret Legiſlator, ſi veram legem inſtitueret, ſimulque declararet nolle, ſe ſub ulla culpa ſubditos obligare. Unde recte dixit Bellarminus *lib. 3. de laic. c. 11.* ex intentione quidem Legiſlatoris pendere, an reapſe imperare velit, veramque legem condere, an vero oſtendere duntaxat, quid ſit agendum. At vero ſi velit ſerio imperare, & veram legem promulgare, non eſt amplius in poteſtate ipſius impedire, quin lex veluti effundat nativam ſuam proprietatem, & pro rei magnitudine ad peccatum obliget ſive mortale, ſive veniale: id quod etiam tradunt Dominicus Soto, Victoria, Medina, & alij paſſim.

Regula Quinta.

Gravitas, aut levitas peccati in tranſgreſſione legis humanæ repetenda eſt ex gravitate, vel levitate materiæ, quæ cadit ſub lege.

V. Materia *gravis* hic dicitur, quæ vel ſecundum ſe gravis eſt, vel quæ, tametſi levis in ſe videatur, comparate tamen ad commune bonum a Legislatore intentum, & ſpectatis circumſtantiis omnibus, magni momenti eſt. Sic communio Paſchalis, annua confeſſio, auditio Miſſæ diebus feſtivis, jejunium quadrageſimale, aliaque hujuſmodi reputantur ex ſe, & abſolute res graves. E contra delatio pecuniæ extra regnum tempore belli, aut frumenti tempore famis, medicorum abſentia tempore peſtis &c. licet abſolute levia, gravia ſunt relate ad finem, quem Legislator intendit. Si itaque legum materia gravis ſit vel abſolute, vel reſpective ad finem Legislatoris, ſive ad commune Reipublicæ bonum, quod ſibi præſtituit, tunc obligant ſub gravi peccato: ſecus, ſub levi. Ratio eſt, quia gravitas, aut levitas culpæ, ſub qua leges obligant, debet eſſe proportionata materiæ legum ipſarum: adeoque ſi legis materia vel abſolute, vel reſpective gravis, aut levis ſit, grave quoque, vel leve peccatum erit ejuſdem tranſgreſſio.

VI. Porro quænam gravis, aut levis materia ſive abſolute, ſive ſaltem reſpective exiſtimanda ſit, ex iis colligi poteſt: primo, ſi Legislator in ferenda lege verbis utatur, quæ gravem obligationem exprimant, ut ſi præcipiat, aut vetet *ſecundum omnem ſuam poteſtatem*, *in virtute ſanctæ obedientiæ*, *ſub interminatione divini judicii* &c. Quamquam enim ad obligationem gravem inducendam neceſſariæ minime ſunt hujuſmodi locutiones, aut formulæ, cum ſufficiat Legislatoris imperium, ſi tamen,

ap-

apponantur in lege, quæ levis momenti fortaſſis videri queat, argumento ſunt, ut materia legis, ſpectatis circumſtantiis, gravis eſſe præſumatur. Secundo colligi poteſt materiæ gravitas ex gravitate pœnæ, quæ tranſgreſſoribus imponitur, ut ſi Legislator jubeat ſub pœna mortis, exilii, infamiæ, privationis bonorum omnium, aut excommunicationis ſive latæ, ſive etiam ferendæ ſententiæ. Prudens namque Legislator pro re levi gravem pœnam non imponit. Tertio colligitur etiam ex communi Sapientium, aut totius populi de legis gravitate judicio. Ac demum quarto ex conſuetudine, quæ ſicut *optima legum interpres eſt*, ut dicitur C. 8. *de Conſtit.* ita & gravitatis earumdem materiæ.

REGULA SEXTA.

Legislator humanus non poteſt nec materiam abſolute, aut reſpective gravem *præcipere, vel prohibere ſub levi culpa, nec* levem *ſub culpa gravi.*

VII. Quoad priorem partem attinet, plures authores, quibus ſuffragatur etiam P. Gabriel Antoine, partem affirmantem tuentur. At ſententia negans communior eſt inter Teologos, mihique certa, ſi materia legi ſubjecta omni ex parte gravis ſit, nullaque occurrat circumſtantia, vi cujus levior evadat. Siquidem, ut dictum eſt, in poteſtate quidem Legislatoris eſt ferre, aut non ferre legem, prout expedire judicaverit communi Reipublicæ bono, cui ſi conſulere deſit, dum opus eſt, officio ſuo non fungitur, atque adeo peccat. Cæterum ſi legem condat, materiæ gravitati lex conſentanea ſit oportet, divinamque legem imitari debet, juxta cujus immutabiles regulas, quæ abſolute, aut reſpective ſunt gravia, ſunt etiam ſub gravi obligatione præcipienda vel prohibenda. Quod hac animadverſione confirmari valet: Legislator humanus, dum veram, ac proprie dictam legem inſtituit, eamque de re abſolute, & ſpectatis circumſtantiis omnibus gravi; hoc ipſo divinum præceptum de obedientia præſtanda ſuperioribus in materia gravi verſatur. Porro omnia divina præcepta, quæ verſantur in materia gravi, gravem quoque obligationem inferunt, quæ per nullius hominis voluntatem impediri poteſt.

Pars altera etiam ab iis docetur, qui priori repugnant; & hoc argumento evincitur inter alia, quæ poſſent afferri, quod ſcilicet lex humana, ut juſta ſit, ac rationabilis, quemadmodum oportet, juxta jam traditam a S. Iſidoro humanæ legis deſcriptionem, debet eſſe conformis legi æternæ, ac naturali, quam, ut inquit S. Auguſtinus lib. *de vera Relig.* c. 31. *conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, ſemper conſulit, ut ſecundum ejus immutabiles regulas, quid ſit pro tempore vitandum, jubendumque*, & quo modo, *diſcernat*. Lex autem æterna & naturalis nunquam ſub gravi culpa jubet, cum materia abſolute, & reſpective levis eſt: ut patet in præceptis, quæ prohibent mendacium ſive officioſum, ſive jocoſum, modicum furtum, levem intemperantiam &c. Igitur nec Legislator humanus, qui ſupremum, ac divinum imitari debet, legem condere poteſt obligantem in materia, ſpectatis omnibus levis momenti, ſub gravi peccato: præſertim cum haud veriſimile ſit, Deum talem Prælatis, aut Principibus contuliſſe poteſtatem, ut pro ipſorum lubitu, & arbitrio ſubditos obligarent, nulla habita ratione materiæ, quam præcipiunt, aut vetant. Hæc enim poteſtas non *in ædificationem*, ob quam a Deo collata eſt, ſed potius *in deſtructionem* cederet Communitatis ob plura, quæ inde conſequerentur, incommoda, ac ſpiritualis ruinæ occaſiones.

Nec quiſpiam opponat, vetuiſſe Deum ſub gravi peccato primis noſtris Parentibus eſum arboris ſcientiæ boni, & mali:

quod

quod res levis eſſe videtur. Nam præterquamquod aliud de ſupremo dominio Dei, ac de dominio, ſive poteſtate hominibus collata, ſentiendum nobis eſt, ea pomi comeſtio, licet in ſe tantum inſpecta levis eſſet, gravis tamen erat ex circumſtantiis, ac præcipue ex fine, quem ſic Deus propoſuerat in eo præcepto, ut nempe homo tunc ex nihilo conditus ſubjectionem ſuam, ac dependentiam a Deo præceptum ſuum adimplendo profiteretur.

Regula Septima.

Tranſgreſſio cujuſcunque legis ſicut etiam divini conſilii, aut piæ conſtitutionis humanæ, ſi fiat ex contemptu, lethale ſemper peccatum eſt.

VIII. Duplex contemptus legis (idem dicas de Conſiliis Divinis, Monaſticis Regulis &c.) diſtinguendus eſt cum Sancto Thoma, cæteriſque Theologis: alter legis cujuslibet tranſgreſſioni communis: nam qui legem tranſgreditur, eam quadantenus ſemper contemnit, ſive non curat. Contemptus iſte ſpeciale peccatum non eſt a legis tranſgreſſione diſtinctum. Alter eſt contemptus peculiaris, quem etiam *formalem* nominant, quo quiſpiam legis ſubjectionem reſpuit, legemque ipſam aſpernatur, vel quia vanam, & inutilem judicat, vel quia ſubjectum eſſe Legiſlatori recuſat. Unde nec qui ex infirmitate, aut paſſione, nec etiam qui ex malitia legem violat, proprie cenſetur peccare ex contemptu, quamquam ex eadem, vel ſimili cauſa, vel etiam ſine cauſa, & ex conſuetudine illam violaret. Audiamus D. Thomam de hac re ita diſſerentem 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. *Tunc committit aliquis, vel tranſgreditur* (legem) *ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem e converſo propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteret.* Subdit vero: *Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum ſecundum illud Proverb.* 18. " Impius, „ cum in profundum venerit peccatorum, „ contemnit ".

Itaque qui legem, aut regulam tranſgreditur ex contemptu, quamquam legis materia levis, ac leviſſima fuerit, ſemper lethaliter peccat. Objectum namque in eo caſu peccati non eſt ipſa materiæ parvitas, ſed contemptus ipſius legis, & Legiſlatoris, cui gravis irrogatur injuria, ſive Legiſlator ſit ipſe Deus, ſive homo, cui a Deo conceſſa poteſtas ſit. Hinc D. Bernardus lib. de Præc. & Diſpenſ. c. 8. dixit: *Contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis eſt.* Et rationem affert c. 11. *Elatio quippe contemnentis, atque impænitentis obſtinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.*

Regula Octava.

Leges mere humanæ plerumque non obligant cum mortis, ſive gravis damni periculo.

IX. Dico, *leges mere humanæ*; ſi enim mere humanæ non ſint, ſed, ut ſæpe contingit, quidpiam præcipiant, aut vetent, quod ad jus divinum, maximeque naturale pertineat, alio modo loqui debemus. Tunc enim aut plerumque, aut etiam ſemper obligant cum periculo ſubeundæ mortis, aut alterius graviſſimi nocumenti, in iis ſcilicet caſibus, in quibus, quod præcipitur, vel prohibetur, intrinſecus bonum, vel malum eſt, aut dedecet rationalem naturam, ſicut diximus agentes de lege naturali.

Quod

Quod enim ſuapte natura illicitum, aut malum eſt, nunquam deſinit eſſe illicitum, ac malum: atque adeo mortem ipſam potius ſubire tenemur, quam ejuſmodi legibus non obtemperare.

Si igitur *mere humanæ* ſint leges, ſeu quæ inhibeant aliquid, quod malum non eſt, niſi quia prohibetur a lege, ſententia eſt inter Theologos probatiſſima, plerumque non obligare, ſi occurrat vitæ, aut alterius gravis damni diſcrimen: cujus ea ratio eſt, quod eo in caſu præceptum humanum concurrit cum alio præcepto graviore, nempe naturali, de propria vita conſervanda, gravique damno avertendo, quod Legislator humanus nec vult, ſed neque poteſt infringere: idque conſtat ex jure Canonico, in quo cap. 2. *de Obſerv. Jejunii* ſtatuitur, infirmos immunes eſſe a lege jejunii *cum non ſubjaceat legi neceſſitas*. Et c. 4. *de Regul. Juris*: *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum: nam & ſabbatum cuſtodiri præceptum eſt. Machabæi tamen ſine culpa ſua in ſabbato pugnaverunt. Sic & hodie ſi quis jejunia fregerit ægratus, reus non habetur*. Atque ita ex Eccleſiæ praxi, omniumque Theologorum conſenſu, nec præceptum audiendi Sacrum, nec recitandi canonicas horas, nec ſervandi abſtinentiam a carnibus &c. gravi damno, nedum vitæ periculo, urgente, non obligant.

Confirmat rationem, quam attigimus, V. Cl. Franciſcus Sylvius in *Com. art.* 4. *q.* 96. *p.* 2. *D. Thomæ*, inquiens: „Poteſtas Legislatoris humani non eo ſe extendit, ut univerſaliter obligare poſſit „ſubditos ad faciendum ea, quæ præſcribit, quocumque eventu, & quocunque „periculo imminente. Ergo ejus leges non „ſemper obligant cum periculo vitæ. Ant. „probatur: quia poteſtas legislativa data „eſt in ordine ad bonum commune. Non „eſt autem ad bonum commune neceſſarium, quod ſic univerſaliter obligare poſſit ſubditos: quia non convenit aliqua præcipi cum tam ardua circumſtantia, niſi „urgentiſſima boni publici cauſa id poſtulet. Hæc autem non ſemper, immo „nec ordinarie poſtulat ea, quæ lege præſcribuntur, cum tanta ſeveritate præcipi."

Regula Nona.

Leges humanæ aliquando obligare poſſunt, & obligant etiam cum vitæ periculo.

X. Quod Leges humanæ ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ obligare queant etiam cum periculo vitæ, ex eo conſtat, quod in humana Republica ea poteſtas admittenda ſit quæ neceſſaria eſt ad ſui conſervationem, bonumque commune procurandum: alioquin ſatis eidem proviſum non fuiſſet. Sed ad hujuſmodi finem obtinendum nedum utile, ſed & neceſſarium interdum eſt ea præſtare, vel prætermittere, quæ vel gravis damni, vel etiam mortis periculum ſecum deferunt. Igitur etiam cum hujuſmodi periculo ea vel præcipere, vel prohibere poſſunt humanæ leges. Hinc Epiſcopus ſubdito ſuo Sacerdoti præcipere poteſt, ut infectis lue contagioſa Sacramenta adminiſtret, vel ut fidem profiteatur, ac prædicet coram infidelibus pœnarum metu illam perſequentibus. Hinc Ductor exercitus jubere poteſt militi, ut excubias agat, ut in bello ſtationem non deſerat, ut hoſtilis civitatis muros conſcendat, ut mare enaviget, nulla habita ratione periculi, quod impendet.

At, ſi leges humanæ obligare valent etiam cum periculo vitæ, quandonam ita reapſe obligare dicendæ ſunt? Communis, eaque certa reſponſio eſt, urgere obligationem hujuſmodi primo, quando agitur de communi Reipublicæ bono, cui per legis obſervantiæ omiſſionem præjudicium inferretur, ſive, ut alii dicunt, cum id, quod humana lege jubetur, tanti momenti.

ti eſt, tantumque confert Communitatis bono, ut in prudenti æſtimatione præferendum ſit etiam vitæ hujus, vel alterius Civis. 2. Quoties obſervantia legis prætermitti nequit abſque gravi proximorum ſcandalo. Tunc enim emergit naturale ipſum præceptum de non præbenda proximo occaſione ruinæ. Unde Apoſtolus Paulus ad Rom. 14. admonuit: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda; ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.* Tertio demum, quando violatio legis cederet in contemptum fidei, aut Religionis, vel etiam legitimæ poteſtatis; quoniam pluris intereſt, ne fides, aut Religio, aut legitima poteſtas, præſertim Eccleſiaſtica, ludibrio, aut contemptui exponatur, quam vita corporis conſervetur. Quapropter, ſi cui incutiatur timor mortis, niſi vel Miſſam prætermittat in die feſtivo, vel carnes comedat in die jejunii, vel Sacrum celebret ſine ſacris veſtibus, & cæremoniis &c. idque fieret in contemptum Religionis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſive ut oſtenderetur leges Eccleſiæ pro nihilo habendas eſſe: aut in iis circumſtantiis, in quibus myſteria fidei, aut Religionis Chriſtianæ ludibrio infidelium, & pravorum hominum exponerentur; tunc mors potius ſubeunda foret, quam legem non obſervare. Sic Sancti Martyres Machabæi mortem oppetere maluerunt, quam manducare carnem ſuillam in veteris legis contemptum, quemadmodum juſſerat Rex Antiochus, ut legimus 2. *Machab.* 6. 7.

Regula Decima.

Quælibet lex humano modo obſervanda eſt, voluntarie ſcilicet, ac juxta finem ipſius intrinſecum.

XI. Loquitur de legibus, quæ fieri aliquid præcipiunt: nam leges aut præcepta, quæ aliquid prætermitti jubent, ſatis adimplentur ex eo, quod opus vetitum, puta homicidium, furtum omittatur &c. Leges itaque, quæ poſitivos actus injungunt, implendæ ſunt actibus humanis, ſive voluntariis, quibus homo ſe legi ſubjiciat, & ex hac ſubjectione legem obſervet juxta finem intrinſecum ejuſdem legis, qui ab ipſius objecto non diſtinguitur. Unde actibus mere coactis lex non impletur, ut ſi quis omnino invitus cogeretur manere in templo, dum Miſſæ Sacrificium celebratur, aut ſervare jejunium ob carentiam ciborum, hæc præcepta neutiquam adimpleret.

Cæterum, ut aliquæ difficultates, quæ hic ſuboriri poſſunt, diluantur, duplex voluntas, aut intentio diſtinguenda eſt; altera, qua intenditur præcepti obſervantia, altera, qua intenditur executio rei præceptæ: quæ rurſus intentio poteſt vel actualis, & expreſſa (quæ neceſſaria non eſt); vel virtualis, & interpretativa, contenta in voluntate faciendi opus, quod lege præcipitur. Priorem non requiri docent Theologi omnes cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. *ad* 2. dicente: *Licet actus virtutis cadat ſub præcepto, poteſt tamen aliquis implere actum virtutis non attendens ad rationem præcepti.* Poſterior neceſſaria omnino eſt, ac ſufficit ad præceptum implendum. Lex etenim non præcipit poſitionem actus prout præcepti, vel ex intentione ſatisfaciendi præcepto, ſed ut actus voluntarie ponatur. Hinc ſi quis non advertens diem feſtum eſſe, Miſſam devote audiat, aut urgente præceptum jejunii, rite jejunet, præceptum implet, quin ad aliam Miſſam, aut jejunium teneatur.

Diſſentiunt tamen Theologi inter ſe eo in caſu, quo quis legem advertens alio actu ſeſe eidem ſatisfacere proponeret, ut dum Miſſam quidem audit in die feſto, ſed ex privata ſua devotione, aliam ſubinde audire deliberans, ut ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ. Ego in hac quæſtione conformius

eſſe

Digitized by Google

eſſe exiſtimo laudatæ S. Thomæ doctrinæ, ac veritati, hunc per prioris Miſſæ auditionem ſatisfeciſſe Eccleſiæ præcepto, nec ad aliam audiendam obſtringi, dummodo congruo tempore intentionem mutet, aut judicium ſaltem efformet de præcepti adimpletione: quoniam reapſe poſuit opus, quod ab Eccleſia præceptum erat; illumque ut ſummum ad aliud Sacrum audiendum, tempus ſuppetat, nec ſcrupulis exagitetur, conſulerem.

Reponere ſolent, qui contra ſentiunt, eo in caſu non obſervari præceptum, quia voluntas contraria eſt obſervantiæ præcepti, quod non impletur ſolo facto, & opere cum poſitiva, & expreſſa voluntate non adimplendi. Sed reſponderi poteſt, ejuſmodi voluntatem eſſe inefficacem, ſi preſertim ſermo ſit de homine ſcrupulis exagitato: ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec ullam impedire.

Diximus præterea in *regula* conſtituta legem eſſe obſervandam juxta finem ejuſdem intrinſecum. Duplex namque finis diſtingui debet, *intrinſecus* alter, qui nihil aliud eſt, quam objectum, ſive res ipſa præcepta a Legiſlatore: alter *extrinſecus*, quem ſibi ulterius præfigere poteſt. Priorem ſemper intendere neceſſe eſt, illumque ſemper intendit quicunque rem præceptam a lege juxta modum, quo fieri oportet, exequitur. Unde qui e. g. recitat canonicas horas, aut Miſſam audit attente, ac devote, quod de ſubſtantia orationis eſt, legem adimplet. Finem extrinſecum, quem ſibi præfigeret Legiſlator, intendere in legis obſervatione minime tenemur, niſi forte in ipſa lege expreſſa mentio fiat de hoc fine, ad quem ille dirigendam jubeat legis executionem; tunc enim evadit ipſe materia legis, ac finis ejuſdem intrinſecus, puta ſi Legiſlator jejunium, aut orationem præcipiat ad avertendam publicam aliquam calamitatem, aut aliquid a Deo obtinendum pro Communitatis bono.

REGULA UNDECIMA.

Actu ex fine, aut circumſtantia vitioſo, & corrupto, præceptum non adimpletur.

XII. Regula hæc præcipue ſpectat præcepta divina, & Eccleſiaſtica, quæ præcipiunt tum actum, tum actus honeſtatem, non autem præcepta humana civilia: quoniam cum finis legis humanæ civilis ſit externa hominum politia, ac Reipublicæ tranquillitas, neceſſe non habet ad hunc finem aſſequendum, niſi ut præcepta ſua reipſa impleantur. At vero cum finis tum divinæ, tum Eccleſiaſticæ legis ſit animarum ſalus, adeoque ſpiritualis, ac ſupernaturalis; ea, quæ ipſa præcipit, vult etiam eo modo fieri, ut ad finem hunc referri queant. Quare ſi quis præceptum Eccleſiæ exequatur fine aliquo, vel alia circumſtantia vitioſa, & prava, quæ opus ipſum inficiat, atque corrumpat; præceptum non implet, ut ſi ad audiendum Sacrum accedat animo & intentione aſpiciendi mulierem, aut aucupandi gloriam hominum, non autem religioſum Deo obſequium exhibendi; finis iſte ſubſtantiam actus corrumpit, atque adeo præceptum non impletur. Non idem tamen aſſerendum eſt, ſi finis pravus mere actum comitetur, ut dum quis attente, & devote Miſſam audit, ſimulque impulſu aliquo vanæ gloriæ permovetur, aut divagatur animus in aſpectu mulieris. Nam hæc circumſtantia inficit quidem operantem, non autem opus ipſum, quod fieri æque poteſt ex religionis motivo.

REGULA DUODECIMA.

An unico, eodemque actu impleri, aut non impleri valeant plura legis præcepta, ex voluntate Legiſlatoris colligendum eſt.

XIII. Cum enim voluntas ſerendis legem ſit

ſit tota ratio ipſius legis, aut præcepti, ſi ex fine, circumſtantiis, natura operis præcepti, aut ex communi piorum ſenſu prudenter colligatur, Legislatorem ſatis habere unius, ejuſdemque actus executionem ad plura adimplenda præcepta; tunc per unicum actum omnibus ſatisfiet: ſecus vero, ſi potius colligatur oppoſitum. Exemplis hæc regula perſpicua fiet. Sic dum Pontifex jejunium præſcribit, pro acquirenda Jubilæi indulgentia, dum Confeſſarius Sacri auditionem pœnitenti injungit per integrum annum, quin aliud exprimat; priore in caſu ſatisfacit quis debito ſuo unico eodemque jejunio, ſi præſcripta jejunia contigerint in quadrageſima: alter vero non tenetur diebus feſtivis in anno occurentibus pluribus Miſſis intereſſe. Sic etiam unica Miſſæ auditione ex omnium conſenſu adimplet Eccleſiaſticum præceptum, ſi in die Dominico feſtum aliud recurrat, in quo Miſſa audienda ſit. E contra, ſi ex voto aliquis jejunare teneatur, aut Confeſſarius Miſſam audiendam injungat pro peccatorum pœnitentia; nec uno eodemque jejunio, quod ex lege Eccleſiæ præſcribitur, nec unius Miſſæ auditione die feſto præſcriptæ ſuæ obligationi ſatisfacit. Cujus rei non alia ratio reddi poteſt, niſi quia ex circumſtantiis, & communi hominum ſenſu colligitur, talem eſſe præcipientis intentionem.

Regula Decimatertia.

Eodem tempore ſatisfieri poteſt præceptis diverſis, ſi executio unius alterius executioni non obſtet.

XIV. Ratio eſt; quia cum in præceptis præſcribi non ſoleat diverſitas temporum, ſed operis executio, eodem tempore totum id perfici valet, quod præceptis pluribus præſcriptum eſt. Sic ex communi ſententia eodem tempore poteſt aliquis & Miſſam audire, & horas canonicas, ad quas tenetur, perſolvere: quoniam duo hæc præcepta ad finem eumdem referuntur, & attentio ad officium divinum non impedit attentionem ad Miſſam. Non idem vero dicendum eſt, quis eo tempore, quo Sacrum celebratur, Sacerdoti peccata ſua confiteatur: altera quippe attentio ad peccatorum confeſſionem peragendam alterius attentionem excludit.

Regula Decimaquarta.

Peccati reus eſt, qui voluntarie impedimentum apponit, ut ab obſervanda lege immunis evadat.

XV. Quidquid contra ſentiant nonnulli Probabiliſtæ, hæc regula tanquam certa tenenda eſt: qui enim impedimentum apponit obſervantiæ legis voluntarie, ſeu ex intentione, ut a lege obſervanda ſubtrahatur, ſatis declarat pravam, quam gerit, animi ſui diſpoſitionem, pravumque erga ipſam legem affectum, agitque in ipſius fraudem, *quæ nemini patrocinatur*, ut eſt in proloquio. Quare ſi quis vel infirmitatem voluntarie contrahat, ut liber ſit a lege jejunii, vel ea intentione ſe inebriet, ut ab audienda Miſſa eximatur, atque ita de aliis, a peccato nullatenus excuſandus eſt.

Quin etiam peccare in legem cenſeo, qui actionem haud neceſſariam aggreditur, vel exercet tempore urgentis præcepti, vi cujus ab eo adimplendo impeditur, aut impedimentum non removet, quod abſque gravi damno facile removere poteſt. Siquidem cum lex aliquid agendum præſcribit, ſaltem virtualiter id omne vetat, quod cum actione, aut omiſſione præſcripta componi neutiquam poteſt, ſi grave aliquod incommodum ab actione, aut omiſſione non impendeat. Igitur prohibet etiam, ne obſervantiæ legis tale apponatur impedimentum per actionem non neceſſariam, quod cum illa conſiſtere nequeat.

Digitized by Google

Hinc qui E. C. die feſto iter abſque ulla juſta cauſa ſuſcipeſet, unde ſecutuıam prævidet omiſſionem Sacri, peccat contra præceptum Eccleſiæ de Sacro audiendo; qui dum urget præceptum jejunii ita ludendo defatigatur, ut jejunare non poſſit, peccat contra jejunii præceptum, atque ita de pluribus aliis, quæ occurrere ſæpe ſolent.

Regula Ultima.

Qui integrum præceptum adimplere nequit, ad partem, quam exequi valet, adimplendam obligatur.

XVI. Hæc regula extra omnem dubitationis aleam poſita cenſeri debet, poſtquam Summus Pontifex Innocentius XI. eam propoſitionem damnavit: *Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad ſe minorem.* Et Benedictus XIV. duplici Decreto ſententiam prohibuit, quæ aſſerebat, diſpenſatos ab abſtinentia carnium non teneri ad unicam comeſtionem in diebus quadrageſimalis jejunii. Quæ Pontificiæ prohibitiones ad alias quoque leges omnes extendendæ ſunt, in quibus earum materia diviſibilis eſt, aut plures partes complectitur. Eadem quippe ratio militat in omnibus.

CAPUT X.

Consectaria.

I. *Rejicitur ſententia Gerſoni tributa nullam humanis legibus, prout humanæ ſunt, vim obligandi concedens.*

II. *Vera legis rationem non habet ſtatutum, in quo Legiſlator declarat, ſe nolle ſubditos obligare.*

III. *Improbanda penitus eſt ſententia aſſerens, nunquam peccari in leges humanas, niſi ex contemptu, vel cum aliorum ſcandalo.*

IV. *Non eſt admittenda quorumdam opinio aſſerentium, Eccleſiaſticas leges graviter non obligare, ſi jubeant ſub pœna excommunicationis non latæ, ſed ferendæ ſententiæ.*

V. *Idem exiſtimandum, dum jubent ſub pœna ſuſpenſionis, interdicti, vel irregularitatis.*

VI. *Audiendus non eſt P. La Croix, dum docet plures formulas, quibus uti ſolent Legiſlatores, non præferre gravem obligationem.*

VII. *Si Superior imprudenter præcipiat, aut prohibeat ſub gravi, quod abſolute, & reſpective levis momenti eſt, injuſtum præceptum erit, nec ſub gravi obligabit.*

VIII. *Obligat tamen præceptum iſtud ſub culpa levi.*

IX. *Licet contemptio legis grave ſemper peccatum ſit, leve tamen eſſe poteſt contemptio rei præceptæ.*

X. *Improbabilis, nimiumque rigida eſt eorum ſententia, qui putant leges humanas ſemper obligare etiam cum periculo vitæ.*

XI. *Sanctimoniales tenentur, niſi in caſibus exceptis, ſervare clauſuram etiam cum vitæ periculo.*

XII. *Carthuſiani poſſunt, ac tenentur comedere carnes, ſi deſint alii cibi ad ſuſtentandam vitam; non vero cum iſti ſuppetunt.*

XIII. *Præceptum humanum obligat etiam cum periculo vitæ, ſi jus divinum continet ad ſalutem neceſſarium.*

XIV. *Laxa, & improbabilis eſt ſententia P. Sanchez docentis, poſſe pœnitentem ſatisfacere præcepto Confeſſarii injungentis tres Miſſas, ſi illas eodem tempore audiat.*

XV. *Merito damnata ab Eccleſia eſt ſententia aſſerens, ſatisfieri præcepto Miſſæ ab eo, qui duas, aut quatuor partes a diverſis celebrantibus audit.*

XVI. *Non eſt probabilis eorum opinio, qui docent non peccare, qui impedimentum voluntarie apponit, ne legem obſervet.*

XVII. *Sententia quædam Tamburini damnata quoad recitationem Officii.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. FALSA eſt ſententia, quæ Gerſoni tribuitur, leges humanas non obligare ex ſemetipſis, ſive quatenus humanæ ſunt, ſed ſolum quatenus jus divinum declarant, ac proponunt; quod explicari ſolet exemplo Communionis Paſchalis, quæ ab Eccleſia præſcribitur, & obligat, quia jus divinum eam præcipit. Falſa, inquam, abſolute loquendo hæc ſententia eſt. Quamquam enim concedamus, plures eſſe leges humanas tum Civiles, tum Eccleſiaſticas, quæ idem præſcribant, quod a jure ſive naturali, ſive divino poſitivo præcipitur, aut prohibetur, plures aliæ tamen leges ſunt, quæ non obligant, niſi ex humano jure, aut ex authoritate Principum, vel Prælatorum, qui ea condiderunt. Idque conſtat; quoniam iis, qui præſunt, procul dubio collata eſt a Deo poteſtas ea jubendi, quæ pro communi Reipublicæ bono expedire judicaverint. Cum igitur multa ſint, præter divina præcepta, quæ huic communi bono procurando vel neceſſaria omnino ſunt, vel admodum utilia, quis hæc eoſdem præcipere, aut vetare poſſe negaverit? Porro ſi hæc ipſi praeſcribant, nullum jus divinum exponunt: adeoque hujuſmodi leges vi ſua, & authoritate Principum obligant. Nec quidquam refert, quod lex humana non obligat, niſi quatenus derivatur a lege divina. Nam etiam cauſæ ſecundæ, & particulares non agunt niſi dependenter a cauſa prima, a qua virtutem agendi receperunt: & nihilominus agunt vi ſua naturali, quam ſibi inſitam habent. Sic ergo etiam leges humanæ vim obligandi non habent, niſi dependenter a lege æterna; ſed tamen obligant vi ſua, hoc eſt ea vi, quam a Legiſlatore humano ſortiuntur.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Si Superior ſtatutum aliquod ferat, declaretque expreſſe, nolle ſe obligare ſubditorum conſcientiam, eo in caſu ſubditi nequaquam tenentur ad ipſum obſervandum ſub peccato, vigore ſaltem ejuſdem ſtatuti. Sed tunc iſtud veræ, proprieque dictæ legis rationem non obtinet, dumque ſuam hanc intentionem Superior declarat, ſimul ſignificat ſe nolle exigere a ſubditis debitam obedientiam, ſed ſimpliciter ordinare, quid agendum ſit, quidve vitandum, idque per modum directionis potius, quam præcepti. Hujuſmodi ſunt quarumdam Religionum Conſtitutiones, & præſertim Ordinis Fratrum Prædicatorum, in quo aperte declaratur, eaſdem non obligare ex ſe ad ullam culpam, neque venialem. Ita S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. *&* 2. ubi ait: *Non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cujuſdam vel ſtatuti obligantis ad certam pœnam .... In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſervanda obligantur* hujus Ordinis Religioſi. Subdit nihilominus: *Qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſive contemptu.* Et ſane raro accidit, quod peccatum in harum Conſtitutionum tranſgreſſione non contrahatur, quia plerumque harum omiſſio ad honeſtum finem, juxta quem perficere omnia tenemur, referri nequit.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Improbanda omnino eſt tamquam falſa, penitusque improbabilis quorumdam opinio, qui docent nunquam mortaliter peccari adverſus legem humanam, niſi tranſgreſſio fiat ex contemptu, vel cum aliorum ſcandalo. Ex hac namque opinione evidenter conſequitur, nunquam humanas leges de ſe gravem inducere obligationem,

ſed

Digitized by Google

ſed ſolum ex accidenti , ſive ex eo capite, quod dum lex humana non obſervatur, violetur lex ipſa naturalis, quæ prohibet ſuperiorum contemptum, & ſcandalum proximi. Profecto ſi ita res eſſet, non magis humanæ leges obligarent in conſcientia, quam Conſilia Evangelica, aut ſtatuta quævis, ſive Conſtitutiones Religioſorum Ordinum, quæ proprii nominis leges non ſunt. Nam etiam tranſgreſſio illarum ex contemptu, aut cum aliorum ſcandalo peracta, grave ſemper peccatum eſt.

Consectarium Quartum.

IV. Non eſt admittenda quorumdam Authorum opinio, qui putant non obligare ſub gravi peccato legem Eccleſiaſticam, ſi jubeat aliquid ſub pœna excommunicationis majoris, non *latæ*, ſed *ferendæ ſententiæ*. Quoniam, qui hanc legem tranſgreditur ſub comminatione excommunicationis impoſitam, ſane excommunicari meretur: neque enim præſumi merito poteſt, prudentem Legislatorem tam gravem pœnam comminari, niſi tranſgreſſionem tali pœna dignam exiſtimaret. Igitur etiam legem ſub gravi culpa obligare dicendum eſt. Neque obeſt, quod ſub anathemate prohibeatur Clericis arma deferre, aut comam nutrire, quæ non videntur eſſe gravis momenti. Nam ex Eccleſiæ intentione, qua hæc tam gravi pœna prohibet, gravia ſaltem reſpective ſunt; ſi nempe Clericus ſine rationabili cauſa deferat arma, militum aut laicorum more; quod ſtatum ſuum valde dedecet; vel ita comam nutriat, ut in ejuſdem ſtatus clericalis inhonorationem notabiliter vergat.

Consectarium Quintum.

V. Idem aſſerendum videtur, ſi aliquid prohibeatur ab Eccleſia ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, ſive etiam interdicti, & irregularitatis: quoniam hæ pœnæ graves ſunt, adeoque ſatis indicant gravitatem materiæ cadentis ſub lege, & Legislatoris voluntatem obligandi ſub culpa gravi. Equidem irregularitas etiam ob veniale, immo ob nullum peccatum contrahi poteſt; ea tamen, quæ per modum pœnæ ob peccatum irrogatur, non fertur niſi propter grave delictum.

Consectarium Sextum.

VI. Audiendus non eſt P. Claudius la Croix, qui *lib. 1. de lege* 2656. docet, hujuſmodi locutiones, quibus uti ſolent Legislatores in ferendis legibus, *volumus*, *ordinamus*, *ſancimus*, *ſtatuimus*, ex ſe ipſis non præferre gravem obligationem, ſed indifferentes eſſe ad *legem*, *conſilium*, *exhortationem*, *regulam*. Hac enim opinione poſita, pene omnes civiles leges, aut ſaltem major pars ipſarum nunquam gravem inducerent obligationem; ſiquidem hæc ſunt verba, aut formulæ, quæ ab humanis Legislatoribus frequentius adhibentur, dum leges promulgant. Quare ejuſmodi interpretationes reputandæ ſunt veluti quædam exquiſita effugia ad eludendas leges.

Consectarium Septimum.

VII. Si Prælatus Eccleſiaſticus, aut Superior Regularis vel in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſub pœna excommunicationis, alteriuſve cenſuræ rem aliquam imprudenter præcipiat, aut prohibeat, quod tum abſolute, tum reſpective ad finem, aliaſque circumſtantias, levis momenti ſit, puta ſi præcipiat obſervantiam ſilentii, aut aliquid hujuſmodi, quod nec ad animarum ſalutem, nec ad morum honeſtatem, nec ad bonum nomen Eccleſiaſtici, aut Religioſi Ordinis, nec ad votorum cuſtodiam, nec ad ſcandalum, aut periculum grave devitandum, nec demum ad publicam tranquillitatem magni referat; ſi, inquam, id præcipiat, injuſtum præceptum erit, & qui illud non exequetur, nec peccati lethalis reus erit, nec excommunicationem

Digitized by Google

nem, aut ſuſpenſionem incurret. Quoniam, ut jam diximus, non eo ſe extendit Superioris poteſtas, ut rem abſolute, & reſpective levem ſub gravi culpa ex arbitrio præcipere, aut prohibere valeat.

Quia tamen ſubditi ſæpe ignorant neceſſitates, juſtaſque cauſas, & rationes, ob quas hujuſmodi præcepta fiunt a Superioribus, & in favorem authoritatis, & obedientiæ judicandum eſt, niſi ſit evidens ipſorum imprudentia, & injuſtitia præcepti, ideo tales jubendi formulæ, taleſve cenſuræ, ſub quarum interminatione præcipiuntur ea, quæ ſecundum ſe levioris videntur momenti, contemnendæ non ſunt, ſed metuendæ, præceptiſque, aut legibus ordinarie parendum eſt: Nec ſibi ſumere debent inferiores judicium de materiæ gravitate, aut levitate reſpective ad bonum commune, Hoc enim ad Legiſlatores pertinet.

Consectarium Octavum.

VIII. Si res de ſe abſolute, & comparative levis ſit, & imprudenter præcipiatur a Superiore cum expreſſa voluntate obligandi ſub gravi peccato, quamvis ſub gravi non obliget, obligat tamen ſub levi culpa, & ab hujus reatu ſubditus ad eam adimplendam tenetur. Quoniam licet ordinatio, aut præceptum injuſtum ſit ex ea parte, qua rem levem injungit ſub gravi peccato, injuſtum tamen non eſt, quatenus ſimpliciter præcipit, & aliquam obligationem inducit materiæ præcepti proportionatam: poteſt enim eſſe cauſa rationabilis præcipiendi rem aliquam levem, quin ſubſit juſta ratio tam ex parte ejuſdem materiæ, quam ex parte circumſtantiarum præcipiendi illam ſub culpa graviore: adeoque qui vere obediens eſt, eam exequatur oportet, ut leve ſaltem peccatum deviter.

Consectarium Nonum.

IX. Ne plus juſto conſcientiæ graventur, dum agitur de contemptu legis, & Legiſlatoris, quem lethale ſemper peccatum eſſe diximus, diſtinguenda eſt horum *formalis* contemptio a contemptu rei, quæ cadit ſub præcepto. Contingere quippe poteſt, ut aliquis rem præceptam parvi pendat, non ex eo, quod legem, & Legiſlatorem contemnat, ſed quia illam nullius momenti reputet, & ex hoc ſuo judicio ad eam non obſervandum moveatur. Tunc enim præcepti qualitas ex ipſa materiæ qualitate metienda eſt, non ex contemptu Legiſlatoris, qui ſæpius non extat: adeo ut tranſgreſſio legis levis, vel gravis ſit juxta materiæ levitatem, aut gravitatem.

Consectarium Decimum.

X. Tanquam improbabilis, & plus nimio rigidior explodenda eſt alicujus, vel alterius Authoris opinio, omnes leges humanas, quæ obligant ſub peccato mortali, ſemper eſſe obſervandas etiam cum periculo ipſius vitæ, niſi in aliquo caſu oppoſitum Legiſlator expreſſerit; eo præſertim ducti motivo, quod cum leges omnes ad commune bonum ordinentur, & ſubditus omnis ſit pars Communitatis, non ſolum quoad bona externa, verum etiam quoad ipſam vitam, hanc potius teneatur exponere, quam legem infringere cum boni communis præjudicio. Improbabilis, inquam, hæc opinio eſt, nullumque fundamentum, cui innititur; Nam ex illo quidem infertur, aliquando etiam oportere, vitam ipſam exponere pro lege ſervanda, quando ſcilicet juſta aliqua neceſſitas id requirit, aut tanta ejus utilitas, quæ præponderet ſubditorum vitæ: non tamen ſequitur vitam exponendam a quocunque eſſe, ut legem humanam ſervet: quia boni communis utilitas non ſemper requirit, ut quælibet lex obſervetur cum tanto periculo, præſertim cum hæc ſit rationabiliter præſumpta Legiſlatoris voluntas, nolle ſe in eo caſu ſubditos obligare.

CON-

Digitized by Google

Consectarium Undecimum.

XI. Sanctimoniales clauſuræ legem, quam amplexæ ſunt, etiam cum gravis damni periculo, niſi in caſibus a jure, vel conſuetudine exceptis, obſervare debent, ut ſi gravis Infirmitas urgeat, cui ex medicorum judicio neceſſaria ſit aeris mutatio. Ita namque ad Religionis honeſtatem, atque decorem expedire cenſuit Eccleſia; quæ tamen eventus aliquos excepit: quotum primus incendium eſt, aquarum inundatio, hoſtium incurſio; alter lepra, ſive alius morbus, qui cæteras Moniales inficeret; tertius eſt peſtis: qui caſus exprimuntur in Bulla S. Pii V. quæ incipit, *Decori*, *&* *honeſtati*. His tres alii caſus adjecti ſunt ex conſuetudine, accedente proprii Prælati approbatione, nempue I. quando Monialis ad aliud Monaſterium transferenda eſt, ut illud regat, vel in eo regularem obſervantiam introducat. II. cum in proprio Monaſterio corripi nequit de peepetrato delicto. III. cum integrum Monaſterium ex juſta cauſa alio transferri oporteat. His caſibus exceptis, qui *regulam*, ut dici ſolet, *firmant in contrarium*, lex clauſuræ ſervanda a Monialibus eſt, etiam impendente gravis damni periculo.

Consectarium Duodecimum.

XII. Religioſi Carthuſiani, ſi omni alio cibo deſtituti ſunt, poſſunt, immo jure naturæ tenentur manducare carnes, ne fame pereant. Nam in primis nulla lege Carthuſianorum præſcriptum eſt, immo neque præſcribi poteſt, qua jubeatur Carthuſianus, ut etiam extrema urgente neceſſitate, & indigentia omnium aliorum ciborum, a carnibus, quæ ſolæ ſuppetant, abſtineat, ac potius fame pereat, ut ex ipſorum teſtimonio compertum eſt. Deinde nullum bonum apparet, in quod tam ſevera abſtinentia referri queat: cum bonum virtutis temperantiæ non in eo conſiſtat, quod quiſpiam ſinat ſe fame perire, dum cibos habet, quibus ſuſtentare vitam valeat; ſed in eo, quod juxta dictamen rectæ rationis ab omni cibi genere, vel etiam ab omni cibo ad tempus abſtineat. Quare abſtinentia a carnibus, dum omnes alii cibi deſunt, non eſſet actus virtutis, ſed vitii. Sane ſi qui proximo ſuo extrema cibi neceſſitate laboranti eo modo, quo poteſt, alimentum non præbet, reus homicidii cenſetur; cur idem dicendum non erit de Cartuſiano, cui ad vivendum præſto non ſunt alii cibi præter carnes, ſi eas comedere recuſaverit.

Quod ſi alii cibi non deſint, communior, ac veriſimilior Authorum ſententia eſt, Religioſum Carthuſienſem teneri ad abſtinentiam a carnibus etiam impendente periculo vitæ; quod rariſſime contingere poteſt, ſiquidem modi plurimi ſuppetunt, quibus carnium neceſſitati ſuppleatur. Ratio eſt: quia conſuetudo abſtinendi a carnibus, quæ in ea Religione jam a vetuſta temporibus invecta eſt, vimque legis obtinuit, ita in bonum commune, ac ſpirituale ejuſdem cedit, ut merito cenſeatur pluris intereſſe, quod conſervetur, quam vita temporalis unius, aut alterius Religioſi: eſt enim hoc unum ex præcipuis ſtatutis, quo differt, & excellit ſupra alias Religiones, maximeque neceſſarium, quemadmodum teſtati ſunt plures ex ipſis Carthuſienſibus, ut Religioſæ diſciplinæ vigor non tepeſcat, & ab inſtituti ratione non declinet. Neque eſt, quod opponas legis naturalis de conſervanda vita obligationem. Hæc namque obligatio non urget ſimpliciter, & abſolute pro omni caſu, vel eventu, ſed ſub ea conditione, niſi cauſa aliqua gravis, & honeſta aliud poſtulet. Ad conſervandam namque virtutem patientiæ, vel ad perhibendum teſtimonium fidei recte Sancti Martyres ſe interfici paſſi ſunt, etiamſi aliquando licita fuga, aut alio ſimili modo mortem evadere potuiſſent. Similiter uxor,

uxor, & filius ex motivo charitatis aſſiſtere poſſunt merito, ſive Patri peſte infecto, & quiſpiam pro Patria, pro Principis, aut alterius perſonæ neceſſariæ publico bono, ſuam vitam exponere poteſt periculo mortis. Præterea ex communi ſententia nemo tenetur vel patriam deſerere, vel in externas regiones proficiſci, vel exquiſitis cibis, aut medicinis uti, vel in lecto molliore ſomnum capere &c. etiamſi Medicus ad vitam conſervandam media hæc neceſſaria judicaret. Igitur cum Carthuſianis honeſta, eaque admodum rationabilis cauſa ſit abſtinendi a carnibus etiam in gravi periculo vitæ, ne ſcilicet eorum regula relaxetur; lex naturalis de propriæ vitæ conſervatione ipſos non obligat, ut, cum alii cibi non deſunt, veſcantur carnibus ad vitam conſervandam.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Cum id, quod a Deo, vel ab Eccleſia præcipitur, medium eſt ad æternam ſalutem abſolute neceſſarium, vel jus aliquod naturale continet, quod mutationi, aut diſpenſationi ſubjectum non ſit, obligat etiam cum periculo vitæ, vel graviſſimi detrimenti; Salus quippe æterna, & obſervatio divini præcepti rebus omnibus temporalibus anteponenda ſunt. Hine jure meritoque Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *Omnium ſolicitudo* repreſſit, damnavitque quorumdam Miſſionariorum praxim, qui in Imperio Sinenſi exercitium permittebant aliquorum rituum, qui idololatrici aut ſuperſtitioſi ſunt, eo fundamento, ſive prætextu, quod prohibitio ipſorum facta a Clemente XI. in Bulla *ex illa die*, merum eſſet Eccleſiaſticum præceptum, quod non obligat, urgente periculo graviſſimi damni, quod inde ſecuturum obtendebant. Jure, inquam, meritoque condemnati ſunt: nam præceptum quidem Eccleſiæ erat de illis ritibus non obſervandis, ſed quod jus ipſum naturale, ac divinum poſitivum continebat, pro quo ſervando etiam vitam ipſam profundere neceſſum eſt, nedum grave aliud quodcunque temporale damnum ſubeundum.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Tanquam laxa & improbabilis rejicienda eſt ſententia P. Thomæ Sanchez, qui *lib.* 1. *c.* 14. *num.* 11. docet, Pœnitentem poſſe ſatisfacere Confeſſarii præcepto, qui pro pœnitentia peccatorum ſuorum tres Miſſas audiendas injunxit, ſi eas tempore eodem a tribus Sacerdotibus celebrantibus audiat. Quoniam Confeſſarius, qui tres Miſſas audiendas præſcribit, majorem ſe pœnitentiam imponere intendit, quam ſi unicam Miſſam injungeret. Tres autem Miſſas eodem tempore audire major pœnitentia non eſt, quam ſi unicam audias: & qui ita ſe gerit, plane Confeſſarii intentionem eludit.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Meritiſſime damnata eſt ab Innocentio XI. hæc opinio *n.* 53. quam docuerant Leander a SS. Sacramento, Eſcobarius, Bonacina, aliique, nimirum: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit.* Quoniam opinio hæc, ut nemo non videt, legis Eccleſiaſticæ quædam illuſio eſt, & aperte Eccleſiæ intentioni adverſatur; tum quia ea obligat ad audiendam Miſſam, quæ ſit unum, & integrum ſacrificium; unum autem, & integrum ſacrificium haud cenſetur, ſi quatuor ſimul Miſſæ partes audiantur: tum quia Eccleſia præcipit auditionem Miſſæ, ut poſſit audiens ſingulis ejus partibus vacare, & devotionem iis conſentaneam habere: quod ſane fieri nequit, ſi a diverſis celebrantibus ſimul Miſſa audiatur.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Non minus laxa, & damnatione digna

digna mihi videtur ſententia, quam *probabilem* judicant PP. Salmanticenſes *tract.* xi. c. ii. *puncto* 9. & pro ea laudant Azorium, Fagundez, Villalobos, Sanchez, Filliucium, nempe *Satis tamen eſt probabilis, & ab intrinſeco forte probabilior ſententia negans* [peccare ſcilicet illum, qui impedimentum apponit, ut ab implendo præcepto liber ſit, ex. gr. qui voluntarie contrahit infirmitatem, ne jejunet) : *quia*, inquiunt, *eo ipſo, quod aliquis extrahatur ab obligatione legis (ſive bona fide, ſive mala intentione, ſive licitè, ſive illicite factum ſit) eſt incapax delinquendi in effectu contra talem legem. Ergo ex quocunque motive ponat impedimentum, quod ipſum extrahit ab obligatione jejunii, non peccat contra jejunii præceptum, ſed utitur jure ſuo, quo poteſt exonerari a lege, & extrahi ab obligatione illius.* Rationem, ob quam hæc ſententia nedum *probabilior* ſed nec *probabilis* quidem cenſenda ſit, jam ſupra tetigimus, & ipſe communis piorum hominum ſenſus eam confirmat.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Tanquam damnata rejicienda eſt doctrina Tamburini, quam habet *lib. 2. c. 5. §. 8. n. 3.* ubi, cum ſibi ditimendam propoſuiſſet hanc quæſtionem, *an qui non poteſt recitare totum Officium, teneatur ad partem*, ita reſpondet : *Viſis multis, variis, confuſiſque dicendi modis, hanc judico omnium expeditiſſimam, & ſane tutam regulam: qui non poteſt majorem Officii partem recitare, poteſt autem minorem, ad neutram obligatur . . . Ita Sanchez lib. 7. Conſil. &c. Azorius T. 1. lib. 10. &c. Caſtropalaus tract. 7. diſput. 2. &c. Ratio regulæ eſt, tum quia ſic conſuetudine receptum eſt a prudentibus : tum quia major pars trahit ad ſe minorem &c. tum denique quia ſic ſuavius redditur onus Officii, & ſcrupulis minus obnoxium.* Nemo negaverit, *hanc expeditiſſimam, & ſane tutam regulam* eamdem eſſe, quam Eccleſia proſcripſit in Decreto Innocentii XI. nulla habita ratione momentorum, quæ Tamburinus adduxit, ut eam firmaret.

CAPUT XI.

De legum humanarum promulgatione.

DOCTRINA.

I. *Leges omnes promulgandæ ſunt, ut vim habeant obligandi.*

II. *Nulla eſt a natura determinata promulgationis forma. Unde ſufficit, ut facta ſit ſigno aliquo externo, ſenſibili, & publico.*

III. *Convenientius eſt, ut fiat nedum in Urbe Principii, ſed etiam in Provinciis, & Civitatibus.*

IV. *Leges Imperatoriæ non obligant, niſi promulgentur in Provinciis, & poſt duos a promulgatione menſes. Quid de aliis Regnis.*

V. *Rationes eorum, qui ſentiunt etiam leges Eccleſiaſticas, ſive Pontificias neceſſario promulgandas eſſe in Provinciis, & Diœceſibus.*

VI. *Conveniens quidem eſt hic promulgationis modus, non tamen omnino neceſſarius.*

VII. *Non una eademque forma ſervata ſemper eſt in Eccleſia quoad promulgationem ſuorum Decretorum.*

VIII. *Mos, & conſuetudo quæ hodie invaluit in Eccleſia Romana.*

IX. *An ad omnes fideles obligandos ſufficiat, ingens eſt inter Doctores diſſidium.*

X. *Decreta Pontificum, quæ fidem, & morum regulas ſpectant, obligant, etiam Romæ tantum promulgata.*

LEGES omnes promulgatione indigere, ut vim obligandi obtineant, jam ab initio docuimus cum S. Thoma, qui hanc omnino neceſſariam eſſe definit *q. 90. art. 4. 1. 2.* inquiens : " Lex imponitur ,, per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per ,, hoc, quod applicatur his, qui regulantur,

„ tur , & menſurantur . Unde ad hoc , „ quod lex virtutem obligandi obtineat , „ quod eſt proprium legis , oportet , quod „ applicetur hominibus , qui ſecundum eam „ regulari debent . Talis autem applicatio „ fit per hoc , quod in notitiam eorum „ deducitur ex ipſa promulgatione : unde „ promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc , „ quod lex habeat ſuam virtutem " . Ex quo colligit completam legis definitionem hanc eſſe , ſcilicet : *Lex nihil aliud eſt , quam quadam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam Communitatis habet , promulgata* . Doctrinam hanc Sancti Doctoris amplectuntur Theologi , & Canoniſtæ omnes , quamquam diſſidium ſit inter illos , num promulgatio ad eſſentiam legis pertineat , an ſola conditio , licet omnino neceſſaria , dicenda ſit : quam diſputationem utpote in rem noſtram nullius prorſus momenti , lubens prætermitto .

II. Quo pacto hæc fiat promulgatio , dum agitur de lege æterna , & naturali, quæ ejuſdem quædam participatio eſt , & quo facta fuerit promulgatio legis divinæ poſitivæ tum veteris , tum novæ, abunde ſupra dictum eſt . Nunc de ſolis humanis legibus differentes , illud in primis tanquam certum præmitto , ſpectata natura rei , nullaque facta ſuppoſitione , non aliam requiri promulgationem , niſi qua nota , & manifeſta Communitati fiat voluntas , & intentio Superioris legem ferentis ; adeoque neceſſarium eſſe , ut perficiatur ſigno aliquo exteriore , ſenſibili , & publico ; ſive poſtea ſignum hoc ſit vox Præconis authoritate Principis legem intimantis , ſive affixio Scripturæ legem continentis in determinatis locis , ſive alio non abſimili modo , & ſolemnitate , per quam lex deveniat , aut ſaltem *devenire poſſit* ad ſubditorum notitiam , ut inquit S. Thomas . Quapropter neceſſe non eſt , ut ſubditi omnes vel audiant , vel legant legem denunciatam a Principe , nec oportet , ut omnibus nota ſit , ac perſpecta , ſed ſufficit , ut ita promulgetur , ut ad eorum cognitionem pervenire queat . Hinc Theologi diſtinguere ſolent *promulgationem* legis ab ejus *divulgatione* . Et promulgationem quidem definiunt , quod ſit *publica propoſitio, aut denunciatio legis facta nomine , & authoritate Principis aut publica voce Præconis , aut affixione legis in loco publico , aut quælibet alia publica , & ſenſibili ſolemnitate* . *Divulgatio* autem eſt *quadam promulgationis extenſio , ſive applicatio ad aures , aut notitiam illorum ſubditorum , qui vel promulgationi non interfuerunt , vel legem non audierunt , aut non legerunt* . Et quidem *promulgationem* conſentiunt omnes neceſſariam eſſe ad legis vigorem ; at non item *divulgationem* , qua omnibus manifeſta fit . Alias namque , ſi hæc requireretur , pleræque leges vel omnino nunquam, vel non, niſi poſt valde diuturnum tempus in ratione legis complerentur; nec moraliter poſſet eſſe compertum , quandonam omnibus innoteſcerent , eo quod in amplis præcipue ditionibus pleræque in ſingulorum civium notitiam fere nunquam deveniant , niſi forte poſt longiſſimi temporis lapſum . Hinc Innocentius III. C. *ad hæc* extra *de Poſtulatione Prælatorum* dixit : *Cum Conſtitutio ſolemniter editur , aut publice promulgatur , non eſt neceſſarium , notitiam ipſius per ſpeciale mandatum ſingulorum auribus inculcare, ſed id ſolum ſufficit , ut ad ejus obſervantiam quis teneatur , ſi eam ſolemniter editam, aut publice noverit promulgatam* . Quod ſi illam minime noverit , tunc ab ejus obſervatione ignorantia invincibili , quæ legem vigentem ſemper ſupponit , excuſatur ,

III. Certum itaque eſt ex rei natura ſatis eſſe dumtaxat , ut lex completa , ac perfecta ſit , vimque omnem obligandi obtineat , quod ita promulgetur , ſive proponatur Communitati , ut poſſit ad omnium pervenire notitiam : unde ad hunc finem ex ipſa natura rei non exigitur, quod

ea

ea intimetur hoc, vel illo modo, hac vel illa ſolemnitate, vel in Urbe tantum regia, ubi Princeps ſedet, vel in ſingulis Provinciis, aut Civitatibus: ſed hoc pendet ex mero jure poſitivo, aut conſuetudine, quæ vim legis obtinuerit, aut ex Legiſlatoris libera voluntate, & diſpoſitione. Quod ſi tamen hac in re convenientiam a neceſſitate diſtinguamus, longe convenientius apparet, ut promulgatio legis nedum fiat in ſola Urbe principe, ſed etiam in Provinciis, & Civitatibus regni, ſive principatus. Difficile namque admodum eſt, ut populus omnis in pluribus, longeque inter ſe diſſitis regionibus certam, publicæque authoritati innixam legis notitiam hauriat, dum in Urbe regia duntaxat, aut in unius Provinciæ Metropoli publicatur. Plurimum etiam confert, hujuſmodi publicationem fieri in peculiaribus Provinciis, & Civitatibus, ut ſi forte occurrat aliquod ex condita lege inconveniens, vel injuſtum gravamen, aut aliud incommodum, quod Principem facile lateat, Communitas populi ad clementiam illius confugere poſſit, ut ab impoſito onere ſublevetur. Cum enim multiplex ſit in nationibus morum varietas, & unaquæque ferme Provincia particularibus ſtatutis, privilegiis, & conſuetudinibus tegatur, facile contingit, ut lex generalis a ſupremo Principe lata haud congruat Provinciis, aut populis omnibus, & quandoque in publicum bonum impingat: cui incommodo vix aliter occurri poteſt, niſi de his Legiſlatorem certiorem faciant, qui curam Communitatis proximius gerunt, ut vel legem temperet, vel diſponat, quid pro bono communi magis expedire ſibi videbitur. Quibus ſuffragatur Pontifex Maximus Siricius in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, ubi Decretalem ſuam in quinque Hiſpaniæ, viciniſque Provinciis promulgari jubens ait: *Et hæc ad tua Conſulta reſcripſimus, ut in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri ſcias notionem, & non ſolum eorum, qui in tua Diœceſi ſunt conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, Bæticos, Luſitanos, atque Callaicos, vel eis, qui vicinis collimitant hinc inde Provinciis, hæc, quæ a nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur. Et quamquam ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum, utilius tamen, & pro antiquitate Sacerdotii tui dilectionis tuæ admodum poterit eſſe glorioſum, ſi ea, quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, per unanimitatis tuæ ſollicitudinem, in univerſorum Fratrum noſtrorum notitiam perferantur: quatenus & quæ a nobis non inconſulte, ſed provide, & ſub nimia cautela, & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus impoſterum excuſationibus aditus, qui apud nos nulli patere poterit, obſtruatur.*

IV. Hæc & alia multa, quæ fuſo ſermone edifferunt Petrus de Marca, & Vaneſpenius, aliique, probant quidem, ut conſideranti liquet, convenientiam, majoremque utilitatem legis, ſi promulgetur nedum in regali Curia, verum etiam in Provinciis, & Civitatibus peculiaribus; non autem abſolutam neceſſitatem, ut vim legis ſortiantur, quemadmodum illi contendunt. Quare ſola ſufficit promulgatio facta conſueto ritu, & ſolemnitate in Urbe regia, niſi aliter fieri ab ipſo Legiſlatore diſpoſitum, & conſtitutum fuerit. Tunc enim voluntas Principis ſpectanda eſt, nec leges ejuſdem ſatis promulgatæ dicendæ erunt, niſi promulgatio eo modo fiat, quo ille præſcripſerit: ſicut reapſe ſancivit Imperator Juſtinianus in ſua *Novella* 66. c. 1. & in ejuſdem *Epilogo*, ubi mandat Præfecto Orientis, ut quæ conſtituta ſunt, *Præfectis propriis* [*Provinciarum*] *omnibus faciat manifeſta, & qui in hac maxime Civitate, & qui foris habitant, quatenus om-*

Digitized by Google

nibus fiant palam , quæ a nobis pro omnium cautela ſancita ſunt . Et in Rubrica præcedente jam dixerat , ut *factæ novæ Conſtitutiones poſt inſinuationem poſt duos menſes vigere incipiant* . Ex quo inferunt frequentius Doctores , ac Juriſperiti , quod ſicut in allato textu a Juſtiniano expreſſe requiritur , ut *vigere* leges *incipiant* , ſpatium, duorum menſium a promulgatione facta ; ita in iis regnis , & locis , ubi jus hoc Imperiale receptum eſt , nonniſi poſt elapſum hoc temporis intervallum vim habeant obligandi ſubditos . In aliis vero regnis , quæ nec Imperio , nec Juri Romano ſunt ſubjecta , liberum ſit omnibus Principibus, quam ipſi maluerint , formam ſequi in ſuis legibus promulgandis , dummodo quæ de jure naturæ eſt , promulgationem non prætermittant . Atque ita in Gallia , ut teſtatur Petrus de Marca lib. 2. de Conc. Sacerd. & Imp. c. 5. *Edicta Principum ad Curias Parlamentorum eo conſilio mittuntur , ut in earum Auditoriis publicentur , in acta redigantur , & præcepto Curiarum deinde ad Seneſchalos (ſive Præfectos Civitatum) exempla Conſtitutionum deferantur , qui promulgationi curandæ in Civitate , cui præſunt , incumbant* . Nec vim perfectæ legis habere cenſentur , quoadusque facta fuerit hujuſmodi publicatio . Ab hac legum temporalium Principum promulgationis forma vix differt ea , ſi Vanefpenio credimus tract. *de Promulg. leg. c.* 1. §. 4. quæ fit in Belgio . In aliis vero Dominiis hæc frequentior videtur eſſe promulgandi legis praxis , ut prius in Curia Principis intimentur , ac deinde ad Civitatum Præfectus dirigantur , ut eas in ſingulis Provinciis , & Civitatibus denuncient . Quare cum hoc pendeat ex Legislatorum voluntate , ac diſpoſitione , ea promulgationis forma ſolum requiritur , & ſatis eſt ad legem complendam , & parendi obligationem inducendam in ſubditis , quæ in unoquoque regno, vel Principatu adhiberi conſuevit , Atque hoc præſertim quoad leges Civiles .

V. Quod attinet ad leges Eccleſiæ , Summorumque Pontificum , in his quoque illud diſtinguere oportet , quod *neceſſarium* omnino eſt ad promulgationem , quæ vim obligandi acquirat , ab eo , quod *convenientius eſt* , atque utilius , ut ad fidelium omnium notitiam facile deducantur . Et laudatus quidem Imperator Juſtinianus etiam in haſce leges ſuam poteſtatem extendens (quo jure , non diſputo) præſcripſit , ut ejuſmodi leges per ſingulas Provincias populo publice proponerentur , definiens *Novella* 6. *ut Sanctiſſimi Patriarchæ hæc* (Decreta) *proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis , & manifeſta faciant Metropolitis, quæ a nobis* (ait) *conſtituta ſunt : illi rurſus conſtitutis ſub ſe Epiſcopis manifeſta faciant ; illorum vero ſinguli in propria Eccleſia proponant , ut nullus noſtræ Reipublicæ ignoret , quæ a nobis ad honorem , & augmentum Magni Dei , & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti diſpoſita ſunt* . Sed quia Eccleſia in rebus ſpiritualibus , & poteſtatem ſibi a Deo collatam pertinentibus , juſſis ſæcularium Principum ſubjecta non eſt , niſi ipſa talem promulgandi leges ſuas formam voluntarie amplectatur , quemcunque ritum, aut formam publicationis legum ſeligere poteſt , quæ ſibi magis placuerit , aut ſpectatis circumſtantiis utilior , & convenientior viſa fuerit , dummodo id , quod ex rei natura requiritur , non omittat . Plures equidem Authores putant , Romanam Eccleſiam *Novellas* Juſtiniani recepiſſe , probantque præter alia momenta authoritate S. Gregorii Magni , qui *lib.* 2. *epiſt.* 57. Joannem euntem in Hiſpaniam inſtruens , quid in cauſa ſibi delegata ſequi deberet, eum remittit ad *Novellam* 123. Juſtiniani ; ac inſuper more , & conſuetudine , quæ obtinuit primis Eccleſiæ ſæculis , in quibus ea promulgationis forma ſervata eſt , ut Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum ad Epiſcopos mitterentur , quo ea

ſubj-

Digitized by Google

ſubjectis juriſdictioni ſuæ fidelibus denunciarent, ut patet ex iis, quæ geſta ſunt in prima Synodo Nicæna, in Synodo Epheſina, Arelatenſi, aliiſque. Quod etiam hac ratione confirmant: quod ſcilicet notitia legis vix aliter haberi poteſt in univerſo orbe Chriſtiano, quam ſi leges Eccleſiaſticæ per ſingulas Provincias, ſive Diœceſes per ſuos reſpectivos Epiſcopos populis proponantur, aut publice exponantur in iis locis, ad quæ facilis, ac frequens ſolet eſſe fidelium concurſus: atque ita omnibus innoteſcant. Ex quibus inferunt Eccleſiaſticas leges non cenſeri ſatis promulgatas, adeoque non obligare omnes, niſi mos iſte, & promulgationis forma ſervetur.

VI. At quamvis non diffitear, modum hunc promulgandi leges Eccleſiaſticas, ſive Pontificias convenientiorem, ac utiliorem eſſe, quem propterea etiam Concilia, ac Summi Pontifices, ubi commode poſſunt, obſervant; Decreta ſua ad Epiſcopos mittentes, ut in ſuis Diœceſibus publicentur; abſolute tamen illum neceſſarium non exiſtimo, cum ea ſola promulgatio legis ad ipſius valorem ſufficiat, quæ ex rei natura requiritur, ut nempe leges auctoritate Eccleſiæ intimentur vel aliqua Scriptura, quam omnes legere queant, vel alio ſigno externo ſenſibili, & publico, quo ad notitiam Communitatis perveniant, aut pervenire poſſint. Neque quidpiam adverſus hanc doctrinam evincunt argumenta ab adverſariis propoſita, ſi attentius perpendantur. Unde quocunque modo hæc legum ſive a Conciliis, ſive a Pontificibus Summis editarum promulgatio fiat, ad obſervantiam earumdem fideles obligantur, ſolumque ob ignorantiam invincibilem a peccato excuſari valent.

VII. Porro ſi factum ſpectemus, non unam, eamdemque promulgationis formam, & ritum ſemper extitiſſe in Eccleſia deprehendimus, ſed pro temporum, locorumque varietate diverſum. Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. celebratum relato C. *Cum infirmitas* extra *de pœnit. & Remiſſ.* cum præcepiſſet Medicis, ut ægros inducerent ad conſulendum animæ propriæ, antequam morbo remedia pararent, pœnæ Canoni adjectæ ſubjunxit non eſſe locum, donec Canonis hujus promulgatio facta fuiſſet ab Epiſcopo Diœceſano. *Si quis autem* [ait] *Medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis, donec per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter*. Tempus ergo præfinivit publicationis factæ ab Epiſcopo, in quo Conſtitutio ſua valorem haberet. Sed ut ad tempora nobis proximiora accedamus, Sacra Synodus Tridentina Decretum primum *de Reformatione Matrim.* tum demum vim obligandi fideles habiturum declaravit, cum in eorum Parochia fuerit publicatum, inquiens. *Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari, ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſium Parochialibus Eccleſiis, idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat. Decernit inſuper, ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*. Hic Concilium Tridentinum ad valorem Decreti ſui poſtulat nedum publicationem factam in ſingulis Parochiis, ſed etiam triginta dies a prima publicatione. Unde Theologi omnes, & Juriſconſulti ſummo conſenſu docent, Decretum illud non obligare, ubi ejuſmodi publicatio facta non eſt, adeoque Matrimonia contra formam in eo expreſſam rata & licita agnoſcunt. Non abſimilem formam obſervandam præſcribere etiam nonnunquam conſueverunt in Decretis ſuis Romani Pontifices, non raro monentes nolle ſe robur, ac

vim

Digitized by Google

vim obligandi obtinere, niſi hac promulgatione peracta.

VIII. Cæterum illud fateri opus eſt, morem & conſuetudinem, quæ hodiedum jam invaluit in Apoſtolica Sede, & frequentius in promulgandis legibus, Decretiſque Pontificiis adhibetur, in hoc conſiſtere, ut Romana Decreta, ſive immediate a Summo Pontifice edita, ſive a Sacra Cardinalium Congregatione ad modum legis concepta, & a Papa adprobata Romæ publicentur, & per Curſorem Apoſtolicum affigantur ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Eccleſiæ Lateranenſis, & in acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, ut ad calcem Decretorum, & Bullarum, quarum promulgatio fit, paſſim exprimitur, additurque: *Volumus, ut præſentes litteræ ad valvas &c. affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent*. Quibus verbis apparet completam factam eſſe earumdem promulgationem, atque adeo ſufficientem ad obligandos fideles omnes, quin alia opus ſit promulgatione facta in Epiſcoporum Diœceſibus.

IX. Verum, an reapſe ita ſit, ut Pontificia Decreta, Romæ duntaxat eo tenore, ac forma promulgata, inducant in fidelibus Regnorum omnium (nam de Summorum Pontificum ditione non eſt ulla dubitandi ratio) obligationem ea obſervandi: an vero quidpiam exigatur ad valorem eorumdem ex diſpoſitione poſitiva, & *jure Placiti* Principum temporalium, quod tacito conſenſu Romani Pontifices adprobaſſe videntur, dum illud ſcientes a longinquo tempore, minime refragantur; ingens eſt inter Authores controverſia, aliis affirmantibus, eam promulgationem non ſufficere, aliis autem negantibus. Inter affirmantes recenſeri ſolent Cajetanus, Medina, Conradus, Serarius, Molina, Becanus, Sa, Hemobonus, Miranda, Victorellus, Trullenchus, Diana, Toletus, Duvallius, Marchantius, Sylvius, qui hanc ſententiam ſaltem probabilem exiſtimat, aliique plurimi tum ex Gallia, tum ex Belgio, tum ex aliis regionibus. Negantem vero tuentur frequentius de Schola Theologi.

X. In tanta Theologorum diſſenſione, ſententiam, quam amplector ego, ſalvo meliore judicio, his verbis expono. Si ſermo ſit de Decretis Pontificiis, quæ fidem catholicam ſpectant, morum regulas, ſacrorum Canonum in tota Eccleſia receptorum obſervantiam, Sacramentorum adminiſtrationem, aliorumque id genus, exiſtimo, quod etiam ſolum Romæ facta horum promulgatione, ſtatim ac in alias Provincias, & Regna eorumdem notitia pervenerit, teneantur fideles omnes ad ipſorum executionem, tametſi in ſuis reſpective locis non publicentur ob aliquod extrinſecum impedimentum, quod forte occurrat. Dico *ob aliquod extrinſecum impedimentum, quod occurrat*; ſive non ſolum ex eo, quod publicatio non fiat Epiſcoporum, aut Parochorum incuria, verum etiam quia vel Decreta non proponantur eo modo, ritu, ac forma, qua inter Principes, Summoſque Pontifices conventum eſt, aut tacita conſuetudine jam pridem firmatum, vel quædam in Decretis immixta ſint, quæ Principum jura tangant, aut lædant, vi quorum publicationem impediant. Siquidem inter Catholicos Principes nemo eſt, qui in rebus ſpiritualibus, ac præſertim fidei, morumque, ac Religionis Chriſtianæ doctrinam, & regulas morum ſpectantibus, condendi leges, aut aliquid circa ea definiendi Eccleſiæ, Summiſque Eccleſiæ Paſtoribus ſupremam poteſtatem deneget; quin immo non devote, ac prompte ſuſcipiat, ut ſexcentis exemplis comprobare fas eſſet. Quare ſi aliquando etiam horum Decretorum publicationem impediant in propriis ditionibus, non aliud in cauſa eſt, niſi quia vel propoſita non ſunt eo modo, vel ea

ea forma, ac ritu, quo, ut diximus, juxta conſuetudinem jam obtinentem proponi deberent, vel ob admixtionem in ipſis Decretis rerum quarumdam, quæ in legitimam ipſorum authoritatem impingunt, vel impingere perſuaſi ſunt.

Itaque dum nullum ex his impedimentum occurrit, ſolumque in Decretis Pontificiis agitur de fidei dogmatibus, morum regulis, ſacrorum adminiſtratione &c. & ipſi Catholici Principes ſummo obſequio recipiunt, & exoſculantur, neque ullus eorum eſt, qui rerum harum publicationem impediat, ut inter alia exemplo religioſiſſimæ Venetæ Reipublicæ, ſub cujus ditione dego ſcriboque, confirmare poſſem. Omnes namque ſupremam agnoſcunt Eccleſiæ in iis decernendis authoritatem, ejuſque caput Romanum Pontificem ſupremum Judicem eorum, quæ ad fidei dogmata, morumque regulas attinent, reverentur, & colunt. Quapropter unuſquiſque fidelium ſtatim, ac promulgationis eorumdem Decretorum etiam ſolum Romæ factæ notitiam acceperit, ea recipere omnino debet, eiſque parere, quin aliam expectet publicationem in Provinciis, aut Diœceſibus factam. Neque enim ex lege naturæ, aut jure divino alia promulgatio requiritur; nec quiſpiam eam excuſationem prætexere jure valet, quod recepta non ſint, quia potius, dum aliter ſe gerunt, nedum Eccleſiæ, ſed etiam ipſorum Catholicorum Principum voluntati repugnant.

CAPUT XII.

Consectaria.

I. *Sive promulgatio credatur eſſe de eſſentia legis, ſive mera conditio, æque lex obligationem inducit.*

II. *Lex mente Legislatoris concepta aut ſcripta, ſuoque etiam ſigillo munita nullam infert parendi obligationem, donec promulgetur.*

III. *Falſa & abſurda eſt Antonii Terilli ſententia, non eſſe legem promulgatam, quoties de ipſa dubium eſt.*

IV. *Lex ſufficienter promulgata obligat etiam ſubditos illam ignorantes.*

V. *Quamvis qui legem invincibiliter ignorant, a culpa excuſentur, dum eam non obſervant, alios tamen morales effectus producit.*

VI. *Imperator derogare aliquando poteſt promulgationis formæ præſcriptæ legibus ſuis.*

VII. *Promulgatio facta legum ſuarum, in Curia a Principe legibus Imperii non ſubjecto, ſufficit ad ſubditos obligandos.*

VIII. *Subditi non tenentur ad legem obſervandam, niſi elapſo tempore a Principe deſinito.*

IX. *Epiſcoporum leges ſatis eſt, ut obligent, quod promulgentur in Cathedrali.*

X. *Leges revocatoriæ, dum aliquid jubent, aut vetant, conditionem ſequuntur cæterarum legum, quoad ipſarum promulgationem.*

XI. *Peculiari promulgatione non indigent leges revocatoriæ, quæ nihil jubent, aut prohibent.*

XII. *Probanda non eſt ſententia illorum, qui lapſum duorum menſium a promulgatione legis exigunt, ut obliget ſive intra, ſive extra Curiam.*

XIII. *Omnes parere tenentur Conciliorum, & Pontificum Decretis, dum aliquid ſtatuunt ad fidem, morumque regulas pertinens, etiamſi extra Romam non publicentur.*

Consectarium primum.

I. SIVE promulgatio dicatur eſſe de legis eſſentia, ut ſuſtinent plures Theologi, ſive ſola conditio, perinde eſt quoad neceſſitatem ipſius, ut lex perfecta ſit, atque completa, ac obligandi vim habeat. Quoniam, omnibus fatentibus, conditio eſt adeo neceſſaria, ut abſque promulgatione effectum obligandi non acquirat. Unde quemadmodum applicatio ignis ad materiam com-

Digitized by Google

comburendam, tametſi mera quædam conditio ſit, adeo tamen neceſſaria eſt, ut abſque illa ignis non comburat; ita ſine promulgatione nunquam lex obligationem inducit.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Lex ſola mente Legiſlatoris concepta, aut in Principis Conciſtorio probata, vel etiam Principis mandato ſcripta, & impreſſa, ejuſque ſigillo munita, immo etiam quibuſdam palam facta, & cognita, nullam infert in ſubditis patendi obligationem, donec ſigno aliquo externo, ſenſibili, ejuſdem Principis nomine, & authoritate propoſita, & promulgata Communitati fuerit. Hæc enim ſolemnitas eſt penitus neceſſaria. Unde qui certo noverit legem aliquam jam inſtitutam eſſe, ad promulgationem paratam, & juſſu Principis triduo promulgandam, ad ejus obſervantiam minime tenetur intra illud ſpatium; quia cum lex præceptum commune ſit latum pro Communitate, nequit membrum ullum Communitatis obſtringere, quin obſtringat ipſam Communitatem: hanc autem non obſtringit, niſi publice propoſita ſit, adeoque promulgata.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Rejicienda prorſus eſt, nedum tanquam falſa, verum etiam ut abſurda, & plurimorum abſurdorum fœcundiſſima parens opinio invecta a P. Antonio Terillo, & ab aliis pluribus Authoribus probata, quæ præcipua eſt *Probabiliſmi reflexi* baſis, & fundamentum; nullam ſcilicet legem cenſendam eſſe ſufficienter promulgatam, quoties aut de ipſa lege, aut potius de caſibus in ea contentis dubium eſt, aut diſputant inter ſe Theologi. Verba illius ſunt lib. de conſc., q. 23. n. 14. *Nulla lex obligat, niſi ſufficienter promulgetur: at quoties rationes adſunt probabiliter arguentes partem minus tutam, impoſſibile eſt legem præcipientem eſſe ſufficienter promulgatam: ergo impoſſibile eſt illam legem obligare.* Innumera, & illa quidem graviſſima, quæ inde conſequuntur, abſurda fuſe, ſapienterque demonſtrat P. Ignatius de Camargo, & ex eo P. Daniel Concina in ſua *Hiſtoria Probabiliſmi* &c. Nobis hic ſatis eſt teſtimonium ac momenta proferre, quibus P. Vaſquez hanc opinationem longe ante refutavit. Sic itaque ſcribit in 1. 2. *Diſp.* 156. *C.* 2. *n.* 8. „ Manifeſte decipiuntur hi, „ qui putant eum, qui dubitat, an lex „ aliqua lata fuerit, & promulgata in Cu„ ria, ea lege non teneri, eo quod illis „ non ſatis promulgata cenſeatur. Falluntur „ igitur primo in doctrina ipſa. Siquidem „ *in dubiis tutior pars eſt eligenda*. Et hæc „ regula vim habet juxta notata a nobis „ *Diſp.* 65. *C.* 3. Deinde in ratione decep„ ti ſunt, eo quod, ut ex dictis conſtat, „ aliud eſt *promulgatio*; aliud autem eſt „ *notitia legis*. Et quamvis is, qui dubi„ tat de lege, non haberet notitiam ſuf„ ficientem legis, ut ea teneretur [ob „ ignorantiam invincibilem]; tamen non „ poteſt dici carere ſufficienti promulgatio„ ne legis, ſi revera in Curia promulga„ ta fuiſſet, ſed notitia ſufficiente illius. „ Verum, ut diximus, ea dubitatio ſatis „ eſt, ut ratione ejus tutiorem partem ſe„ qui debeat, ſicut loco citato oſtendi„ mus ". Et in loco, cui ſe remittit, „ ait: " Ego vero non ſolum exiſtimo abſ„ que controverſia eſſe debere, quoties du„ bitatur, utrum ſit lex aliqua, vel non „ & ſolum agitur de periculo peccandi, eli„ gendam eſſe partem tutiorem, in qua „ peccatum eſſe non poſſit: ſed etiam, „ quando dubium eſt, utrum votum fuerit „ emiſſum, an non. Et ſane in primo „ caſu, quando dubium eſt, utrum lex „ lata fuerit, ſeu extet, an non, nullum „ adhuc in Scholaſticis Scriptoribus inveni, „ qui oppoſitum aſſerat.

CON-

Conſectarium Quartum.

IV. Lex, quæ ſufficienter promulgata eſt, obligat ſubditos omnes, eos etiam, qui illam invincibiliter ignorant, non quidem in actu *ſecundo*, ut inquiunt, ſed in actu *primo*, quatenus lex præcepto ſuo eos quoque comprehendit, habetque, quantum in ſe eſt, illos obligandi virtutem, quamquam ob ignorantiam invincibilem immunes a peccato ſint, qui eam non obſervant, juxta generalem doctrinam de ignorantia, quæ vere invincibilis eſt, de qua poſtea in loco dicturi ſumus.

Conſectarium Quintum.

V. Tametſi qui legem invincibiliter ignorant, excuſentur a culpa, dum eam non obſervant; ſi tamen lex illa quidpiam decernat, quod ad ſtatum moralem rerum, aut perſonarum pertineat, facta ſufficienti promulgatione illius, omnem ſtatim effectum ſuum conſequitur: puta ſi quempiam ad officium, aut beneficium inhabilem reddat, aut irritet aliquem contractum; ab ipſo promulgationis tempore & perſona inhabilis effecta eſt, & contractus irritus, etiamſi lex adhuc divulgata non fuerit, & tranſgreſſor ejus notitiam non habeat, niſi tamen Legiſlator ipſe aliter diſponat, & tempus præfigat, quo lex obligare incipiat, prout præfixit Tridentina Synodus in Decreto, quo clandeſtina matrimonia invalida declaravit. Ea porro ratio eſt, quod effectus hujuſmodi culpam non ſupponunt, ac finis illarum legum exigit, ut ſtatim vim ſuam ſortiantur.

Conſectarium Sextum.

VI. Cum legum Imperialium promulgatio in ſingulis Provinciis neceſſaria non ſit ex ipſa rei natura, ſed ex jure poſitivo Civili, cui derogare Imperator poteſt, prout magis expedire judicaverit, ſpectatis circumſtantiis, & indigentiis boni communis, poteſt illas alio modo, aliaque forma ſubditis ſuis promulgare, vel in uno ſcilicet loco, vel in plurimis locis ad hoc deſignatis, vel in una tantum Provincia, vel in Aula, aut Urbe reſidentiæ ſuæ juxta rerum exigentiam; niſi tamen pactum aliquod, aut conventio præceſſerit, quæ comperta mihi non eſt. Non enim legibus Imperii ita obſtrictus eſt, ut occurrente peculiari aliqua exigentia Reipublicæ aliter præter conſuetum morem poteſtate ſua diſponere nequeat.

Conſectarium Septimum.

VII. Si Princeps Imperii legibus minime ſubjectus legem ſuam promulget in Curia, aut in Urbe Regali, nec tempus aliquod ad obligandum præfiniat, tunc ea lex obſervanda eſt, quamprimum ad notitiam ſubditorum pervenerit, nec tempus ulterius expectandum, quo denuncietur a Præfectis ſive Provinciæ, ſive Civitatis. Quoniam cum nec jure naturali, nec jure gentium, nemine diſſentiente, alia promulgationis forma, aut ſolemnitas neceſſaria ſit ad valorem legis, niſi quod externa ſit, ſenſibilis, & publica, ut ad notitiam totius Communitatis devenire ſaltem valeat, hæc utique fieri ſufficienter poteſt in ſola Principis Curia, aut regia Civitate, ubi Princeps reſidet.

Conſectarium Octavum.

VIII. Si tempus aliquod in lege ſive Civili, ſive Pontificia ad obligandum exprimatur, ſubditi legem obſervare non tenentur, niſi poſt lapſum præfiniti temporis. Quia in poteſtate Legiſlatorum eſt ſicut leges condere, ita quoque determinare tempus ad obligationem earumdem, eaque de cauſa ab illis tempus apponitur, ut ſubditi ſciant, quando legum obligatio incipiat. Si autem nullum tempus obligationis deſignetur, facta promulgatione ſtatim obligant, eos quidem qui legum notitiam habent tum quoad culpam, tum quoad pœnam & irritationem actus; eos vero, qui illas ignorant quoad actus quidem irritationem, non autem quoad culpam, atque adeo neque quoad pœnam, ut videre eſt apud Navarum Enchirid. C. 23. n. 44. & *lib*. 1. *Conſil*.

1. *Conſil. tit. de cauſis q.* 4.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ut lex ab Epiſcopo lata pro Eccleſiæ ſuæ bono totam Diœceſim obliget, ſatis eſt, ut in ſua Cathedrali Civitate promulgetur, nec requiritur, ut in Parochiis ſibi ſubjectis publicetur, licet id convenientius ſit, & ipſa ab Epiſcopo hæc conſuetudo ſervetur. Quoniam nullum jus extat in ſacris Canonibus, nec Pontificium ſtatutum, quod ad aliam promulgationem ipſos adſtringat. Si tamen unus, idemque Epiſcopus pluribus Epiſcopatibus gaudeat, ut in Germania, neceſſarium videtur, ut in ſingulis ſuam legem promulget, aut ſaltem declaret, ſe velle ſingulos ad eam legem obſervandam teneri. Siquidem Epiſcopatus de ſe ſunt invicem independentes; & per accidens eſt, quod ab uno plures gubernentur, ex quo proinde nihil detrahi debet Cathedralibus Eccleſiis, quæ ſingulæ jus habent, ut ſui Epiſcopi leges in ipſis promulgentur.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Leges revocatoriæ, quæ aliquid jubent, vel prohibent, ejuſdem conditionis cenſendæ ſunt, ac aliæ leges ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ, adeo ut promulgari æque debeant, ac facta promulgatione vim ſtatim obtineant, niſi aliud in illis declaretur, aut exprimatur; ſiquidem veræ legis rationem habent. Unde ſive revocatio ſit alterius legis, ſive facultatis, aut privilegii, ſive conſuetudinis, ſtatim effectum ſuum conſequitur. Sic E. C. conſuetudo, quæ ante Concilium Tridentinum permittebat, ut quilibet Sacerdos, quamvis non adprobatus ab Epiſcopo, poſſet excipere confeſſiones Sacerdotum ſæcularium, promulgato Concilio, ita ſublata eſt, ut nullius valoris reputandæ ſint, ſi forte vel temerario auſu, ex ignorantia exciperentur. Idemque dicendum de facultate, quam ſimplices Sacerdotes ex plurium Theologorum opinione ſibi arrogabant, abſolvendi a peccatis venialibus, quam decreto ſuo ſuſtulit Innocentius XII.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Quoad leges illas revocatorias attinet, quæ nihil jubent, aut prohibent, atque adeo nec veræ leges dicendæ ſunt, ſive revocent legem, ſive facultatem, aut privilegium, ſive conſuetudinem, non deſunt quidem Doctores, qui arbitrentur ſatis non eſſe ad earum valorem, ut promulgentur in Curia, aut Aula Principis, ſed intimandam revocationem eſſe in eo loco, ſive Provincia, aut Civitate, cui facultas vel privilegium conceſſum eſt, aut conſuetudo viget. Verum communior eſt inter Authores ſententia, quæ docet peculiarem hanc promulgationem haud eſſe neceſſariam, licet convenientem non diffiteantur: neque enim ea requiritur aut ex rei natura, aut ex jure ullo poſitivo, aut demum ex conſuetudine, quæ jam obtinuerit. Quin immo certum eſt frequenter prodire Bullas Pontificias revocatorias, quæ nonniſi Romæ promulgantur, nec promulgari jubentur in aliis Provinciis, Civitatibus, aut Communitatibus, uti conſtat ex Bulla Pii IV. *Cum pro munere*, & ex Conſtitutionibus Pii V. *Sanctiſſimus*, *Providentia*, & *Regularium*; & ex aliis. Quis autem eas nullius valoris eſſe dixerit?

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Probanda non eſt ſententia, quam referunt, ac tuentur PP. Salmanticenſes *Tract. XI. c. 1. puncto* 6. nimirum nullam legem ſive Civilem, ſive Pontificiam, etſi in Curia promulgatam, vim obligandi habere jam intra, quam extra Curiam, niſi poſt duos menſes, aut aliquod tempus, ſi Legiſlatores ipſi nullum tempus definiant. *Quia*, ut inquiunt, promulgatione peracta, tempus aliquod neceſſarium eſt, ut lex ad ſubditorum notitiam perveniat. Quare ſi tempus hocce non determinetur a Legiſlatore, prudentum arbitrio definiendum eſt, quod plane conveniens videtur ſpatium eſſe duorum menſium. Hæc, inquam, ſententia nec a me probatur, nec ab

aliis

Digitized by Google

alius probandam cenſeo , cum non agitur de legibus Imperialibus , in quibus ex communi jure Imperii hoc tempus determinatum fuit. Siquidem lex omnis , cum ſatis promulgata eſt , ſtatim vim ſuam omnem obligandi acquiſivit , nec eam obtinet a divulgatione , aut ſubditorum notitia , qui ſolum a peccato excuſari poſſunt , ſi illam invincibiliter ignorent . Quid ergo ſpatium duorum menſium , aut alicujus certi temporis arbitrio prudentum definiendi neceſſarium confingitur , nihil de hoc tempore determinante Legiſlatore ? Arbitraria prorſus , & ſine fundamento excogitata hæc prudentum determinatio eſt : non enim ad ipſos pertinet determinare tempus obligationis legum ; ſed ad Legiſlatores, qui dum leges ſufficienter promulgant,nihilque de tempore exprimunt , quo obligare incipiant, præſumendi ſunt omnino velle , ut ſtatim obligent . Profecto ſi hæc ſententia admittatur, neque qui Romæ habitant , ad leges Pontificias tenerentur , niſi poſt duos a promulgatione menſes , quamquam eas probe perſpectas haberent , & alia abſurda ſequerentur , quæ conſideranti facile occurrunt .

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Si leges , & Decreta ſive Conciliorum , ſive Summorum Pontificum quidpiam tamquam de fide tenendum præcipiant , aut pertinens ad regulas morum, legis divinæ explicationem , Sacrorum adminiſtrationem &c. etiamſi vel in loco Concilii , vel Romæ duntaxat publicata ſint ; tenentur fideles omnes eis obſequium, & obedientiam præſtare, quamprimum ad ipſorum notitiam pervenerint , neque ullo prætextu , quod receptæ non ſint, vel in ſuis locis non promulgatæ , ab hac obedientia ſe eximere valent : tum quia ita poſtulat a quocumque fideli obedientiæ debitum erga ſupremos Eccleſiæ Antiſtites : tum etiam quia & ipſi Catholici Principes hujuſmodi Decreta obſequioſe ſuſcipiunt , etiamſi aliquando contingat , ut ob aliquas politicas rationes , aut formalitates omiſſas in ſuis ditionibus non publicentur . Hoc aliquibus exemplis explicari poteſt . Sic Decreta , ſive definitiones ad fidem pertinentes factæ in Sacroſancta Synodo Tridentina ſtatim a Catholicis omnibus ſuſceptæ ſunt . Sic Decreta Alexandri VII. Innocentii XI. & Benedicti XIV. qui tot laxas , ſcandaloſas , & pernicioſas Theologiæ Caſuiſtarum ſententias damnarunt , Romæ duntaxat promulgata , in univerſa Eccleſia recepta ſunt , vimque obligandi omnes obtinuerunt , nemine Catholicorum Principe diſſentiente , tametſi ob omiſſionem certi ritus , aut formalitatis in aliquibus regnis eorum Decretorum publicatio facta non ſit , quemadmodum diſerte teſtati ſunt Præſules Conventus Eccleſiæ Gallicanæ anno 1700 celebrati . Idem conſtat exemplo Decretorum , quæ promulgata Romæ ſunt tum a laudato Benedicto XIV. tum a Clemente XIII. adverſus peſtilentiſſima Opera P. Iſaaci Berruyeri , quæ ſacratiora fidei Chriſtianæ dogmata penitus corrumpunt , ac ſubvertunt, quorum damnatio ab omnibus vere Catholicis magno cum plauſu excepta eſt , nemine Catholicorum Principum refragante , quamquam in ipſorum ditionibus publicata non fuerint . Unde tanquam inobedientes Eccleſiæ , contumaces , & refractarii Summis Pontificibus exiſtimandi merito ſunt, qui ea tam ſalutaria Decreta vel non recepere, vel non recipiunt , & pernicioſa , & erronea illa Opera evulgant , eo ducti motivo , ſive potius futiliſſimo prætextu , quod in Curia Principum , aut ditionibus acceptata non fuerint.

CAPUT XIII.

De legum humanarum acceptatione, & ſubjectione ad eaſdem .

DOCTRINA.

I. *Humanas leges non pendere a populi acceptatione , ut obligent , definitum eſt ab Eccleſia adverſus aliquos .*

II. *Fundamenta hujus ſententiæ quoad leges tum Civiles , tum Eccleſiaſticas .*

Digitized by Google

III. *Objectiones ſolutæ*.

IV. *De ſubjectione ad leges humanas. Doctrina S. Thomæ præmiſſa, & explicata.*

V. *Regulæ quædam conſtitutæ circa eos, qui legibus ſubduntur. Regula prima circa infantes, & amentes.*

VI. *Regula II circa infideles, & hæreticos.*

VII. *Regula III. circa ſubjectionem Regularium ad leges Epiſcoporum.*

VIII. *Regula IV. Legiſlator tenetur legibus ſuis quoad vim directivam, non autem coactivam.*

IX. *Regula V. In regimine Ariſtocratico omnes ſubjiciuntur legi quoad utramque vim.*

X. *Regula VI. Clerici in temporalibus, ac civilibus non minus ac cæteri, ſubjecti ſunt legibus Principum, exceptis iis, in quibus privilegium ab ipſis conſecuti ſunt.*

XI. *Regula VII. Clerici in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis ſolis Eccleſiæ Prælatis ſubjecti ſunt.*

XII. *Regula VIII. In cauſis Eccleſiarum ordinationes, & Diſciplinam ſpectantibus, ſacris Canonibus parendum potius eſt, quam ſæcularium Principum legibus.*

XIII. *Regula IX. Peregrini, & vagi non tenentur legibus locorum, e quibus excedunt.*

XIV. *Regula X. Tenentur vero legibus locorum, in quibus verſantur.*

XV. *Regula XI. Peccant, qui data opera a proprio territorio ad aliud ſe transferunt, ut obligationem legis effugiant.*

I. LEGES humanas non pendere a populi acceptatione, ut obligent, extra omnem controverſiam eſſe debet, poſtquam Alexander VII. Decreto ſuo hanc damnavit propoſitionem n. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Quam etiam Conventus Cleri Gallicani anni 1700. declaravit *ſeditioſam, doctrinæque Apoſtolicæ, ac dictis Dominicis aperte contrariam.* Sententiam hanc communem olim fuiſſe apud Theologos, & Juriſtas tradit P. Valentia *diſp.* 7. *in* 1. 2. *dub.* 5. ſed plane falſo; & certe Sylveſter, quem inter alios nominat, V. *Lex*, eam non defendit, prout ſerio, & attente integrum ejus textum expendenti facile patet. Eam tamen certiſſime docuit Caramuel *in Theol. Ration. lib.* 2. *diſp.* 1. *n.* 285. ubi ait: *Videtis me ſemper in omni lege publica conſenſum populi requirere. Non enim inviti opprimi poſſunt homines liberi, & ingenui, qui occidi non poſſunt.* Et fuſius eam adſtruere conatur in Reg. S. Benedicti *diſp.* 5. *n.* 48. Quidquid tamen ſit de aliis non paucis Doctoribus, qui eamdem docuiſſe ſententiam referuntur, eam merito fuiſſe proſcriptam dubitandum non eſt. Siquidem aperte pugnat cum poteſtate Principibus, & Eccleſiæ Rectoribus a Deo collata, prout ex firmiſſimis Scripturarum momentis manifeſtum eſt.

II. Et primum quidem, quoad leges Sæcularium Principum attinet, falſitas & error ſententiæ illius convincitur clariſſimo illo teſtimonio Apoſtoli Pauli non ſemel adducto ad Rom. 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit ..... Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt ..... Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam* &c. Hæc omnia Apoſtoli verba diſertiſſime probant, peccare populum juſtam legem non acceptantem a legitimo Principe latam. Si enim *omnis anima* debet ſubjici Poteſtatibus ſublimioribus, in hoc maxime ejus ſubjectio conſiſtit, quod leges recipiat, quas illi promulgant, eorumque mandatis obediant. Si *Dei ordinationi reſiſtit*, qui humanæ *Poteſtati reſiſtit*; nonne qui legem a ſuis Superioribus ſibi propoſitam recipere abnuunt, Poteſtati reſiſtunt, atque adeo & ordinationi divinæ? Superior namque humanus, dum legem promulgat, illud fieri jubet, quod ſubditi præſtare nolunt, aut fieri prohibet, quod ipſi exequi malunt, dum legem recuſant.

Por-

Porro id apertam prodit repugnantiam, ſive reſiſtentiam, ut perſpicuum eſt. Si *neceſſitate* ſubditi debemus eſſe Principibus non ſolum *propter iram*, ſed etiam *propter conſcientiam*, ne videlicet conſcientiam peccato gravemus, ac damnationem incurramus, quis inficias eat peccare illos, qui legem reſpuunt a Principe latam, atque ab ejus debita ſubjectione ſe ſubtrahunt abſque cauſa legitima, quæ illos excuſet? Plura alia in re tam clara argumenta prætereo.

Quod ſi leges Principum Sæcularium acceptare tenemur, potiori ſane jure devincti ſumus illas recipere, quæ ab Eccleſiaſticis Paſtoribus intimantur, quorum poteſtas immediatius a Deo eſt, nec ullatenus a populorum voluntate, aut conſenſione dependet. Si Paſtores ipſi ſunt Chriſtiani gregis, quibus cura commiſſa eſt eum legibus, atque mandatis regendi, ac ducendi in paſcua juſtitiæ, & ſalutis æternæ, quis non videt, non poſſe oves ab eorum ſe directione ſubducere, aut leges, quas ad ipſarum ſpirituale bonum denunciant abs ſe repellere citra peccatum? Hinc Apoſtolus ad Hebræos c. 16. dicebat: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris rationem reddituri*. Conditionem non appoſuit, *ſi vobis placebit*, *ſi leges ipſorum vobis convenientes viſæ fuerint*: ſed abſolute præcepit, obediendum eſſe Præpoſitis ſuis: quoniam hi, non vero ſubditi dijudicare debent, quid pro animarum ſalute expediat. Ad Apoſtolos itaque, eorumque ſucceſſores Summum Pontificem, & Eccleſiæ Præſides pertinet vigilare pro grege ſuo, cum ſanctis legibus & inſtitutionibus informare, ac regere; quod ſi non fecerint, reddituri ſunt pro commiſſo ſibi populo rationem in ſupremo Dei judicio. Ad gregem autem obedientia, & ſubjectio Paſtoribus, a qua dum ſe ſubtrahit, arctiſſimo debito ſuo non ſatisfacit, adeoque peccati reus eſt. Quis autem ſibi perſuaſerit, obedientiam, & ſubjectionem poſſe unquam conſiſtere, ſi in fidelium arbitrio foret Paſtorum ſuorum leges, ac præcepta recipere, vel non acceptare, prout ipſis placuerit?

Univerſim vero eæ omnes rationes, quas ſupra produximus pro aſſerenda authoritate, & poteſtate Superiorum tum Civilium, tum Eccleſiaſticorum ferendi leges, æque conſpirant omnes ad penitus evertendam libertatem, quam ſubditis aliqui tribuunt, illas vel recipiendi, vel recuſandi. Siquidem ex hoc, quod Principes authoritate, & poteſtate legislativa potiuntur, poſſunt eoſdem compellere ad acceptationem, & obedientiam præceptorum ſuorum: alioquin vana foret ipſorum poteſtas, ac futile, & inane figmentum. Quin major abſolute authoritas, atque poteſtas ſubditorum eſſet, quam Principum, ſi legum acceptatio, & obligatio ab illorum voluntate penderet: cum major cenſeatur poteſtas confirmandi legem, ipſique tribuendi vim obligandi, quam mere inſtituendi. Quod cum plane abſurdum ſit, tenendum omnino eſt, Rectores Reipublicæ, ſive politicæ, ſive Chriſtianæ poſſe leges ſuas promulgare, iiſque vim obligandi conferre, non expectato populi conſenſu, aut acceptatione, immo ipſo etiam repugnante, dum cognoſcunt, eas communi bono aut neceſſarias eſſe, aut admodum utiles.

III. Nec illud quidquam refert, quod objici ſolet ex Gratiano; *Leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt; ita moribus utentium confirmantur*. Haud refert, inquam: nam præterquamquod tanta non eſt Gratiani ſolius authoritas, ut a communi, ac certa ſententia dimovere nos debeat, explicari facile poteſt ejus textus in ſenſu minime nobis oppoſito, ut ſcilicet leges per uſum firmari dicantur, quatenus ob-

ſtacula

ſtacula removentur ac pericula, ne in ſuetudinem abeant, clariuſque fit, quam communi bono obſervantia legis expediat, dum ſubditi eam libenter exequuntur, atque ex hoc firmatur, & convaleſcit.

Textum alium, qui majorem præſeferre videtur difficultatem, opponunt adverſarii depromptum ex Jure Civili l. *De quibus caudum* ff. de legibus, nimirum: *Ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ ſunt*. Igitur, niſi populi conſenſus accedat, valorem obligandi non acquirunt. Quod etiam confirmant ex eo, quod leges contraria conſuetudine aboleantur, ut experientia patet.

Sed reſp. ad primum quidem ibi a Juriſconſulto aſſeri, *non tenere leges*, niſi receptæ a populo ſint, non quia populi conſenſus præcedere debeat, antequam obligationem inducant, ſed quia hæc obligatio tandem deſinit, ſi a populo non recipiuntur. Certum quippe eſt, legem quæ a principio obligabat, ſi non obſervetur, vel per deſuetudinem, vel per conſuetudinem contrariam, quæ, tacente Principe, invaleſcat, demum abrogari, vel non amplius poſtea obligare. Ut igitur *tenere*, ſive obligare pergat ſubditos, neceſſe eſt, ut uſu populi recipiatur, atque ita firmetur, & roboretur. Alii reſpondent in textu citato, ſermonem non eſſe de legibus latis a Legiſlatore ſupremo, & abſoluto, ſed dependente a populi voluntate, qui legum approbationem ſibi reſervaverit in electione Principis. Cujuſmodi fuerunt Romanorum leges, durante ſtatu Reipublicæ, ac etiam ſub Imperatoribus, ſaltem ad duo, vel tria priora ſæcula Romani Imperii. Unde eæ ita rogari conſueverant, ut nedum Senatus, aut Princeps, ſed etiam populus in iis ferendis partem haberet, ut ex illis verbis in earum promulgatione proferri ſolitis colligitur, *Senatus Populuſque Romanus &c.*

Quoad conſuetudinem contrariam ſpectat, quæ leges abrogare ſolet, hanc libenter admittimus. Verum, prout ſuo loco dicetur, ut hujuſmodi vim habeat, opus eſt, ut legitime præſcripta ſit. Legitima autem conſuetudo non eſt, ſi vel præſcripta non ſit, vel Legiſlatoris conſenſus non acceſſerit ſaltem tacitus, in eo poſitus, quod dum cernit legem a Communitate non obſervari, non reſilit nec ejus obſervantiam urget. Verum ad aliam quæſtionem properemus magis implexam, de iis nempe, qui Principum legibus ſubjiciuntur.

IV. Antequam in hac controverſia quidquam ſtatuam, doctrinam S. Thomæ præmitto, quam tradit 1. 2. *q.* 96. *art.* 5, his verbis: „ Lex de ſua ratione duo habet: primo
„ quidem, quod eſt regula humanorum ac-
„ tuum: ſecundo quod habet vim coactivam,
„ Dupliciter ergo aliquis homo poteſt eſſe le-
„ gi ſubjectus: uno modo ſicut regulatum re-
„ gulæ: & hoc modo omnes illi, qui ſub-
„ duntur poteſtati, ſubduntur legi, quam fert po-
„ teſtas. Quod autem aliquis non ſubdatur pote-
„ ſtati, poteſt contingere dupliciter. Uno modo,
„ quia eſt ſimpliciter abſolutus ab ejus ſubjectio-
„ ne. Unde illi, qui ſunt de una civitate, vel
„ regno, non ſubduntur legibus alterius ci-
„ vitatis, vel regni, ſicut nec ejus dominio.
„ Alio modo ſecundum quod regitur ſupe-
„ riori lege, puta ſi aliquis ſubjectus ſit Pro-
„ conſuli, regulari debet ejus mandato, non
„ tamen in iis, quæ diſpenſantur ei ab Im-
„ peratore. Quantum enim ad illa non ad-
„ ſtringitur mandato inferioris, cum ſuperiori
„ mandato dirigatur. Et ſecundum hoc con-
„ tingit, quod aliquis ſimpliciter ſubjectus
„ legi ſecundum aliqua legi non adſtringitur,
„ ſecundum quæ regitur ſuperiori lege. Alio
„ vero modo dicitur aliquis ſubjectus legi,
„ ſicut coactum cogenti: & hoc modo ho-
„ mines virtuoſi, & juſti non ſubduntur le-
„ gi ſed ſoli mali. Quod enim eſt coactum,
„ & violentum, eſt contrarium voluntati.
„ Voluntas autem bonorum conſonat legi,
„ a qua malorum voluntas diſcordat. Et ideo
„ ſecun-

Digitized by Google

„ ſecundum hoc boni non ſunt ſub lege, ſed „ ſolum mali “.

Ex hac doctrina S. Thomæ nonnulla fluunt diligenter animadvertenda in hac materia, quæ plurimos caſus particulares complectitur. Ac primo quidem clarum eſt, hic non agi de ſubjectione ad legem naturalem, aut divinam. Compertiſſimum quippe eſt, omnes prorſus homines divinæ legi ſubjectos eſſe, ſed de ſubjectione ad leges poſitivas humanas, tum Civiles, tum Eccleſiaſticas, in quibus ea generalis regula eſt, *omnes, qui alicui Poteſtati ſubjiciuntur, ſubjici quoque legibus a tali Poteſtate latis* juxta illud Apoſtoli: *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Qui autem ab hac ſubjectione abſoluti ſunt, nec ejuſdem legibus ſubjiciuntur. Quare, inquit S. Doctor, *qui ſunt de una Civitate, vel Regno, non ſubduntur legibus Principis alterius Civitatis, vel Regni, ſicut nec ejus dominio*. Sicut etiam qui non ſunt ſub ſpirituali dominio vel Epiſcopi, vel Summi Pontificis, eorum legibus ſubjecti non ſunt, atque adeo nec peccant, dum eas non obſervant. Quia tamen ſæpe contingit aliquem ſubjici poteſtati inferiori & ſubordinatæ ad aliam ſuperiorem, ſi diſpenſationem, aut privilegium ab hac obtinuerit, quo eximatur vel omnino, vel quoad aliqua præcepta a ſubjectione inferioris poteſtatis, huic obedire non tenetur, utpote *qui tunc regitur ſuperiori lege, puta ſi aliquis ſubditus ſit Proconſuli, regulari debet ejus mandato, non tamen in iis, quæ diſpenſantur ei ab Imperatore &c.* Hæc regula generalis notanda eſt ob ea, quæ poſtea dicturi ſumus.

Diſtinguit præterea S. Thomas duo legis officia, quorum alterum eſt dirigere humanas actiones, alterum compellere ſubditos pœnarum metu ad obedientiam legibus præſtandam. Qua in re, ut explicet ſenſum quarumdam Scripturarum, duplex genus hominum conſiderat, bonorum ſcilicet, ac malorum: & hos quidem docet ſubjectos eſſe legi quoad utrumque ejus officium, regulandi nimirum eorum actiones, ſimulque ipſos minis, & terroribus pœnarum cogendi ad legis obſervationem; huic enim horum pravitas repugnat. Non ita vero eſt de juſtis, ac virtuoſis hominibus, quorum mens, ac voluntas ita eſt comparata, atque diſpoſita, ut, lege percepta, ſtatim ipſi obſequantur, & pareant: adeoque ſubdi ipſi dicuntur legibus quoad vim quidem *directivam*, non autem *coactivam*. Atque hoc ſenſu intelligitur illud Apoſtoli 1. ad Timoth. c. 1. *Juſto non eſt lex poſita*; non quia juſti eximantur ab iis exequendis, quæ humana lege præſcribuntur: ſed quia opus non habent, ut pœnarum metu ad eam obſervandam compellantur. Cæterum ſi & ipſi legem violarent, adeoque e juſtitia exciderent, non minus, quam cæteri puniendi forent. His ex doctrina S. Thomæ conſtitutis ad aliquas peculiares regulas, quæ hoc argumentum ſpectant, derivandas accedo: ac primum quoad eos, qui a legum humanarum ſubjectione exempti ſunt.

Regula Prima.

Pueri, qui nondum ad rationis uſum pervenerunt humanis legibus ſubjecti non ſunt.

V. Evidens ratio eſt: quoniam lex eſſentialiter regula quædam eſt. Regula autem non imponitur niſi iis, qui capaces ſunt directionis humanæ, ac libertatis. Cum igitur pueri rationis uſu carentes incapaces ſint humanæ directionis, ac libertatis, extra ſubjectionem quarumcunque legum exiſtimandi ſunt. Quare iis etiam diebus vetitis carnes comedendas præbere licet, ſecluſo tamen ſcandalo. His accenſent Theologi plures, etiam perpetuo amentes ob eamdem rationem. Sed alii negant, ac diſcrimen a pueris hoc aſſignant, quod infantes in ea ætate ſuapte natura uſus rationis ſint incapaces: at vero perpetuo amentes, cum infantiæ ætatem jam exceſſerint, natura ſua ſint capaces rationis, ac directionis, ſolumque ex aliquo accidente ea privantur. Unde, quamquam ob defectum delibe-

Digitized by Google

deliberationis a legis tranſgreſſione excuſentur, perinde ac invincibiliter ignorantes; abſolute tamen legi ſubjiciuntur. Quæ ſententia mihi veriſimilior videtur, & piorum uſu confirmatur, qui in diebus jejunii a porrigendis carnibus perpetuo amentibus abſtinent. Ad tempus autem delirantes, ſicut & ebrios lege comprehendi nullus dubitat.

Regula Secunda.

Infideles legibus Eccleſiæ non ſubjacent.

VI. Infidelium nomine veniunt omnes, qui fidem Chriſti non recepere, & Sacramento Baptiſmatis abluti non ſunt, ut Hebræi Muhamedani, Idololatræ. Ii igitur omnes legibus Eccleſiæ non ſubjacent: quoniam Baptiſmus janua eſt, per quam in Eccleſiam intramus, & ſicut qui baptizati non ſunt, non introierunt in Eccleſiam, ita ejus poteſtati, ac juriſdictioni non ſubduntur, adeoque nec legibus ab ipſa promulgatis. E contra vero cum hæretici per baptiſmum ingreſſi ſint in Eccleſiam, ejus ſubditi effecti ſunt, ejuſdemque legibus ſubjecti; & peccant, dum illas non obſervant. Quia tamen infideles ſubditi ſunt Chriſto homini Deo, quamvis Eccleſiaſticis legibus non teneantur, tenentur tamen præceptis divinis poſitivis in Evangelio latis.

Regula Tertia.

Regulares a juriſdictione Epiſcoporum exempti ſunt, in pluribus tamen iiſdem ſubjiciuntur.

VII. Prima pars conſtat ex privilegiis, quæ Regularibus liberaliter indulſit Sedes Apoſtolica, & tacito ſaltem Epiſcoporum conſenſu firmata ſunt. Unde non obſtringuntur legibus Epiſcopalibus, aut Synodalibus, immo nec decretis Synodorum Provincialium, ut teſte Fagnano in Cap. *Sicut olim* declaravit Sacra Congregatio: adeoque non peccant, dum, remoto ſcandalo, leges hujuſmodi non obſervant, niſi forte aliquid præcipiant, quod ad jus vel naturale, vel divinum poſitivum, aut etiam Canonicum in Eccleſia receptum pertineat.

Altera vero pars evincitur ex iis præſertim, quæ in Concilio Tridentino de Regularibus conſtituta ſunt. Cum enim plura jam decreviſſet Sancta Synodus ad Regularium ſtatum, & reformationem ſpectantia, poſtremo *ſeſſ.* 25. *Cap.* 22. ita concludit: „ Hæc omnia, „ & ſingula in ſuperioribus decretis contenta „ obſervari Sancta Synodus præcipit in om„ nibus Cœnobiis, ac Monaſteriis, Collegiis, „ ac Domibus quorumcunque Monachorum, „ ac Regularium, nec non quarumcunque „ Sanctimonialium, Virginum &c. non ob„ ſtantibus eorum omnium, & ſingulorum „ *privilegiis* &c. Et quia Sancta Synodus de„ liberat, ut omnia, & ſingula ſupradicta „ quamprimum executioni demandentur, *præ„ cipit omnibus Epiſcopis* in Monaſteriis ſibi „ ſubjectis, & *in omnibus aliis ipſis in ſupe„ rioribus decretis ſpecialiter commiſſis* &c. ut „ ſtatim *prædicta* exequantur “ Ex quibus liquet, Regulares quoad illa capita, quæ ſupra Concilium conſtituerat, ſubjectos ab eo fuiſſe Epiſcoporum juriſdictioni, ac præceptis, non obſtantibus privilegiis quibuſcunque, quæ ipſis conceſſa ſunt.

Præcipua porro capita, in quibus Concilium Regulares Epiſcopis ſubjecit, hæc ſunt: ac primum quidem, quod habetur *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. in eo conſiſtit, quod Regulares prædicare non poſſint etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, niſi approbati a ſuis Superioribus, *ſe præſentent coram Epiſcopis, & ab eis benedictionem petant, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint.*

Secundum: Quod poſſint prohiberi ab Epiſcopis, ne prædicent, & etiam puniri, ſi errores, aut hæreſes in populum diſſeminent. *Si vero*, ſequitur ſacra Synodus, (*quod abſit*) *prædicator errores, aut ſcandala diſſeminave-*

rit

Digitized by Google

rit in populum, etiam in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiamſi prædicator ipſe generali, vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætenderet.

Tertium: Quod nullus Regularium, niſi approbatus ab Epiſcopo, poſſit confeſſiones ſæcularium audire. Sic definit *ſeſſ.* 23. c. 15. dicens: *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.*

Quartum: Quod Regulares ſubdantur juriſdictioni Epiſcoporum in iis locis, ubi curam animarum exercent. Sic enim ſtatuit Sacroſancta Synodus *ſeſſ.* 25. c. 11. *In monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam Regulares, quam ſæculares hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo.*

Quintum: Quod debeant publicare, & ſervare Cenſuras ab Epiſcopis emanatas, quemadmodum & dies feſtos. *Cenſuræ*, inquit Concilium eadem *ſeſſ.* Cap. 12. *& interdicta nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, ſerventur.*

Sextum: Quod Regulares ad publicas Proceſſiones Epiſcopi compellere poſſint. Ait enim eadem *ſeſſ.* C. 13. *Exempti omnes tam Clerici ſæculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Proceſſiones vocati, accedere compellantur, iis tamen exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.*

Præter hæc, in quibus ex mandato Concilii Tridentini tenentur Regulares ſubeſſe Epiſcoporum diſpoſitionibus, ac præceptis, nonnullos alios caſus recenſet Benedictus XIV. in præclaro ſuo Opere *de Synodo Diœceſana lib.* 9. C. 5. in quibus eadem obligatione obſtringuntur, quæcumque ſint eorum privilegia, & exemptiones. Primus habetur ex Decreto S. Cæ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo præſcribitur *iis non licere etiam in eorum propriis Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex publica cauſa, quæ ab Ordinario probata ſit.* Quod tamen ex tacito Epiſcoporum conſenſu in aliquibus locis in deſuetudinem abiiſſe videtur. II. Epiſcopos compellere poſſe etiam Regulares ad obſervanda ea, quæ rite ſtatuta ſunt circa Miſſæ Sacrificium, prohibere, ne novas imagines, aut reliquias ab ipſis non approbatas exponant: injungere etiam ſub pœna ſuſpenſionis a Regularibus ipſo facto incurrendæ, ne quempiam extraneum Sacerdotem in ſuis Eccleſiis celebrare permittant abſque prævia Ordinarii licentia: corrigere etiam, ac punire delinquentes in iis, quæ ſpectant clauſuram Monialium etiam iiſdem Regularibus ſubjectarum; aliaque hujuſmodi.

Regula Quarta.

Si legis materia æque Legiſlatori, cæteriſque ſubditis conveniat, Legiſlator ad legem ſuam obſervandam tenetur, non quidem quoad vim coactivam, *ſed quoad* directivam.

VIII. Dixi: *Si legis materia æque Legiſlatori, ac ſubditis conveniat.* Si enim utriſque communis non ſit, ut quando materia legis Principem dedecet, non autem ſubditos, nulla ratio tunc eſt, cur ipſum obſtringere debeat. Si vero æque Legiſlatorem ſpectet, ac ſubditos, ipſum quoad *vim directivam*, non autem quoad *vim coactivam*, lege teneri docet S. Thomas cum omnibus Theologis. Et quidem non teneri quoad *vim coactivam*, oſtendit S. Doctor loco citato *p.* 2. Cum enim ſibi oppoſuiſſet illud Juriſperiti ff. *de legibus* leg. 3. *Princeps legibus ſolutus eſt*; Reſpondet: *Ad 3. dicendum, quod Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad vim coactivam legis. Nullus enim proprie cogitur a ſe ipſo. Lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege: quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, contra legem agat.*

Quod vero lege teneatur quoad *vim directivam*, adeo ut ſuis ipſe legibus ſubjiciatur, eaſque tranſgredi nequeat citra peccatum, probare pergit ibidem Præceptor Angelicus his verbis: " Quantum ad vim
" directivam legis Princeps ſubditur legi
" propria voluntate, ſecundum quod dici-
" tur *extra* de Conſtitutionibus Cap. *Cum*
" *omnes*: *Quod quiſque juris in alterum ſta-*
" *tuit, ipſe eodem jure uti debet*: Et Sa-
" pientis dicit authoritas: *Patere legem,*
" *quam ipſe tuleris.* Et in Codice Theo-
" doſius, & Valentinianus Imp. Voluſiano
" Præfecto ſcribunt: *Digna vox eſt majeſtate*
" *regnantis, legibus obligatum ſe Principem*
" *profiteri, adeo de authoritate juris noſtra*
" *pendet authoritas. Et revera majus impe-*
" *rio eſt ſubjicere legibus principatum.* Im-
" properantur etiam ii a Domino, *qui di-*
" *cunt, & non faciunt*, & qui *aliis onera*
" *gravia imponunt, & ipſi nec digito vo-*
" *lunt ea movere* ut dicitur *Matth.* 23. Un-
" de quantum ad Dei judicium Princeps
" non eſt ſolutus a lege, quantum ad vim
" directivam ejus, ſed debet voluntarius,
" non coactus, legem implere ". Doctrinam hanc pluribus confirmare fas eſſet, ſi res expoſceret.

Regula Quinta.

In regimine Ariſtocratico, & Democratico omnes tenentur legibus ſive ab Optimatibus, ſive a Populo latis nedum quoad vim directivam, *verum etiam* coactivam.

IX. Ratio eſt, quia in ejuſmodi regimine nulla perſona particularis eſt ſupremus Princeps, ſed Reſpublica ſuperior eſt relate ad quemcunque ad ipſam pertinentem, ſive ea ſit Communitas populi, ſive Optimatum, & Primorum. Poteſtas quippe regendi non eſt neque in hac, neque in altera peculiari perſona, ſed in omnibus conjunctim acceptis, hoc eſt vel in cœtu Optimatum, vel in cœtu populi: adeoque perſonæ ſingulæ ſuperiorem habent, quo reguntur, & cui proinde ſubjiciuntur, ita ut non ſolum dirigat omnes, ſed omnes compellere valeat pœnarum metu ad præſtandam legibus obedientiam. Quare omnes legibus ſubjecti ſunt tum quoad vim *directivam*, tum quoad *coactivam*.

Regula Sexta.

Clerici in rebus temporalibus, ac civilibus, non minus ac alii, ſubjecti ſunt legibus Regum, ac Principum, in quorum ditione verſantur, ſalva ſola Eccleſiarum, & perſonarum immunitate.

X Hoc

X. Hæc regula ex iis, quæ ſupra diximus, de Principum temporalium authoritate, ac poteſtate differentes manifeſta eſt; & luculenter imprimis colligitur ex ſæpe laudato Apoſtoli textu: *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: in quo locutum eſſe de Poteſtatibus ſæcularibus una eſt, eademque, ut jam notavimus, vox, atque ſententia Patrum tum Latinorum, tum Græcorum: ex quibus audire præſtat dumtaxat S. Joannem Chryſoſtomum ita in eumdem Apoſtoli locum ſcribentem: *Poteſtatibus ex debito obedire jubet, oſtendens, quod iſta imperantur omnibus & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit*: Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, *etiam ſi Apoſtolus ſit, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſvis tandem fuerit. Neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio: & non ſimpliciter dicit, obediat; ſed ſubdita ſit*.

Deinde Clerici ex eo, quod in ſortem Domini vocati ſint, non deſinunt eſſe cives, partes, aut membra politicæ Communitatis, immo tanquam pars nobilior ejuſdem computantur, ipſiuſque commodis omnibus, ac beneficiis perfruuntur. Cur ergo, æque ac alii ſubditi, ſubjecti non erunt legibus pro tota Communitate ab ipſius legitimo Principe promulgatis, & ad commune bonum ordinatis?

Hoc etiam compertiſſimum eſt ex ſupra jam adducta confeſſione Gelaſii Summi Pontificis ad Imperatorem: *Quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuprema diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi parent Religionis Antiſtites.* Et Nicolai I. epiſt. 8. dicentis, *Chriſtum diviſiſſe Pontificum authoritatem ab Imperiali, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus uterentur*.

Eamdem ſubjectionem ad leges Principum temporalium profeſſi ſunt alii Summi Pontifices, quorum authoritas in hac re magni momenti reputanda eſt. Pelagius Papa I. ad Childeb. ait: *Quibus* [Regibus] *nos etiam ſubditos eſſe ſacræ litteræ præcipiunt*. S. Gregorius Magnus *lib. 2. epiſt. 61.* ita ſcribit: *Poteſtas ſupra omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data eſt ..... Ego quidem juſſioni ſubjectus utrobique, quod debui, exſolvi. & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quæ ſenſi, minime tacui*. Leo IV, epiſt. ad Loth. 2. *Nos*, inquit, *ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac veſtrorum miſſorum cuncta volumus emendare judicio*. Quibus adde Can. *Satagendum* Cauſ. 25. q. 1. idem profitentem his verbis: *Satagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo, obſequium confeſſionis noſtræ legibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſacræ Scripturæ præcipiunt*. Agnoſcunt ergo ipſi Summi Pontifices ſe, cæteroſque Epiſcopos, & Clericos non eſſe divino jure ab Imperialibus legibus, & judiciis exemptos, & immunes in rebus temporalibus.

Exceptionem additam regulæ communi confirmant tum Sacri Canones, tum Conſtitutiones Imperatorum, Principum, & Regum, qui ex obſequio erga Eccleſiam nedum Sacros Antiſtites, ſed etiam Sacerdotes, & perſonas Eccleſiaſticas in quibuſdam caſibus eas exemptas eſſe voluerunt a legibus ſuis. Quod privilegium profitetur Innocentius IV. de ſententia Excommun. C. *Noverit*, dum ait: *In temporalibus generaliter, & generalis Eccleſia ſolus Imperator* (idem dicas de cæteris Principibus, ac Regibus) *qui & Clericis, & laicis præeſſe debet, privilegium concedere poteſt*. Porro, cum hæc immunitas a Principum legibus eadem non ſit in omnibus regnis, ac Principatibus, ſed alicubi major, alicubi minor juxta Principum voluntatem; ideo Patriæ ſuæ conſuetudinem conſulere unuſquiſ-

Digitized by Google

que Clericorum debet, eamdemque ſequi.

Regula Septima.

In rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis Clerici ſolis legibus Eccleſiæ, Summorum Pontificum, aliorumque Prælatorum ſubjecti ſunt.

XI. Hæc quoque regula evidens, ac certa eſt ex iis, quæ de utraque poteſtate Civili, & Eccleſiaſtica conſtituta ſunt. Nam poteſtas Principum ſæcularium non ſe extendit ultra res temporales, & politicæ Reipublicæ temporale bonum ſpectantes; de quibus tantummodo leges ferre poſſunt, prout ejuſmodi bono neceſſarium, aut utile eſſe judicaverint. De ſpiritualibus vero rebus leges ferendas iis relinquant oportet, quibus hæc poteſtas a Chriſto Domino commiſſa eſt, ſcilicet Eccleſiæ Prælatis, ne propriæ authoritatis limites prætergrediantur: quod nonnunquam feciſſe Imperatorem Juſtinianum, alioſque ejuſdem ſucceſſores merito culpantur. Si igitur (quod abſit) ad haſce leges promulgandas Princeps aliquis temporalis progrediatur, iis neque Clerici, neque populus ſubjectus eſt: quoniam in hoc genere legum poteſtas ejus legitima cenſeri non poteſt, cum ſoli Eccleſiæ, Summiſque Pontificibus, aliiſque Prælatis ejuſmodi poteſtas conveniat. Hinc C. *Si Imperator* diſt. 96. dicitur, *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſpenſanda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, quas ſi fideles ſint, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas*. Et Severus Sulpicius *lib.* 2. *Hiſtor.* refert, S. Martinum dixiſſe, *Novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex Sæculi judicaret*. Quare de his ob oculos habenda eſt autea illa ſupra relata S. Thomæ ſententia, nimirum in rebus temporalibus Imperatori, ſive aliis Principibus obediendum potius eſſe, quam Prælatis Eccleſiæ; in rebus autem ſpiritualibus Prælatis Eccleſiæ potius, quam ſæculi Poteſtatibus.

Regula Octava.

In iis cauſis, quæ Eccleſiarum ordinationes, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, leges civiles robur non habent, ſi ſacris Canonibus adverſentur, adeoque his potius, quam illis fideles ſubjecti ſunt.

XII. Affinis præcedenti hæc regula eſt, eamque tradidit Œcumenica Synodus Chalcedonenſis *act. IV.* in cauſa, quæ inter Photium Epiſcopum Tyri, & Euſtachium Epiſcopum Berytide Epiſcopatuum diviſione vertebatur, inquiens: *Contra Canones Pragmaticum* (Imperatoris) *nihil valebit. Univerſa pragmatica ceſſabunt: regulæ teneant*. Idem tradidit Pontifex Nicolaus I. ut refertur C. *lege* diſt. 1. dicens: *Legibus Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis controverſiis utendum eſſe, præſertim cum invenientur Evangelicæ, & Canonicæ Sanctioni aliquoties obviare. Lex Imperatorum non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus, Imperiali judicio non poſſunt eccleſiaſtica jura diſſolvi*. Quod Innocentii I. & Sancti Gregorii Magni teſtimoniis confirmat, ac ſubdit: *Non quod Imperatorum leges, (quibus ſæpe Eccleſia utitur contra hæreticos, ſæpe contra tyrannos, atque contra eos quoque defenditur) dicamus penitus renuendas: ſed quod eas Evangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præjudicium aſſeramus*. Item Can. *Certum eſt* Felix III. Imperatorem ſic admonet: *Certum eſt hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum de cauſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutionem regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & ſacroſancta per eorum Præſules potius diſcere, quam docere, Eccleſiaſticam formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, ne, dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis*.

RE.

Digitized by Google

REGULA NONA.

Advenæ, peregrini, & vagi non tenentur legibus locorum, e quibus excedunt, quibuſdam tamen caſibus exceptis.

XIII. *Advenæ* dicuntur ii, qui extra patriam ſuam domicilium figunt, & etiam qui in uno loco domicilium habentes, in alio tamen habitant, aut ſemper, aut ſaltem ad tempus. *Peregrini* vocantur, qui a loco proprii domicilii alio tranſmeant, animo tamen redeundi. *Vagi* tandem, qui nullibi domicilium fixum habent. Hi igitur omnes ſubjecti non ſunt legibus territorii ſui, quando extra illud verſantur, ubi non obligant. Hoc conſtat primum ex cap. 1. *de Conſtit.*, in ſexto, ubi dicitur non teneri ſtatuto Epiſcopi excommunicatione innodantis, qui furantur, ſi furtum committant extra Diœceſim. Deinde leges, & conſuetudines locales affixæ ſunt loco, ſive territorio, nec extra illud juriſdictio, aut poteſtas Legiſlatoris ſe extendit, ſicut & Regum authoritas non extenditur ultra proprium regnum, & Principatum. Atque hæc ſententia certa eſt apud omnes. Hinc peregrini non tenentur nec audire Miſſam, nec jejunare, ſi in loco ſint, ubi hæc præcepta non obligent.

Duo tamen caſus excipiuntur a regula communi. Primus eſt, ſi lex patriæ, vel Principis actionem prohibeat ubivis factam ob ſpeciale damnum, quod ex ea cederet Communitati, ut eſſet E. C. venditio armorum, aliarumque rerum hoſtibus patriæ, vel regni. Tunc enim etiamſi aliquis extra Patriam, & Regnum verſaretur, puniri poſſet. Nam delictum intra locum, ubi lex obligat, committi cenſetur ob damnum intra illud moraliter conſecutum, ut ex lege 4. Cod. *de Commerc.* habetur.

Alter, ſi præceptum perſonale ſit, quod nempe immediate perſonam afficiat, non locum: tunc enim ubicunque fuerit, eo præcepto tenetur. Unde ſi Epiſcopus Sacerdoti celebrationem Miſſæ, aut uſum ſui Ordinis abſolute prohibeat, is nedum in propria, ſed nec etiam in aliena Diœceſi Miſſam celebrare, aut officia ſui Ordinis exercere poſſet.

REGULA DECIMA.

Advenæ, Peregrini, & Vagi tenentur legibus locorum, in quibus moraliter eſſe dicuntur.

XIV. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quod in loco aliquo moraliter conſiſtant, vel permanenter, ut advenæ, & forenſes, vel ſaltem tranſeunter, ut peregrini, & vagi, ſubditi fiunt Principi, Epiſcopo, & loco, ubi vigeat conſuetudo, quæ vim legis obtinuerit. Ac de legibus quidem, quæ ſpectant contractuum, teſtamentorum, & matrimoniorum ſolemnitatem, ac formam, nemo Theologorum dubitat. Univerſim vero de aliis legibus, & conſuetudinibus probatis, atque receptis probatur: quoniam quiſque ratione territorii, in quo verſatur, legem & forum illius ſortitur; & ordo, ac tranquillitas Communitatis exigit, ut non aliis legibus peregrini utantur, quam indigenæ, omniſque amputetur perturbationis, & confuſionis occaſio, quæ plane ſequeretur, ſi alii his, alii diverſis legibus viverent, dum eodem in loco omnes conſiſtunt.

Præterea probatur ex eo, quia peregrinus, dum extra ſuum territorium verſatur, hujus legibus non obligatur, ut diximus; ergo par admodum eſt, ut obligari incipiat legibus territorii, in quo degit: non enim ob ſuam peregrinationem debet eſſe in hoc genere exlex, ſive immunis ab obligatione legum locorum omnium. Sicut igitur ob abſentiam a ſuo territorio, vel patria, hujus legibus obligari deſiit; ita ob exiſtentiam, & converſationem in alio terri-

territorio, vel patria illius legibus teneri dicendum eſt. Hinc S. Auguſtinus *lib. 3. Confeſſ. c.* 8. ait: "Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim pars eſt ſuo univerſo non congruens". Et *epiſt.* 36. *ad Caſulanum* refert: cum pia Mater Monica Mediolani agens ſollicita eſſet, an ſibi ſecundum Civitatis ſuæ morem ſabbato jejunandum, an ſecundum Mediolanenſis Eccleſiæ morem prandendum eſſet, S. Ambroſium ea de re interrogatum reſpondiſſe: *Quando hic ſum, non jejuno ſabbato; quando Romæ ſum, jejuno ſabbato, & ad quamcunque Eccleſiam veneritis*, inquit, *ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere*. Hoc reſponſum & S. Auguſtinus, & Monica tanquam legem ſecuti ſunt. Unde ſubdit: *Sed quoniam contingit, ut una Eccleſia, vel unius regionis Eccleſiæ, alios habeant ſabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commiſſa eſt*. Et epiſt. ad Januar. c. 11. *Nec diſciplina*, inquit, *ulla eſt melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, morem ſervandum*.

Regula Undecima.

Peccant, qui data opera, ac ſtudio deliberato a propria patria, vel territorio, ubi lex aliqua viget, alio ſe transferunt, ut vim obligationis effugiant.

XV. Hæc regula ſatis aperte colligitur ex Sancti Thomæ doctrina, quam tradit 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. ubi hæc habet: *Circa peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur: quia ſi peregrinatio, & omnis labor commode differri poſſit abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda*. Ex qua hoc argumentum conficitur: ſi vel ipſa peregrinatio bono animo, ac fide ſuſcepta, dum commode fieri poteſt, differenda eſt, ut lex jejunii obſervetur, quis non inde deducat licitum non eſſe eam dedita opera, ac fraudulento ſtudio capeſſere, ut legis obligatio eludatur?

Probatur deinde ratione ex hoc juris principio eruta C. 15. & 16. *de Reſcrip.* videlicet: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet*. Hoc autem in caſu fraudem, ac dolum habere locum, nemo non percipit, qui rem attente conſiderat. Non enim aliam ob cauſam, ut ſupponimus, e loco, ubi quis commoratur, alio ſe transfert, niſi ut ſe ſubtrahat a legis obligatione. Ulterius, modus iſte agendi deformitatem quamdam præſefert ab eo inſeparabilem, vi cujus pii omnes, ac bene morati viri ſecreto quodam horrore permoventur, ac ab illo retrahuntur: quod evidens ſignum eſt, culpa minime vacare. Præterea, ut hic recte animadvertit Laymanus, leges humanæ, ac præſertim Eccleſiaſticæ, quæ ad ſubditorum ſpiritualem utilitatem ordinantur, eam ſemper conditionem ſibi adnexam deferunt, quam communis fidelium perſuaſio, & Epiſcoporum praxis oſtendit, ut ſubditis abſque juſta cauſa earum obligationem ſubterfugere nefas ſit: hoc enim neceſſarium eſt ad rectam gubernationem fidelium, & efficaciam legum, & ut janua præcludatur abuſibus plurimis, qui in confinibus diverſarum Diœceſum contingere ſolent.

Verum quid diutius immoramur in comprobanda aſſertione poſita, cum jam certa omnino dicenda ſit poſt ea, quæ de illa ſcripſit Summus Pontifex Benedictus XIV. in egregio ſuo Opere *de Synodo Diœceſana lib.*

13.

Digitized by Google

13. *c.* 4. cujus teſtimonum, licet paulo
prolixius, ob doctrinam, & exempla, quæ
continet, lubet huc afferre. Loquens er-
go Summus Pontifex de illo, qui e Diœ-
ceſi ſua egreditur ſolo animo declinandi Sy-
nodalis ſtatuti obligationem, ſic ait: "
„ Quamvis nonnulli Doctores hunc a ſta-
„ tuti vinculo ſolutum arbitrentur; melius
„ tamen eum in legis fraudem diſcedentem
„ legis vinculum ſecum ferre, eoque con-
„ ſtrictum manere defendunt alii. *Neque*
„ *hodie fas eſſe videtur ab hac ſententia re-*
„ *cedere*, poſtquam Sacra Congregatio Con-
„ cilii illegitimum pronunciavit Matrimo-
„ nium, non ſervata Tridentini forma, ab
„ iis celebratum, qui ſolo animo illud clan-
„ deſtine contrahendi receſſerunt e loco, ubi
„ Tridentinum eſt promulgatum, & ſe ad
„ locum contulerunt, in quo promulgatum
„ non eſt: quam declarationem ſua robo-
„ ratam authoritate Urbanus VIII. inſeruit
„ *Brevi* ad Archiepiſcopum Colonienſem dato
„ an. 1627. ut narrat Cardinalis de Lugo
„ *lib.* 1. *Reſp. Moral. dubio* 36. eidemque
„ declarationi aliæ plures conſonant Deci-
„ ſiones, quæ ab eadem Congregatione pro-
„ dierunt diligenter a nobis ſelectæ, &
„ relatæ in noſtra *Inſtit.* 33. *n.* 8. *& ſeqq.*
„ Etenim eum neque Sacræ Congregationi,
„ neque Summo Pontifici *in animo fuerit*
„ *novam rogare legem, ſed præexiſtentem jam*
„ *a Concilio indictam explicare*, jam exin-
„ de conficitur ex utriuſque ſententia, qui
in legis fraudem ex loco ſe ſubducit, ubi
„ ea viget, ſub lege nihilominus compre-
„ henſum, ejuſque nexu devinctum mane-
„ re. Accedit, quod Clemens X. in Con-
„ ſtit. quæ incipit *Superna* edita 21. Maji,
„ & publicata 2. Auguſti 1670. declaravit,
„ *poſſe Regularem in Diœceſi, in qua ad ex-*
„ *cipiendas confeſſiones eſt approbatus, confiu-*
„ *entes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa*
„ *reſervatis, non autem in illa, in qua Con-*
„ *feſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſ-*
„ *dem pœnitentes noverit in fraudem reſer-*
„ *vationis ad alienam Diœceſim pro abſolu-*
„ *tione obtinenda migraſſe*. Ex qua iterum
„ manifeſtum fit *dolum, & fraudem nemi-*
„ *ni patrocinari* ad evadendum legis vin-
„ culum, eamque *fraudem vere ab illo com-*
„ *mitti*, qui ſolo animo legem eludendi,
„ e loco ſe proripit, ubi illa viget".

Ex his Pontificiis deciſionibus a ſummo viro relatis, & ex ratione in his adducta & ab eodem diſertiſſime comprobata, niſi me omnia fallunt, omnis, quæ inter Doctores controverſia erat, de hac re penitus ſublata mihi videtur, adeo ut nemo propoſitæ a me regulæ refragari amplius poſſit citra damnabilem contumaciam, & apertam inobedientiam erga Sedis Apoſtolicæ Decreta in omnibus caſibus, in quibus aliquis idcirco aliò ſtudioſa voluntate ſe confert, ut a legis obligatione in ſuo territorio vigentis ſubtrahatur. Eadem quippe omnino ratio, quæ pro expreſſis caſibus, de quibus Sedes Apoſtolica interrogata fuerat, æque militat, & militare decernit Summus Pontifex Benedictus, pro aliis quibuſcunque generis ejuſdem, nempe *dolum, & fraudem* [verba ejus ſunt] *nemini patrocinari ad evadendum legis vinculum, eamque fraudem vere ab illo committi, qui ſolo animo legem eludendi, e loco ſe proripit, ubi illa viget*. Eo præſertim, quod nullius momenti ſint, quæ opponere adverſarii conſueſcunt. Etenim illud præcipuum, quod in ore ſemper habent, *licere cuilibet uti jure ſuo*, quis non aſpernetur, ac plane irrideat? cum *jus* ſupponant, quod commentitium eſt. Numquid jus aliquod eſſe poteſt ad dolum, ac fraudem committendam, aut ad ſe per dolum, & fraudem ſubducendum ab obligatione legum? Porro in caſu, de quo agitur, dolum fraudemque ſubeſſe, & ex verbis Benedicti XIV. manifeſtiſſimum eſt, & ex ipſo agendi modo perquam evidenter cuiquam rem ſerio perpendenti pateſcit. Quare contrariam ſententiam omni prorſus probabilitate deſti-

tui

tui exiſtimandum eſt, adeoque peccare omnes, qui eam ſequuntur.

CAPUT XIV.

Conſectaria.

I. *Lex ab acceptatione populi pendet, ſi hae conditio in Principis electione appoſita fuerit.*

II. *Falſa, ac damnata Eſcobarii propoſitiones circa dependentiam legum a populi acceptatione.*

III. *In propoſitione ab Eccleſia de hac re damnata continetur ſententia Bonacinæ, ac Valentiæ.*

IV. *Saltem damnatæ propoſitioni proxima cenſenda eſt quædam exceptio P. Suarelii.*

V. *Si lex nimium gravis, & ardua ſit, ſolum recurſus patet ad appellationem, aut ſupplicationem.*

VI. *Hæreticum dogma eſt, perfectos & juſtos homines non eſſe legibus humanis ſubjectos.*

VII. *Peccat Legiſlator legem ſuam abſque cauſa non obſervans.*

VIII. *In regimine Ariſtocratico, & Democratico omnes ad legem tenentur etiam quoad vim coactivam.*

IX. *Generales Ordinum Regularium legibus ſui Ordinis obligantur.*

X. *Falſa eſt, prout abſolute proponitur, opinio de exemptione Clericorum a Poteſtate Sæculari.*

XI. *Æque falſa eſt illatio, quam eruit P. Eſcobarius ex prædicta opinione.*

XII. *Exemptio, quæ in quibuſdam caſibus Clerici gaudent a foro ſæculari, eſt de jure humano.*

XIII. *Cauſæ de rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis non ſunt trahendæ ad tribunalia ſæcularia.*

XIV. *Cauſas* Poſſeſſorii *in materia beneficiali ſpectare ad forum ſæculare pertinere communior ſententia eſt, & uſu a Pontificibus probato confirmata.*

XV. Privilegium fori, *quo Clerici fruuntur, vergere non debet in Reipublicæ detrimentum.*

XVI. *Graviter peccant Clerici, & Religioſi Epiſcopis reſiſtentes Reformationem inducere volentibus.*

XVII. *Viatores ſervare præcepta debent locorum, per quæ tranſeunt.*

XVIII. *Sententia de his, quam ut probabilem tuentur Viva, & Salmanticenſes, improbabilis eſt.*

XIX. *Perſonale præceptum ab Epiſcopo impoſitum etiam extra Diœceſim obſervandum eſt.*

XX. *Sacrum audire tenetur, ubi præceptum urget, qui illud ante diſceſſum commode audire valet. Sententia PP. Salmanticenſium rejecta.*

XXI. *Præcepta, quæ territorium afficiunt, tamdiu ſervanda, quamdiu in eo quis moratur.*

XXII. *Peccant, qui data opera Mediolanum ſe transferunt, ut conſuetudine non jejunandi fruantur.*

XXIII. *Non poſſunt abſolvi a caſibus proprio Epiſcopo reſervatis, qui ideo ſe alio conferunt, ut abſolutionem obtineant.*

Conſectarium primum.

I. QUAMQUAM lex a Principe lata abſolute non pendeat ab acceptatione populi, ut obliget, ſi tamen in electione Principis populus in pactum deduxerit, ut legem nullam condere ipſe valeat, niſi populo conſentiente, & approbante, lex promulgata vim obligandi non ſortietur, niſi dependenter a Communitatis conſenſu. Dico *Communitatis*: non enim in eo caſu eſſet in arbitrio cujuſque privati Civis legem reſpuere, ſi Communitas, aut ſaltem major pars Communitatis illam reciperet. Similiter, ſi Princeps ſupremus, & independens, dum legem promulgat, declaret ſe nolle obligare ſubditos ante acceptationem legis factam a potiore Communitatis

tatis

totis parte (quod raro accidit) nullam habebit obligandi vim, ſi hæc diſſentiat: quoniam cum lex pendeat a voluntate, & intentione Legislatoris, ipſius eſt præfinire tempus, & conditiones, quibus vult ad illam ſubditos obligari. Intentio autem Legislatoris cognoſci poteſt vel ex ejus verbis, vel ex modo agendi, vel demum ex uſu.

Consectarium Secundum.

II. Falſa, & improbabilis, immo damnata ab Eccleſia cenſenda eſt doctrina, quam proponit Eſcobarius *T. 5. Theologiæ Moralis c. 14.* ubi in ſuis problematibus ita loquitur: *Ut lex humana Civilis obliget, requiritur, & non requiritur populi acceptatio.* Et ibidem: *Peccant, & non peccant ſubditi ſine cauſa non recipientes legem a Principe promulgatam.* Quibus problematis utrique parti probabilitatem adjudicat. Quod autem non peccent ſubditi, ſic probat: *Non peccant*, inquit, *quia Principes ſemper promulgant leges dependenter ab acceptatione ſubditorum, nec illos aliter intendunt obligare. Unde qui abſque cauſa ſufficienti legem non acceptat, aliquam culpam non incurrit, niſi grave inde Reipublicæ proveniat incommodum. Sic Megala, Diana, Valentia, Filliucius. Idem ego exiſtimo: quia acceptatio eſt conditio ad legis obligationem requiſita, & conſequenter nec delinquit, qui illam non acceptat.* Doctrinam hanc abſolute tradit, & confirmat *Tract. 1. Exam. 1. c. 3.* adducens *praxim ex Societatis Jeſu Schola*, dicens: *Leges ſub hac tacita conditione feruntur, ſi fuerint acceptatæ, & uſu receptæ.*

Consectarium Tertium.

III. Non minus falſa, & ſaltem in damnata propoſitione contenta eſt doctrina, quam tradit Bonacina *diſp. 1. de leg. q. 1. p. 4.* nempe non peccare ſubditos non acceptantes legem abſolute latam, & promulgatam, niſi Legislator exprimat ſe velle obligare abſque acceptatione populi: non enim hac declaratione opus eſt, cum ſufficiat ſola promulgatio legis, ut populus obligetur. Amplius in hoc exceſſiſſe videtur P. Valentia, quem vidimus ab ipſo Eſcobario citatum, dum *T. 2. diſp. 7. q. 5.* docet, Principem legem ferre non poſſe, niſi adjecta conditione, *ſi populus acceptaverit*. Hæc enim doctrina penitus evertit Principum etiam ſupremorum poteſtatem, quam a Deo habent, ferendi leges, prout ipſi judicaverint expedire bono Reipublicæ, majorque ſane foret poteſtas populi, quam Principis, ſi ab illius arbitrio penderet legum acceptatio.

Consectarium Quartum.

IV. Valde proxima damnatæ propoſitioni eſt doctrina P. Franciſci Suareſii *lib. 3. de lege humana, & civili c. 19.* ubi cum prius veram ſententiam docuiſſet, hanc addit *n. 12.* exceptionem: " Si lex, quamvis non ſit injuſta, ſit tamen nimium „ dura, & gravis, & talis communiter a „ populo judicetur, veriſimile videtur non „ obligare populum ad acceptandum, nec „ peccare eos, qui incipiunt non ſervare „ legem. Quia tunc veriſimiliter præſumitur, non eſſe latam legem illam a Principe cum intentione abſolute obligandi, „ ſed ſolum experiendi, quomodo a populo „ recipiatur. Unde etiam ſubditi videntur „ ſimili intentione poſſe incipere non ſervare legem, ne ſibi gravamen inferant, „ vel certe unuſquiſque licite expectare, in „ quam partem Communitas populi inclinet, & interim non ſervare legem. "

Hæc doctrina perturbativa plane eſt politici regiminis, dum populi judicio determinandam relinquit gravitatem, & arduitatem legis, ac juxta illud libertatem eam recipiendi, vel reſpuendi; cum ad Principem pertineat, qui omnibus mature perpenſis, viribus nempe ſubditorum, & indigentiis, ac neceſſitatibus communis bo-

ni, legem abſolute tulit, ac promulgavit. Eaque præſumptio, quæ a P. Suarez obtruditur, vana prorſus, & fictitia eſt, utpote ſolido nullo fundamento ſubnixa, cum potius præſumptio de lege, quæ gravis, & ardua videtur, faveat, ac favere debeat ſupremo Reipublicæ adminiſtratori. Unde audiendus non eſt P. Dominicus Viva, dum in explicatione damnatæ propoſitionis 29. *n.* 11. admittit *probabile eſſe ſub hac conditione legem ferri, ſi lex præcepta ſit ardua*. Et *num.* 44. ait: *Probabile eſt, quod ſtet in poſſeſſione libertas (atque adeo, quod citra culpam lex violetur in dubio, an ſit acceptata) quando materia præcepta eſt ardua: quia tunc probabile eſt, quod feratur ſub ea conditione, quod populus illam acceptet, atque adeo ante acceptationem non eſt obligatoria*. Quo motivo fultus P. Viva *probabilitatem aſſerere* huic ſententiæ valeat, penitus ignoro; nec aliud conjectari licet, niſi quod eam docuerit P. Suarez.

Conſectarium Quintum.

V. Si lex nimium gravis, aut ardua frequentius judicetur; licita ſubditis eſt appellatio ab inferiori ad ſuperiorem poteſtatem, E. C. ab Epiſcopo ad Summum Pontificem, a Præfecto Civitatis ad Regem, vel Principem. At ſi Legiſlator ſupremus ſit, ſive in ordine ſpirituali, ſive temporali, nulla tunc alia ſupereſt via, niſi humilis ſupplicationis, ac ſinceræ expoſitionis gravaminum, quæ ex obſervatione legis conſequuntur. Interim vero, dum ſupplicationis, & expoſitionis expectatur effectus ac clementia Principis, obſervanda lex eſt, quidquid in oppoſitum dicant Diana, Bonacina, aliique benigniores Theologi. Nam quoadusque lex a Principe non revocetur, ſemper viget ejus obligatio. Quare damnabilis viſa piis omnibus eſt quorumdam Miſſionariorum praxis, ſicut me legiſſe recordor, in Inſulis Filippinis degentium, quo cum perveniſſet lex Pontificia, quæ omnem ipſis negotiationem vetabat, & Epiſcopus obſervantiam hujuſce legis urgeret, ſe ab ea adimplenda immunes dicebant, futili prætextu, quod prius expectanda foret ab Apoſtolica Sede ad interpoſitam ſupplicationem reſponſio, quæ nonniſi poſt aliquot annos pervenire illuc poterat.

Conſectarium Sextum.

VI. Hæreticum dogma eſt ab Eccleſia anathemate confixum juſtos, & ſpirituales homines, maximeque perfectos haud ſubjici humanis legibus ſive Civilibus, ſive Eccleſiaſticis. Nam quoad leges Eccleſiaſticas attinet, errorem illum jam olim proſcripſit Viennenſe Concilium in Beguardis, & Beguinis, qui aſſerebant, eos omnes, qui ad ſtatum Chriſtianæ perfectionis pervenerant, non eſſe hominum obedientiis, & legibus Eccleſiæ ſubjectos: quo ab errore non diſtant, quæ de hac re docuit Michael de Molinos. Generatim vero juſtos homines non ſubjacere legibus humanis damnavit in ſectariis noſtri temporis Luthero, & Calvino Synodus Tridentina definiens *ſeſſ.* 6. *c.* 20. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ .... Anathema ſit*.

Conſectarium Septimum.

VII. Cum Legiſlator ex doctrina S. Thomæ, & Theologorum teneatur ad legem a ſe editam quoad vim ſaltem *directivam*, conſequens eſt in eamdem legem delinquere, ſi eam abſque juſta cauſa, ſublato etiam ſcandalo, non obſervet. Conſectarium hoc eſt adverſum Patres Salmanticenſes *Tract.* 10. *c.* 13. *punct.* 3. & Patrem Lacroixium *Lib.* 1. *c.* 11. *n.* 675. qui laudant alios Theologos ſecum ſentientes. Quapropter lethaliter peccaret, & legem tranſgrederetur, E. C. Summus Pontifex, ſi canonicas

nicas horas non recitet, ſi Sacrum die feſto non audiat, ſi Eccleſiæ jejunia non ſervet &c. etiam citra aliorum ſcandalum, excepta tamen legitima diſpenſatione, quam, ſicut aliis, ita etiam ſibi ex juſta cauſa concedere valet.

Consectarium Octavum.

VIII. Singuli de Republica, de Magiſtratu, de Capitulo tenentur legibus ab ipſiſmet conditis nedum quoad vim *directivam*, verum etiam *coactivam*. Singuli quoque Epiſcopi Provinciales Decretis Synodi Provincialis, multoque magis Nationalis, & Œcumenici. Quia hi omnes ſuperiorem habent in genere ſuo, cui ſubjiciuntur, & poteſtatem, quæ compellere ipſos valet ad obedientiam legibus, aut decretis ſtatutis præſtandam.

Consectarium Nonum.

IX. Certum eſt, Generales Ordinum Regularium teneri quoad vim *directivam* legibus Capitulorum, ſive Congregationum generalium. An vero quoad vim etiam *coactivam*, conſulendæ ſunt cujuſcunque Ordinis Conſtitutiones, ac juxta authoritatem, & poteſtatem cuique Generali conceſſam, res dirimenda eſt. In aliis namque ſubjiciuntur Capitulo, ſeu Congregationi generali: non ita in aliis. Omnes tamen ſicut Summo Pontifici ſubjecti ſunt, ita ab eodem compelli poſſunt ad obſervandas leges Ordinis, quas ipſe adprobavit.

Consectarium Decimum.

X. Falſa eſt, & poteſtati Principum temporalium adverſa opinio plurium Caſuiſtarum, prout abſolute, ac generaliter a Ludovico Molina proponitur, ac defenditur *de juſt. & jure tract. 2. diſp. 31. pag. 151. Edit. Mogunt.* nimirum, *Clerici jam hodie a Civili Poteſtate ſunt exempti, ita ut neque in Criminalibus, neque in Civilibus a ſæcularibus judicari poſſint, ſed ab Eccleſiaſticis duntaxat; exempti etiam ſunt a tributis, & aliis oneribus*. Falſitas hujus opinionis ita propoſitæ ex iis, quæ dicta ſunt, liquidiſſime fluit.

Consectarium Undecimum.

XI. Non minus falſa, & pernicioſa cenſenda eſt illatio, quam ex doctrina citata Caſuiſtarum eruit P. Eſcobarius *T. 1. Theol. lib. 5. ſect. 2. c. 15.* inquiens: *Infero Clericos, ſecluſo ſcandalo, non peccare mortaliter, Principum ſæcularium leges violando: quia legibus hiſce directe non tenentur*. Hæc ab ipſo deducta conſequentia tota nititur falſa opinatione, quod Clerici etiam in temporalibus rebus, proprie & directe ſubjecti non ſint poteſtati Principum ſæcularium. Juxta quam doctrinam *tract. 1. exam. 15. c. 2.* cum quæſiviſſet, *cuinam concedendum eſt privilegium?* ac reſpondiſſet, *ſolis ſubditis, quia per privilegium homo a lege eximitur: non autem eximitur a lege, niſi qui aliquo modo legi ſubjiciebatur*; ſibi ſtatim hanc conſequentiam ex hoc principio fluentem opponit: *Ergo Religioſi, & Clerici, qui ſubditi non ſunt, privilegia a Principe ſæculari conſequi non poſſunt*. Quid vero reponit? En mirifica profecto reſponſio: *Nego ſequelam: quia licet non ſint directe ſubditi Principibus ſæcularibus; nihilominus, ſi Princeps concedat legem civilem pure favorabilem, poſſunt illius beneficio frui: ſunt enim aliquo modo ſubditi; quatenus Principem agnoſcant in iis, quæ Eccleſiaſticæ non officiunt immunitati*: ſcilicet Religioſi, & Clerici ſubditi ſunt Principibus temporalibus, ut ab ipſis gratias, & favores recipiant; non autem ut ſuſtineant onera Reipublicæ. Quid abſurdius?

Consectarium Duodecimum.

XII. Immunitas, & exemptio, qua in quibuſdam caſibus Clerici gaudent relate ad res civiles, & politicas, non eſt de jure divino, ſed humano, nimirum ex benignitate,

gnitate, & favore Principum temporalium, qui eos in obſequium, ac reverentiam Eccleſiaſtici Ordinis exemptos, & immunes eſſe voluerunt. Conſectarium hoc conſtat, & ſequitur ex omnibus, quæ ſupra adduximus fundamentis, ex confeſſione ipſorum Romanorum Pontificum, & ex allatis teſtimoniis Sanctorum Patrum, quibus addere placet S. Gregorium Nazianzenum orat. ad Presb. & pop. ubi ſic ait: *Subjecti ſumus tum invicem alii aliis, tum his, qui cum imperio nobis in terra præſunt, Magiſtratibus propter ordinis conſervationem. Etiam hæc in legum noſtrarum numero eſt, ut quemadmodum heri ſervis, uxores maritis, Eccleſia Domino, diſcipuli Paſtoribus obtemperant; ita nos etiam cunctis poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecti ſimus, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut qui tributo pendendo ſimus obnoxii, lex Chriſti vos quoque, & me tum imperio, tum ſolio ſubjicit.* Ex quibus, ſicut ex aliis evidens eſt, omnes tum ſæculares, tum Clerici ſæcularibus poteſtatibus in iis legibus, aut ſtatutis, quæ ad ipſas pertinent, potius divino jure ſubjectos eſſe, quam exemptos.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Cauſæ Sacerdotum, aut Clericorum in materia de doctrina fidei, de moribus, aliiſque ſimilibus, quæ mere ſpiritualia ſunt, & Eccleſiaſtica, non ſunt trahendæ ad tribunalia Judicum ſæcularium; ſed Prælatorum Eccleſiæ judicio ſubjiciendæ. Hi ſiquidem ſoli de hiſce rebus ſunt judices competentes, ad quos commiſſa a Deo eſt judicandi poteſtas: atque ita innumeris in locis Sacri Canones tradunt, ut ſupra jam notavimus.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Judicium, ſeu cauſæ, ut vocant, *Poſſeſſorii* in materia beneficiali, Juris patronatus, Decimarum pene ubique ditionum etiam Catholicarum ſpectare, & jam pridem ſpectaſſe ad tribunalia Principum ſæcularium, communis eſt tum veterum, tum recentium Authorum, qui de hac re pertractant, ſententia, cui nedum ſuffragatur quotidiana, & notoria praxis, ſed etiam Principum edicta, & ordinationes conſonant: quia, inquiunt, *Poſſeſſorium* non eſt quid ſpirituale, ſed temporale: nullumque, addunt, inconveniens eſt, quod reſpectu rei ejuſdem *Petitorium* ſit aliquid ſpirituale, & *Poſſeſſorium* temporale, cum nihil inter ſe commune habeant. Atque ipſi Summi Pontifices, qui hoc jus *Poſſeſſorii* ubique gentium obtinere certe non ignorant, non ſolum eidem non refragantur, ſed etiam adprobant, & jam a multo tempore adprobarunt, ut patet ex Bulla Martini V. ad Regem Gallorum anno IX. ſui Pontificatus edita, in qua, poſtquam reprobavit illorum praxim, qui cauſas mere Eccleſiaſticas ad tribunalia ſæcularia temere trahebant, ſubdit: " Cum autem, ſicut pro parte chariſſimi nobis in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum illuſtris nobis fuit expoſitum, a nonnullis revocetur in dubium, an per hujuſmodi noſtram Conſtitutionem derogari voluerimus juri, & juriſdictioni regiæ, præſertim in caſu *Poſſeſſorii* retinendæ poſſeſſionis ſuper quibuſcunque Eccleſiis, & beneficiis Eccleſiaſticis ſuorum regni Franciæ, & Delphinatus Viennenſis, per quam juriſdictionem præfatus Rex ſibi licere aſſerit in omni caſu etiam juridice tueri poſſeſſores; Nos ad omnis ambiguitatis tollendum dubium, ſuper his conſulere, & providere volentes ..... authoritate Apoſtolica tenore præſentium, declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, neque eſſe, per prædictam, aut quamcunque aliam Conſtitutionem noſtram eidem Regi, & ejus regiæ juriſdictioni, per quam, ſicut aſſeritur, tum ipſe, tum omnes progenitores ſui ſuper hujuſmodi *Poſſeſſorio* a tanto tempore, citra quod de ejus contrario memo-

Digitized by Google

„ memoria hominum non exiſtit, contue-
„ verunt agnoſcere, in aliquo derogari vo-
„ luiſſe, aut velle quoquomodo, decernen-
„ tes partes moleſtatas ſuper earum con-
„ ſervatione ad ſuorum beneficiorum poſſeſ-
„ ſionem ipſius Regis auxilium implorantes,
„ dummodo in contemptum juriſdictionis,
„ & libertatis Eccleſiaſticæ, & ut patres ſi-
„ bi adverſas in rebus Eccleſiaſticis diut us
„ perturbarent, hoc non fecerint, pœnas
„ in dicta noſtra Conſtitutione contentas nul-
„ latenus incurriſſe, aut debere incurrere quo-
„ vis modo "

Consectarium Decimumquintum.

XV. Exemptio Clericorum, quam *privilegium fori* communiter appellant, a Chriſtianis Principibus Clericis indulta fuit in ipſorum favorem, ut nempe a forenſibus judiciis immunes liberius Domino vacarent, & eorum cauſæ per Epiſcopos quam celerrime finirentur. Cum autem ea, quæ in favorem inducta ſunt, vergere minime debeant in præjudicium ac damnum, ſequitur, quod hæc exemptio non auferat jus implorandi aliquando protectionem regiam, qua ſeſe tueri, ac defendere valeant adverſus vim, ac violentiam, quam forte patiuntur, quin aliter iiſdem ſe defendendi pateat via. Neque Princeps, qui protectionem ſubditorum ſuorum abs ſe abdicare non poteſt, concedendo exemptionem Clericis a foro ſæculari, eos neutiquam excludere valet a protectione ſua, quam vi ſui muneris, & officii præſtare tenetur; ſiquidem non deſunt eſſe membra, & Cives Reipublicæ. Quod exemplis pluribus confirmare fas eſſet, & evidens eſt in cauſa S. Athanaſii adverſum Epiſcopos Arianos. Cavendum tamen diligenter eſt ab abuſu hujus regulæ, qui facile contingere poteſt.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Graviter peccant Clerici, Monachi, & Moniales, qui Epiſcopis reformationis capita, quæ in Synodo Tridentina ſancita ſunt, inducere volentibus, ſacræque diſciplinæ obſervantiam imperantibus, incertorum, aut abrogatorum privilegiorum, aut conſuetudinum obtentu audacter reſiſtunt, eiſque lites præſertim in tribunalibus Sæcularium intentant. Nam ſi quæ etiam erant privilegia, quibus olim gaudebant, jam per Concilium Tridentinum in hiſce regularis diſciplinæ capitibus abrogata ſunt, & Epiſcopis tributa poteſtas, ut illos etiam cenſurarum comminatione ad executionem legum ſuarum compellant.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Viatores Sacro intereſſe debent, a carnibus abſtinere, ac ſervare jejunium, ſi in loco, ad quem venerint, vel dies feſtus ſit, vel urgeat jejunii præceptum, quoties ibi integra die commorentur. Si vero ſolummodo tranſeant, eodem ſcilicet die, quo venerunt, recedentes, ſeclus o ſcandalo, non obligantur. Immo ſi quis in aliquo oppido nocte dormiat, non tenetur ſummo mane, quo tranſiturus eſt, intercipere iter, ut Sacrum audiat, ſi ad locum perventurus ſit ante meridiem, ubi audiendi Sacri obligatio non extet.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Saltem in praxi probabilis cenſenda non eſt, adeoque minime ſequenda ſententia, quam veluti probabilem reputant P. Viva, & Patres Salmanticenſes, pluresque Theologos, qui eam docent, laudantes: nimirum Viatores, qui etiam per aliquot dies morantur in aliquo loco, non teneri legibus peculiaribus illius loci. Tum quia fundamentum ejus nullius momenti eſſe videtur, quod nempe viatores non evadant ſubditi territorii, per quod tranſeunt, licet uno, vel altero die ibidem maneant. Subditi namque ſaltem *tranſeunter* fiunt, quod ſat eſt, ut pro eo tempore ejuſdem legibus ſint obnoxii. Nonne & ipſi Probabili-
ſtæ

ſtæ conſentiunt, viatores teneri ad ſolvenda tributa, vectigalia, ac cætera civilia onera Principibus locorum, per quæ tranſeunt? Cur igitur ab oneribus ab Eccleſiaſtica poteſtate impoſitis immunes erunt? Tum quia exemplum, quod præſertim opponunt PP. Salmanticenſes de Sacerdote Græco, qui tranſiens per Latinorum loca juxta ritum Eccleſiæ ſuæ celebrare valet, nullum ipſis ſuffragium præſtat: conſtat enim omnibus, facultatem hanc Sacerdotibus Græcis ab Eccleſia permiſſam eſſe celebrandi juxta ritum ſuum. Unde nullum ex hoc ſcandalum, aut Ordinis perturbatio conſequitur.

Consectarium Decimumnonum.

XIX. Tametſi particularia locorum ſtatuta non obligent eos, qui extra ſtatuentis territorium degunt; ſi tamen ab Epiſcopo alicui peculiare præceptum imponatur, ne E. C. aleis ludat ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, etiam extra Epiſcopi Diœceſim excommunicatio incurritur ab eo, cui tale injunctum præceptum eſt. " Ratio diſcriminis eſt inquit Bene-
„ dictus XIV. de *Synod. Diœceſ. lib.* 13.
„ *c.* 4. quia lex, ſeu ſtatutum per ſe, &
„ immediate reſpicit territorium, ſeu Diœ-
„ ceſim, eique quaſi cohæret, ac proinde
„ non poteſt conſtringere, qui extra terri-
„ torium, ſeu Diœceſim exiſtit: præceptum
„ vero afficit immediate perſonam, ejuſque
„ veluti oſſibus hæret, quocunque terrarum
„ diſceſſerit ", Laudatque pro hac ſententia S. Antonium, Covarr. & alios.

Consectarrium Vigesimum.

XX. Si quis e loco diſceſſurus, ubi præceptum urget audiendi Sacrum, poſſit abſque incommodo Sacrum audire, tenetur illud ante diſceſſum adimplere: ut ſi ex. gr. exire velit circa horam tertiam, & toto mane Miſſæ celebrentur. Hoc infertur ex ſupra allata S. Thomæ doctrina, quam etiam ſequantur plures ex ipſis Probabiliſtis, ut Laymanus, Felliucius &c. Quare rejicienda eſt Salmanticenſium doctrina *Tract. xi. c.* 3. *punct.* 5. ubi *ut veriorem* tradunt ſententiam oppoſitam, quorum argumentationem reſeribere placet, ut quiſque agnoſcat, quænam ſint quorumdam Probabiliſtarum cavillationes ad eludendas leges: " Quia, ajunt, ſi in
„ illo loco eſt hora octava matutina,
„ & ſint in eo aliæ Miſſæ hora deci-
„ ma, aut undecima dicendæ, non o-
„ bligaris audire Miſſam hora octava, cum
„ poſſis alia hora audire illam. Sed non
„ teneris expectare totum tempus, pro quo
„ obligat præceptum. Ergo, ſi exeas, non
„ teneris ullo modo: cum jam ſis ab obliga-
„ tione exemptus. Unde non teneris præve-
„ nire obligationem, tametſi ſcias impedi-
„ mentum ſuperventurum ". Ex quo fit, quod cum hic Venetiis Miſſæ celebrari ſoleant etiam circiter unam horam poſt meridiem, ſi aliquis iter agere decreverit hora meridiana, abſtinere licite queat toto mane ab audiendo Sacro, cum hic alias præceptum vigeat: quoniam poteſt etiam poſt meridiem impleri. Quis piorum hominum non perſentit doctrinæ hujus falſitatem, & non exiſtimat, ſe in hoc caſu præcepto audiendi Sacrum obligari?

Consctarium Vigesimumprimum.

XXI. Præcepta, quæ territorium aliquod afficiunt, tandiu ſervanda ſunt, quamdiu perdurat mora in eo territorio, adeoque ſi jejunii præceptum vigeat in aliquo loco, obſervari debet, quouſque ex eo exeatur. Unde hic quoque audiendi non ſunt PP. Salmaticenſes, qui cum ſententiam affirmantem, & negantem obligationem attuliſſent, ſubdunt: „ In-
„ ter has duas ſatis probabiles ſententias me-
„ diam tenemus, & dicimus, rationem ha-
„ bendam eſſe de loco, ubi majori parte diei
„ unuſquiſque invenitur, ut dicamus poſſe,
„ vel non poſſe frangere jejunium illud, de
„ quo loquimur: quia frequentiſſimum eſt in
„ moralibus, quod major, & potior pars
„ tra-

„ trahat ad ſe minorem " . Ex quo fit , quod juxta Salmanticenſes , ſi quis ſummo mane ad locum ſe conferat, ubi jejunii præceptum non obligat , poſſit in loco , ubi jejunium viget, comedere , antequam exeat , quidquid ipſi placuerit . Quæ doctrina etiam ſic expoſita falſa dicenda eſt .

Consectarium Vigesimumsecundum .

XXII. Ex his , quæ ſuperiore capite fuſe dicta ſunt de iis , qui data opera e loco ſe proripiunt , & ad aliud ſe conferunt , ne legi ſubjiciantur , apparet quid ſentiendum ſit de illa controverſia , quæ exarſit anno præterito inter aliquos Parochos Mediolanenſis ditionis, an nempe liceret a locis , ubi ritus Romanus obtinet in incipienda Quadrageſima , ſe deliberato ſtudio Mediolanum transferre , in quo conſuetudo eſt aliquot diebus non jejunandi , & comedendi carnes : Satis , inquam, manifeſtum eſt , peccare omnes , qui ſibi hanc libertatem arrogant in fraudem legis , & hanc ſententiam certam eſſe exiſtimandam , adeo ut contraria ne ulla quidem amplius probabilitate gaudeat . Quæ ſunt ibi notata , rem ponunt extra omnem dubitationem .

Consectarium Vigesimumtertium.

XXIII. Quamquam ex jure communi peregrini poſſint abſolvi a quolibet Confeſſario a caſibus etiam in propria Diœceſi reſervatis , ſi quis tamen eo animo e propria Diœceſi egrediatur , ut in alia , ubi reſervati non ſunt , abſolvatur , abſolutionis beneficium non obtinet . Quoniam Clemens Papa X. in Bulla *Superna* jus hoc commune coarctandum cenſuit , declaravitque , ne Regulares , idemque dicas de ſæcularibus Sacerdotibus , poſſent abſolvere a caſibus reſervatis in propria Diœceſi illos , qui ab ea diſcedunt , ut in alia , in qua reſervati non ſunt , abſolvantur . Quare falſa eſt doctrina P. Viva , qui *q.* 3. *art.* 3. *n.* 9. ſecutus Suareſium , & alios credidit , jus commune adhuc obtinere , adeoque etiam poſt prædictam Bullam Clementis poſſe abſolvi eos, qui ſtudioſe declinant a propria ad alienam Diœceſim , ut a caſibus proprio Epiſcopo reſervatis abſolvantur : quia putat hos fraudem non committere , dum ita ſe gerunt. Quando enim fraus in legem committetur , ſi non committitur in hoc caſu , quo quis eo ſolo animo & intentione e propria Diœceſi ſe ſubducit , ne legi in ea vigenti ſubjectus ſit ?

C A P U T XV.

De legibus quibuſdam humanis peculiaribus , nempe pœnali ; irritante , ac tributorum .

D o c t r i n a.

I. *Quid , & quotuplex ſit lex pœnalis .*
II. *Lex pœnalis mixta citra dubium obligat conſcientiam .*
III. *Niſi tamen pœna* disjunctive *a precepto proponatur .*
IV. *Ea obligat vel ſub gravi , vel ſub levi culpa juxta materiæ qualitatem .*
V. *Etiam lex* pure pœnalis , *cum vera lex eſt , obligat ſub culpa .*
VI. *Aſſertio valida ratione comprobatur .*
VII. *Quando tranſgreſſor pœnam incurrat , ante vel poſt ſententiam Judicis .*
VIII. *De lege irritante . In Eccleſia , & Republica poteſtas eſt irritandi aliquos actus .*
IX. *Duplex lex irritans diſtinguitur .*
X. *Quamquam irritatio in ſuo conceptu pœna non ſit , aliquando tamen pœnæ rationem habet .*
XI. *Signa , quibus dignoſci queat , num actus, qui irritatur , ſimul prohibeatur ,*
XII. *Lex pure irritans illicita reddit , quæ ex irritatione conſequuntur .*
XIII. *Ignorantia , & metus non impediunt irritationem actuum .*
XIV. *De lege tributorum . Quid ſit tributum, & quotuplex .*
XV. *Poteſtas in Rectore Reipublicæ eſt imponendi , & exigendi a ſubditis tributa .*
XVI. *Tanquam falſa , & erronea dicenda eſt quorumdam opinio , qui ſubditos eximunt*

ab

Digitized by Google

ab obligatione ſolvendi tributa .

XVII. *Horum præcipuum fundamentum di ruitur* .

XVIII. *Num Clerici , ac Religioſi a ſolvendis Tributis exempti ſint , & quo jure* .

I. JAm vero , poſtquam egimus de lege hu mana tum Civili , tum Eccleſiaſtica in communi , pauca quædam de legibus quibuſdam peculiaribus hujuſce generis diſſeramus , de lege ſcilicet *pœnali* , *irritante* , & *tributorum* . Et a lege quidem *pœnali* incipientes , lex *pœnalis* , ut ipſum nomen ſonat , dicitur *a pœna* , quæ a Principe Communitatis imponitur ; eaque duplex eſt ; alia *pure pœnalis* ; alia *mixta* . *Pure pœnalis* vocatur illa , quæ quidpiam equidem faciendum , aut omittendum ſtatuit , nullo tamen expreſſo præcepto , ſed pœnæ ſolius facta mentione , e. g. *Si quis arma detulerit , aut frumentum e patria evexerit , centum nummos aureos ſolvet* . *Mixta* ea appellatur, quæ aliquid fieri , aut omitti jubet , adjecta inſuper pœna in tranſgreſſores legis , aut præcepti . Porro pœnæ , quæ in tranſgreſſores legis apponi poſſunt , ac ſolent , aliæ *poſitivæ* ſunt , ut pecuniarum ſolutio , damnatio ad carcerem , ad triremes , ad mortem &c. aliæ *privativæ* , quæ nempe privatione alicujus boni tranſgreſſores puniunt , ut officii , dignitatis , gradus , participationis bonorum ſive Eccleſiæ , ſive Reipublicæ &c. Aliæ demum *mixtæ* ex poſitivis , ac privativis , uti ſunt , quæ pœnam aliquam poſitivam afferunt , ſimulque amiſſionem alicujus officii , beneficii , aut communis boni .

II. His prælibatis , comunis in primis, & ab omnibus approbanda ſententia eſt , legem pœnalem *mixtam* obligare ſub peccato aut mortali , aut veniali juxta materiæ gravitatem . Et ratio quidem evidens eſt : quoniam lex quælibet humana , ut ſupra oſtendimus, verum præceptum continet a legitimo Superiore latum , quo quiſquis ſubditorum adſtringitur ad id præſtandum , vel omittendum ſub reatu culpæ , quod fieri aut præcipitur , aut vetatur . Cum ergo lex pœnalis *mixta* vera, proprieque dicta lex ſit , verumque adeo præceptum contineat , dubitandum non eſt, eam ſub culpæ reatu ſubditos obligare : neque enim pœna legi appoſita vim obligandi tollit; cum ea idcirco a Legislatore apponatur , ut ad illam obſervandam , ſaltem timore pœnæ temporalis validius ſubditi compellantur , & ab ea violanda deterreantur contumaces homines, qui nullo moventur timore judicii Dei.

III. Atque hoc quidem verum habet , certumque judicari debet , ſi aliter de Legislatoris voluntate non conſtet ex ipſa forma , qua lex præſcribitur . Contingere namque poteſt , licet hoc rariſſimum ſit , ut lex non *copulative* , ſed *disjunctive* feratur : ut ſi hac, vel ſimili formula utatur Legislator in lege ferenda ; *Nemo e civitate frumentum extrahat , aut ſi extraxerit , ſolvat centum aureos* . Tunc enim non eſſet obſtrictus ſub reatu culpæ ad non extrahendum e civitate frumentum , qui ad pœnam ſubeundam paratus eſt. Siquidem , dum lex ita *disjunctive* ſtatuitur, arbitrio ſubditorum relinquitur , ut partem eligant , quam ipſi maluerint : adeoque ſi quis pœnam , ſeu mulctam ſolvere paratus ſit , tunc citra peccatum actionem lege expreſſam ipſi ponere , vel omittere fas eſt : neque enim legem tranſgreditur , qui alterutram partem legis obſervat . At ſemper verum eſt , quod lex illa ita disjunctive poſita ad aliquid obliget , ſcilicet ad unam , vel alteram partem ipſius obſervandam ſub peccato . Verum , ut dixi , leges hujuſmodi aut nunquam , aut rariſſime hac forma rogantur.

IV. Firmum itaque ſit leges *mixtas* , quæ aliquid abſolute præcipiunt , prohibentve , quamquam pœnam in tranſgreſſores adjiciant, obligare ſubditorum conſcientias aut ſub gravi , aut ſub levi culpa juxta gravitatem , vel levitatem materiæ . Ex ipſa autem qualitate pœnæ gravitas , aut levitas materiæ , adeoque & obligationis , ſub qua ſervanda lex eſt, facile deſumi poteſt. Hinc leges Eccleſiaſticæ , quæ

Digitized by Google

quæ aliquid præſcribunt ſub pœna excommunicationis majoris, ſuſpenſionis, irregularitatis, interdicti obligant ſub gravi culpa. Si vero pœna præſcripta ſit excommunicatio minor, vi hujus duntaxat peccatum grave colligi nequit, contrahi quippe poteſt ob venialem culpam. Quare tunc ex aliis circumſtantiis gravitas materiæ, & obligationis colligenda eſt. Similiter ſi leges Civiles præcipiant aliquid ſub pœna vel perpetui, aut diuturni carceris, publicæ infamiæ, triremium, confiſcationis bonorum, mortis &c. obligare ſub culpa gravi dicendum eſt: quoniam hujuſmodi pœnæ graves, immo graviſſimæ ſunt, neque præſumptioni locus eſt, prudentem Legiſlatorem ſub comminatione talium pœnarum legem ferre ſub levi tantum culpa obligantem. Sed de hoc ſatis ſupra dictum eſt.

V. Major difficultas videtur eſſe de lege *pure pœnali*, quoties ſcilicet in lege ſola exprimitur pœna, non autem Legiſlatoris imperium, aut præceptum. Et quidam plures Authores, nec ſane levioris notæ, defendunt haſce leges ita conceptas non obligare, quantum de ſe eſt, niſi ad ſolam ſubeundam pœnam; *quantum*, inquam, *de ſe eſt*: ſiquidem aſſentiuntur omnes obligare etiam ſub reatu culpæ, ſi actio, vel omiſſio, ob quam pœna ſtatuitur, ſit aliqua lege vel naturali, vel divina poſitiva, vel etiam alia priore lege humana præſcripta, aut prohibita. Tunc enim per adjectionem legis pœnalis non amittit obligationem, quam prius induxerat. Præcipuum vero fundamentum, quo ſententiam ſuam adſtruunt, hoc eſt: quia leges pure pœnales nihil præcipiunt, nihil prohibent, ſed tantummodo pœnam decernunt, adeoque non ad culpam, quæ nonniſi ex tranſgreſſione præcepti incurritur, ſed ad ſolam pœnam obligant.

Nihilominus altera ſententia præferenda eſt, quæ & graviore authoritate, & validioribus momentis fulcitur: niſi tamen ex verbis Legiſlatoris ſatis conſtet nolle ſe obligare ad culpam, ſicut ſatis exploratum eſt, dum lex pœnalis *disjunctive* ponitur, ut modo dictum eſt. Tunc autem, ſi ita conſtet de voluntate Legiſlatoris, ſtatutum illud lex veri nominis dicendum non eſt: quia lex omnis proprie dicta præceptum ſemper involvit, quod a lege ſejungi nequit, cum ſit proprietas ejus eſſentialis, ut docet S. Thomas. Ab hac ſententia ita expoſita alieni non ſunt plures ſaltem eorum Doctorum, qui contra opinari videntur. Eaque probatur in primis ex doctrina Angelici Præceptoris, quam tradit hic *q. 96. art.* 4. ubi docet, leges omnes, *ſi juſtæ ſint*, quod perinde eſt, ac ſi veræ ſint, ac proprie dictæ leges, *habere vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur*, ſolumque excipit leges injuſtas, quæ veræ leges non ſunt: atque adeo leges pœnales, prout veræ legis rationem obtinent, ſic obligant in foro conſcientiæ ſive ſub reatu culpæ coram Deo incurrendæ.

VI. Ulterius tranſgreſſio legum pœnalium quædam plane inobedientia eſt. At vero quis neget inobedientiam legibus Superiorum præſtitam peccatum eſſe? Neque dicas, ſatis eſſe; ut inobedientia vitetur, ut quis paratus ſit ad ſubeundam pœnam. Nam primo reſponſio hæc aſſertionem poſitam non evertit: ſemper enim verum eſt, pœnalem legem ad aliquid conſcientiam ſubditorum obſtringere, ſaltem ſcilicet ad ſubeundam pœnam: quod adverſarii non videntur admittere in caſu, quo quis ad eam ſubeundam non cogatur. At præterea ad id quoque exequendum obligare, pro quo pœna ſtatuitur, aſſerendum eſt. Quoties enim Legiſlator in lege ferenda, pœnam decernit, quin aliud declaret, aut exprimat, hoc ipſo cenſetur actionem præcipere, aut prohibere: ideo namque pœnam ſtatuit, ut metu ipſius ad præſtandam obedientiam legi ſubditi efficacius urgeantur, & ſuam voluntatem clarius manifeſtet, ut patet exemplis harum legum: *Qui noctu arma detulerit, in carcerem detrudatur: Qui triticum extra Patriam evexerit,* vel

vel *Qui tales merces introduxerit*, *exilio mulctetur*: *Qui in hac, vel illa ſylva ligna exciderit*, *ad triremes damnetur* &c. ſimileſve leges, quæ tametſi nihil expreſſe jubeant, aut prohibeant, implicant tamen præceptum aliquod, illud videlicet, pro cujus obſervantia pœna ſancitur.

VII. Quod hic præterea inquiri ſolet, illud eſt, annempe qui leges pœnales violant, teneantur pœnam ſubire ante ſententiam Judicis. Cui quæſtioni unica reſponſione ſatisfieri nequit ob pœnarum diverſitatem, ac verborum, quibus ipſæ imponuntur. Nam ſi pœnæ ſint Eccleſiaſticæ, ut excomunicatio, ſuſpenſio, irregularitas &c. & ita exprimantur, ut ſtatim incurri debeant, conveniunt Doctores omnes expectandam non eſſe Judicis ſententiam, ſed tranſgreſſores legis mox eſſe pœnæ ſubjectos: ut cum dicitur: *Qui hoc, aut illud fecerit, vel omiſerit, ipſo facto excommunicationem incurrat*, *ſuo beneficio ſit privatus*, *abſque alia ſententia*, *aut nulla Judicis expectata ſententia*: ſive etiam dicatur, *Ipſum excommunicamus*, *beneficio privamus*, *noverit ſe excommunicatum*, *ſuis bonis privatum*, *ſe beneficia excidiſſe* &c. Secus vero eſt, ſi leges quæ pœnam comminantur, ſint *ſententiæ ferendæ*, vel ſignificent eam eſſe irrogandam: ut cum dicitur abſolute, *Præcipimus* &c. *ſub pœna excommunicationis*, aut *Excommunicationi ſubjicimus*: *Sub pœna privationis beneficii*, aut *Beneficio privetur*. Quod ſi in verbis legum accurate perpenſis, prudens dubitatio ſuperſit, an leges pœnam latam, vel ferendam contineant; tunc ea juris regula locum habet: *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*; & pœna ferendæ ſententiæ judicanda eſt.

VII. Quod ſi generatim de pœnis loquamur a lege, quæcunque ſit, impoſitis; hæc eſt doctrina a Theologis communiter probata, ac tuta conſcientia ſectanda: nimirum primo, ſi lex pœnam aliquam ferendam injungat, eam legis tranſgreſſor ſubire minime tenetur ante ſententiam Judicis: quoniam lex non extenditur ultra voluntatem, & intentionem Legislatoris ex ipſius verbis perſpectam.

Secundo ſi lex pœnam quidem imponat non ferendæ, ſed latæ ſententiæ; atque actionem aliquam ipſius tranſgreſſoris requirat, ordinarie eam ſubire non tenetur ante ſententiam Judicis, aut declarationem criminis, ut E. C. carcerem, exilium, pœnam pecuniariam &c. Alienum namque ab humana conſuetudine eſt, ut qui deliquit, niſi præcedat ſententia, vel declaratio Judicis, ſeipſum in carcerem conjiciat, in exilium abeat, aut pecuniam ſolvat. Eademque regula locum habet in pœnis poſitivis, aut privativis Eccleſiaſticis. Poſita vero ſententia, aut declaratione Judicis, pœnæ ſe ſubjicere debet, & in exilium abire, pecuniam ſolvere, aliaſque ſubire pœnas: niſi tamen actio ipſa per ſemetipſum exercita illicita ſit, & humanitati repugnans. Tunc enim etiam poſt Judicis ſententiam eam tranſgreſſor exequi non tenetur, ut ſi reus aliquo mortis genere damnetur E. C. ſuſpendio, capitis abſciſſione &c. non debet nec ſe ſuſpendere, nec caput ſibi abſcindere, ſicut nec abſtinere a cibo, ſi ei offeratur, cum damnatus eſt, ut fame pereat. Sufficit itaque, ut pœnam patienter ſuſtineat a Juſtitiæ miniſtro ſibi inferenda. Verum *ad legem irritantem* progrediamur.

De Lege Irritante.

VIII. Affinis legi pœnali eſt lex irritans: unde etiam aliqui inter leges pœnales adnumerant. At revera irritatio in idea propria pœnam non includit: tametſi interdum pœnæ rationem habere queat. Ea autem dicitur, quæ ſtatuit, aliquem actum eſſe invalidum, ſive valore deſtitutum vel in foro exteriore, vel etiam in foro conſcientiæ. Poteſtatem hanc exiſtere & in Eccleſia, & in Republica ſæculari irritandi actus, ſive præſcribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actus valorem, & obligationem, ſive reddendo ſubditos

Digitized by Google

ditos inhabiles ad quoſdam actus determinatos, nemo in dubium vocare poteſt. Sic enim nonnunquam exigit commune Reipublicæ bonum, ac Civium tranquillitas, quam ſublimiores Poteſtates promovere debent: cum ſine ejuſmodi irritatione fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda præcaveri nequeant. Exemplum, præter alia, clariſſimum habemus in Concilio Tridentino, quod ob juſtiſſimas cauſas prohibuit contractum matrimonii celebrari, niſi præſente Parocho, ac duobus teſtibus, & aliter factum invalidum declaravit.

IX. Lex irritans duplex diſtinguitur: alia quæ invalidam ipso facto actionem, aut contractum efficit, & his loquendi formulis exprimi ſolet: *Actus ſit ipſo facto nullus, irritus, infectus, aut pro infecto habeatur*; & hujuſmodi ſunt profeſſio religioſa emiſſa ante legitimam ætatem, matrimonia clandeſtina, vel inita intra gradus prohibitos &c. Alia, quæ irritationem faciendam a Judice competente præſcribit: ut cum dicitur: *Si hoc modo actio fiat, irritetur, reſcindatur, abrogetur* &c. Verum ad irritationem haud ſemper requiritur, ut conceptis verbis declaretur contractum, vel actionem nullam, & irritam eſſe: ſed ſufficit, ut talis forma, vel conditio apponatur, atque ita omnino ſervanda præſcribatur in contractus celebratione, ut, ea non appoſita, nullitas ipſius conſequatur.

X. Quamquam vero, ut dictum eſt, irritatio actus ex idea, & conceptu ſuo pœna non ſit, interdum tamen pœnæ rationem habere poteſt. Quod ut explicetur, advertendum eſt duobus modis actum irritari poſſe: primo nempe aliquid conſtituendo, ac præcipiendo, ſolumque ex conſequenti actum irritando: ut quando lex formam, aut formalitatem aliquam actus præcipit, quæ conſequenter nullum efficit actum, cui deficit hujuſmodi forma; ut lex, quæ ad valorem teſtamenti requirit talem numerum teſtium, qui ſi deſit, nullum eſt teſtamentum. Alter modus irritandi actum eſt negativus, ſeu prohibitivus actus verbis ſufficientibus ad illum irritandum: cujuſmodi lex eſt, quæ prohibet matrimonium inter conſanguineos, vel affines intra quattuor gradum, aut quæ irritat matrimonium Clerici in Sacris conſtituti, aut Religioſi, qui profeſſionem emiſit. Atque hæc prohibitio ob triplicem cauſam fieri poteſt. Primo ob commune bonum: quia ſcilicet ita expedit ad cultum divinum, aut Religionis decorem. 2. In favorem aliquarum perſonarum, quarum ætati, aut fragilitati, aut ſtatui providetur, ut patet in legibus, quæ irritant aliquos contractus Minorum. 3. In odium perſonæ, ſive actionis ejuſdem, ut in legibus irritantibus dominium aliquibus donationibus, vel acceptationibus acquiſitum.

His poſitis lex irritans actum indirecte tantum, & per conſequens ad inſtitutionem formæ ſervandæ in aliquo contractu, pœnalis non eſt: quoniam nulla ibi culpa præcedit, nec cauſa ſufficiens pœnæ ex parte illius, cujus actus irritatur, ut cum aliquis teſtamentum condit minus ſolemne, quod idcirco propter ſolemnitatis defectum irritum declaratur. Nullum etenim ibi peccatum occurrit, aut quidpiam punitione dignum. Sed neque pœnalis dicenda lex eſt, quæ actum irritat intuitu communis boni, vel privatæ perſonæ, uti ſunt leges irritantes matrimonia inter conſanguineos, vel inter cognatos ſpiritualiter. Hæc ſiquidem irritatio inducta non eſt in contrahentium pœnam, ſed propter decentiam ordinis, & conjugalis honeſtatis. E contra, quæ in odium alicujus tranſgreſſionis, aut delicti inducuntur, leges pœnales vocandæ ſunt. Sic. E. C. inter impedimenta matrimonii ſunt leges illud irritantes ratione delicti, ut uxoricidium cum promiſſione

ne, adulterium cum aliquo, vivente conjuge, perpetratum itidem cum promiſſione futuri matrimonii. Sic etiam electio Religioſi ad Prælationem, cui aſſenſum præſtat abſque ſui Superioris facultate, aut licentia, irritatur in pœnam ſuæ præſumptionis, ut habetur c. 1. ſi *Religioſus* de elect. in 6.

XI. Duo autem præcipua ſigna afferri ſolent: ut dignoſci queat, an actus, qui irritatur, ſimul prohibeatur, adeo ut peccet quicunque talem actum exercet. Alterum, quando vi objecti ſui, atque naturæ hujuſmodi eſt, ut ipſum exequi velle, cum valide fieri nequit, turpe ſit, rectæque rationi diſſonum; quod maxime locum habere videtur in materia Religionis, ſive in ſacris actionibus, & in materia juſtitiæ; nam efficere ſtudioſe ſacram actionem irritam, & invalidam, ſacrilegium eſt: quoniam repugnat reverentiæ, quæ ſacræ rei debetur, ut peragere Sacramentum irritum, & abſque debita forma, aut materia, ut liquet: & ſimiliter in materia juſtitiæ aliquid efficere, quod dum irritum eſt, injuſtitiam continet, peccato non caret, ut ſi quis eligat quempiam ad aliquod officium, ſubſtantiali forma prætermiſſa, aut dum quis ex munere ſuo tenetur ad actum aliquem exercendum; debet namque illum etiam ita exercere, ut validus ſit; v. g. Judex, qui dum ſententiam pronunciat, non poteſt citra injuſtitiam aliquid omittere ad valorem ejus neceſſarium.

Aliud ſignum eſt, cum actus ipſe prohibetur, & prohibitioni additur irritatio. Tunc enim lex illa, ſive præceptum obligat, ſicut aliæ leges, aut præcepta Superiorum, ad actum illum non exequendum, & ſimul invalidum efficit; ut in exemplo allato Concilii Tridentini, quod primum prohibet fieri profeſſionem ante expletum tempus ætatis conſtitutum, ac deinde irritat illam. Quod ſi neutrum ex hiſce ſignis in lege irritante inveniatur, ejuſmodi lex conſcientiam non obſtringit ad obſervandam formam in actu præſcriptam: & tunc lex *pure irritans* nuncupatur, ut in exemplo de teſtamento peracto abſque forma, ſive ſolemnitate ab humana lege præſcripta. Quoniam teſtamentum condere, aut ſimilem aliam actionem efficere valide, non eſt de lege naturæ, nec etiam humana aliqua lege præcipitur, adeoque cum lege nulla præcipiatur, nihil eſt, quo incuttatur peccatum.

XII. Quamvis autem lex *pure irritans* non obliget in foro conſcientiæ, ſi tamen ipſo facto actus irritetur, ad ea omnia obligat, quæ per ſe ex irritatione conſequuntur. Hujuſmodi quippe lex actum, quem irritat, privat omni uſu, ac utilitate morali: ac proinde moralis omnis uſus illius nedum invalidus, ſed etiam illicitus eſt. Hinc lex Sancti Pii V. quæ pro Beneficiatis non recitantibus Canonicas horas ſtatuit, *ne fructus faciant ſuos*, adeoque irritat acquiſitionem dominii fructuum, ita obligat, ut moralem eorumdem uſum efficiat tum invalidum, tum illicitum, cum nemo ad uſum ſuum diſponere valet de re, quæ ſua non eſt. Quod ſi lex non irritet ipſo facto actionem, ſed ſolum irritandam denunciet, non obligat privatas perſonas ante ſententiam Judicis: atque adeo valida, ac licita ea omnia ſunt, quæ ex actione conſequuntur, antequam ſententia a Judice pronuncietur. Poſita vero publicatione ſententiæ conſequentia ad actum illicita ſtatim fiunt.

XIII. Ignorantia legis etiam invincibilis, ut alibi innuimus, non impedit irritationem actus factam propter bonum commune. Neque enim irritatio ex ſe culpam ſupponit, aut propter culpam fit, ſed propter Communitatis bonum, quod ita exigit, ut effectum ſuum ea ſtatim obtineat. Quare ſi quis falſo putans invincibiliter ſe tran-

ſcgiſſe

Digitized by Google

ſegiſſe tempus præſcriptum ætatis , profiteatur in aliquo Ordine Religioſo, nulla ejus profeſſio eſt ; atque ita in aliis caſibus ſimilibus , qui infrequentes non ſunt . Quod ſi ignorantia non impedit , quominus actus , qui irritatur , nullus ſit , potiore titulo nec metus gravis impediet . Alioquin homines occaſiones ſumerent incutiendi metum ad eludendas leges : quod ſane plurimum obeſſet communi bono , & in grave Reipublicæ detrimentum vergeret . Qui plura de lege irritante deſiderat , conſulat inter alios P. Franciſcum Suarez. *lib.* 5. *de varietate legum humanarum* , ubi docte , & erudite de hoc argumento pertractat . Ad leges tributorum accedo .

De Lege Tributorum.

XIV. Sunt nonnulli , qui ſicut legem *irritantem* , ita etiam legem *tributorum* pœnalibus accenſeant . At quamquam ſimilitudinem aliquam cum ipſis habeat , ab iis tamen diſtinguenda eſt . Tributum , ſive a *Tribubus* derivetur , ut aliqui putant , ſive a verbo *tribuo* , ut alii ; aliud non eſt, niſi quædam *penſio publica* , *quam ad regios ſumptus Principatus* , *& communes Reipublicæ expenſas ſubditi ſolvunt* , Triplex illud eſt , nempe aliud *reale* , quod pro terris , aut agris , ſive fundis immobilibus erogatur . Aliud *perſonale* , quod ratione *perſonæ* duntaxat ſolvitur ; & vocari ſolet *cenſus* juxta illud Matth. 22. *Licet cenſum dare Cæſari , an non ?* Perſonale namque erat tributum illud , propter quod deſcriptio facta eſt a Cæſare Auguſto , de qua mentionem facit S. Lucas c. 2. *Mixtum* tributum dicitur , quod pro rebus præſertim mobilibus , ac perſonis penditur . Alia nomina tributum excipit pro varia acceptione rerum . Nam aliquando vocatur *vectigal* , cum penſio imponitur rebus , quæ in urbem inferuntur , vel ab urbe exportantur , Aliquando *Portorius* , cum res per pontes, aut flumina devehuntur . *Pedagium* etiam , cum ſolvitur ob cuſtodiam , & inſtaurationem viarum . Ac demum *Angaria* , cum exigitur pro perſonarum operibus .

XV. Poteſtatem eſſe in Principibus , ſupremiſque Rectoribus imponendi , & exigendi tributa a propriis ſubditis , extra dubium eſt : eamque præſumunt Sacræ Litteræ non uno in loco , E. C. *ad Rom.* 13. ubi Apoſtolus ait : *Ideo enim* (Poteſtatibus ſæculi) *tributa præſtatis* , ſive , ut inquit in hunc locum S. Thomas , *præſtare debetis in ſignum ſubjectionis* . Ac deinde : *Reddite ergo omnibus debita , cui tributum, tributum : cui vectigal , vectigal &c. Quia ſcilicet* , ſubdit ibidem S. Doctor , *Principibus tribuitur pro generali regimine , quo patriam in pace , & quiete conſervant* . Quibus verbis præcipuum fundamentum attigit , cur Principes legitima poteſtate fruantur imponendi , & exigendi tributa cum obligatione conſcientiæ , quæ in ſubditis eſt, eadem fideliter perſolvendi . Principes nimirum ſubditorum ſubſidiis opus habent , quibus rempublicam adminiſtrent , & regant ut plurimas expenſas faciant ad hocce munus implendum , tum pro conſervanda dignitate ſua , ac regali majeſtate, tum maxime ut populos ſibi ſubjectos in pace , ac tranquillitate cuſtodiant , ut avertant nefarios homines , & arceant hoſtium inſultus, conatuſque , quibus imperii fines , & Reipublicæ quietem perturbare moliuntur &c. Sicut ergo lex ipſa naturæ præſcribit , ut domini famulis operas ſuas pacto pretio locantibus debita ſolvant ; ſic etiam præcipit , ut populi Principibus pro ipſorum commodo operam impendentibus , ut felicet eos tueantur , ac in pace conſervent , tributa ad hunc finem neceſſaria , quæ ab iiſdem exigunt , perſolvant .

XVI. Quare tanquam falſa , & erronea credenda eſt aliquorum opinio , qui ſibi perſua-

ſuadent, nullam eſſe obligationem, quæ ipſorum conſcientiam aggravet, ſi tributa Principibus nequaquam ſolvant, aut ab iis, cum poſſunt, ſolvendis ſe clanculum per fraudes eximunt. Hac in re præſtat audire Theologum in primis doctiſſimum ex Franciſcana familia Alphonſum de Caſtro, qui *lib. 1. de lege pœnali* ita diſſerit: “ Ex hac
„ falſa doctrina [quorumdam Caſuiſtarum)
„ mihi conſtat multos denegaſſe Regi Hiſpa-
„ niæ tributa. Rem mihi notam narro,
„ quam ego ipſe vidi, & non quam ex a-
„ liorum relatione didici. Nam multi Mer-
„ catores in variis Hiſpaniæ locis me de
„ hac re conſuluerunt, quibus conſtanter,
„ & eodem tenore ſemper reſpondebam, il-
„ los, qui talia tributa denegant, peccare
„ mortaliter, & teneri ad reſtitutionem.
„ Hæc cauſa fuit, quæ me ad hoc opus
„ ſcribendum impulit, ut huic errori peſti-
„ fero, quem ſciebam multorum peccato-
„ rum fuiſſe cauſam, occurrerem. Timebam
„ enim illud Iſaiæ: *Væ mihi, quia tacui*:
„ & illud Leonis: *Qui alios ab errore non*
„ *revocat, ſe ipſum errare demonſtrat*. Quis
„ enim vir doctus, & Catholicus tolerare
„ potuiſſet tam peſtiferam ſententiam, quæ
„ docet furta ſine peccato exerceri, &
„ quæ furto ſublata ſunt, ſine peccato re-
„ tineri?

Hæc tributa, ſive vectigalia aliquando Principes exigunt, ut ſuis miniſtris immediate erogentur: aliquando vero ut facilius percipiant, pacto pretio eadem locant Publicanis, initio utrinque contractu oneroſo, quo iſti jus proprie dictum acquirunt exigendi a privatis eadem tributa. Tunc autem non minus ipſis, quam Principi, ſolvenda tributa ſunt ex debito conſcientiæ adeoque jus iſtud violant, & peccant contra juſtitiam commutativam, & ad reſtitutionem tenentur, qui his etiam Publicanis ea defraudant: qua de re legi poteſt *Epiſt.* 96. S. Auguſtini, ubi Olympio Præfecto cauſam Bonifacii Coepiſcopi ſui commendat, ut remiſſionem ab Imperatoris liberalitate obtineat debitorum fiſcalium, quæ Prædeceſſor ſuus Paulus minime ſolverat.

Ad hanc doctrinam amplius firmandam afferre præſtat, quæ habet S. Juſtinus Martyr in *apologia ad Imperat.* ubi ait: *Vectigalia ſane, & collationes eis, qui a vobis ſunt ordinati, exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus: quemadmodum ab eo ſumus inſtituti* (nempe a Chriſto). *Illo namque tempore quidam percontati ſunt ex illo, an vectigalia Cæſari pendere oporteat: qui reſponſum hoc ab eo retulere: dicite, inquit, mihi, cujus imaginem nummus habet: cui cum dixiſſent, Cæſaris*; reddite ergo, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & *quæ Dei, Deo. Proinde non ſolum Deum adoramus, ſed & vobis in rebus aliis læti inſervimus*.

Hoc primorum fidelium exemplum ex debito conſcientiæ a cæteris ita ſectandum omnino eſſe docet S. Auguſtinus *in Expoſ. quarumdam propoſ. Epiſt. ad Romanos*, ut ſcripſerit: *Si quis putat, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddendum, aut tributum &c. in magno errore verſatur*. Hinc merito ſacra Facultas Pariſienſis hanc damnavit *Amedæi Guimenii* propoſitionem: *Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere*: eamque Conventus Cleri Gallicani anno 1700. proſcripſit, ut *ſeditioſam, doctrinæque Apoſtolicæ, ac dictis dominicis aperte contradicentem*.

XVII. Quæ obtrudere frequentius ſolent, qui contra opinantur, huc ferme recidunt omnia, plus æquo ſcilicet gravati ſubditos a Principibus tributorum oneribus, atque adeo eum hæc injuſta ſunt, neminem hiſce ſolvendis teneri. At quamquam non ille ego ſim, qui diffitear, contingere quandoque poſſe exceſſum, & inæqualitatem quoad Principem, in tributorum impoſitione, & onerum communium diſtributione; quod etiam

etiam concedit S. Thomas *hic q.* 96. *art.* 4. dum de humanis legibus injuſtis differens, primum injuſtitiæ caput ex eo reperit, quod *aliquis Præſidens leges imponat oneroſas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam*. Et alterum injuſtitiæ caput ex eo acceſſit, *quod* nempe *cum inæqualitate onera multitudini diſpenſantur*: in his enim caſibus conſentit S. Doctor, *tales leges non obligare in conſcientia, niſi forte*, ut ſapienter ſubdit, *propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo cedere debet.* Quamvis, inquam, id verum eſſe lubens aſſentiar; quis tamen de tributi injuſtitia, niſi forte nimium evidens, & explorata fuerit, judicare audeat, cum plerumque Principes ex urgentibus nimium cauſis moveantur ad nova præſertim imponenda tributa, quæ admodum oneroſa ſubditis videantur: quæ cauſæ ſæpiſſime ſubditos latent, aut ſaltem parum ipſis perſpectæ ſunt, eo quod ignorent publicas neceſſitates, aut præſentes, aut imminentes, quibus explendis vix ingens pecuniarum ſumma ſatis eſt? Quamobrem, generatim loquendo, ſolvenda a ſubditis tributa ſunt, ac præſumendum de providentia, & juſtitia Principum in iis injungendis. Quod ſi quandoque in tributorum diſtributione, miniſtrorum præcipue, aut relatorum malitia, injuſtitia committatur, præter voluntatem Principis; tunc ſubditi plus æquo gravati, aut impotentes ad illa ſolvenda, ad clementiam ipſius Principis confugiant, ut cauſa cognita injuſtum gravamen arceat, aut remiſſionem, propoſita inopia, aut impotentia, implorent, nec ſibi ipſi facultatem ſumant denegandi tributa, quæ a Principis poteſtate concedenda eſt. Hæc unica plane via mihi eſſe videtur juxta æquitatis, & Evangelii leges ut in hiſce caſibus a nimio onere ſubditi ſubleventur.

XVIII. At vero num ſaltem a publicis tributorum oneribus immunes, & exempti dicendi erunt Clerici, ac Religioſi? Ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, quæſtio iſthæc haud difficile ſolvitur. Et in primis quidem non ex aliquo jure divino, ſed ex Principum ſæcularium liberalitate, privilegio, & gratia eos exemptos eſſe, docet aperte S. Thomas *in cap.* 13. *epiſt. ad Rom.* ubi cum dixiſſet, *Hujuſmodi tributa recipiunt* (Principes) *ad ſuſtentationem* &c. ſubjicit: *Ab hoc tamen debito liberi ſunt Clerici ex privilegio Principum*. Quod *Principum privilegium* Clericis conceſſum ſatis oſtendit eos, non ex aliquo divino, ſed humano jure immunes eſſe a tributis ſolvendis: & hujuſmodi privilegii non omnimodam neceſſitatem, ſed convenientiam, & æquitatem quamdam ſubinde declarat, inquiens: *Quod quidem æquitatem naturalem habet. Unde etiam apud Gentiles liberi erant a tributis illi, qui vacabant rebus divinis. Legitur enim Gen.* 47. *Quod Joſeph ſubjecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*. Dono ſcilicet dederat Pharao in gratiam Joſeph, a quo tot ingentia beneficia acceperat, quamdam terræ Ægypti portionem, quam Sacerdotes ab omnibus oneribus ſoluti poſſiderent, quin & conſtituit, ut iiſdem gratis frumenta præberentur ex horreis publicis. Quæ profecto donatio nonniſi mera fuit illius Principis liberalitas.

Hanc doctrinam hauſit S. Thomas tum ex jure Canonico, tum ex Sanctis Eccleſiæ Patribus, & veterum Summorum Pontificum confeſſione. Nam in jure Canonico q. 1. C. *Si quæ cauſæ*, ex quadam S. Auguſtini ſententia, hoc inſertur: *Clerici ex officio Epiſcopo ſunt ſubjecti: in poſſeſſionibus prædiorum Imperatori ſunt obnoxii*. Unde colligere oportet quod, ſi prædia, quæ Clerici poſſident, *obnoxia ſunt Imperatori*, in his Imperator tributa imponere vales

Digitized by Google

valet : atque ita intelligendi veniunt alii Canones , qui de Clericorum immunitate loquuntur .

Præter SS. Patres , Summoſque Pontifices , quos jam allegavimus , id etiam conſtat ex duplici S. Ambroſii ſententia: quarum prima habetur *lib.* 10. *in Lucam c.* 20. ubi ſic ait : *Si tu non vis eſſe obnoxius Cæſari , noli habere , quæ mundi ſunt: ſed ſi habet divitias , obnoxius es Cæſari* . Altera legitur *in Orat. cont. Auxentium Epiſt.* 32. *lib.* 5. ubi expreſſius de Clerici ſermonem habens , *Si tributum* , inquit , *petit Imperator , non negamus . Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum . Si agros deſiderat Imperator , poteſtatem habet vindicando , cum nemo noſtrum intervenit* . Ex quibus , & aliis ſupra recenſitis conſequens eſt , quod cum privilegia , & exemptiones a Principibus Clericis conceſſæ non eædem ſint , nec æquales in omnibus ditionibus (quod etiam validiſſimo argumento eſt , eas ex Principum voluntate , & liberalitate pendere) unuſquiſque Clericorum , & Religioſorum in his ſequi debeat morem , & conſuetudinem patriæ ſuæ .

CAPUT XVI.

CONSECTARIA.

I. *Falſa omnino eſt Navarri , aliorumque opinio nullam legem pœnalem obligare conſcientiam* .

II. *Reprobari meretur Patrum Salmanticenſium , & aliorum ſententia , qui legem quamcunque , pœnalem , ſi præceptum non exprimat , excludunt a numero legum , quæ obligant ſub peccato* .

III. *Aliquando leges pœnales ad pœnam ſubeundam obſtringunt ante Judicis declarationem* .

IV. *Ignorantia , quæ excuſat a culpa , excuſare etiam ſolet ab incurrenda pœna* .

V. *Par omnino eſt , ut etiam in foro exteriore excuſetur a pœna , qui excuſatur culpa* .

VI. *Dum leges* ſcientiam *requirunt , pœna non incurritur , ſi actio cum ignorantia fiat* .

VII. *Ignorantia pœnæ ab ipſa incurrenda non excuſat* .

VIII. *Qualibet lex pœnalis obligat ſub culpa, niſi aliter declaret Legislator : quo in caſu veræ legis rationem non habet* .

IX. *Etiamſi pœna* disjunctive *ponatur a Legislatore , obligat ad culpam, ſi lex jus naturale , aut divinum contineat* .

X. *Legislator humanus valet obligare ad pœnam tum paſſivam , tum activam , ſi tamen moderata ſit* .

XI. *Pœna aliquando incurruntur ante declarationem criminis , aliquando non* .

XII. *Quocumque modo irritatio actus imponatur , actus validus eſt* .

XIII. *Quamvis etiam publicus ſit , & ad Judicem delatus* .

XIV. *Si irritatio fiat in pœnam particularis delicti , effectu caret , dum ex aliqua cauſa culpa ceſſat* .

XV. *Si culpa ſubſit , ignorantia irritationis effectum non tollit* .

XVI. *Actus facti abſque forma ſubſtantiali a lege præſcripta invalidi , & nulli ſunt.*

XVII. *Lex humana ex hoc , quod actum prohibeat , ipſum non irritat* .

XVIII. *Non omnis forma , aut ſolemnitas a lege præſcripta ſubſtantialis actui dicenda eſt* .

XIX. *Actus irriti ex jure Civili ob defectum formæ etiam in conſcientia ſæpius irriti ſunt* .

XX. *Qui juſta tributa non ſolvunt , nec a peccato , nec a reſtitutione excuſantur* .

XXI. *Etiamſi non petantur , tributa ſolvenda ſunt* .

XXII. *Si dubium occurrat de juſtitia tributi , ſolvendum tributum eſt* .

XXIII. *Doctrina P. Tamburini de hac re prorſus reprobanda* .

CON-

Digitized by Google

Conſectarium Primum.

I. Falſa prorſus dicenda eſt ſententia, quam primus omnium videtur tradidiſſe Navarrus *in Man. c. 23. n. 55.* nullam ſcilicet legem pœnalem, ſive Eccleſiaſtica ſit, ſive Civilis, obſtringere in foro conſcientiæ; ejuſque falſitas ex iis, quæ dicta ſunt luculenter pateſcit. Ex quibus etiam colligi debet, neque *probabilem* dici, aut ſuſtineri poſſe, quemadmodum eam credit Dominicus *Viva T. 1. leg. q. 4.* referens pro hac opinione præter Navarrum, Covar. Reginaldum, Palaum, & alios apud Dianam, qui eam quoque *probabilem* putat, cum ſaltem ſic abſolute prolata, omnino *improbabilis* credenda ſit. Nulli quippe ſolido nititur fundamento, & nimium aperte contradicit Apoſtolo Paulo, qui dum *Cap. 13. ad Rom.* præcipit, obediendum eſſe Poteſtatibus ſuperioribus non ſolum *propter iram*, ſive pœnas, quas minabantur tranſgreſſoribus legum ſuarum, *ſed etiam propter conſcientiam*, clare ſupponit, pœnales leges obſtringere ſubditorum conſcientias.

Conſectarium Secundum.

II. Probanda non eſt ſententia PP. Salmanticenſium, qui docent *tract. 11. c. 11. punct. 3.* nullam legem pure pœnalem, in qua nempe non exprimitur Superioris præceptum, quantumvis pœnas graviſſimas tranſgreſſoribus imponat, puta mortis, perpetui carceris, exilii, excommunicationis &c. obligare in conſcientia vigore ſaltem ipſius legis humanæ. Probanda, inquam, non eſt: nam, niſi pœna *disjunctive* ponatur, quod rariſſime, & fere nunquam contingit, ex gravi pœna, quam Legiſlator apponit contra tranſgreſſores, colligi omnino debet voluntas ipſius, ut ſuæ nempe ordinationi obedientia præſtetur. Porro obediendum ſub reatu culpæ Superioribus eſſe, cum eorum voluntas ſatis nobis perſpecta eſt, nemo negare valet.

Conſectarium Tertium.

III. Quamquam communis ſententia ſit, tranſgreſſorem legis non teneri ad ſubeundam pœnam ipſo facto latam ante ſententiam declaratoriam Judicis, dum pœna executioni demandari nequit abſque actione ipſius rei, ſi ejus executio admodum acerba fuerit, aut difficilis; ſi tamen Legiſlator in ſtatuenda pœna aliquas adhibeat expreſſiones extraordinarias, magiſque ſignificantes, ut E. C. *Nulla alia præmiſſa monitione: vel ante omnem declarationem, aut promulgationem ſententiæ &c. ſit ipſo facto, beneficio, aut jure privatus*; tunc ſtatim a commiſſo crimine incurritur pœna, & abſque alia declaratione, aut ſententia reus ipſi ſubjectus eſt, & beneficio privatus, tanquam ſi illud nunquam acquiſiviſſet. Equidem vel ſolæ illæ voces, quæ adhiberi ſolent, *ipſo facto*, *ipſo jure*, vim eamdem habere videntur. At communis uſus ſic eas interpretatur, ut, niſi ſignificantiores addantur, denotent tantummodo ad pœnam conſtitutam contrahendam non requiri aliam ſententiam condemnatoriam, ſed ſatis eſſe declaratoriam, qua ſententia ne quidem opus eſt, poſitis illis verborum formulis, *ante omnem declarationem* &c.

Conſectarium Quartum.

IV. Equidem *in jure* nulla præſumitur ignorantia, quæ tranſgreſſorem legis excuſet a pœna. Si tamen talis reapſe ignorantia ſit, aut alia cauſa, quæ aliquem excuſet a culpa, ſaltem *in foro conſcientiæ*, excuſatur etiam a ſubeunda pœna, quæ propter culpam imponitur. Quare irregularitatem, quæ eſt *ex delicto*, non contrahit, qui nihil peccavit aliquid agendo, cui hæc pœna injuncta eſt. Contrahit vero irregularitatem, quæ vocatur *ex defectu*, quæ proprie dicta pœna non eſt, neque culpam moralem ſupponit.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Si aliquando conſtet *in foro exteriori* de ignorantia invincibili, aut alia cauſa, ob quam citra culpam omnem tranſgreſſio humanæ legis commiſſa fuit; par omnino eſt, ut tranſgreſſor pœna legi appoſita liberetur, niſi aliter commune bonum expoſcat. Quod ſi non abſque veniali culpa commiſſa fuerit, pœna quoque minuenda videtur: ſic enim colligitur ex illa S. Auguſtini ſententia lib. *de vera Religione c.* 31. ubi ait: *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit legem æternam, ut ſecundum ejus immutabiles regulas, quid ſit vitandum, jubendumque, diſcernat*. Unde ſicut Deus *ſecundum ejus immutabiles regulas* neminem pœna damnat abſque ipſius culpa, neque gravem pœnam irrogat pro culpa levi; ita quoque ſe gerat oportet Legislator, & judex humanus.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Dum in legibus humanis (quod in Eccleſiaſticis non infrequenter contingit) adduntur aliqua verba, quæ dolum, aut ſcientiam requirunt ad ſubeundam pœnam, etiamſi ignorantia, aliave cauſa non excuſet a gravi culpa, excuſat tamen ab incurrenda appoſita pœna, ut ſi dicatur: *Qui ſcienter, vel qui temere hoc, aut illud fecerit. Si quis præſumpſerit* &c. ac ſimiles locutiones, quæ ſcientiam, aut auſum temerarium denotant. Tunc enim pœna v. g. excommunicationis, ſuſpenſionis &c. non contrahitur, niſi tranſgreſſio legis fiat ex ſcientia, vel cum temeritate &c. Neque enim tunc legislator punire vult quamcunque etiam culpabilem legis ſuæ trangreſſionem, ſed modum illum, quo afficitur, *ſcientiæ, temeritatis*, &c. quo plurimum tranſgreſſio aggravatur.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Si tranſgreſſio legis cognita, adeoque voluntaria & peccatum ſit, non excuſat tranſgreſſorem ab incurrenda pœna, qui illam prorſus & invincibiliter legi adjectam eſſe ignorat, niſi ſaltem cenſura aliqua fuerit. Neque enim pœna debet eſſe voluntaria, ſicuti culpa. Sic Deus æterna pœna punit infideles ob lethalia, quæ perpetrant peccata, tametſi invincibiliter ignorent, ejuſmodi pœnam hiſce peccatis deberi. Sic Magiſtratus humani pœna mortis plectunt fures, & aliis criminibus obnoxios, quam ſæpe penitus ignorant. Signanter dixi, *niſi ſaltem cenſura aliqua fuerit*. A cenſuris enim contrahendis excuſat invincibilis ignorantia, eo quod contumaciam requirant adverſus leges Eccleſiaſticas, qua plane caret is, qui invincibili cenſuræ ignorantia laborat.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Niſi Legislator in ſtatuenda pœna ordinationi ſuæ ita loquatur, aut ita mentem ſuam declaret, ut patet non eſſe ſuæ voluntatis, & intentionis adſtringere ad culpam, ſed ad ſolam pœnam perferendam (quod vix aliquando, aut ne vix quidem fieri ſolet, quo in caſu vera lex non eſſet, ut ſi loquatur de pœna non *copulative*, ſed *disjunctive*, præſumendum ſemper eſt ſuam ordinationem veram eſſe legem, adeoque obligare conſcientiam ſubditorum. Quoniam lex quælibet ſuapte natura ad culpam obligat: & exemptio ab hac obligatione exceptio quædam peculiaris eſt, quæ niſi a Legislatore exprimatur, præſumi nullo fundamento poteſt. Quod ſi de hoc dubium occurrat, an nempe Legislator ab obligatione excipiat, tenendum eſt, non excipere: quia quod rariſſimum eſt, nullo jure præſumitur, quidquid contra ſentiant Probabiliſtæ.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Etiamſi in lege pœnali *disjunctive* poſita non obligetur quis ad culpam, ſi ad pœnam

pœnam ſubeundam paratus ſit ; ſi tamen lex illa contineat aliquid , quod jure naturali , aut divino præcipiatur , aut vetetur , vi hujuſce legis ad culpam obſtrictus erit : puta ſi Princeps hanc legem ferat: Nemo ex ſylva ſub alieno dominio exiſtenti ligna excidat , aut ſi exciderit , ſolvat triginta aureos , ex hoc quod pœnam ſolvere paratus ſit , non ſolvitur obligatione ſcindendi arbores ex illa ſylva . Peccat enim , ſin minus contra legem humanam , ſaltem contra naturalem , & divinam, quæ furtum prohibet , atque idem de aliis id genus dicendum .

Consectarium Decimum.

X. Ex omnibus , quæ de lege pœnali dicta ſunt , duo liquent : alterum poſſe Legislatores humanos obligare in conſcientia ſubditos ad pœnam tam paſſivam , quam activam , etiam ante omnem ſententiam, ſi alias ſervetur æquitas . Siquidem Legislator humanus poteſt præcepto ſuo obligare nedum ad pœnam ſuſtinendam , ſed etiam ad aliquid ab ipſo reo præſtandum , ſi actio licite ab ipſo exerceri queat , nec pœna nimium acerba ſit , & inhumana: adeoque per legem ita hoc præcipere valet , ut ſtatim obliget abſque alia ſententia , aut declaratione delicti . Alterum , modum hunc obligandi locum habere in pœnis moderatis , non autem in quibuſdam graviſſimis , ſi præſertim rei ipſius executionem requirant . Unde modus iſte obligationis facilius imponitur in pœnis privativis, quam in iis , quæ requirunt actionem hominis , qui punitur , & inter privativas facilius in cenſuris , & irregularitatibus, quam in aliis.

Consectarium Undecimum.

XI. Hinc conditiones , quas Legislator pro aliquo gradu , aut dignitate obtinenda præſcribit , quæ ſub pœnarum nomine comprehenduntur , tametſi preſſe dictæ pœnæ non ſint , ipſo facto ante judicis ſententiam , aut declarationem , inhabiles reddunt ad eam dignitatem electos . Quapropter & electus ad Epiſcopatum , ſi intra ſex menſes non conſecratur , eo privatus eſt ; & ſimiliter electus ad beneficium curatum , illud amittit , ſi intra annum Presbyter non ordinetur . Et generatim cenſuræ , quæ ipſo facto incurrendæ declarantur , commiſſo crimine , abſque alia ſententia ejuſdem declarativa contrahuntur . At vero non ita ſentiendum videtur de cæteris pœnis ſive poſitivis , ſive privativis , ſive mixtis , niſi aliquid exprimatur , quod cogat aliter interpretari , ut dictum eſt . Nam quamvis *ipſo facto* incurrendæ dicantur , niſi tamen ſententia criminis declarativa acceſſerit , ſuum effectum non obtinent . Quare beneficiis ante Judicis ſententiam obtentis , media ſimonia confidentiali , ſimoniaci non privantur , licet Pius IV. eos *ipſo facto* iiſdem beneficiis privet, eodemque modo explicanda eſt lex a Bonifacio III. lata , & a Gregorio XIII. confirmata contra eos , qui in Curia pro gratia , & juſtitia quidpiam accipiunt . Neque idcirco irritoriæ , ac vanæ videri debent ejuſmodi clauſulæ . Qoniam in præfatas pœnas ipſo facto incidunt legis tranſgreſſores : unde non eſt in arbitrio Judicis eas vel reſtringere , vel commutare : ſed tamen ſententia Judicis neceſſaria eſt , ut declaretur delictum , ob quod pœna ſubeunda eſt , quo declarato *ipſo facto* reus pœnæ ſubjectus eſt .

Consectarium Duodecimum.

XII. Quoad legem irritantem attinet , ſi lex irritet actum dependentem a ſententia Judicis vel condemnatoria , vel declaratoria quocunque modo hæc irritatio impediatur, vel non ſequatur , actus ſemper validus, ac firmus eſt : adeoque ſi actus ſit occultus, & in judicio probari nequeat , in ſuo valore perſiſtit : quia ex vi hujuſmodi legis nemo tenetur actum ſuum irritare ſive con-

tractum diſſolvendo, ſive res acceptas, aut acquiſitas dimittendo, cum irritandi officium ad Judicem ex ipſa lege pertineat: adeoque minime peccat, qui talem actum occultum tanquam firmum, & validum ſervat: quoniam reapſe talis eſt. Cavendum tamen eſt, ne in ipſo actu fraus aliqua, aut injuſtitia occurrat; ut ex. cauſ. ſi venditio rei ultra dimidium juſti pretii irritanda ſtatuatur a Judice, nec tamen ab illo irritetur, quia occulta eſt; tenetur nihilominus venditor in conſcientia, & abſque ulla Judicis coactione reſtituere partem illam pretii, in qua exceſſit juſtitiæ æquitatem, & compenſare damna, ſi quæ ex illa injuſta venditione profecta ſint.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Quamquam actus, qui vi legis irritandus eſt, ſit publicus, & ad Judicem delatus, ut ipſum irritet: ſi Judex irritationis ſententiam non ferat, ſive jure, ſive injuria id facere omittat, valorem ſuum retinet eum effectibus omnibus, qui ex illo proficiſcuntur. Quoniam, ſi omittatur irritatio abſque injuſtitia, res in eodem ſtatu remanet, in quo antea erat, nullaque adjungitur novæ obligationis ratio. Si vero irritatio injuſte prætermiſſa ſit, tenetur quidem ad compenſandum damnum, qui injuriam intulit, ſive ille judex fuerit judicium ferendo contra allegata, & probata, ſive fuerit falſus teſtis, ſive alia perſona injuſte cooperans, ſive ipſemet reus injuſte ſe defendens. Interim autem validus ſemper actus erit, & effectus ipſius, ſcilicet dominium acquiſitum, aut aliud ſimile, quamdiu irritatio non ſequatur. Unde etiam fit, ut ſi lex non irritet ipſo facto, ſed irritari actum ſolummodo præcipiat, tunc duntaxat irritus, & nullus evadat, quando condemnatoria ſententia prolata eſt.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Cum irritatio non ſit propter commune, aut aliquorum bonum, ſed in pœnam imponitur alicujus delicti peculiaris, effectu caret, ſi ex ignorantia, aut alia ex cauſa, delictum a culpa excuſetur. Quoniam ceſſante cauſa per ſe, & adæquata, ceſſat etiam effectus: atqui in præſenti caſu, ut ſupponitur, cauſa per ſe, & adæquata irritationis eſt culpa: ergo, culpa ceſſante, ceſſare debet & irritatio, quæ pæna eſt. Hinc, quamvis in Beneficiato non recitante divinum Officium lex ab Eccleſia lata fuerit, quæ irritat acquiſitionem fructuum beneficii, ſi tamen recitationem omittat ex aliqua oblivione penitus inculpabili, non deſinit ex hoc *facere fructus ſuos*: quoniam in pœnam culpæ ea irritatio facta eſt.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Quod ſi ignorantia non ea ſit, quæ culpam excuſet, quia nempe non eſt invincibilis, licet invincibilis ſit ignorantia irritationis actus a Principe factæ in pœnam delicti, irritatio in pœnam culpæ appoſita ſuum effectum ſortitur; quemadmodum de pœna ingenere dictum eſt. Quia cum ignorantia non excuſet peccatum, nec excuſat irritationem adjectam in pœnam peccati, tametſi ignoretur. Hinc in caſu allato ſi oblivio recitationis officii culpabilis ſit, beneficiatus fructus non facit ſuos, licet ignoret irritationem acquiſitionis dominii. Atque ita in aliis caſibus.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Actus facti contra leges inſtituentes ſubſtantialem ſolemnitatem tanquam omnino neceſſariam ad eorumdem valorem, ſi ejuſmodi deſit ſolemnitas, invalidi, ac nulli ſunt, etiamſi perficiantur ex vero conſenſu, & abſque ullo defectu contra legem naturalem: forma illa namque ſubſtantialis ex humana inſtitutione juſta eſt, ſive, ut clarius dicam, lex humana ex juſta cauſa poteſt inhabilem, ſive impotentem efficere voluntatem ſubditi, ut non valeat transferre dominium aliquarum rerum, niſi hoc, vel illo modo

his,

Digitized by Google

his, aut aliis circumſtantiis: adeoque, ſi lex ita hoc abſolute diſponit (& quidem juſte diſponit ob urgentes cauſas), id citra dubium efficiet, ac proinde nullus actus erit, ſi forma præſtituta careat. Quapropter alienationes rerum Eccleſiaſticarum ſine ſubſtantiali ſolemnitate factæ nullæ cenſendæ ſunt, ut colligitur ex Cap. *Quia plerique*. Sic etiam ſi electiones haud rite peractæ fuerint, quantumvis electus dignus ſit, tuta conſcientia munus, vel præbendam retinere nequit, niſi defectus aliquo modo ſuppleatur. Sic pariter irritum eſt teſtamentum ſine præſcripta a legibus forma celebratum. Atque idem dicendum de profeſſione religioſa, quæ invalida eſt, ſi defectus ſubſtantialis ſolemnitatis interveniat, etiamſi bona fide, & cum omnibus circumſtantiis jure naturali requiſitis efficiatur.

Conſectarium Decimumſeptimum.

XVII. Si rei ſola ſpectetur natura, lex humana, quæ mere prohibet actum, non irritat ipſum, niſi hic effectus, ſive Legislatoris intentio alio modo manifeſta fiat: ſiquidem prohibere actum, & irritare illum, ſunt effectus valde inter ſe diverſi. Ut igitur vi legis patiantur, oportet ut ejus verbis ſatis explicentur. Porro dum ſolum lege prohibetur actus, effectus irritationis ipſius ſatis non explicatur, adeoque per meram prohibitionem non irritatur. Hinc in contractu Matrimonii prohibentur omnia ipſius impedimenta, nec tamen omnia illud irritant, ſed diſtinguuntur ea, quæ ſolum ex lege impediunt, ab iis, quæ Matrimonium irritum etiam efficiunt.

Conſectarium Decimumoctavum.

XVIII. Non omnis ſolemnitas, aut forma actui, vel contractui a lege humana præſcripta ſubſtantialis exiſtimanda eſt, cum aliquando ſit accidentalis, cujus proinde omiſſione contractus non irritatur. Ut autem altera ab altera diſtinguatur, aliquæ a Doctoribus traduntur regulæ, prima nempe, ſi forma præſcripta per legem contineat æquitatem naturalem, tunc ſubſtantialis eſſe cenſetur, adeoque ejuſdem omiſſio reddit actum invalidum: altera, ſi Legislator, qui invenit, ac præcipit aliquam formam in actu ſervandam, tribuat etiam poteſtatem ad ejuſmodi actum efficiendum, ſervata tali forma. Tunc enim maximo argumento hoc eſt, & ſecundum jus ferme infallibili, eam formam ad ſubſtantiam actus pertinere. Quoties vero ſupponitur poteſtas, & ſolum nova additur ſolemnitas, non cenſetur eſſe ſubſtantialis, niſi per aliquam ſpecialem clauſulam hoc declaretur. Prior pars habetur ex Gloſſa in Clem. 1. de jure pat. Verbo *inhibentes*, ubi diſerte dicitur, *quando a principio datur poteſtas ſub tali forma, defectum formæ irritare actum*: idemque traditur in Cap. *Ex parte* de Conſt. in princ. ubi Pontifex dat facultatem quibuſdam perſonis conferendi certas præbendas cum conſilio Epiſcopi; ſi enim conferant ſine Epiſcopi conſilio, declarat nullam eſſe collationem, quia forma ſervata non eſt, cum qua poteſtas collata fuit. Hinc etiam, quando poteſtas delegatur, ac ſtatuitur procedendi forma, defectus hujuſmodi formæ actum reddit invalidum ut legitur C. *Cum dilecta* de Reſcrip. Tertia e contra regula eſt, cum poteſtas jam ſupponitur, & præcipitur forma, ſeu ſpecialis procedendi modus, tunc ſi clauſula irritans non exprimatur, forma eſt accidentalis; nec omiſſio illius cenſetur irritare actum. Unde C. *Dilectus* de Præbendis, ſententia a Prætore lata, non ſervato ordine, injuſta quidem dicitur, ſed non invalida.

Conſectarium decimumnonum.

XIX. Contractus, & actus irriti jure civili ex defectu formæ, etiam in conſcientia frequentius irriti ſunt, maxime cum pertinent ad publicam adminiſtrationem, uti ſunt ſententiæ, electiones, ſimileſque, quæ a legibus ipſis, & Poteſtate publica plurimum pendent: adeoque ſi lex ipſa repugnet irri-

tando, ſtatim effectum conſequitur: ita quippe expedit Communitatis bono. In aliis vero legibus, quæ potius conſulunt ſingulorum commodis, aliquando non ſic irritant, ut pariant obligationem in conſcientia, nec impediunt naturalem valorem actus, ſed tantum vel negant actionem in judicio, vel irritant inſtrumentum ita peractum, aut ſcripturam, adeo ut nulla ejuſdem in judicio ratio habeatur. In his verba legis diligenter perpendenda ſunt, ac ſtricte ſemper interpretanda, cum materia ſit odioſa.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Ii omnes, qui juſta tributa per fraudem, aut ſimulationem ſolvere prætermittunt, neque a peccato, neque a reſtitutione excuſantur, quamvis periculum ſubeant luendæ pœnæ a lege impoſitæ. Conſtat id ex fundamentis ſententiæ a nobis, & ab aliis communius traditæ, quoniam, quæ juſte debentur, indebita neutiquam fiunt ex appoſitione pænæ; ſed ea potius oſtendit, quod exacte ſolvi debeant. Hoc autem verum eſt, nedum cum alia lege priore vectigalia conſtituta forent, ſed etiam cum eadem lege, quæ pœnam ſtatuit, primitus conſtituuntur. Generarim quippe tenendum eſt, eum qui legem pœnalem mixtam infringit, non eſſe immunem a culpa ex eo, quod periculum pœnæ ſubeat, vel etiam actu pœnam ſolvat; quia ejuſmodi appoſitio pœnæ rationem habet, & vim præcepti minime tollit; quamvis, ut diximus, de lege mixta *disjunctive* poſita aliter ſentiendum ſit. Quapropter divites, & Mercatores, qui tributa juſta non ſolvunt, arcendi ſunt a Sacramentis, & ad reſtitutionem cogendi. Hi namque nedum peccant, quod tributa defraudent, ſed plebejorum, pauperumque gravaminum, & oppreſſionum fontes fiunt.

CONSECTARIUM VIGESIMUMPRIMUM.

XXI. Tributa, quæ conſtat eſſe a Principe conſtituta, ſolvenda ſunt, etiamſi non petantur. Ita communis ſententia: quoniam lex juſta obligat in conſcientia, ut impleatur, etiam nullo admonente, quemadmodum etiam nullo petente, quiſquis tenetur ſolvere debita, quæ contraxit. Cum igitur ſolvere tributa ſit quoddam juſtitiæ debitum, quamvis ea nullus petat, ad ea ſolvenda tenemur.

CONSECTARIUM VIGESIMUMSECUNDUM.

XXII. Si dubium occurrat, an tributum juſtum ſit, nec ne, ſolvi debet; quia in dubio æquali præſumendum ſemper eſt pro Superiore, qui imponendi tributa poteſtatem, ac jus habet, eo præſertim, quod ad privatos non pertineat definire dubia de juſtitia, vel injuſtitia tributi. Quapropter repudianda omnino eſt doctrina Eſcobarii, aliorumque Caſuiſtarum in hac quæſtione, quam ita proponit Tom. 1. *lib.* 2. *Theolog. Moral. ſect.* 2. *cap.* 6. ubi ſic ait: *Princeps juſte tributum imponere poteſt ſecundum opinionem probabiliter affirmantem, illud eſſe juſtum: & ſubditus poteſt juſte tributum denegare ſecundum probabilem opinionem oppoſitam, affirmantem illud eſſe injuſtum*; ac in favorem hujuſmodi reſolutionis affert Sanchez, Leſſium, Molinam, Filliucium. Unde probl. 8. ita ſcribit: *Subditi excuſantur, & non excuſantur ſolvere tributum per opinionem probabilem. Excuſantur certe: quia ſicut Princeps juſte tributum imponit juxta ſententiam probabiliter affirmantem; ſic etiam ſubditus juſte denegare poterit tributum juxta ſententiam probabiliter affirmantem, illud injuſtum eſſe.*

CONSECTARIUM VIGESIMUMTERTIUM.

XXIII. Non minori reprobatione digna eſt eadem opinio, prout eam exponit Tamburinus *lib.* 1. *in Decal. cap.* 3. §. 7. ubi hanc controverſiam excitat: *Subditus, qui omnibus expenſis, dubitat, an gabella ſit juſte impoſita, tenetur ne illam ſolvere?* Cui reſpondet, *Teneri docent alii* &c. *non teneri putant*

Digitized by Google

tant Villalobos, Caſtrop. Aragon. Molina, Filliucius, Sylveſter, aliique apud Caramuelem: quia poſſeſſio ſtat pro libertate ſubditorum. Caramuel ait &c. *juſtitia tributi vel eſt certa, vel probabilis. Si certa, omnino debebitur: ſi probabilis, non debebitur.* Quid vero ex his concludit Tamburinus? *Omnes hæ tres ſententiæ ſunt probabiles*: quia *bonis fundamentis innituntur*. Quod ſi probabiles, ergo etiam in conſcientia omnes ſecuræ juxta regulam probabiliſticam generalem, jam ab initio operis ſui ab ipſo Tamburino conſtitutam.

CAPUT ULTIMUM.

Specimen quarumdam propoſitionum circa leges humanas ex Theologia P. Claudii Lacroixii ſelectæ, quæ Principum auctoritati infeſtæ ſunt, ac bono communi pernicioſæ, cum tamen vigore Probabiliſtici ſyſtematis probabiles efficiantur, & in praxi ſecuræ.

I. *Pauca quædam præmittuntur.*

II. *Prima quæſtio generalis circa leges dubias a Lacroixio propoſita, ac reſoluta juxta Probabilitatis principium.*

III. *Altera quæſtio in dubio promulgationis legis eodem principio reſoluta.*

IV. *Reſolutio tertia, cum dubitatur, an lex ſit uſu recepta. Quid ſcribat Matthæus Moja, ad quem Lectores Lacroixius remittit.*

V. *Quid reſolvat in dubio, an Legislator ſit legitimus Superior.*

VI. *Quid cum dubium eſt, an aliquid præcipere poſſit. Sententia P. Caſtropalai.*

VII. *Quid in dubio de juſtitia legis.*

VIII. *Quid in dubio, an lex præceptum contineat, an vero conſilium.*

IX. *Quid in dubio, an adſit, necne ſufficiens cauſa excuſans a legis obligatione.*

X. *Quid cum probabile eſt ex utraque parte, num legem impleverim, vel non.*

XI. *Quid reſolvat circa obſervantiam legis durante appellatione, aut ſupplicatione facta ad Legislatorem.*

XII. *Quid dum Legislator fruges, aut arma efferre ex patria prohibuit.*

XIII. *Quid de obligatione Clericorum relate ad leges civiles.*

XIV. *Quid de ignorante pœnam tranſgreſſioni legis adjectam.*

XV. *Probabilis juxta Lacroixii ſyſtema eſt ſententia, quæ negat leges tributorum obſtringere ſubditorum conſcientias.*

XVI. *Probabilis item non obligare conſcientiam, ſi dubitetur de juſtitia tributi, ſive dubium ſit negativum, ſive poſitivum.*

XVII. *Indoles, & natura Probabiliſmi ex allatis reſolutionibus oſtenſa.*

Reflexio.

I. IN ſuperioribus, prout ſe tulit occaſio, plures Probabiliſtarum opiniones falſitatis, atque improbabilitatis convicimus, ac reprobavimus. Nunc in hujus Diſſertationis calce non abs re me facturum arbitror, ſi leve quoddam ſpecimen propoſitionum exhibeam ex moderno Scriptore, qui in omnium manibus eſt, ut ex iis manifeſtum omnibus fiat, maximeque Principibus tum Sæcularibus, tum Eccleſiaſticis, quam infeſtum ſit Probabiliſtarum ſyſtema authoritati, & juribus eorumdem, quantaſque clades ac damna invehat in civilem, & Chriſtianam Rempublicam, iis etiam duntaxat conſideratis, quæ ſpectant leges humanas, de quibus hactenus diſſeruimus; cætera ad alios tractatus remittentes. At vero in antecessum illud ſub oculos habendum eſt, quod fuſiore calamo *de Regula proxima humanarum actionum* agentes declarabimus, omnem ſcilicet in Probabiliſtarum ſyſtemate opinionem *probabilem* adverſus legem licitam eſſe, & ad praxim deduci poſſe citra culpam coram Deo, omneſque opiniones vere eſſe probabiles, atque adeo licitas, ac tutas in conſcientia, quæ *vel gravi authoritate*, ut omnium nomine inquit Laymanus, *vel non modici momenti ratione nititur.*

Gran-

Digitized by Google

Gravi autem *authoritate* illa opinio nititur, quæ a tribus, quatuorve Doctoribus, ut ait Terillus; vel etiam ab uno tantum, qui magnæ inter Probabiliſtas æſtimationis ſit, docetur, ac traditur vel tamquam *vera*, vel ſaltem tamquam *probabilis*, licet falſa ab aliis, & ab ipſo operante exiſtimetur, prout in loco latius exponemus.

II. Modernus iſte Author eſt celebris Buſembaum Commentator P. Claudius de la Croix, de quo illud vere dictum eſt, in ipſo Opere ſuæ Moralis Theologiæ *Probabilium* omnium opinionum veluti hiſtoriam contexuiſſe, quas equidem non omnes ipſe probat, quin & aliquando nonnullas falſas reputat; at cum eas vel *probabiles* aſſerat, vel tot, aut tales Authores eas ſuſtinentes recenſeat, qui ad eas *probabiles* reddendas ſufficiant, perinde plane eſt, ac ſi expreſſe probaret. Nam juxta regulas ab ipſo, & ab aliis Probabiliſtis conſtitutas, ex eo quod *probabiles* ſint, jam licitæ fiunt, & ad praxim reduci poſſunt abſque peccato *formali*, ut inquiunt. Hic igitur Author *lib. 1. de legibus*, hanc inter alias quæſtionem excitat q. 86. n. 589. *Quid dicendum ſit in variis dubiis circa leges?* Nemo neſcit regulam illam generalem traditam, ac veluti conſecratam a Sacris Canonibus: *In dubiis tutiorem partem eſſe eligendam*, quam ipſa inſita omnibus ratio docet, ac firmat. Verum hanc *Probabiliſtæ* in dubiis reſolvendis parum, aut nihil curantes aliam producunt, adhibentque hominum genio, & cupiditatibus magis faventem, quæ licet locum non habeat, niſi in materia juſtitiæ ex inſtitutione ſua, & confeſſione cæterorum omnium Doctorum, ab ipſis ex arbitrio, & abſque ullo ſolido fundamento ad quæſtionem omnem moralem decidendam extenditur.

Itaque propoſitæ quæſtioni reſpondet in primis generaliter Lacroixius: *In dubio an lex ſit, vel non ſit, præſumi poteſt non eſſe: quia poſſeſſio eſt pro libertate, ut dictum eſt.* En tota ratio, qua utuntur Probabiliſtæ ad tollendam obligationem omnem conſcientiæ circa obſervantiam legis, de qua dubium eſt an exiſtat: quodque mirum profecto eſt, tametſi nedum omnes Antiprobabiliſtæ, ſed etiam plures ex Probabiliſtis, hoc principium vanum prorſus, & inutile cenſeant, ut vel ipſe teſtatur Lacroixius n. 502. nempe Azorius, Vaſquez, Salas, Turrianus, Saylius, Perez, quibus alii plures addi poſſent, ac noviſſime P. Rasler, unde etiam juxta eorum Syſtema *dubium* ſaltem hocce principium fateri coguntur; nihilominus illud intrepide protrudunt, veluti indubitatum, atque certiſſimum, eoque controverſias de lege dubia, ſicut & de aliis materiis confidentiſſime reſolvunt.

III. Sequitur P. Lacroixius n. 590. *In dubio, an lex ſit promulgata*, docet *Dicaſt. de Conſcient.* diſput. 7. n. 39. *præſumi debere, quod non: quia promulgatio eſt aliquid facti, quod non præſumitur, ſed probari debet: conſequenter lex non obligabit; quia dubitatur de eſſentia legis, vel ſaltem de conditione eſſentialiter prærequiſita ad ejus obligationem, ut dictum eſt* num. 254. & 177. Ergo *libertas videtur manere in poſſeſſione contra illam*. En idem principium *poſſeſſionis libertatis* adhibitum. Et licet Vaſqueſius ipſe loco aliàs a nobis producto multis oſtendat; in hoc caſu non alio utendum eſſe principio, niſi eo Juris Canonici, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, teſteturque, ſe *nullum antiquorum Theologorum legiſſe, qui oppoſitum ſenſerit*; nihiloſecius noſtri Juniores Probabiliſtæ flocci facientes & Vaſqueſium, & omnes veteres, ac recentes melioris notæ Theologos, ſuas reſolutiones futili hoc principio adſtruere pergunt

IV. *N.* 591. „ In dubio, an lex ſit uſu „ recepta, nec ne, Bonacina, Sanchez, & „ alii dicunt præſumi debere, quod ſit recep„ ta, tum quia de lege conſtat; ergo pro ea „ eſt poſſeſſio; tum quia debuit uſu recipi, „ maxime cum id plerumque fieri conſueve„ rit. E contra Azorius, Salas, Dicaſtil.

num.

Digitized by Google

„ *num.* 38. negant : quia , quando dubi-
„ tatur de receptione , dubitatur de
„ eo , quod lex unquam obligaverit , nec-
„ ne : ergo non lex , ſed potius libertas eſt
„ in poſſeſſione . Videtur tamen eſſe diſtin-
„ guendum : nam ſi ſit talis lex , ad cujus
„ obligationem Legislator prærequirit accep-
„ tationem populi , uti ſæpe ſit in legibus
„ civilibus , probabilior eſſe videtur ſecunda
„ ſententia . Si autem non indigeat accepta-
„ tione populi , uti non indigent leges Ec-
„ cleſiaſticæ , prima videtur præferenda : quia
„ ante illam acceptationem habet lex totam
„ vim ſuam obligandi . Videri poteſt Moja
„ *Tract.* 6. *diſ.* 1. *q.* 1. *n.* 14. & 15. " .
Præterquamquod Lacroixius priorem ſenten-
tiam haud firmiter amplectitur , ſupponit-
que , Legislatores Civiles ſæpe requirere po-
puli acceptationem , ut obligent ; quod per-
raro , aut fere nunquam contingit ; ſecunda ,
quam refert , ſententia vi principiorum ſuo-
rum *probabilis* eſt , adeoque in praxi licita ;
ſiquidem authoritate munitur trium apud
Probabiliſtas inſignium Doctorum , qui ſuas
opiniones *probabiles* reddunt , quorum pri-
mum tanquam *claſſicum* , & *omni exceptione
majorem* deprædicant . Sed quia Lacroixius
audet Lectorem remittere ad P. Mojam , au-
thorem pluries ab Eccleſia tali cenſura dam-
natum , ut ſimilem inter omnes , quibus
alios Morales Theologos ſæpe notavit , me
nunquam legiſſe meminerim , hunc adeamus
loco a Lacroixio laudato , ad quem ſe refert.

P. igitur Matthæus Moja hæc ſcribit *n.*
14. " Si vero dubium eſſet , an lex ſufficien-
„ ter jam promulgata , congruoque tempo-
„ re elapſo , a majori parte Communitatis
„ recepta fuiſſet , locum habere poſſet *Cara-
„ muelis* opinio ante Decretum Alexandri
„ VII. in ſententia exigente acceptationem
„ a majori parte Communitatis , ut valida
„ ſit lex : nam in hoc dubio legem non
„ obligare in conſcientia , ſi pœnalis ſit ,
„ tradunt Azorius , & Salas , *quorum opinio-
„ nem probabilem eſſe propter eorum authorita-
„ tem , & rationem* dicit Illuſtriſſimus ac
„ Reverendiſſimus Mag. Tapia Archiep. &c.
„ cui conſentiunt Diana , Eſcobar &c. Piæ-
„ poſitus . Nam in dubio an lex fuerit uſu
„ recepta , præſumendum eſt non eſſe : eo
„ quod in pœnis mitior pars ſit eligenda " .
Ex hoc conſtat , exquiſito plane artificio in
lucem revocari damnatam Caramuelis ſenten-
tiam , eamque ipſe Moja confirmare videtur ,
dum ait : *Nam in hoc dubio legem &c. non
obligare &c.* Quin immo *n.* 15. ita perſequi-
tur : *Et abſolute loquendo id probabile putant
alii , quibus adhæret Magiſter Serra* . Dum
ergo Lacroixius Lectores remittit ad hunc au-
thorem , conſequenter veluti *probabilem* ap-
probat ſententiam , quam tot Scriptorum au-
thoritate munit P. Moja .

V. *N.* 593. ſic ait Lacroixius : " In du-
„ bio , an legem ferens ſit legitimus Superior ,
„ v. g. an legitime ſit electus , necne , San-
„ chez in Decal. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 7. dicit , ſubdi-
„ tum teneri obedire : quia Superior habet
„ poſſeſſionem probabilem juriſdictionis , &
„ cui poteſt inſiſtere , donec probetur non
„ habere : ergo jus ipſius eſt in poſſeſſione .
„ E contra Mendo in Statera *d.* 13. *n.* 236.
„ aliique docent , non teneri : quia cum du-
„ bitatur , an ſit Superior , nulla eſt certa
„ poſſeſſio pro jure præcipiendi . De illa
„ enim poſſeſſione dubitatur , eamque negat
„ ſubditus . Oviedo de *Conſc. cont.* 3. *punct.*
„ 5. probabilius ſic diſtinguit : ſi Superior
„ habeat poſſeſſionem ſui officii , ſubditus te-
„ nebitur obedire : quia jam eſt poſſeſſio pro
„ Superiore . E contra ſi nullam ne quidem
„ officii poſſeſſionem acceperit , ſubditus po-
„ terit non obedire ob rationem ante datam " .
Dum Lacroixius affirmat *probabilius* , proba-
bilem , ac licitam relinquit ſecundam ſen-
tentiam , quæ ſane laxa eſt , & Superiorum
authoritati contraria .

VI. *N.* 594. " In dubio , an Superior
„ poteſtatem habeat hoc imperandi , aut an

„ hoc, quod imperat, poteſtatem ipſius exce-
„ dat, Diana p. 9. tract. 9. R. 45. Oviedo,
„ aliique apud Mendo q. 15. §. 4. defendunt
„ *ut probabile*, ſubditum non teneri obedi-
„ re. Sed Sanchez ſupra late oſtendit op-
„ poſitum, ac ſequitur ex dictis a num. 432.
„ Eſt enim poſſeſſio pro abſoluta poteſtate
„ Superioris ad imperandum omne objectum.
„ Non eſt autem hic & nunc certum, ſed
„ tantum dubium, ut ſupponimus. Ergo “.
Quantumvis opinionem ſuam comprobet
Sanchez; altera, quæ a gravibus Auctoribus
defenditur, *probabilis* citra dubium erit,
adeoque ad praxim expedita. Verum hic au-
dite quoque præſtat pulchram reſponſionem,
quam adhibet P. Caſtropalaus *lib.* 1. *tract.*
2. *p.* 6. ſimili quæſtioni. Reſpondet igitur
hoc pacto: *Non eſt controverſia, quando da-
retur opinio probabilis ex parte ſubditi, quod
non teneatur obedire, tametſi contraria ſen-
tentia ſit probabilior. Tunc enim licitum eſt ex
ſupradictis amplecti, quæ tibi gratior fuerit.
Ita notavit Thomas &c. Neque obſtat Superio-
rem tunc juſte præcipere, ut tu tenearis obedi-
re: quia non undequaque juſte præcipit, ſed
probabiliter: ac proinde probabiliter ſolum
obligatus eris obedire, & probabiliter deo-
bligatus*. Poſito ſyſtemate Probabiliſtico
reſponſio P. Caſtropalai ſolutionem nul-
lam admittit, adeoque quantumvis Prin-
ceps, aut Superior ſive temporalis, ſive Ec-
cleſiaſticus abſolute quidpiam jubeat, ſi
ſubdito ſuffragetur opinio aliqua etiam mi-
nus probabilis, præceptum reſpuere poterit,
nixus eo principio, quod *ſit in poſſeſſione ſua
libertas*. Quot, bone Deus, abſurda ex hac
probabiliſtica doctrina non proficiſcuntur!
Quid enim facilius ſubdito præſertim regulis
probabiliſticis inſtructo, quam adinvenire
opinionem probabilem ſuæ faventem liberta-
ti, & cupiditati? Ad Lacroixium revertor.

VII. *N.* 595. ſcribit: “ In dubio de ju-
„ ſtitia legis, aliqui apud Dianam ſupra, &
„ cum Dicaſtil. *de Conſc. d.* 1. *n.* 353. di-
„ cunt, *probabile* eſſe, quod ſubditus non
„ teneatur obedire: quia jus Superioris nun-
„ quam fuit in poſſeſſione ad imperandum
„ aliquid iniquum, vel illicitum. Sed Ovie-
„ do *n.* 61. dicit oppoſitum ſibi eſſe certum.
„ Quando enim probabile eſt, actionem
„ aliquam eſſe hic, & nunc juſtam, & lici-
„ tam, certum eſt talem actionem poſſe, &
„ conſequenter debere poni a ſubdito, uti
„ probatum eſt a *n.* 432. cum Superior ſit in
„ poſſeſſione imperandi omne id, quod ju-
„ dicat juſtum, & licitum. Ergo “. Certi-
tudo Oviedi nullum infert præjudicium pro-
babilitati opinionis contrariæ, quoniam
privata eſt. Etiam Tamburinus *certam* pu-
tabat ſententiam, Judicem teneri rem divi-
dere inter duos collitigantes æqualibus ratio-
num momentis: & tamen propter aliorum
authoritatem licitum Judici fecit rem, cui
maluerit, adjudicare *lib.* 1. in Decal. cap.
3. *Dixi, ut ego certum puto: nam propter
extrinſecam bonorum Doctorum authoritatem
aſſerentium in hoc caſu poſſe Judicem pro ſuo
amico, ſi maluerit, ſententiam pronuntiare, po-
tes id, ut probabile, ſi velis, amplecti*.

VIII. *N.* 596. “ In dubio, an lex con-
„ tineat præceptum, an tantum conſilium,
„ aut exhortationem, dicendum eſt poſterius,
„ uti notant Sanchez, & alii. Similiter in
„ dubio, an lex obliget ſub mortali, vel ſub
„ veniali tantum, tenendum eſt obligare ſub
„ veniali tantum. Quia libertas eſt in poſ-
„ ſeſſione, & in obſcuris minimum eſt ſe-
„ quendum &c. Probatque fuſe Gobat in
„ *Quin. T.* 1. *a n.* 75. leges omnes humanas,
„ itemque divinas eſſe benigne interpretan-
„ das. Hinc ſententiam noſtram tenent Nav.
„ *in Man. c.* 35. *n.* 50. Sanchez *in Decal.
„ lib.* 1. *c.* 4. Diana *p.* 1. *tract.* 10. R. 25.
„ contra Laymanum, & alios apud eum-
„ dem Dianam. Oſtendemus autem lib. 6.
„ prudentius eſſe in quæſtione circa peccata
„ mortalia potius benignas [*quod perinde eſt,
„ ac laxas*] quam rigidiores [*ſcilicet ſanas,
„ & ſecuras*] ſententias ſequi “, Quid por-

ra

Digitized by Google

ro conſequitur ex hac Lacroixii doctrina Probabiliſtis communi ? Illud plane , quod cum opinio ſit apud Caſuiſtas probabilis , humanas leges Principum temporalium, aut non obligare conſcientiam , aut ſaltem non obligare ſub gravi culpa , hæc opinio probabilis dubium profecto inducit in omnium animos: quo caſu *libertas* juxta ipſos *eſt in poſſeſſione*; atque adeo populi ex Probabiliſtarum doctrina, eas negligere poterunt , ac violare abſque ullo ſaltem gravis peccati ti more .

IX. *N.* 598. " In dubio , an adſit , vel „ non adſit cauſa ſufficienter excuſans a lege, „ Salas putat non eſſe obligationem , *ſi lex* „ *ſit moleſta* : quia *favendum eſt libertati* , „ *quantum poſſumus* ; quod Dicaſtillus *n.* 47. „ dixit , *non eſſe improbabile* ; tunc enim du„ bitatur , an lex unquam fuerit impoſita „ pro tali caſu , & circumſtantia " . Egregia ſane ratio , qua facile eludi poſſunt omnes humanæ leges , de quibus dubium aliquod eſt : cum nulla ſit , quæ *moleſta* ſubditis non videatur . Hanc tamen opinionem Dicaſtillus judicat *non eſſe improbabilem*, quod, teſte Tamburino , *idem eſt ac eſſe probabilem* adeoque tutam actionum regulam , eamque in ſua *probabilitate* relinquit Lacroixius .

X. *N.* 599. " Quid dicendum ſit in du„ bio , vel in probabilitate , quod legem „ impleverim " ? Et *n.* 600. reſpondet : " Si dubium ſit poſitivum , ſive ſi habeam grave „ motivum , & prudentem rationem judican„ di , quod legi ſatisfecerim " (adde : & ſimul habeam grave motivum , & prudentem rationem judicandi , quod legi non ſatisfecerim . ita enim requirit dubium poſitivum) ; " *probabile* eſt , me non amplius „ teneri . Ita abſolute tenent Cardenas in „ Criſi I. *diſ*. 60. *c*. 4. & Illſung. *T*. 5. n. 150. „ Ratio eſt , quia ſi probabile ſit , me jam „ ante ſatisfeciſſe , (adde , ſimulque probabile ſit , me jam ante non ſatisfeciſſe) non „ poteſt eſſe certum , quod adhuc obliget , ſed „ probabile eſt , me ſatisfeciſſe . Ergo &c. „ Ratio a priori eſt ; quia lex incerta non „ obligat : ſed ſi ſit probabile , me legi ſa„ tisfeciſſe , lex iterum ſatisfaciendi eſt incer„ ta . Ergo me non obligat &c. "

XI. Atque hæc ſunt , quibus ſatisfeciſſe ſe putat Lacroixius ad illud generale quæſitum , *quid dicendum ſit de variis dubiis circa leges* . Verum plura alia ſuperſunt circa idem argumentum ex eodem Authore non minore digna animadverſione, ex quibus pauca tantum, ne prolixiores ſimus , decerpemus , *N.* 639. quærit : *An durante appellatione , aut ſupplicatione ſubditi debeant obſervare legem* ? ac ita reſpondet : Si lex ſer„ vari poſſit ſine magna rerum mutatione , „ vel periculo ſcandali , Suarius putat ob„ ſervandam eſſe : quia certo poſſidet , & ex„ cuſatio eſt dubia . Idem tenent Vaſquez , „ Lorca , Garzias , teſte Lcur. p. 3. q. 370. „ n. 5. Conſentit Caſtropalaus d. I. punct. „ 15. n. 54. E contra Bonae. Salas , Rodri„ quez , Granadus , Steph. tract. 2. d. I. „ dub. 3. Honoratus Fabri , & alii apud „ Moyam *in ſelect. t.* 5. *d.* I. *q.* I. *n.* 16. „ putant obligationem ſuſpendi : quia ita „ habet uſus , & praxis [falſo id ſupponi„ tur) , neque ideo puniuntur ſubditi : ſic„ que præſumitur de benignitate Eccleſiæ „ [abſque ullo prorſus fundamento , niſi „ quod ſibi ipſi confingunt) uti cum Leſſio, „ & Carden. dictum eſt *n.* 592. &c. ". Quare tot Auctoribus munita ſenteut ia non poteſt cenſeri , niſi *probabilis* , adeoque tuta in conſcientia : quamvis laxa ſit , & graviſſimorum abſurdorum fœcundiſſima parens .

XII. *N.* 670. " Si Legiſlator prohibue„ rit , efferri fruges , aut arma ex patria , „ ſiquis ſemel efferat , ſecundum Granad , & „ alios cum Diana R. 4. eſt materia levis, & „ excuſatur a mortali : quod *probabile* eſt ; „ quia finis Legiſlatoris erat cavere damnum „ Reipublicæ . Ergo cum ſemel efferre non „ cauſet grave damnum , non erit notabile „ contra finem legis . Eſſet tamen notabile, „ inquit Caſtrop. ſi efferrentur fruges v. g. pro

Digitized by Google

„ pro 200. aureis, aut arma pro inſtruendis „ 10. militibus. E contra alii cum Sanchez „ n. 8. *æque probabiliter* dicunt, etiam ſe- „ mel efferre eſſe materiam gravem &c. “. Cum Lacroixio teſte *æque probabilis* ſit prima, & ſecunda ſententia, licebit uni, & alteri, & millibus ſubditorum ſingillatim ſumptis, nihil obſtante Principis præcepto, ſemel efferre e Patria fruges, aut arma citra grave peccatum, neque ipſi pœnæ ſubjecti erunt a lege præſcriptæ, quam non incurri Probabiliſtæ putant per culpam levem. Quid abſurdius?

XIII. *N.* 678. „ Clericos directe, & per „ ſe obligari poteſtate directiva legis civilis „ docet cum aliis, quos citat, Caſtropalaus „ &c. Hinc conſentit cum eis Diana, Cleri- „ cos peccare mortaliter, ſi eis non pareant: „ quia ſunt Cives, & pars præcipua Civilis „ Reipublicæ: Et hanc ſententiam dicit eſſe „ *valde probabilem* Burghaber. E contra Sua- „ rez, Vaſquez, Azorius, Filliucius, Bona- „ cina, Tannerus, Layman, Barboſa, Bu- „ ſembaum *etiam probabiliter* dicunt non „ obligari *directe*; cum ſæcularis in Clericos „ non habeat juriſdictionem, uti oſtendetur „ *lib.* 4. *n.* 1381. & 1410. Itaque tenebuntur „ tantum *indirecte* ex vi legis naturalis &c. „ Hinc refert Burghaber cum Salas, Caſpenſi, „ Bonacina, Del bene, & aliis, Clericos „ *probabiliter peccare tantum venialiter*, ſi „ agant contra hujuſmodi *legem civilem*..... „ Quod ſi hujuſmodi tranſgreſſioni impoſita „ ſit pœna, v. g. ſi fruges efferantur a Pa- „ tria, ut eripiantur a fiſco, communis (in- „ ter Probabiliſtas) ſententia eſt, huic pœ- „ næ non ſubjacere Clericum, neque res „ ipſius, quæ gaudent privilegio perſonæ: „ cum Clerici non teneantur ulla vi coacti- „ va legum civilium, *uti recte notat Del-be-* „ *ne* “. Quam infeſta ſit hæc doctrina juribus Principum ſæcularium, quam adverſa communi Reipublicæ bono, cæcus eſt, qui non videat.

XIV. *N.* 768. “ Navar. Sa. & alii cum „ Tamburino *lib.* 1. *in Decal. c.* 2. §. 10. *n.* „ 12. putant etiam pœnas Civiles, ſi extra- „ ordinariæ ſint, non incurri ab illo, qui „ invincibiliter ignorat illas eſſe tranſgreſſio- „ ni adnexas: quod *probabile* etiam reputant „ Suarez, Sanchez, & Caſtropalao; quia, ſi „ pœna ſit extraordinaria, etiam in foro „ externo præſumi poteſt non præcognita a „ delinquente: ergo nullo modo potuit ſe „ illi ſubjicere. *Injuſtum autem eſſet obligare* „ *ad pœnam, cui nullo modo ſe ſubjecit &c.*“. Hæc ſane doctrina, quæ *probabilis* dicitur, adeoque *licita* dicenda a Probabiliſtis, digna ſeria animadverſione eſt omnium Magiſtratuum. Ea namque admiſſa, vix eſſet ullus legum civilium tranſgreſſor, quem plectere licite, ac citra injuſtitiam poſſent, pœna aliqua extraordinaria in legem denunciata. Facillimum quippe foret cuilibet tranſgreſſori ſe ab ea ſubeunda excuſare, pœnæ hujus ignorantiæ prætextu. Quid porro obtenditur a Lacroixio verbis illis, *injuſtum* &c. *obligare ad pœnam, cui reus nullo modo ſe ſubjecit*? Nunquid neceſſe eſt, ad pœnam incurrendam, quam reus ſua tranſgreſſione meretur, ut ſe prius ipſi pœnæ ſubjiciat? An non potius eidem ſubjiciendus a Principe eſt, qui ſicut poteſtate potitur dirigendi ſubditos legibus ſuis, ita etiam eoſdem ad obediendum compellendi pœnis etiam extraordinariis, ſi opus fuerit?

XV. *Lib.* 3. *p.* 2. *n.* 269. „ Navarrus, An- „ gelus, Beja, aliique multi docent, leges „ *de ſolvendis vectigalibus* eſſe tantum pœna- „ les, & *non obligare in conſcientia*: quam „ ſententiam Leſſius *lib.* 2. *c.* 33. *n.* 55. „ Bonacina *de Reſt. dub* 2. *q.* 9. aliique di- „ cunt eſſe *probabilem*. Probabilius tamen „ eſt, quod obligent in conſcientia &c. “. Quid, quæſo, refert, quod alii hanc ſententiam *probabiliorem* putent, cum Authores laudati, & *alii multi* priorem *probabilem* faciant, aut judicent? Major probabilitas ſecun-

Digitized by Google

ſundæ ſententiæ nulli prorſus impedimento eſt, cur populi ſequi non poſſint tuta conſcientia primam ſententiam, quæ *probabilis* reputatur, ac reputari debet juxta Syſtema Probabiliſtarum.

XVI. *N.* 277. „ Si conſtet de poteſtate im„ ponendi tributum, ac dubitatur, an tri„ butum ſit juſtum; ſitque *dubium negativum*, „ ideſt ſi pro neutra parte occurrat ratio po„ ſitiva; dicendum eſt debere cenſeri juſtum, „ & eſſe obligationem ſolvendi, uti tenent „ Suarius, Sotus, Vaſquez, Malderus, Leſ„ ſius, & alii cum Dicaſtillo *n.* 92. licet „ *multi* cum Sanchez *d.* 6, *n.* 5. Diana *p.* 4. „ *T.* 3. *R.* 39. Lugo *n.* 89. putent non eſ„ ſe obligationem (ſolvendi), ſaltem ſi tri„ butum, vel gabella nova imponatur. His „ conſentit Sporer *n.* 154. dicens veram eſſe, „ ac tutam ob rationes jam dandas pro ca„ ſu dubii poſitivi &c. ". Hæc ſententia procul dubio *probabilis* eſt propter tot Doctorum, qui eam tuentur, authoritatem, quos inter vel ſolus Sanchez, etiam ſi cœteri deeſſent, ad eam *probabilem* reddendam ſufficere. Hoc itaque in caſu, in quo ſubditi nullam rationem habent nec pro neganda, nec pro aſſerenda juſtitia tributi, quam Principes nec exponunt, nec tenentur exponere, licitum ſubditis erit denegare tributa a ſuprema legitima Poteſtate conſtituta, ſi *Probabiliſmum* ſequantur. Quid autem pernicioſius authoritati Principum, bonoque Reipublicæ cogitari poteſt?

Pergit ſubinde Lacroixius *ad dubium poſitivum*, in quo rationes æquales utrinque concurrunt tum pro juſtitia, tum pro injuſtitia tributi, & ait: „ Si dubium ſit poſitivum, „ ideſt, ſi ſint rationes probabiles pro eo, „ quod ſit, & etiam pro eo, quod non ſit „ juſtum, Sanchez, & alii *ſexdecim* apud „ Mendo &c. dicunt non eſſe obligationem „ ſolvendi: quia poſſeſſio videtur eſſe pro li„ bertate ſubditorum .... Præterea, quia ſi„ cut in pleriſque aliis materiis, ita in hac „ videtur eſſe licitum, ſequi unam opinio„ nem probabilem, relicta alia: & hanc „ ſententiam *probabilem* eſſe dicunt Sa, Bo„ nac. Diana, Boſco, Tambur. Sporer, eam„ que ſequitur Lugo, & *probabilem* etiam „ agnoſcit Dicaſtil. Oppoſitam tenent &c. ". Quicunque ſint, qui oppoſitam teneant, jam illa prior opinio *probabilis* eſt, & ex authoritate tot Doctorum, & ex tot aliorum teſtimonio, adeoque in caſu, quo *poſitivum dubium* eſt de juſtitia, aut injuſtitia tributi, adverſus ſententiam Principis, qui juſta reputat tributa impoſita, prævalere debet ſubditorum *probabilis* opinio, quod ſit injuſta: quia *poſſeſſio eſt pro ipſorum libertate*. Atque ita etiam dicendum erit, quod *probabilis* ſit, atque adeo in conſcientia tuta ſequens opinio a Lacroixio relata *n.* 280. „ Clerici non „ tenentur ad gabellam contractuum: niſi „ negotientur; nec ad gabellam rerum de „ patrimonio ſuo. Præterea *bona*, & „ *Coloni* Religioſorum mendicantium eximun„ tur *ab omni exactione*, ut habet Sa, V. „ Gabella. Et de hac exemptione videri poſ„ ſunt Sanchez a D. 49. uſque ad 59. Lu„ go, Dicaſtil. Diana &c. „.

XVII. Hæc pauca modo ex Lacroixio deprompta ſufficiant circa leges humanas. Plura alia ex eodem data occaſione eruenda a nobis erunt in ſequentibus, ut omnibus perſpecta fiat Probabiliſmi indolés, & naturá. Ex his interim ſapiens, & Chriſtianus Lector videat, & attente conſideret, num hujuſce methodi reſolvendi quæſtiones morales vola, aut veſtigium ſit in omnibus Eccleſiæ Patribus, Sacriſque Canonibus. Nullum aliud ſive in Sanctis Patribus, & Eccleſiæ Canonibus principium, aut regulam reperire eſt, ſi dubia aliquando occurrant in re morali, niſi illam, ſicut jam præmiſimus, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, adeo ut Eminentiſſimus Cardinalis Petra Sacrorum Canonum, ſi quis alius, peritiſſimus regulam hanc, ſicut & aliam, *Quod certius exiſtimamus, tenere debemus*, ſcripſerit, *Summorum Pontificum ſemper fuiſſe, & eſſe veluti quoddam axioma*, quo du-

Digitized by Google

dubiæ omnes morales controverſiæ reſolvendæ ſunt. At vero juniores noſtri Theologi, ea penitus certa regula neglecta, aliam adinvenere, quam omnino ignorarunt, aut potius ut falſam, & moribus pernicioſam rejecerunt Patres noſtri, nimirum, ut patet ex exemplis ex Lacroixio allatis, & ex innumeris aliis quæ afferri poſſent, quod *in dubiis libertas ſit in poſſeſſione faciendi quidquid libet, & lubet*, atque adeo ſequendi eas ſententias, quæ genio hominum, & cupiditatibus favent. Quis talem modum decidendi dubia non deteſtetur, non horreat? Quis toto animo non excipiat, atque amplectatur regulam, quam ab initio, & per quindecim retro ſæcula ſuſcepit, & amplexa Eccleſia eſt?

R E F L E X I O.

XVIII. *Cariſſimi*, ſic admonebat ſui temporis fideles S. Petrus 1. c. 2. *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive ducibus* (aut Præfectis, ut ex Græco) *tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei*. Cum ait *omni humanæ creaturæ*, ut animadvertunt Interpretes, non aliud intelligit S. Apoſtolus, niſi omnem hominem in ſublimitate conſtitutum, cui ſubjectio, & obedientia debetur, ut ex ipſo contextu aperte liquet. Ex quo colligit S. Baſilius *in Conſt. Monaſt.* quod tametſi hic directe loquatur de Principibus hujus ſæculi, intelligendus quoque ſit de Principibus Eccleſiaſticis, Epiſcopis videlicet, & Prælatis Eccleſiæ, quibus non minus ſubjectio, ac obedientia debita eſt juxta illud Apoſtoli Pauli *ad Hebr. Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, tanquam rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Hæc igitur erat doctrina, qua uterque Apoſtolus imbuebat Eccleſiam, quam ipſi fundaverant, quamque impenſo ſtudio commendabant ſui temporis fidelibus, commendaruntque fidelibus omnibus, qui ſecuturi fuerant, ut nempe ſubjecti ſint, ac obediant Poteſtatibus ſive ſæcularibus, ſive Eccleſiaſticis: *Quia ſic*, inquit, *eſt voluntas Dei*. Dei nimirum voluntas, quemadmodum diſpoſuit, ut inter homines aliqui exiſterent, qui ad principatus honorem, ac dignitatem evecti, cæteris in rebus temporalibus, aut ſpiritualibus pro gradus, & officii qualitate præſiderent, bonoque, ac tranquillitati communi conſulerent, atque ita quædam eſſent imagines Creatoris Dei, in quibus ſuprema Majeſtas ſua, jus, & imperium vividius elucerent; ita quoque voluit, atque præcepit, ut populi iiſdem ſubjecti forent, eorumdemque legibus, atque mandatis fideliter obtemperarent. Sic enim ſalvum & incolume conſervatur Reipublicæ tum civilis, tum Chriſtianæ commune bonum, ac felicitas, quam Deus intendit. Quare cum hæc ſit toties in Sacris Scripturis expreſſa voluntas Dei, quis inde non inferat ſummam ab omnibus dandam operam eſſe, ut hæc divina voluntas ſedulo, & accurate impleatur, adeoque unuſquiſque eam ſubjectionem, & obedientiam quibuſcunque Poteſtatibus præſtet, quam ipſemet omnino præſtandam denunciat, *ne cum Poteſtati reſiſtimus, ordinationi ſuæ reſiſtamus?*

Sed heu! Hæc divina, & Apoſtolica doctrina, qua primitiva Eccleſia enutrita fuit, quæque diu, teſte Auguſtino, illibata permanſit in populo Chriſtiano, primum hæreticorum perverſitate corrupta, ac depravata fuit: deinde noviſſimis hiſce ſeculis in Eccleſia ipſa Catholica ingens paſſa detrimentum eſt ex plurimorum Theologorum, non dicam, malitia, ſed valde præpoſtera benignitate, maximeque poſt invectum in Scholas novum illum opinandi modum, *alienum omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, ut ait Summus Pontifex Alexander VII. qui, ſicut alia permulta, ita quæ ſpectant præſentis doctrinæ capita, corrupit, atque pervertit. Ex iis, quæ in hac Diſſertatione notata fuere, ſatis conſtare arbitror, quam id a me veriſſime dictum ſit. At ad plenam veritatis confirma-

tio-

Digitized by Google

tionem ſufficiant , quæ ab illuſtri Epiſcopo-
rum Hiſpaniæ Conſeſſu , non ſine lacrymis,
ac gemitibus vix quadraginta ab hiue annis
in libello ſuppli.i Sedi Apoſtolicæ oblato de
hac re obſervata ſunt , cæteris , quæ ad alias
materias pertinent , prætermiſſis .

Sic igitur gemebundis vocibus de hoc ſyſte-
mate conqueruntur Illuſtriſſimi Præſules: „Ad
„ mores ſollicitudo noſtra anxie convertitur,
„ & opinandi licentiam adeo percrebuiſſe
„ conſpicit , ut laxitate per omnes materias
„ graſſante , cunctaque tranſcendente vix ſa-
„ nitas in doctrina morum hodie invenia-
„ tur ...... *Probabiliſmum* equidem , ut *hodie*
„ ad praxim ploramus redactum , cauſam
„ per ſe tot malorum certo certius eſſe fa-
„ temur . Unde hanc eſſe fœcundiſſimam ra-
„ dicem , ex qua tot virulenta germina im-
„ mediate procedunt , proculdubio exiſtima-
„ mus .... Heu nobis miſeris! Leges divinas ,
„ & Eccleſiaſticas confugio hujus practici Pro-
„ babiliſmi *hodie vigentis* paſſim violari , *au-
„ thoritatem Eccleſiæ* , *Romanorumque Pontifi-
„ cum* novis ordinamentis continuo minui :
„ Decreta Apoſtolica , & Conſtitutiones ſive
„ ad fidem , ſive ad mores , ſive ad gu-
„ bernium Eccleſiæ pertinentes , totumque
„ inſuper jus canonicum , immo & ſanctiſ-
„ ſima *Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi* decreta
„ liberis interpretationibus , quas *probabiles*
„ vocant , temere illudi : Sacramenta ipſa ,
„ etiam quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, pe-
„ riculis nullitatis multis *probabilibus* [ut
„ vocant] paſſim exponi : *Leges civiles pro
„ minimo jam haberi* , & attributis non ſol-
„ vendis , etſi juſtis , ſine ullo remorſu, quia
„ *multa probabilia* circa hæc inveniuntur, quam
„ plurimos ſe excuſare : Epiſcoporum edic-
„ tis & mandatis , etſi ſub præcepto forma-
„ li obedientiæ , quin immo etiam ſub pœ-
„ na cenſuræ latæ editis , publice & palam
„ ſub eodem confugio *Probabiliſmi* non obe-
„ diri : Prælatiſque inferioribus , etſi Regu-
„ laribus , ſuo modo idem accidere ; Cenſu-
„ ras Eccleſiaſticas, etiam Pontificias , etiam
„ Sanctæ Sedi reſervatas , *Probabilium* præ-
„ textu non timeri : nominatim excommuni-
„ catos , opinionem , quam vocat *probabilem*
„ pro ſe habentes , ſuam declarationem ir-
„ ridere : in nullo genere contractuum , &
„ & negotiationum, emptionibuſque , & ven-
„ ditionibus , utcunque fiant , hiſce proba-
„ bilibus fere nullam læſionem inveniri , ne-
„ que obligationem reſtituendi agnoſci &c. “.
Poſt quæ , & alia plura , quæ prætereo , ita
concludunt lacrymis potius , quam verbis pi-
iſſimi , ac animarum zelo flagrantes Epiſco-
pi : „ Hic eſt præſens Reipublicæ Chriſtianæ
„ ſtatus : hæc & alia innumera , & quidem
„ majora , quæ hodie patitur &c. Hoc , de
„ quo omnes , *qui in Politico , & Eccleſia-
„ ſtico clavum tenent* , merito conqueruntur:
„ quod Probabiliſmo *ut hodie in praxi eſt* ,
„ ſtante , *nullis legibus populos gubernare va-
„ lent* , (N. B.] Hi uberes , ſed exitioſi
„ fructus , quos *arbor hujus novi practici Pro-
„ babiliſmi* producit . Hæ utilitates , quæ
„ populo Dei ex illa proveniunt , ut facilis
„ via , [ut inquiunt) quæ ducit ad vitam ,
„ eis oſtendatur . Et hæc omnia adeo certa
„ ſunt , ſicut & quod ut plurimum ex Pro-
„ babiliſmo , *ut in uſu eſt* , procedunt, quod
„ nullus ſit , qui de eo ambigat , qui nega-
„ re id merito queat : cum tot fideles teſtes
„ in propoſitionibus delatis ex illo tanquam
„ germinibus procedentibus, habeamus &c. “.

Utinam has Illuſtriſſimorum Præſulum que-
relas ii omnes , qui *in Politico , & Eccleſia-
ſtico* regimine *clavum tenent* , alta mente per-
penderent , & veritate agnita tot graviſſimo-
rum malorum , quæ nedum fidelium mori-
bus , ſed etiam propriæ authoritati ac pote-
ſtati *ex Probabiliſmo* uberrime proveniunt ,
junctis ſimul viribus , urbe & agro penitus
exterminarent , libroſque , ac opiniones eo
pernicioſo ſyſtemate ſubnixas prohiberent ,
delerent , exturbarent ! Quam plane tran-
quillior , atque felicior eſſet Politicæ Reipu-
bli-

blicæ ſtatus : Quam fructuoſior animarum cura Prælatis Eccleſiæ commiſſa ! Interim vero Chriſtianis lectoribus illud ego conſiderandum relinquo, an eæ doctrinæ, atque ſententiæ, quas in hac ſola *de humanis legibus* diſſertatione tum ex Lacroixio, tum ex aliis Probabiliſtis Scriptoribus opportune produximus, cohæreant cum illa doctrina, quam fidelibus præſcripſere Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, aliique Patres Eccleſiæ, de ſubjectione, & obbedientia fideliter præſtanda Poteſtatibus ſublimioribus ſive Sæcularibus, ſive Eccleſiaſticis cum omni ſimplicitate, ac ſtudio, ut *Dei voluntatem*, quæ ita præcipit nobis, exacte impleamus.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA

DE LEGUM HUMANARUM MUTATIONE, INTERPRETATIONE, CESSATIONE. DISPENSATIONE, ET CONSUETUDINE,

ABSOLUTA quæſtione de poteſtate, & efficacia legis humanæ, ad aliam procedit Angelicus Doctor S. Thomas q. 97. in qua de humanarum legum mutatione pertractat, in articulos quatuor tributam. De hoc argumento ſtatim nos quoque ipſius methodum perſequentes ſermonem habebimus in hac Diſſertatione quarta, *quam in plura capita dividemus. Primumque agemus de ea legis humanæ mutatione, quæ preſſe dicta* mutatio *eſt, vocaturque etiam* abrogatio, irritatio, aut ablatio legis. *Deinde de aliis legum mutationibus, quæ minus proprie tales dicuntur, ſed tamen quia aliquid mutationis implicant, ad illam revocari conſueverunt. Sic enim varias in lege veluti mutationum ſpecies diſtinguere licet. Nam primo mutari legem intelligimus quaſi* ex ſe, *&* ab intrinſeco, *cum ex defectu ſive materiæ, ſive finis, aut rationis ejuſdem ceſſat ejus obligatio: quod ſi duntaxat contingat in aliqua parte, aut aliquo peculiari caſu, dicitur legis* interpretatio, *ſeu* æquitas, *aut* epikia. *Si autem univerſim & ex omni parte deſinat,* ceſſatio *legis appellatur. Præterea fieri mutatio poteſt ab extrinſeco agente per actionem legi contrariam, quæ tamen legem non deſtruat, ſed obligationem ſolummodo tollat, quoad aliquam partem: tunc vero* diſpenſatio *vocatur, ſub qua etiam* commutatio *comprehenditur. De his itaque omnibus mutationibus, quemadmodum, & de Privilegiis, ac de* conſuetudine, *quæ aliquid harum participat, diſſeremus; & primo quidem loco de legis* mutatione, *quæ proprii nominis mutatio eſt, de qua duobus prioribus articulis laudatæ quæſtionis agit Sanctus Thomas.*

CAPUT I.

De mutatione legum humanarum, ſive abrogatione earumdem.

DOCTRINA.

I. *Definitio mutationis proprie dictæ legis humanæ.*

II. *Doctrina S. Thomæ, qua declarat, & probat, leges humanas mutationi ſubjectas eſſe.*

III. *Non ſine tamen gravi cauſa leges mutandæ ſunt.*

IV. *Si nihilominus hæc gravis cauſa deſit, valida abrogatio a legitima poteſtate ſacta cenſenda eſt.*

V. *Qui legem condidit, legem quoque mutare, aut abrogare valet.*

VI. *Princeps ſuperior poteſt legem inferioris abrogare, ſi ei in ſua poteſtate ſubordinetur.*

VII. *P. Franciſci Suarez ſententia de hac re in vero, ac legitimo ſenſu explicata.*

VIII. *Inferior abrogare nequit legem Superioris.*

IX. *Quando poteſtas inferior abrogare poſſit legem ſuam a ſuperiore confirmatam.*

X. *Quid neceſſe ſit, ut leges cenſeantur a Principe mutatæ, aut abrogatæ.*

I. LEGIS mutatio proprie dicta ita definiri po-

poteſt, quod nempe ſit *abrogatio*, *aut revocatio legis jam latæ, & promulgatæ, adeoque obligantis ſubditos.* Duplex diſtinguitur: *negativa* ſcilicet, & *poſitiva*. *Negativa* ea dicitur, cum lex per deſuetudinem, ſciente, & non repugnante Legiſlatore, aboletur, nulla alia contraria lege ſubſtituta. *Poſitiva* ea eſt, cum vel Princeps ipſam expreſſe revocat, vel novam ejus loco ſubſtituit, quæ eidem contraria eſt. A *derogatione* differt, quæ non totam legem abolet, ſed partem ſolum aliquam aufert.

II. Itaque leges humanas mutationi ſubjectas eſſe, dum in genere loquimur, nullus eſt dubitandi locus. Hoc declarat, ac probat S. Thomas *art.* 1. hujus quæſtionis, primum allata S. Auguſtini authoritate dicentis *in* 1. de lib. arb. *Lex temporalis, quamvis juſta ſit, commutari tamen pro tempore juſte poteſt*. Deinde hac eleganti ratione: „ Lex humana, inquit, eſt quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus. Et ſecundum hoc duplex cauſa poteſt eſſe, *quod lex humana juſte mutetur*. Una quidem ex parte rationis: alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur.

„ Ex parte quidem *rationis*: quia humanæ rationis naturale eſſe videtur, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus in ſcientiis ſpeculativis, quod qui primo philoſophati ſunt, quædam imperfecta tradiderunt, quæ poſtmodum per poſteriores ſunt tradita magis perfecte. Ita etiam & in operabilibus. Nam primi, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex ſe ipſis conſiderare, inſtituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ poſteriores mutaverunt, inſtituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere poſſunt a communi utilitate ".

„ Ex parte vero *hominum*, quorum actus lege regulantur, lex recte mutari poteſt propter mutationem conditionum hominum, quibus ſecundum diverſas eorum conditiones diverſa expediunt: ſicut Auguſtinus ponit exemplum *in* 1. *de lib. arb.* quod *ſi populus ſit bene moderatus, & gravis, communiſque utilitatis diligentiſſimus cuſtos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare ſibi Magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur. Porro ſi paulatim idem populus depravatus habeat venale ſuffragium, & regimen flagitioſis, ſceleratiſque committat, recte adimitur populo talis poteſtas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium* ". Hæc ex D. Thoma, quibus nihil addendum eſt.

III. Cæterum, quamvis hæc certiſſima ſint, ac extra omnem dubietatis aleam poſita, ſapienter tamen obſervat *art.* 2. idem S. Doctor, obſervantque cum ipſo cæteri Theologi, leges humanas haud facile mutandas eſſe, etiamſi aliquid melius interdum occurrat; cujus rei hanc affert ſolidam rationem: „ Quod lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, detrimentum quoddam communis ſalutis: quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo; in tantum, quod ea, quæ contra communem conſuetudinem fiunt, etiamſi ſint leviora de ſe, graviora videntur. Unde, quando mutatur lex, diminuitur vis conſtrictiva legis, in quantum tollitur conſuetudo. Et ideo nunquam mutari debet lex humana, niſi ex alia parte tantum recompenſetur communi ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur ". Nimirum plura ſunt incommoda, quæ ex facili, & frequenti legum humanarum mutatione proficiſcuntur. In primis enim cum populus legibus, quæ jam obtinent, obſervandis aſſuetus ſit, difficile revocatur ab eo, quod agere conſueverat, perturbaturque non leviter ex novitate legum, quæ antiquis ſubſtituuntur. Unde S. Auguſtinus *Epiſt.* 88. *c.* 5. ſcripſit: *Ipſa mutatio*

tatio

tatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Ulterius ex legum mutatione ſæpius oriuntur, atque foventur Civium in Principem oblocutiones, querelæ, diſſenſiones, quæ authoritati ſuæ non leve præjudicium afferunt, & quod deterius eſt, frequentiores legum novarum tranſgreſſiones. Hinc Philoſophus *lib. 2. Ethic. c. 10.* admonet, toleranda potius in Republica eſſe errata quædam, quam leges propter modicam, quæ ſperatur, boni acceſſionem mutentur: *Non enim*, ſubdit, *tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit a ſueſactio ſuperioribus non parendi*. Quapropter, niſi evidens ſit neceſſitas, vel maxima utilitas novam condendi legem, vetus lex mutanda non eſt, etſi melior, aut utilior nonnunquam occurrat.

IV. Quod ſi tamen contingat, Principem, aut Rempublicam ſupremam abſque legitima cauſa, ſive abſque conditionibus, quas notavimus, mutare, aut abrogare legem aliquam adhuc utilem Communitatis bono, ipſe quidem Princeps peccati reus foret, ut notat cum aliis Dominicus Soto, *lib. 1. q. 7. art. 1.* quia communi bono haud recte conſuleret; valida tamen foret legis mutatio, ſive abrogatio, adeo ut nullam amplius obtineret obligandi vim, niſi forte in ipſa lege humana aliquid immiſceretur, quod ad jus naturale, vel divinum pertineret, quod mutationi, aut abrogationi ſubjectum non eſt. Siquidem lex mere humana virtutem obligandi non habet, niſi a legitimi Principis authoritate. Hæc autem authoritas in eo caſu deeſſet. Quod confirmari poteſt ex hoc, quod tametſi Reſpublica lege aliqua opus haberet ad commune Civium bonum, niſi tamen vel ipſa, vel Princeps legem ſtatuat, nulla nec lex, nec obligatio ſubditorum erit. Igitur quoque, quanquam illa lege indigeat, quam Princeps ſine juſta cauſa de medio tollit, in ratione, & vigore legis nequaquam perſiſtet, quoniam utrique deficeret Legiſlatoris authoritas.

V. At vero quiſnam eſt inter Rectores Reipublicæ ſive Civilis, ſive Eccleſiaſticæ, qui leges mutandi, aut abrogandi authoritate potiatur? Facilis, ac generalis ad hanc quæſtionem reſponſio eſt, tribuſque regulis continetur. Prima eſt: *Qui legem condidit, legem etiam mutare, aut abrogare valet*; quia, ut in proloquio eſt, *quælibet res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Porro voluntas, & poteſtas Legiſlatoris cauſæ ſunt, ſive principia, ex quibus lex profecta eſt, ac pendet. Igitur iiſdem etiam mutari, & abrogari valet. Hinc autem conſtat. Principem ſupremum, qui alium in ordine ſuo ſuperiorem non agnoſcit, niſi Deum, hac authoritate, & poteſtate gaudere: neque illum duntaxat intelligimus hoc nomine, qui legem ipſam condidit, ſed etiam, qui ei ſuccedit in eadem dignitate, ac poteſtate.

VI. Altera regula hæc eſt: Princeps ſuperior poteſt legem inferioris mutare, & abrogare, dum ipſi in ſua poteſtate ſubordinatur. Ratio eſt, quia in omni ordinato regimine poteſtas inferioris tota pendet a ſuperiore, adeo ut inferior nihil agere queat, niſi dependenter ab ipſo, a quo ſuam haurit omnem poteſtatem; adeoque poterit ſuperior, ſi ipſi placuerit, legem, quam inferior tulit, abrogare, caſſamque efficere, ſicut & poteſtatem eidem ferendi legem adimere. Signanter dixi: *ſi in ſua poteſtate inferior ſuperiori ſubordinetur*. Si enim iſte amplitudine tantum, & excellentia dignitatis ſupra alium emineat, non ex hoc poteſtate fruitur abrogandi leges ad jus alterius pertinentes, ſicut neque condendi. Hinc licet dignitas, & poteſtas Summi Pontificis ſit longe excellentior omni alia dignitate Regum, & Principum Sæcularium; quia tamen non eſt in eodem ordine, nec horum poteſtas in temporalibus ipſi ſubordinatur, idcirco, ſicut non poteſt condere leges ad eorum temporale regimen ſpectantes, ita neque ab ipſis conditas abrogare.

Digitized by Google

VII. P. Franciſcus Suarez *lib. 6. de Interp. &c. c. 26. n. 3.* quamvis conveniat, *Legem Canonicam, & Civilem abſolute ſpectatas non habere inter ſe ſubordinationem; nam licet Canonica ſit dignior, formaliter non eſt a ſuperiori juriſdictione, nam etiam civilis eſt ſuprema in ſuo ordine*, ut ait: nihilominus aliquam ſubordinationem inter has poteſtates videtur admittere, ob quam docet in duplici caſu, Eccleſiam poſſe abrogare leges Principum temporalium, nimirum ſi lex verſetur circa materiam temporalem quidem, ſed ad ordinem ſpiritualem evectam, aut ſi lex civilis bonis moribus adverſetur. Verum hæc exempla nihil evincunt adverſum traditam veritatem. Si enim quoad primum attinet, materia legis temporalis evecta ſit ad ordinem ſpiritualem, qua parte *ſpiritualis eſt*, pertinebit ad Eccleſiam, ſicut eam condere, ſic etiam abrogare: non autem qua parte, aut qua ratione eſt temporalis. Quod ſi lex civilis bonis moribus adverſetur, aut injuſta ſit, jam ſuapte natura *lex non eſt*, nec indiget abrogatione Eccleſiæ, quia, ut ſupra diximus, quælibet lex eſſentialiter debet eſſe, recta, & juſta; alioquin excidit omnino a ratione legis.

VIII. Tertia regula duabus præcedentibus evidentior eſt, nimirum *inferiorem abrogare non poſſe legem ſuperioris*. Ita habetur Clement. *ne Romani* de elect. & ex ratione contraria ſuprapoſitæ manifeſtum eſt. Nam poteſtas ſuperior ab inferiore non pendet, neque illa indiget iis, quæ ſemetipſa exequitur. Dubitari tamen ſolet a quibuſdam, num ſaltem poteſtas inferior poſſit aliquando mutare legem ſuperioris in ſua ditione, puta Præfectus in ſua Civitate, vel Provincia. Et aliqui quidem hanc ipſi poteſtatem attribuunt, licet in reddenda ratione, & explicanda ſententia ſua inter ſe non conveniant. Cæterum nullum videtur eſſe hoc aſſerendi fundamentum; & ratio, quam attulimus, generatim oſtendit, nullam eſſe poteſtatem in inferioribus, nec etiam in ditionibus ipſi demandatis, ſive abrogandi, ſive derogandi ſuorum ſuperiorum legibus, niſi ſit illis conceſſa ab eodem Superiore, aut ab alia ſuprema poteſtate.

IX. Verum hic dubium aliud excitari ſolet, quod majoris momenti eſt, ac difficultatis, num ſcilicet inferior abrogare valeat legem, ſive ordinationem a ſe latam, ſed a poteſtate ſuperiore confirmatam. Omiſſis pluribus dicendi modis, qui controverſiam potius implicant, quam expediant, dubium hocce reſolvendum exiſtimo, diſtinctione poſita duplicis, quæ fieri poteſt *confirmationis*. Nam altera ita *eſſentialis* legi eſt, ut abſque confirmatione vim legis non habeat, eamque ab illa deſumat, ut ſi inferior poteſtate careat condendi legem: tunc enim, dum iſte ordinationem edit, & ad Principem recurrit, ut eam confirmet, totam vim legis a confirmatione recipit; adeoque, cum lex ipſius Principis vere ſit, eam inferior mutare, aut abrogare neutiquam valet. Altera confirmatio *accidentalis* vocari poteſt: cum nempe inferiores pollent facultate condendi leges, pro propria provincia, Diœceſi, Congregatione &c. & eas a Superiore confirmandas curant, ut eis majus adjiciatur robur, & authoritas. Tunc autem eaſdem mutare, & abrogare ipſi poſſunt, niſi forte *in confirmatione* clauſulam expreſſam Superior apponeret, qua earumdem mutatio, aut alteratio prohiberetur.

X. Quænam porro forma ſervanda ſit in legum mutatione, ſive abrogatione, aut derogatione, ut effectum ſuum habeat, paucis declaro. Revocatio legis non uno modo fieri poteſt. Nam aliquando lex a Principe abrogatur, nulla alia ſubſtituta lege: & hæc, ut conſtat, fieri nequit, niſi per expreſſam Principis declarationem, qua contrariam voluntatem ſuam manifeſtet. Aliquando vero revocatio fit ex hoc, quod una obligatio tollatur, & oppoſita inducatur, ſcilicet obligando ad id non agen-

Digitized by Google

agendum, quod antea præceptum erat: & hoc etiam genus abrogationis ſatis clarum eſt, nec indiget explicatione. Interdum vero contingit ex oppoſitione inter priorem, & poſteriorem legem, quatenus nova lex a Principe edita priori repugnat. Tunc autem vel Princeps mentionem facit revocationis legis prioris, quo caſu nulla difficultas eſt, quin ſit revocata; aut non facit, & tunc ſi lex poſterior conciliari, aut concordari nullo modo queat cum priore, ab illa abrogari ſaltem implicite dicendum eſt. Ex hoc enim ſatis colligitur contraria voluntas Principis. Quod ſi aliquo pacto conciliari valeat, abrogata minime cenſenda eſt. Qua in re ea præ oculis habenda eſt juris regula, L. *præceptum* in fine C. de appellat.: *Quidquid in poſteriori lege ſpecialiter non fuerit expreſſum, id veterum legum, conſtitutionumque regulis relictum eſſe intelligendum eſt*.

C A P U T II.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *In hoc præcipue lex humana a naturali diſtinguitur, quod ſit mutationi ſubjecta.*

II. *Non ideo tamen a propria legis ratione excidit.*

III. *Peccat Legiſlator, qui abſque gravi, & urgenti ratione mutat, aut abrogat leges.*

IV. *Haud licet Prælatis Eccleſiæ Canones abrogare, qui perpetuo uſu conſecrati ſunt.*

V. *Nec ſine gravi cauſa antiquis legibus derogare fas eſt.*

VI. *Si juſta cauſa legem mutandi ſuppetat, nihil obſtare debet breve tempus elapſum a condita lege.*

VII. *Summus quidem Pontifex, non ita vero Archiepiſcopus Epiſcoporum leges abrogare poteſt.*

VIII. *Epiſcopus leges etiam in Synodo Diæceſana conditas abrogandi poteſtatem habet.*

IX. *Laicæ perſonæ nullo jure potiuntur abrogandi, aut derogandi leges Eccleſiaſticas.*

X. *Poteſtates ſubjectæ non poſſunt aliquid ſtatuere, quo Principum ſuorum legibus detrahatur.*

XI. *Lex poſterior ſive univerſalis, ſive ſpecialis abrogat, aut derogat priorem.*

XII. *Non ita vero lex prior particularis derogatur a poſteriore univerſali, niſi expreſſe declaretur.*

Consectarium primum.

I. IN hoc præter alia diſtinguitur lex humana a lege naturali, & divina, quod hæc nulli mutationi obnoxia ſit; utique vero leges humanæ ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ: quod optime diſcrimen oſtendit S. Thomas hic *art.* 1. *ad* 1. inquiens: " Naturalis „ lex eſt participatio quædam legis æternæ, „ ut ſupra dictum eſt: & ideo immobilis „ perſeverat: quod habet ex immobilitate, & „ perfectione divinæ rationis inſtituentis na- „ turam. Sed ratio humana mutabilis eſt, & „ imperfecta: & ideo ejus lex mutabilis eſt. „ Et præterea lex naturalis continet quædam „ univerſalia præcepta, quæ ſemper manent: „ lex vero poſita ab homine continet præ- „ cepta quædam particularia ſecundum diver- „ ſos caſus, qui emergunt. "

Consectarium Secundum.

II. Ex eo quod lex humana mutationi ſubjecta ſit, adeoque dici nequeat regula, & menſura humanarum actionum omnino certa, ac permanens, prout requiritur ad rationem menſuræ; non ideo tamen exiſtimandum eam excidere a legis preſſe dictæ ratione. Nam, ut animadvertit S. Thomas *qu.* 91. *art.* 1. *ad* 3., & hic *ad* 2. neceſſe non eſt, quod omnia menſura ſit omnino infallibilis, ac permanens, *ſed ſecundum quod eſt poſſibile in genere ſuo*. Cum autem in rebus mutabilibus aliquid non poſſit eſſe omnino certum, & *immutabiliter permanens*, idcirco lex humana menſura quædam erit actionum humanarum, licet immutabilis omnino non ſit. Atque idem di-

cen-

cendum de rectitudine ipſius legis humanæ, quæ mutationi ſubeſt, cum eidem abſolute non conveniat, *ſed in ordine ad communem utilitatem, cui non ſemper proportionatur una, eademque vox*: ut habet *ad tertium*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Peccat Legiſlator humanus, ſi abſque admodum urgente cauſa leges ſuas mutet, aut abroget, aut iiſdem etiam deroget: quoniam jure, & poteſtate ſua, ita agendo abutitur, nec ſatis conſulit Reipublicæ bono, quod poſtulat, ut leges, quibus obſervandis populus aſſuetus eſt, non mutentur, niſi ex cauſa valde urgenti, ob quam longe majus ex nova lege futurum ſit emolumentum, quam ex antiqua, quæ abrogatur: *Quod quidem*, inquit S. Thomas in hoc articulo, *contingit vel ex hoc, quod aliqua maxima, & evidentiſſima utilitas ex novo ſtatuto provenit, vel ex eo, quod eſt maxima neceſſitas ex eo, quod lex conſueta aut manifeſtam iniquitatem continet, aut ejus obſervatio eſt plurimum nociva*. Hujus exemplum habemus in Artaxerxe Perſarum Rege, qui, cum decretum injuſtum edidiſſet ex errore in Hebræos, cognita horum Innocentia, illud mutavit, aliudque edidit in eorumdem favorem, ut habetur Eſther. c. 16. Ne vero populus ex hac mutatione ſcandali occaſionem ſumeret, ita merito locutus eſt: *Nec putare debetis, ſi diverſa jubeamus, ex animi noſtri venire levitate: ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, ut Reipublicæ poſcit utilitas, ferre ſententiam*.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Fas non eſt Eccleſiæ Prælatis mutare, aut abrogare veteres Canones, ſive ea, quæ in his Canonibus ſtatuta ſunt, & perpetua jam temporum ſucceſſione conſecrata. Hoc probat S. Thomas in art. *Sed contra* afferens authoritatem ex Decret. *diſt.* 12. *c.* 5. in qua dicitur: *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur*. Quod etiam aliis ipſorum Summorum Pontificum ſententiis comprobare facile foret.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Nec derogatio legis ſine gravi, & urgenti cauſa facienda eſt a Principibus, ſive temporalibus, ſive Eccleſiaſticis. Ut jam indicavimus, ſub abrogatione proprie dicta, quæ integra legis ablatio eſt, comprehenditur etiam *derogatio*, quæ eſt legis ejuſdem diminutio, per quam perpetuo lex tollitur, non quidem tota, ſed quoad aliquam ejus partem: unde proprie diſpenſatio non eſt. Quare ſicut non ſine gravi, & urgenti cauſa abroganda lex eſt ob gravia inconvenientia, quæ ex legum mutatione proveniunt, ita nec ipſi legi abſque gravi cauſa derogandum videtur, licet fortaſſe gravior ad abrogationem, quam ad derogationem cauſa requiratur. Quia tamen plura etiam ex derogationibus legum incommoda conſequuntur, ideo, quoad fieri poteſt, hæ quoque vitandæ ſunt, & peccatum Legiſlator incurreret, qui facilem in iis ſe præberet, cauſis non bene perpenſis, & ad examen redactis.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Quando juſta cauſa ſuppetit Legiſlatori mutandi legem, nihil obſtare debet brevitas temporis a lege condita elapſi. Hoc patet in adducto Decreto Artaxerxis, quod paulo antea editum fuerat in Hebræos, & nihilominus, agnita veritate, juſte revocatum fuit. Et ſane accidentatium valde eſt ad juſtam legis mutationem, quod poſt breve fiat, aut diuturnum tempus, immo ſi abroganda lex ſit ob ejus defectam iniquitatem, ſtatim fieri debet, nec tempus aliud ulterius expectandum. Ordinarie tamen loquendo, ſicut vitanda, ita etiam differenda eſt legis mutatio, quantum fieri commode poteſt.

CON-

Digitized by Google

Consectarium Septimum.

VII. Sicut Rex ſuorum Magiſtratuum leges, ſic etiam Summus Pontifex leges Epiſcoporum juſta de cauſa abrogare poteſt propter poteſtatem nedum *Ordinis*, ſed etiam *Juriſdictionis*, quam obtinet in univerſam Eccleſiam, ea tamen ſervata forma, & poſitis iis conditionibus, quæ vel ex antiquis Eccleſiæ Canonibus præſcriptæ ſunt, vel ex immemorabili conſuetudine invaluerunt in variis Chriſtiani Orbis regionibus. Non ita vero Archiepiſcopus Epiſcoporum etiam ſuffraganeorum leges abrogare poteſt: quia gradu quidem, & dignitate, non autem *juriſdictione* Epiſcopis præeminet.

Consectarium Octavum.

VIII. Epiſcopus nedum, quas per ſemetipſum condidit, leges mutare, aut abolere valet, ſed etiam, quæ in Synodis Diœceſanis editæ, & promulgatæ ſunt: quoniam tota poteſtas juriſdictionis in ipſo eſt, ut alibi notavimus, cæterique, qui ad Synodum convocantur, ut Parochi, Abbates, & Doctores, non ut Judices, ſed ut Conſiliarii inter ſunt, adeoque ſicut in ſolo Epiſcopo poteſtas eſt condendi legem, ita etiam, ſi oporteat, abrogandi.

Consectarium Nonum.

IX. Nullo prorſus jure gaudent perſonæ laicæ mutandi legem aliquam canonicam, aut ipſi quoquo modo proprie derogandi, ſive edita ſit a Summis Pontificibus, ſive ab inferiorum Prælatorum authoritate: quoniam abrogatio harum legum, ſive derogatio extra limites ſuæ poteſtatis continetur. Tantumque abeſt, ut oppoſitum colligatur ex C. 1. *Eccleſiæ S. Mariæ* de Conſt. (ut aliqui putant), ut potius ille textus, ſi probe perpendatur, convincat, nullam laicis attributam quoad hoc eſſe poteſtatem. Neque repugnare dicendi ſunt quidam Doctores Canoniſtæ, inquit P. Suarez, qui contrario modo loqui videntur: quoniam alio in ſenſu loquuntur: " Dicunt enim Laicos poſſe leges „ ferre contra Canones, non ſecundum pro„ priam contrarietatem, ſed ſecundum pro„ portionem ad ſuum forum, ideſt Laicos „ in foro civili, & temporali poſſe contrario „ modo diſponere, quam Canones in ſuo „ foro diſponant. Quod veriſſimum eſt: quia „ illi Canones non obligant Laicos pro foro „ ſuo, nec leges illæ derogant Canonibus „ in foro ſuo. Et ita dixit Panorm. in d. „ c. *Quod Clericis*, quod leges poſſunt diſpo„ nere contra Canones, in rebus concernen„ tibus ipſos Laicos, ubi nec Canones le„ gibus reſiſtunt, nec illæ ſunt contra hone„ ſtatem morum, aut reſervatæ Principi. „ Et hoc modo etiam Canones diſponunt „ contra leges civiles reſpectu Clericorum, „ alium utique ordinem, & jus ſtatuendo. "

Consectarium Decimum.

X. Magiſtratus civiles, aut Reſpublicæ inferiores, ac dependentes, & Civitates alicui Principi ſubjectæ non poſſunt aliquid ſtatuere, per quod abrogetur, aut quidquam detrahatur non ſolum de jure omnibus communi, ſed etiam de jure Superioris, aut Principatus, cui ſubjiciuntur. Hoc etiam ſequitur ex principiis conſtitutis, & ex regula textus in Clement. *Ne Romani*, quod lex ſuperioris per legem inferioris mutari non poteſt. Neque huic adverſatur illa lex *Omnes populi ff. de juſt. & jur.* quam quidam aliter opinantes opponunt, nam etiamſi intelligatur de Civitatibus Imperatori ſubjectis, in ea non exprimitur poſſe condere leges adverſus leges Imperatorum, ſed tantum poteſtate gaudere ferendi leges proprias, ſuiſque moribus accommodatas: quod profecto explicari congrue poteſt de legibus peculiaribus ultra jus commune, non illi contrariis, ſed diverſis, & aliquid ei addentibus, non ipſi derogantibus.

CON-

Digitized by Google

Consectarium Undecimum.

XI. Lex univerſalis poſterior abrogat omnino priorem etiam univerſalem ipſi contrariam. Hæc conſectarium fluens ex tradita generali doctrina apud omnes certum eſt; quia tunc poſterior ſimul ſubſiſtere nequit cum priore. Idemque pariter dicendum eſt, ſi utraque lex prior, ac poſterior ſit ſpecialis, ſimilemque inter ſe repugnantiam involvant. Tunc enim citra omne dubium poſterior abrogat priorem ob eamdem rationem. Certum pariter eſt, quod ſi lex prior generalis ſit, poſterior autem illi contraria ſit ſpecialis, hæc derogat quidem priori, non vero abrogat ipſam. Ipſam non abrogat, ſiquidem adæquate non eſt illi contraria. Eidem autem derogat: quia lex poſterior quoad id, quod ſpecialiter diſponit, ſimul cum priori ſubſiſtere minime poteſt, adeoque neceſſe eſt, ut ex parte illam revocet, quod idem eſt, ac ipſi derogare.

Consectarium Duodecimum.

Si lex prior ſpecialis ſit, poſterior autem generalis: hæc, quamvis ipſi contraria, illi non derogat, ſed potius juxta illam limitatur, ſeu derogatur. Ita communiter legiſperiti ſentiunt. Ratio vero eſt: quia non præſumitur velle Principem particulare ſtatutum auferre, quod non ignorat, niſi expreſſam de illo mentionem faciat: adeoque non cenſetur illud in generali lege comprehendere. Quæ ratio, & reſolutio habetur in *C.* 1. *de Conſt. in* 6. ubi ſermo eſt de ſtatutis particularibus quoad loca: eadem vero ratio eſt de ſtatutis ſpecialibus quoad materias, & perſonas. Quare in hoc etiam locum habet regula juris: *Concordanda eſſe jura*, quantum fieri poteſt. Quoniam utraque lex prior, & poſterior in hoc caſu ſuum habent effectum, ſervata jurium concordia; adeoque vitanda eſt correctio prioris legis, & credendum potius voluntatem Legiſlatoris eſſe, poſteriorem legem generalem ferre cum illa particulari limitatione, & exceptione, ut etiam infra dicemus de conſuetudine, & privilegiis agentes.

CAPUT III.

De legum interpretatione.

Doctrina.

I. *Quid, & quotuplex ſit interpretatio legis.*

II. *Leges humanæ admittunt interpretationem* doctrinalem, *quæ certa nonnunquam eſt, & obligationem inducit.*

III. *Regulæ aliquæ pro hac interpretatione. Prima: In lege attendenda maxime eſt verborum proprietas, & nativa ſignificatio.*

IV. *Regula ſecunda: Proprietas verborum ſumenda potius ex ſenſu, quo accipiuntur in jure, quam in vulgari ſermone.*

V. *Tertia: Si voces ambiguæ ſint, ex cauſa legis ejus intelligentia potiſſimum repetenda.*

VI. *Quarta: Quacunque ratione mens Legiſlatoris perſpecta ſit, juxta illam lex interpretanda.*

VII. *Quinta: Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea accipienda, quæ gerendæ rei eſt aptior.*

VIII. *Sexta: Lex in favorabilibus amplianda: in odioſis reſtringenda.*

IX. *Septima: Ratio a Legiſlatore adducta in lege ferenda, quamvis ſe ſola inſufficiens, plurimum confert ad hauriendam intelligentiam legis.*

X. *Quænam identitas rationis neceſſaria ſit, ut lex ad alios caſus extendatur.*

XI. *Statuitur, quid dicendum ſit de extenſione damnationis propoſitionum factæ a Summis Pontificibus, cum eadem militat ſimilitudo, & identitas rationis in aliis haud expreſſe damnatis.*

XII. *Etiam in legibus pœnalibus locum habere*

poteſt

Digitized by Google

poteſt extenſio ad alios caſus ob identitatem rationis .

I. PRIOR inter mutationes legum humanarum minus proprie dictas eſt legis *interpretatio* , quæ aliud non eſt , niſi *ſenſus legis declaratio* . Triplicem interpretationem diſtinguere licet ex Gloſſa in l. *Si de interpretatione ff. de legibus*, aliam *authenticam*, aliam *uſualem* , tertiam *doctrinalem* . *Authentica* ab eo fit , qui authoritatem interpretandi habet, ut eſt vel ipſe Legislator , vel Miniſter ad hoc officium a Superiore ſpecialiter deputatus . Et hæc omnium certiſſima eſt , habetque vim legis , cum ab illo procedat , qui ſicut legem condendi poteſtatem habet , ita etiam explicandi ſenſum , in quo ſit obſervanda . *Uſualis* interpretatio ea dicitur , quæ fit conſuetudine , & ipſo uſu , quo lex a ſubditis obſervatur : unde c. 8. *de Conſuetudine* habetur , quod *conſuetudo ſit optima legum interpres* . *Doctrinalis* demum , quæ fit per homines doctos , & ſapientes , qui legem , quo ſenſu intelligenda ſit , interpretantur . De *authentica* , ſicut etiam *de uſuali* interpretatione vix aliquid dicendum , cum de priore manifeſtum ſit , Legislatorem, quemadmodum & Succeſſorem ejuſdem legitime poſſe legem interpretari , ejuſque interpretationem eamdem habere authoritatem , quam ipſa lex habet : de poſteriore vero nobis agendum eſt , cum de conſuetudine . Unde de ſola interpretatione *doctrinali* hic ſermo erit .

II. Certum itaque in primis eſt , leges humanas admittere *doctrinalem* interpretationem , quæ tametſi obligationem ex ſe non inducat , quia in Doctoribus nulla poteſtas eſt introducendi leges , ſuum tamen habet authoritatis gradum , qui ita creſcere interdum valet , ut moralem certitudinem pariat , & obligationem inferat . Hæc quippe eſt humanorum Legislatorum etiam ſapientum conditio , ut vix tam perſpicuis verbis ſenſa animi ſui aperire , atque explicare valeant , quin ambiguitatibus , ac dubiis ſæpe locus ſuperſit ; præſertim cum ipſi paucis , & generalibus verbis , ut decet , ſuas leges edicant , & in applicatione earumdem ad peculiares caſus difficultates valde implexæ frequenter oriantur , quæ nonniſi a doctioribus, ac peritioribus ſolvi , aut eliquari poſſunt . Unde ex hac neceſſitate profecta eſt doctrina , & peritia juris civilis , & Canonici, cujus præcipuus finis eſt verum ſenſum , veramque interpretationem tradere legum humanarum .

III. Porro regulæ nonnullæ aſſignari ſolent, ut recta ſit , atque idonea legis humanæ interpretatio , quarum præcipuæ ſunt hæ .

Prima Regula in legum interpretatione adhibenda .

In omni lege humana attendenda eſt verborum proprietas , ſive nativa , & propria eorum ſignificatio . Ex illa namque in primis ſumenda eſt vera legis interpretatio , adeoque, niſi aliud obſtet , cæteris ſemper eſt præferenda . Sic enim in l. *Non aliter* , ff. *de leg.* de Teſtatore dicitur : *Non aliter a ſignificatione verborum recedi , quam cum manifeſtum eſt , aliud ipſum ſenſiſſe* . Quæ regula ſi in Teſtatore locum habet , multo magis habere debet in Legislatore . Ratio eſt : quia verba , ſicut in communi ſermone uſurpari ſolent in ſignificatione propria , ita potiori jure præſumendum eſt uſurpari in legibus ab eis , qui illas condiderunt , ut perſpicuæ eſſent , minuſque expoſitæ circumventionibus , ac falſis interpretationibus . Sicut ergo probata ab omnibus hæc regula eſt in interpretatione Sacrarum Scripturarum , non eſſe ſcilicet in iis explicandis recedendum a proprio verborum ſenſu , niſi vel ex aliis locis , vel ex adjunctis , aut circumſtantiis aliud conſtet ; ita quoque in humanis legibus intelligendis eadem regula ſervanda eſt .

Regula Secunda.

IV. *Proprietas verborum legis ſumenda eſt ex potius ſenſu , quo ea accipiuntur in jure , quam in vulgari ſermone* . Quapropter obſervandum eſt , vo-

voces aliquas nonnunquam eſſe, quæ propriæ ſunt ipſius juris, & ab ipſo inventæ, ſicut unaquæque ars propria habet vocabula, quibus utitur. Si igitur hujuſmodi voces adhibeantur in lege ferenda, harum ſignificatio, quæ *civilis* appellatur, præferenda eſt ſignificationi, quam fortaſſis haberent in uſu loquendi communi, & juxta illam leges interpretandæ ſunt: quoniam in eo ſenſu legem ſuam uſurpaſſe Legislatorem, major eſt præſumendi ratio.

Regula Tertia.

V. *Si voces ambiguæ ſint, plureſque ſignificationes, & quidem proprias, ac naturales habeant, ex cauſa legis ejus intelligentia potiſſimum repetenda eſt.* Hanc regulam ex D. Hilario aſſignat S. Thomas *hic q. 96. art. 6. in arg. Sed contra*, ubi ait: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei debet ſermo eſſe ſubjectus: ergo magis attendendum eſt ad cauſam, quæ movet Legislatorem, quam ad ipſa verba legis.* Ad hanc autem cauſam certo cognoſcendam maxime confert legis initium attentius conſiderare, & cum eo, quæ ſequuntur, conjungere. In proemio ſiquidem legislativæ Conſtitutionis motivum finale legis, quod ad eam ferendam Principem induxit, contineri, ac declarari ſolet; adeoque illud potiſſimum ſpectandum eſt, & ex illo vera legis intelligentia haurienda. Quam Regulam communiter probant Juriſperiti, ac tanquam ferme infallibilem tradunt.

Regula Quarta.

VI. *Quacunque ratione mens, ac intentio Legislatoris perſpecta ſit, juxta illam lex interpretanda eſt.* Nam mens dicitur, & eſt *anima legis*. Sicut ergo in vivente ſubſtantia, & operatio vitæ ab anima pendet, ita lex, & ſenſus legis a mente Legislatoris: unde ea cenſenda eſt vera legis interpretatio, per quam mentem, & voluntatem Legislatoris aſſequimur. Id confirmatur generali principio, quod ex Gregorio, ſeu potius Cæleſtino traditur in *C. Humanæ aures* 22. q. 5. ſcilicet, *Non debet aliquis verba conſiderare* (utique nude, ac nimium materialiter), *ſed intentionem, & voluntatem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Neque dicat aliquis cor hominum, ſive mentem, & voluntatem nobis non innoteſcere, niſi ex verbis ipſorum; adeoque verbis potius attendendum eſſe, quibus mens, & voluntas pateſcit. Non enim loquimur de mente, & voluntate Legislatoris mere interna, aut ſecundum ſe conſiderata, ſed de ea, quæ ſe prodit exterius, ſive ex materia, ſive ex circumſtantiis, aut alio ſenſibili modo, per quem in ipſius cognitionem venimus; dicimuſque tunc verborum ſignificationem accommodandam eſſe intentioni Legislatoris.

Regula Quinta.

VII. Hæc præſcribitur *l.* 26. *ff* de Regul. jur. his verbis: *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt.* Hoc namque in caſu præſumptio valida eſt, talem eſſe voluntatem Legislatoris: magiſque accedimus ad ſpiritum ipſius legis, quem ſemper inſpicere debemus, & mature expenſis omnibus, cæteris anteferre.

Regula Sexta.

VIII. *Lex in favorabilibus amplianda eſt: in odioſis reſtringenda.* Hæc regula generatim loquendo certa eſt, ſi tamen verborum proprietas ſervetur, nec adjuncta, & circumſtantiæ cogant aliter interpretari. Nam cum fundamento præſumitur, benignum, ac prudentem Legislatorem, niſi aliud ſignificet, aut exprimat, favores ſuos velle ampla in ſignificatione, quam lex ipſa patitur, eſſe accipiendos; e contra *odioſa*, ac *pœnalia* reſtringenda eſſe, ſi apte explicari lex ipſa queat. Hoc habetur in *l.* 42. *ff.* de pœnis: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ potius, quam exaſperandæ.* Item *Reg.* 49. jur. *In pœnis* beni-

Digitized by Google

benignior eſt interpretatio facienda. Quod confirmat S. Thomas hic q. 96. art. 6. inquiens: *Unde juriſperitus dicit, quod nulla ratio juris aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter, pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem*. Verum cavendum eſt ab abuſu hujus regulæ, qui fieri ſolet a pluribus eam adhibentibus, ubi locum non habet, aut adhibenda non eſt.

Regula Septima

IX. *Ratio a Legiſlatore adducta in lege ferenda plurimum etiam valet ad ipſius mentem inveſtigandam: ſufficiens tamen ſe ſola non eſt, ut eam certo dignoſcamus*. Hæc altera pars ex eo conſtat, quod ratio legis non ſit textus ipſius legis, ac ulterius ſæpe per humanam legem aliqua ſtatuantur arbitrio potius, quam certa ratione, quæ vel aliquando omittitur, vel juſtis de cauſis ea non redditur, quæ Principem ad ferendam legem adduxit. Et ideo in *l. Non omnium* de legibus dicitur: *Non omnium, quæ per leges ſtatuuntur, ratio reddi poteſt*. Quanquam enim lex rationi conſentanea ſit oporteat, nihilominus electio inter ea, quæ rationi ſunt conſentanea, ſæpe rationem non habet, adeoque non ſemper inveſtiganda eſt.

Attamen negari non poteſt, quin ratio in lege adducta, ſi verbis ſatis clarie: & efficacibus expreſſa ſit, maximeque ſi in ea valde Legiſlator inſiſtat, plurimum non inſerviat ad hauriendam genuinam intelligentiam legis aliunde dubiæ, vel obſcuræ: quoniam tunc magno indicio eſt, talem eſſe Legiſlatoris mentem, qualem ex ratione, quam affert, colligere fas eſt; eademque ſatis amovet ambiguitatem omnem, & obſcuritatem, quæ ex verbis legis progignitur. Atque hæc de regulis legis interpretandæ ſufficiant.

X. Verum hic alia quæſtio ſuboritur, *num ſcilicet extendenda lex ſit ad caſus in ea non expreſſos, ob ſolam ſimilitudinem, vel identitatis rationem*. Similitudo rationis in eo ab identitate diſtinguitur quod ſimilitudo non omnimodam æqualitatem importat, quæ quidem ab identitate importatur, adeout eadem omnino ratio ſit pro caſu in lege expreſſo, & non expreſſo. Quæſtio autem hec legem mere humanam ſolummodo ſpectat, novam inducentem obligationem, quæ non inducitur a lege naturali. Si enim lex humana ſit declarativa naturalis obligationis, tantum hæc proculdubio extenditur, quantum poſtulat ipſa ratio. Quid itaque in hac quæſtione admodum involuta ob varias Doctorum opiniones, & jura, quæ ab ipſis aſſeruntur, certius mihi videtur, & clarius, paucis expono. Ac primo quidem aſſero, ſolam ſimilitudinem rationis non ſufficere, ut lex extendatur ad caſus in lege minime comprehenſos; quod ſic evinco: quia ratio legis non eſt ipſa lex, nec ad ejus pertinet ſubſtantiam, quæ ſola conſiſtit in voluntate Legiſlatoris ſignificata per verba: ergo ſi verba in aliqua ſignificatione ad aliquem caſum non extendantur, quanquam fortaſſe ſimilis ratio in illo occurrat, lex eumdem non comprehendit: eo præſertim, quia licet par ratio ſit de uno, ac de alio caſu, Princeps velle poteſt unum præcipere, non vero alium pro ſola ſua libertate, vel certe quia latens aliquod motivum habere poteſt ad unum præcipiendum, & alterum omittendum. Quin immo determinatio expreſſa ad aliquem caſum, & ſilentium Legiſlatoris quoad alium, fundamentum potius præbet dicendi, hunc noluiſſe præcipere, aut prohibere juxta illud; quod habetur C. 2. de transl. Epiſc. *ad audientiam*, *Si voluiſſet*, *expreſſiſſet*.

Quod ſi tamen ratio non ſimilis tantum, ſed eadem prorſus ſit, & adæquate quidem in omnibus, unius & alterius caſus non expreſſi, tunc aſſerendum videtur in lege comprehendi etiam caſum non expreſſum, eamdemque conſequenter obligationem inducere in utroque. Hæc omnium, aut fere omnium, ſententia Juriſtarum, & Theologorum eſt, quam & textibus juris probant, & fundamentis rationis, quorum

Digitized by Google

hoc mihi præcipuum eſt : quia nempe lex præſumitur & prudenter, ac debito modo a Legislatore condita ; ita porro non eſſet, niſi rationi ſuæ adæquata foret : ne itaque Legislatorem imprudentiæ damnemus, abſurditatis, & injuſtitiæ, dicendum eſt tunc in ea ratione comprehendiſſe etiam alios caſus, quos non expreſſit.

XI. Specialis controverſia eſt de Conſtitutionibus Pontificiis, in quibus propoſitiones aliquæ damnantur cum notis quibuſdam, & cenſuris earumdem, an nempe ob ſimilitudinem, aut identitatem rationis damnatio ad alias extendenda ſit. Et quidem, cum propoſitiones damnatæ ſæpiſſime pertineant ad jus naturale, aut divinum, indubitatum eſt, una damnata, damnari etiam aliam, in qua eadem ratio militat : tunc enim ambæ juri naturali, aut divino adverſantur. Cæterum, ſi de aliis ſermo ſit, quæ ſpectant jus mere humanum, ſive Civile, ſive Eccleſiaſticum, eædem regulæ, quas modo adnotavimus, ſervandæ ſunt, ac juxta illas de earumdem damnatione judicandum. Unde quoties eadem protſus militat ratio unius, & alterius, etiam eam, quæ in damnatione non exprimitur, in damnatione illius, quæ expreſſe damnatur, contineri dicendum eſt. Exemplum ſit in damnata propoſitione ab Innocentio n. 54. *Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes; poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur : quia major pars trahit ad ſe minorem.* Quamvis in hac propoſitione expreſſe non damnetur niſi ſententia eorum, qui aſſerebant, ad nullam officii partem teneri eum, qui *matutinum, & laudes recitare non poteſt*, ſimulque fundamentum, cui innitebantur, nimirum *partem majorem trahere ad ſe minorem*; nihilominus, quia eadem prorſus ratio eſt in aliis præceptis, quorum materia diviſibilis eſt ; ideo etiam ad hæc quoque extendenda eſt Pontificia prohibitio, puta ad ſententiam, quæ docebat, diſpenſatum a carnibus non teneri ad quadrageſimale jejunium ; unde hanc poſtea etiam expreſſe prohibuit Benedictus XIV. adverſus nonnullos, qui poſt proſcriptam illam propoſitionem, adhuc hanc ſuſtinere pergebant. Quam doctrinam negare non potuit nec ipſe P. Dominicus Viva Probabiliſta. Unde expreſſe damnatam propoſitionem exponens, ita ſcripſit n. XVI. „ Neque dicas ex theſi proſcripta ſolum reddi improbabilem ſententiam, quod non teneatur ad reliquas horas, qui poteſt matutinum, & laudes, non vero quod non teneatur ad unam horam, qui non poteſt reliquas. Nam quamvis *explicite* illa ſolum ſententia damnetur, cum tamen *eadem ratio militet* pro hac ſecunda, ſequitur hanc etiam ſententiam eſſe omnino improbabilem ..... Ex regula enim alias tradita, quando eadem ratio, quæ militat pro theſi proſcripta, militat pro alia conſimili, hæc etiam *implicite* redditur *improbabilis* : quamvis, quia odioſa ſunt reſtringenda, non amplianda, prohibitio ſub pœna excommunicationis lata a Pontificibus, ne theſes proſcriptæ doceantur, non ſe extendat ad alias conſimiles theſes, in quibus militat eadem ratio condemnationis. “.

XII. Denique quod leges pœnales attinet, quamvis, ut ſupra diximus Regula quinta, *pœnæ ſint reſtringendæ*, nihilominus ratio a Legislatore adducta pro aliquo caſu interdum cogit eas ad alios caſus extendere. Quapropter obſervandum, duplicem diſtingui extenſionem comprehenſivam, alteram *neceſſitatis*, quæ nempe neceſſaria omnino ſit ad juſtitiam, vel rectitudinem, aut ad ſartam tectam conſervandam obſervantiam legum: alteram *congruitatis*, ſeu voluntariam, quæ licet in uno ſenſu poſſit multa comprehendere, & juſte quidem, & citra ullum inconveniens, alia minor comprehenſio ſatis eſt ad juſtitiam legis, & proprietatem verborum cum ratione etiam ſervandam. Hoc poſito dicendum eſt, & regulas illas generales de lege pœnali non extendenda intelligi de interpreta-

tatio-

Digitized by Google

tatione, ut ita dicam, libera aut voluntatia, ideſt ſine qua conſervari poteſt prudens diſpoſitio, ac juſtitia legis: quoniam ſi hæ conſervari queant, lex pœnalis benigne ſemper interpretanda eſt, & hoc in ſenſu intelligenda ſunt jura ſupra allata. At vero non ita ſentiendum, ſi extenſio *neceſſaria* ſit ad ſervandam juſtitiam legis, atque ita intelligendus eſt textus Gloſſæ *in Clement* 2. de ætat & qualit. V. *in his*. Ex quo plures Authores merito colligunt, comprehenſionem hanc aliorum caſuum non eſſe proprie dictam extenſionem, ſed adæquate legis interpretationem, quæ obſervanda etiam eſt in legibus pœnalibus.

CAPUT IV.

CONSECTARIA DOCTRINÆ.

I. *Interpretatio legum* authentica *nedum ab eo, qui legem tulit, ſed etiam a ſucceſſore in eadem authoritate, & poteſtate.*

II. *Etiamſi fiat eum aliqua mutatione in verbis, & ſenſu legis.*

III. *Interpretatio* uſualis *plurimum deſervit ad legitimum ſenſum legis cognoſcendum, & interdum æquivalet* authenticæ.

IV. *Dum Legislator ſuæ legis interpretationem vetat, nulli licet eam interpretari. Sententia P. Caſtropa'ai & Salas rejecta.*

V. *Lex non odioſa extendenda eſt per ſe ad omnia, quæ in verbis legis nativo ſenſu explicatis comprehendi poſſunt.*

VI. *Nedum extendi poteſt lex favorabilis ad omnia comprehenſa in lege juxta proprietatem verborum naturalem, verum etiam* civilem.

VII. *Extendenda quoque eſt ad caſus fictis fictione juris.*

VIII. *Si extenſio ſenſum legis excedat, ordinarie admittenda non eſt.*

IX. *Exemplum de non extendenda lege ob ſimilitudinem rationis ad caſum non comprehenſum in ipſa lege.*

X. *Caſus, in quibus eadem adæquata ratio militat, cur in lege comprehendi debeant.*

XI. *Cum identitas rationis ſpecifica eſt, alii caſus ſimiles comprehenduntur in lege.*

XII. *Probabiliſtarum ſententia ſaltem* virtualiter damnata *cenſenda omnino eſt ob rationis identitatem cum prima propoſitione ab Innocentio XI. in ſuo Decreto proſcripta.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. INTERPRETATIO legis *authentica* non ſolum fieri poteſt a Superiore, qui legem condidit, ſed etiam ab alio, qui in eadem dignitate, & poteſtate ſuccedit. Hoc habetur ex Cap. *Inter alia* de ſent. excom. & hac ratione liquet: quia lex non provenit a perſona, niſi ut habente poteſtatem, & ab eadem poteſtate lex ſemper dependet, quæcunque perſona ſit, quæ illa potiatur. Equidem verum eſt illum duntaxat, qui legem tulit, poſſe certius interpretari mentem ſuam, & exponere ſenſum, quem in ea tegenda ſibi præſtituit: nec eum ſucceſſor, niſi per conjecturam aſſequi valet; quia tamen eadem gaudet poteſtate, poteſt ſenſum præfinire, in quo ſit intelligenda, adeo ut eamdem authoritatem habeat, ac ſi a Legislatore ipſo definiretur. Hinc *authenticæ* ſunt interpretationes omnes, quæ ſunt a Summis Pontificibus in Legibus Prædeceſſorum ſuorum.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. *Authentica* quoque ea interpretatio legis dicenda eſt, quæ fit vel ab ipſo Legislatore, vel ab eo, qui in ejus authoritatem, aut poteſtatem ſuccedit, quamvis non ſit mera declaratio ſenſus legis, ſed etiam aliqua ejuſdem mutatio ſive per additionem, ſive per ſubtractionem, atque adeo adæquate non reſpondeat proprietati verborum legis. Siquidem cum hoc totum ad ejus authoritatem pertineat, legem, prout ipſi magis placuerit, aut expedientius judicaverit ad Communitatis bonum, interpretari valet.

CON-

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quamquam interpretatio, quæ dicitur *uſualis* ex ſe non eumdem valorem habeat, ac *authentica* facta ab ipſo Legiſlatore; plurimum tamen inſervit ad rectam, & legitimam intelligentiam legis; immo interdum vis ipſius ita excreſcere poteſt, ut *authentica* fiat, & pro lege ſit habenda; idque ſumitur ex Cap. *Cum dilectus* de conſuet. & in L. *Si de interpretatione* ff. de legibus. Sed de hoc infra.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quoad interpretationem *doctrinalem*, ſi Legiſlator prohibeat, ut aliquando contingit, omnem ſuæ legis interpretationem, Doctoribus ex inſtituto minime licet eamdem interpretari. Quia Superioris præceptum omnino obſervandum eſt. Quapropter non ſunt audiendi nec Caſtropalaus, nec Salas, qui contrarium affirmant, ridicularia plane ratione ducti, quod ſcilicet quoties vel Concilia, vel Summi Pontifices, vel alii interpretationes legum ſuarum vetant, non niſi *frivolas* excludunt, quæ menti Legiſlatoris adverſantur. Eæ quippe jam ex ſe ipſis prohibitæ ſunt, nec indigent Legiſlatorum prohibitione. Profecto hæc ratio nimium aperta eluſio eſt voluntatis omnium Principum, qui ſuas leges interpretari vetant, niſi ab ipſis facultas conceſſa ſit. Quis enim Doctorum eſt, qui interpretationes ſuas non arbitretur ſolidas, ac idoneas, licet nonnunquam ſint ineptiſſimæ, & adverſæ veræ legum intelligentiæ?

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Lex omnis non odioſa, per ſe loquendo, extendenda eſt ad omnia, quæ verba legis in propria, ac nativa ſignificatione comprehendunt, non autem ultra illa, niſi id ſpecialis ratio requirat. Sic, ſi lex loquatur de *filiis*, etiam *filias* comprehendit, quia vox illa in ſignificatione propria ſic accipitur, non ita vero *nepotes* ex vi ſignificationis, niſi alia ratio hanc interpretationem exigat. Et ideo dixi, *loquendo per ſe*. Nam ex accidenti poſſunt verba intra illam ſignificationem coarctari, ut ſi ex ampla interpretatione, etiamſi propriiſſima foret, aliquod ſequatur abſurdum, aut repugnantia cum alia lege. Hæc enim vitari debent.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Si lex ſit favorabilis, vel ſpecialis aliqua diſpoſitio juris occurrat, extendenda eſt ad omnem proprietatem verborum nedum *naturalem*, ſed etiam *civilem*, aut juridicam: quoniam ut jam notavimus, quælibet ars utitur verbis ſibi propriis, & juxta propriam conſuetudinem, & inſtitutionem: adeoque multo magis hoc ſervandum eſt in legibus. Neque enim cogendus eſt Legiſlator, ut quoties E. C. loqui vult de filiis naturalibus, & adoptivis, id expreſſis verbis declaret, ſed aliquando communem vocem adhibere poterit, quæ adhiberi ſolet nedum in vulgari ſermone, ſed etiam *in jure*. Quod tamen ſemper intelligendum eſt per ſe loquendo, & niſi aliud obſtet juxta alia principia, & regulas interpretationis conſtitutas.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Hinc facile ſolvi poteſt celebris illa quæſtio, an lex loquens verbis proprie ſignificantibus aliquem caſum verum, extendatur etiam ad caſum, qui dicitur *filius fictione juris*, quem ſub ampla ſignificatione verba comprehendere poſſunt. Nam ſi ſermo eſt de lege in materia non odioſa, ſed favorabili, hæc extenſio admittenda videtur, ut cum lex loquitur in favorem filiorum, nedum naturales, ſed etiam adoptivi filiorum nomine veniant, & lex loquens de *legitimis* etiam *legitimatos* complectatur, ſemper tamen niſi aliud conſtet de mente Legiſlatoris.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Extenſio legis ad ſenſum excedentem verborum proprietatem tam naturalem, quam civilem, admittenda non eſt, niſi forte lex illuſoria fieret, ac nullius momenti, vel injuſtitiam, aut aliam abſurditatem contineret: tunc enim ad hæc evitanda locum habere poteſt. Cæterum, dum nihil horum occurrit, ea extenſio admitti neutiquam debet, ut ex dictis certo conſtat.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Cum caſus aliquis dici non poſſit comprehenſus in lege ob ſolam ſimilitudinem rationis cum caſu expreſſo, ut ex Regula 7. patet, ſequitur non eſſe admittendam extenſionem legis, quæ habetur in cap. 1. de temp. Ordin. 6. *Ut nullus Epiſcoporum Italiæ*, ad alios Epiſcopos, ex vi ſaltem illius ordinationis: ubi Gloſſa quærit, an extendatur prohibitio ad Epiſcopos Germaniæ quoad Italos ibi peregrinantes; & quamvis prius dubitare videatur ob identitatem rationis, concludit tamen extenſionem non eſſe admittendam. Quod certe veriſſimum eſt, niſi aliter quoad alia loca diſpoſuerint ſequentes Summi Pontifices. Tum quia Summus Pontifex non fruſtra mentionem fecit de *Italiæ Epiſcopis*, & de *Clericis ultramontanis*, qui ab eis ordinantur ſine litteris dimiſſoriis; tum quia ſpeciale motivum habere potuit, ut de iis ſolum loqueretur, quod nempe in hac Provincia periculum immineret, ob frequentiorem ad hanc extraneorum concurſum, tum ob alia motiva peculiaria, quæ præ oculis habuit, dum talem ordinationem edidit. Atque hæc doctrina ad alia exempla applicari facile poteſt.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. E contra cum in aliquibus caſibus eadem prorſus, & adæquata ratio invenitur, aliter de his exiſtimandum eſt. Sic lex, quæ virum eximit a reddendo debito uxori adulteræ, eximit pariter uxorem ab hoc onere reſpectu Mariti adulteri. Similiter ſi ſponſus ob abſentiam ſponſæ a ſponſalium vinculo liberatur; libera itidem ſponſa eſt a ſponſalibus ob eamdem abſentiam ſponſi. Et communiter in iis, quæ proprie, & formaliter *correlativa* ſunt, extenſio legis ob rationis adæquatam identitatem locum habere ſolet ad caſum non expreſſum in lege. Ita quippe poſtulat juſtitiæ ratio, nedum convenientiæ.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Idem dicendum eſt, cum in lege determinatus quidem caſus affertur, ſed gratia exempli. Si enim idem omnino ſit alius caſus non expreſſus, & quidem identitate ſpecifica, tunc iſte quoque comprehenditur: neque enim poſſunt, aut debent Legiſlatores enumerare omnes caſus, quos cæteroqui lata lege præcipere, aut prohibere intendunt: ſed unum ſæpe aſſignant ad exemplum aliorum, quos comprehendunt. Identitas autem ſpecifica caſuum optime explicatur, dum idem eſt motivum, & ratio virtutis, ſub qua talis actus vel præcipitur, vel prohibetur. Nam ſi lex lata fuerit motivo religionis obſervandæ, vel ſacrilegii vitandi, ubi in pari caſu eadem eſt ſpecifica ratio religionis, vel ſacrilegii, lex ad ipſum extendenda eſt, atque idem dicas de motivo, & ratione juſtitiæ.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Syſtema Probabiliſticum, ſive ſententia Probabilitatis damnata ab Eccleſia eſt in prima ſaltem propoſitione ab Innocentio XI. confixa. Hoc conſectarium, quia ſummi momenti eſt, idcirco in eo explicando aliquantulum immorabor. Dixi *ſaltem damnatam eſſe in prima propoſitione* &c. Probabilitatis regulam, ſiquidem cenſeo ego etiam in aliis tribus ab eodem Summo Pontifice proſcriptis, proſcriptam quoque fuiſſe probabiliſticam opinionem, ac in iis ipſam compre-

hen-

Digitized by Google

hendi . Hoc porro corollarium liquidiſſime fluit ex eadem regula ſeptima ab ipſis Probabiliſtis tradita , atque probata ; quod ſic oſtendo .

Quoties eadem omnino ratio , quæ militat pro damnatione facta ab Eccleſia primæ illius propoſitionis , militat etiam pro damnatione ſententiæ probabiliſticæ in genere , hæc etiam ſaltem *virtualiter* , & *implicite* damnata dicenda eſt : adeoque effecta penitus *improbabilis* . Atqui eadem omnino ratio , quæ militat pro damnatione primæ illius propoſitionis , militat etiam pro damnatione ſententiæ probabiliſticæ in genere . Ergo &c. Conſequentia legitime deducta eſt , & juxta regulas Dialecticæ ; atque adeo , ſi certæ ſint duæ priores propoſitiones , etiam tanquam certa admittenda conſequentia eſt . Eas itaque probo : & primam quidem , quamvis ex dictis pateat , doctrina ipſorum Probabiliſtarum , ex quibus ſeligo tantum P. Dominicum Viva , qui omnium ore loquitur , cujus ſupra jam verba dedimus ex Comment. *in prop.* 54. Innocentii XI. ſed hic repetanda ſunt : " Quamvis , inquit n. 16. *explicite* illa „ ſolum ſententia damnetur , cum tamen „ eadem ratio militet pro hac ſecunda , ut „ conſtat ex dictis , ſequitur hanc etiam ſententiam eſſe omnino *improbabilem* (quod „ perinde eſt , ac virtualiter , & implicite „ damnatam] .... Ex regula enim alias tradita (ſæpius jam antea hanc regulam tradiderat) quando ea ratio , quæ militat „ pro theſi proſcripta , militat pro alia conſimili , hæc etiam implicite redditur improbabilis : quamvis , quia odioſa ſunt reſtringenda , non amplianda , prohibitio „ ſub pœna excommunicationis &c. " : De qua te litem non moveo , ſatis namque mihi prior illa ſententia , ſive confeſſio eſt . Atque hoc etiam docet P. Lacroixius cum aliis , & omnes plane docere debent , cum hic non agatur de mero jure humano , ſed de jure divino , quod explicatur a Summo Pontifice , quo in jure vel ſola ſimilitudo rationis ſufficit , ut ſupra diximus . Itaque prior illa propoſitio Syllogiſmi veluti certiſſima habenda eſt . Ad ſecundam venio .

Qua ex motivo damnata eſt prima propoſitio Innocentiani Decreti ? Expono in anteceſſum ipſam propoſitionem : *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti , relicta tutiore , niſi id vetet lex , conventio , aut periculum gravis damni incurrendi . Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi , Ordinis Sacerdotalis , aut Epiſcopalis* . Hæc propoſitio , quam ipſiſſimis verbis , aut æquivalentibus docuerant Sanchez , Vaſquez , Tamburinus , Pontius , Metolla , Diana , & alii , damnata ab Eccleſia fuit *ob irreverentiam* , quæ in ejus uſu erga Sacramenta committebatur , quemadmodum ex tota verborum complexione manifeſtum eſt , & conſentiunt probabiliſtæ ipſi Scriptores , qui eam explicarunt , ac præſertim P. Cardenas Diſſert. 3. c. 3. n. 33. qui ob hanc cauſam , quod aliter antea docuerat , retractavit , P. Dominicus Viva in Comment. ejuſdem propoſitionis , & Lacroixius , qui *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 104. expreſſe declarat , *ex motivo Religionis erga Sacramenta prohiberi praxim oppoſitæ opinionis* . Hoc itaque tanquam prorſus indubitatum admittendum eſt .

Porro non minus evidens , ac certum eſt , eamdem omnino rationem , ob quam damnata fuit hæc opinio ab Eccleſia , militare nedum in materia Sacramentorum , verum etiam in cæteris omnibus materiis moralibus , quandoquidem Deus , in quem *irreverentia committitur* , non minus author Sacramentorum eſt , quam *mandatorum legis divinæ* , ſive naturalis , ſive poſitivæ , quam nobis ſervandam propoſuit . Igitur , quemadmodum irreverentiam in Deum certo committit , qui in adminiſtratione Sacramentorum amplectitur opinionem probabilem in concurſu oppoſitæ probabilis , & tutæ , ita

certo

certo pariter committetur ab illo, qui eodem modo ſe gerit in præceptorum ac divinæ legis obſervatione.

Hoc argumentum plane decretorium ipſa ratiocinatio confirmat adhibita a P. Sanchez *q. 1. c. 9. n. 33.* ad adſtruendam ſententiam, quam poſtea damnavit Eccleſia. *Sicut*, argucbat ille, *credens probabiliter, aliquid non eſſe contra præceptum Divinum, & ob id illud faciens, minime injuriam praecepto Divino irrogat; ſic non irrogat Sacramento, qui probabiliter credit illum eſſe convenientem miniſtrandi modum, & nulli ſe contravenire præcepto*. Quid clarius dicere potuit P. Sanchez ut oſtenderet eamdem omnino rationem æque militare & pro reverentia Sacramentis exhibenda, & pro cæteris divinæ legis præceptis adimplendis? Nam ejus argumentatione poſita ſic ſubſumere neceſſe eſt: *Atqui certiſſimum nunc eſt poſt damnatam propoſitionem, irrogare injuriam Sacramento, qui probabiliter credens illum eſſe convenientem miniſtrandi modum, & nulli ſe contravenire præcepto, ſic adminiſtrat in concurſu alterius opinionis probabilis, ac tutæ. Ergo pariter injuriam irrogat præcepto divinæ legis, qui in eodem concurſu probabiliter credens aliquid non eſſe contra præceptum, illud efficit relinquens contrariam opinionem probabilem, ac tutam.*

Quantum mente concipio, nihil profecto eſt, quod reponere poſſint adverſarii, niſi quod argumentum quidem probet de legibus divinis, quarum Auctor eſt ipſe Deus, non autem de legibus humanis, ſive de iis, quæ promulgantur ab hominibus. Sed ſi hoc reponant, quod plane non arbitror, jam fateantur oportet, ſyſtema probabiliſticum locum non habere in omnibus divinis legibus, ſive naturalibus, ſive poſitivis, ob injuriam, quæ in uſu ejuſdem Deo irrogaretur. Deinde quamvis legum humanarum immediati authores ſint homines, hi tamen leges non ferunt, niſi dependenter ab authoritate, ac poteſtate, quam ab ipſo Deo acceperc; adeoque etiam in his legibus obſervandis juxta probabiliſticum ſyſtema, irreverentia, & injuria, quæ irrogatur, nedum in humanos Legislatores, ſed & in ipſum Deum redundat.

Quæſo Probabiliſtas omnes, ut hoc argumentum ex identitate rationis, ob quam damnata ſupradicta propoſitio eſt, deductum attente, ac ſerio meditentur, ac bona fide expendant. Illud enim, etiamſi cætera multa deeſſent, ſufficiens mihi videtur ad ejutandam ſententiam, quæ ſin minus formaliter, & expreſſe, *virtualiter* tamen, & *implicite* damnata ab Eccleſia eſt, penituſque improbabilis effecta, etiam juxta ipſorum doctrinam. Verum, ut experientia didici, adverſariorum mos eſt, cum nihil ſolidi habeant, quod reponere contra poſſint, ſicut hoc, ſic & alia plura invicta argumenta, alto ſilentio obvolvunt, quaſi nihil in iis eſſet ſedula animadverſione dignum.

CAPUT V.

De Epicheja, ſive Æquitate.

D o c t r i n a.

I. *Doctrina S. Thomæ quoad Epichejam, ſive æquitatem.*

II. *Epichejæ definitio expoſita.*

III. *Objectum Epichejæ.*

IV. *Primum S. Thomæ documentum circa ea, quæ ad Epichejam pertinent.*

V. *Alterum documentum S. Thomæ de eadem materia.*

VI. *Tertium ejuſdem documentum, quando liceat ex Epicheja interpretari legem.*

VII. *Quomodo faciendum judicium* de bono, & æquo.

VIII. *Non omnium eſt de æquo, & bono recte judicare.*

IX. *Regulæ, quæ huic judicio dirigendo inſervire poſſunt, ex jure Canonico depromta.*

X. *Regula in eumdem finem hauſta ex jure Civili.*

XI. *Sententiæ plures ex variis Marci Tullii libris collectæ naturali æquitati admodum conſentaneæ.*

I. LEGUM interpretationi proxima eſt *Epicheja*, ſive, ut alii dicunt, *Epiikia*, idemque hic ſonat, ac latine *æquitas*: de qua, præter ea, quæ habet 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. duobus integris articulis agit S. Thomas 2. 2. *q.* 120. ubi in priore probat, virtutem eſſe, ac partem juſtitiæ, cujus verba, quæ adæquatam ipſius ideam nobis exponunt, placet huc afferre. Sic itaque ſcribit. „ Sicut ſupra dictum eſt, cum de legibus „ ageretur, quia humani actus, de quibus „ leges dantur, in ſingularibus contingen„ tibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari „ poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam „ legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. „ Sed Legislatores attendunt ad id, quod in „ pluribus accidit, ſecundum hoc legem feren„ tes, quam tamen in aliquibus caſibus ſer„ vare, eſt contra æqualitatem juſtitiæ & con„ tra commune bonum, quod lex intendit: ſicut lex „ inſtituit, quod depoſita reddantur: quia hoc ut in „ pluribus juſtum eſt. Contingit tamen aliquan„ do eſſe nocivum, puta ſi furioſus depoſuit „ gladium, & eum repoſcat, dum eſt in fu„ ria: vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad „ patriæ impugnationem. In his ergo, & „ ſimilibus caſibus malum eſt ſequi legem po„ ſitam: bonum autem eſt, prætermiſſis „ verbis legis, ſequi id, quod poſcit juſtitiæ „ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc „ ordinatur Epiichia, quæ apud nos dicitur „ æquitas ". Unde eam definit Ariſtoteles 5. Ethic. c. 10. *Emendationem legis ex ea parte, qua deficit, propter univerſale.* Nos autem juxta doctrinam S. Thomæ eam paulo aliter definiemus. Quare ſit.

DEFINITIO EPICHEJÆ.

Epicheja eſt quædam virtus, qua excipitur a lege communi caſus particularis ob circumſtantias, in quibus non comprehenditur, juxta mentem Legislatoris.

II. Dicitur *virtus &c.* quia cum leges reſpiciant humanos actus, qui variabiles ſunt ob occurrentes circumſtantias, non ita poſſunt conſtitui, ut in nullo deficiant, adeoque opus eſt aliquo habitu permanente, qui dirigat hominem circa ea, quæ agenda ſunt in iis caſibus, in quibus lex deficit ſecundum verba conſiderata. Virtutem hanc contineri ſub juſtitia legali docet S. Præceptor *art.* 2. ubi in Reſp. ad primum explicat etiam quo pacto ad legalem juſtitiam pertineat, inquiens: *Epiichia correſpondet propriæ juſtitiæ legali, & quodammodo continetur ſub ea. Si enim juſtitia legalis dicatur, quæ obtemperat legi, ſive quantum ad verba legis, ſive quantum ad intentionem Legislatoris, quæ potior eſt; ſic Epiichia eſt pars potior legalis juſtitiæ. Si vero juſtitia legalis dicatur ſolum, quæ obtemperat legi ſecundum verba legis; ſic Epiichia non eſt pars legalis juſtitiæ, ſed eſt pars juſtitiæ communiter dictæ, diviſa contra juſtitiam legalem excedens ipſam.*

III. Ex his conſtat, quodnam ſit Epichejæ objectum, nimirum eſt bonum publicum, ſeu commune, non ſub quacunque ratione inſpectum, ſed ſub ea duntaxat, qua præter communes regulas, & præter verba legis, ipſum quærendum eſt in quibuſdam particularibus caſibus, in quibus lex deficit, ſive qui ab illa exprimi nequeunt: tum quia Legislator ea ignorat, tum etiam quia etiamſi cognoſcere omnes poſſet, non expediret omnes recenſere. *Nullius hominis* (verba ſunt D. Thomæ p. 2. q. 96. art. 6. ad 3.) *ſapientia tanta eſt, ut poſſit omnes ſingulares actus excogitare: & ideo non poteſt ſufficienter per verba ſua exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum. Et ſi poſſet Legislator caſus omnes conſiderare, non expediret propter confuſionem vitandam, ſed legem ferre deberet ſecundum ea, quæ in pluribus accidunt.* Unde in his opus eſt Epi-

cheja

Digitized by Google

cheja, quæ ſpectatis circumſtantiis dirigit humanos actus ſupra communem regulam, non contra, ſed juxta Legiſlatoris mentem, quæ commune bonum reſpicit, & cui ſi notæ fuiſſent illæ circumſtantiæ, peculiarem illum caſum excepiſſet. Sic ut exemplis res clarior evadat, lex jubet reddendum eſſe depoſitum, prohibet conſcendere Civitatis muros, obſeſſæ Civitatis januas aperiri &c. Contingit autem, quod vel furioſus gladium depoſitum repetat in ſuum, vel alterius damnum: vel rebellis contra Principem, aut Rempublicam depoſitam pecuniam poſcat, ut rebellionem ſuam foveat. Contingit etiam, ut hoſtes ita urbi immineant, ut niſi Cives muros ocius conſcendant, eam occupaturi ſint, aut præſidium obſeſſæ urbi neceſſarium hoſtes fugiat, & ad Civitatem ſe recipiat &c. his & ſimilibus caſibus Epicheja præſcribit, gladium, aut pecuniam non eſſe reſtituendam, Civitatis muros eſſe conſcendendos, januas aperiendas &c Ita namque merito præſumitur eſſe Principis voluntatem, quia ita fieri in his caſibus bonum commune poſtulat.

IV. Cætera & illa quidem ſolidiſſima, quæ ad hanc materiam pertinent, Sancti Thomæ documenta hæc ſunt. Primum habetur 2. 2 *q.* 147. *art.* 4. ubi ait: „Statuta communia proponuntur, ſecundum quod multitudini conveniunt. Et ideo Legiſlator in eis ſtatuendis attendit id quod communiter habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem ex ſpeciali cauſa in aliquo inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti repugnet, non intendit talem Legiſlator ad ſtatuti obſervantiam obligare. In quo tamen eſt diſcretio adhibenda. Nam ſi cauſa ſit evidens, per ſe ipſum licite poteſt homo ſtatuti obſervantiam præterire, præſertim conſuetudine interveniente, vel ſi non poſſet de facili recurſus ad Superiorem haberi. Si vero cauſa ſit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi". Quod documentum etiam ſupra tradiderat *q.* 120. *art.* 1. *ad* 3. his verbis: *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet abſque determinatione Principis a verbis legis recedere. Sed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione.*

V. Alterum Sancti Thomæ documentum, quod etiam præcedens amplius firmat, traditur 1. 2. *q.* 96 *art.* 6. „Hoc eſt conſiderandum, quod ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid ſit utile civitati, & quid inutile Civitati [ſive bono communi]: ſed hoc pertinet ad Principes, qui propter hujuſmodi caſus habent authoritatem in legibus diſpenſandi. Si vero ſit ſubitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet adnexam: quia neceſſitas non ſubditur legi".

VI. Addamus & tertium S. Thomæ documentum, quod legitur in reſponſione *ad* 2. ejuſdem articuli. Sibi oppoſuerat S. Doctor: *Ad eum ſolum pertinet leges interpretari, cujus eſt condere leges: ſed omnium ſubditorum legi non eſt leges condere: ergo eorum non eſt interpretari Legiſlatoris intentionem, ſed ſemper ſecundum verba legis agere debent.* Quid vero reſpondet? *Ad ſecundum dicendum, quod ille, qui ſequitur intentionem Legiſlatoris, non interpretatur legem ſimpliciter, ſed in caſu, in quo manifeſtum eſt per evidentiam nocumenti Legiſlatorem aliud intendiſſe. Si enim dubium ſit, debet vel ſecundum verba legis agere, vel Superiorem conſulere.* Quid ex hac aurea S. Tomæ doctrina conſequatur, poſtea videbimus.

VII. Ad Epichejam revocatur judicium, quod dici ſolet *de æquo, & bono*, quo nihil frequentius eſt in vulgari hominum ſermone, ſed nihil etiam frequentior abuſus, qui de hoc fieri a multis conſuevit, cum ſæpe tanquam juſta, & recta hæc efferantur judicia, quæ improba ſunt, & iniqua. Æ-

quum & bonum non eodem pacto accipitur, aut conſideratur. Illud alii colocant in arbitrio hominum prudentum, atque proborum, quo ſenſu dicitur aliquando lites componendas, & controverſias eſſe arbitrio *viri boni, & æqui*, qui præſumitur nihil agere, aut reſolvere, niſi juxta æquitatis regulas. Alii bonitatem, & æquitatem ſumunt pro ipſo jure, aut juſtitia, ut ſumitur *ff. de juſt. & jur.* l. 1. ubi dicitur: *Jus eſt ars boni, & æqui, cujus merito quis nos Sacerdotes appellat*. Quam ſententiam ſic exponit S. Auguſtinus lib. de quantit. an. c. 9. inquiens: *Nihil, ut arbitror, dicimus eſſe juſtitiam, niſi æquitatem: Æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata. Cujus merito quis nos Sacerdotes appellet, nimirum oſtendit Sacerdotali tribunali atque judicio, non juris ſeveritatem, ac ſubtilitatem, ſed æquitatem, legiſque clementiam præeſſe debere: quandoquidem D. O. M. cujus perſonam ſuſtinent Sacerdotes, ad æquitatis normam judicia, & ſententias dirigit ſuas. Sunt enim illa in divinis voluminibus percelebrata*: Virga *enim* æquitatis virga regni ejus, *ad* II. *br.* 1. *& Pſalm.* 44. *&c. & Pſalm.* 10. Æquitatem vidit vultus ejus; *& Pſal.* 16. Oculi tui videant æquitatem &c. *ita ipſum jus primum divinum cenſenda eſt æquitas*. Vir itaque bonus, & æquus *bonum* etiam, & *æquum* judicium efficit de caſibus contingentibus, qui vel effugerunt Legiſlatoris mentem, vel expreſſi ab illo non fuere, ac tanquam arbiter decernit, definit, corrigit, emendat, ac emperat ad occurentes circumſtantias, quæ omiſſæ in lege fuerunt.

VIII. At enim vero non omnium etiam bonorum & æquorum virorum eſt hæc judicia ferre *de æquo, & bono*, quæ reapſe bonitati, & æquitati conſentanea ſint, cum exquiſita, & conſummata prudentia prædites eſſe oporteat, ſimulque penetratione mentis, animi candore, morum integritate, & privatarum affectionum vacuitate, qui hoc ſibi officium aſſumunt determinandi *de bono, & æquo* in caſibus particularibus. Quare judicia quorumdam, qui quo minus doctrina, prudentia, aliiſque animi dotibus præſtant, eo audaciores ſunt, atque promptiores in interpretandis legibus, in definiendis etiam difficillimis quæſtionibus, pro nihilo habenda ſunt, quin potius repudianda, nec iis ullatenus fidere debent, qui vere *de bono, & æquo* curam habent, & in admodum perniciosas aberrationes impingere nolunt.

IX. Cæterum cum Paulus Comitolus inſignis e Societate Jeſu Theologus, & unus ex primis Probabiliſmi oppugnatoribus plures tum a jure Canonico, & Civili, tum a Marco Tullio *æquitatis* regulas collegerit, quæ optimæ mihi viſæ ſunt, & ad praxim admodum utiles, placet eas huc corrivare in commodum Lectorum, paucis immutatis.

§. I.

Regulæ æquitatis e Canonico jure deprompta.

1. QUOD quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debet uti eo. *Cap.* Cognoſcentes *de Conſtitut.*
2. Patere legem, quam tu ipſe tuleris. *Ex eod. Cap. & tit. ut.*
3. Conſtitutio Apoſtolicæ Sedis omnes debet adſtringere; & nihil debet vel ambiguum, vel obſcurum continere. *Cap.* Quoniam *de Conſt.*
4. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non convenit. *Cap.* Cognoſcentes *eodem tit.*
5. Laicis ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla eſt attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi. *Cap.* Eccleſia S. Mariæ *de Conſtit.* (Legitimum hujus canonis ſenſum jam dedimus).
6. In Reſcripto Apoſtolico, ut valeat, intelligitur hæc clauſula: *Si preces veritati nitantur*, quamvis non opponatur. *Cap.* Ex parte *de reſcriptis*.
7. Papa patienter ſuſtinet, ſi non fiat, quod præ-

Digitized by Google

prava fuit ei inſinuatione ſuggeſtum. *Cap.* Si quando *eod. tit.*

8. Exprimens falſum, vel tacens veritatem per fraudem, ex Reſcripto Pontificio nullum conſequitur emolumentum. *Cap.* Super litteris *de Reſcrip.*

9. Conſuetudo, quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti. *Cap.* Ad noſtrum *de Conſuetudine.*

10. Juri naturàli quacunque conſuetudine aliquatenus derogari non poteſt. *Cap.* Cum tanto *eod tit.*

11. Romanus Pontifex jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere. *Cap.* 1. de Conſtit. lib. 6. [Id ſano in ſenſu intelligi debet].

12. Propter officium Eccleſiaſticum beneficium datur. *Cap. ult.* de Reſcriptis *lib.* 6.

13. Quæ dubium eſt, quo animo fiunt, in meliorem partem interpretemur. *De regulis juris cap.* 11.

14. Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam ut veritas relinquatur. *Cap. III. eod. tit.*

15. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. *Cap. IV. eod. tit.* (Quo ſenſu intelligendum ſit, ex dictis patet).

16. Quod latenter, aut per vim, aut alias [fraudes] illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere. *Cap. V. de regulis jur.*

17. Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori. *De regulis jur. in* 6. ſumpta ex ff. *eod. tit.* l. *Favorabiliores.*

18. Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere. *Ex regu. jur. lib. VI. reg.* 14.

19. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. *Reg.* 15. *eod. lib.*

20. Non debet aliquis alterius odio prægravari. *Reg.* 22.

21. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum. *Reg.* 33. ex lege, *Nemo poteſt mutare ff. de reg. jur.*

22. Utile non debet per inutile vitiari. *Reg.* 37.

23. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit repugnare. *Reg.* 38.

24. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. *Reg.* 39.

25. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non facit, quod per eum fuerat faciendum. *Reg.* 44.

26. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit. *Reg.* 45.

27. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. *Reg.* 47. ſumpta ex *ff. eod. tit.* l. Jure naturæ. (Verum in lege civili legitur conjunctim, *detrimento & jactura*, niſi dicamus & uſurpatum eſſe pro *vel*).

28. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. *Reg.* 49.

29. Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. *Reg.* 51.

30. Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod minus [nempe in eodem ordine &c.] *Reg.* 53. *ex lege eod. tit.* Non debet.

31. Qui prior eſt tempore, prior eſt jure. *Reg.* 53. *ex. l.* Quoties utriuſque *ff. eodem tit.*

32. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra. *Reg.* 55. *ex l.* Secundum naturam, *ff. eod. tit.*

33. Non eſt obligatorium, quod contra bonos mores eſt præſtitum juramentum. *Reg.* 58.

34. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. *Reg.* 60. *ex l.* Nulla intelligitur. *ff. eod. tit.*

35. Nullus ex conſilio, niſi fraudolentum non ſit, obligatur. *Reg.* 6. *ex l.* Conſilii, *ff. eod. tit.*

36. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Reg.* 64. *ex. l.* Non dubium *C. de legibus.*

37. In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis. *Reg.* 65. *ex. l.* Cum par

de-

delictum *ff. de reg. jur.*

38. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. *Reg. 72. ex l.* Quod juſſu alterius *ff. eod. tit.*

39. Factum legitime retractari non debet. *Reg. 73. ex l.* In ambiguis §. 1. *ff. eod. tit.*

40. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *Reg. 74.*

41. Fruſtra ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat. *Reg. 75.*

42. In malis promiſſis fidem non expedit obſervari. *Reg. 75.*

43. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. *Reg. 76.*

44. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. *Reg. 77.*

45. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando conceſſa ſunt. *Reg. 78.*

46. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur. *Reg. 79.*

47. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. *Reg. 82.*

48. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *Reg. 84.*

49. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur. *Reg. 85. ex. l.* Contractus *ff. eod. tit.*

50. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. *Reg. 86. ex l.* Quod quis *ff. eod. tit.*

51. Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis ſua culpa nititur voluntatem. *Reg.* 88. *ex l.* Non dubium, *tit. eodem de legibus.*

52. Fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem. *Cap.* Quia fruſtra *de Uſuris*, & C. ult. de immun. Eccleſ.

53. Quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. *Ex cap.* Abbas *de iis, quæ vi metuque, & ex l. 1. ff. eod. tit.* In qua lege eſt iis verbis expreſſum: *Quod metus factum eſt, ratum non habebo, dicit Prætor.*

§. II.

Regulæ selectæ ex jure Civili.

I. Plures ex regulis juris civilis, ut ex relatione conſtat, deſumptæ ſunt, ac veluti authoritate ſua conſecratæ ab Eccleſia, ſive a jure Canonico. Sed aliæ ſuperſunt propriæ ejuſdem, quas hic afferemus.

1. In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt. *ff. de reg. jur. Reg. 91.*

2. Qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet, *ff. de legibus l. 12. 12. & 16.*

3. In iis, quæ contra rationem juris conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam juris, *l. 14. eod. tit.*

4. Scire leges non eſt earum verba tenere, ſed vim, & poteſtatem habere. *l. 16. eod. tit.*

5. Benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur. *l. 17. eod. tit.*

6. In ambigua voce legis ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit. *l. 18. eod. tit.*

7. Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat. *l. 22.*

8. Incivile (ſeu contra civile jus) eſt, niſi tota lege perſpecta, una ejus particula propoſita, judicare, & reſpondere. *l. 23. eod. tit.*

9. Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter, aut pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra commodum ipſorum perducamus ad ſeveritatem. *l. 24. eod. tit.*

10. Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero legis facit, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit. *l. 24. eod. tit.* Eſt Pauli Juriſconſultiſſimi.

11.

11. Fraus legi fit, ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit: & quod diſtat verbum ab intellectu, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit. *l.* 29. *eod. tit.*

12. Rectiſſime illud receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio Legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium abrogentur. *l.* 31. *eod. tit.*

13. Optima legum interpres conſuetudo *l.* 36. *eod. tit.*

14. In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudo, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum authoritas vim legis obtinere debet. *l.* 37. *eod. tit.*

15. Beneficium Imperatoris (idem dicas de cæteris Principibus), quod ab ejus indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſime interpretari debemus. *l. ult. ff. de Conſtitut. Principum.*

16. Actionem ex improbitate ſua nemo conſequitur, *ff. de furtis*, itaque fallo.

17. Si ut maleficium fiat, promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex hac conventione. *ff. de pactis l.* Juris gentium §. Si ut maleficium.

18. Quoties pactum a jure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet. *In ead. l.* § Si paciſcar.

19. Si ſtipulatio ſit interpoſita de his, pro quibus paciſci non licet, ſervanda non eſt, ſed omnino reſcindenda. *In ead. l. & eod* §.

20. Pacta, quæ turpem cauſam continent, non ſunt obſervanda, *l.* Si unus §. Pacta *ff. de pactis.*

21. Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt. *De juriſdict. omn. judicum l.* 2.

22. Illud nulla pactione effici poteſt, quod fieri non poteſt, niſi dolus præſtetur. *ff. de pactis l.* Si unus §. Illud, & *l.* 1. §. Illud *ff. depoſiti.*

23. Quid tam contrarium eſt conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit? *ff. eod. tit. l.* Si per errorem; & in *l. ad probit.* Cap. de loc. & cond. dicitur, inſcientiam errantis non habere conſenſum; & in *l.* cum Teſt. Cap. *de Jur. & Fact. ignor.* dicitur, errantis nullam eſſe voluntatem: & in *l.* Non idcirco *eod. tit.* habetur, errantis nullam eſſe voluntatem.

24. Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit. *ff. de redimendis legatis, & fidei comm.* l. Rem legatam.

25. Non donat, qui neceſſariis operibus ſuccurrit. *ff. de donat.* inter virum, & uxor. *l.* Si quis pro uxore.

26. Digna vox eſt majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri. *Cap. de Legibus, & Conſtit. Principum l.* 4.

27. De auctoritate juris noſtra pendet auctoritas. *In ead. l.* & revera major imperio eſt ſubmittere legibus Principatum. *In ead. l.*

28. Non quidquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati *l.* Omnem *ff. de judiciis.*

29. Si delictum non ex animo, ſed extra venit, noxa non committitur. *Cap.* Si adverſus delictum *l.* 1.

30. Id demum, quod major pars omnium judicavit, ratum eſt, cum & omnes judicaſſe palam eſt. *l.* 1.

31. Si ex tribus arbitris unus in quindecim, alius in decem, tertius in quinque condemnet, quinque præſtare debent: quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt. *Ex l.* Diem proferre §. de ſi plures *ff. de arbitris.* Eadem ſententia repetitur *in l.* Inter pares *ff. de re judicata*, ubi ſic: *Si diverſis ſummis condemnent judices, minimam ſummam ſpectandam eſſe Julianus ſcribit.*

32. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius eſt, quam tutius. *ff. de reg. jur. l.* Ea quæ, Reg. 153.

33. Omnia, quæ animi deſtinatione agenda

ſunt

ſunt, nonniſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt. *ff. tit. eod.* Reg. 77.

34. Non debeo melioris conditionis eſſe, quam auctor meus, a quo in me jus tranſit. *ff. eod. l.* In omnibus officiis.

35. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus. *ff. eod. l.* Cum amplius.

36. Nemo ex ſuo delicto conditionem meliorem facere poteſt. *ff. eod.* Reg. 177.

37. Nemo damnum facit, niſi qui id facit, quod facere jus non habet. *ff. eod. l.* Nemo damnum, Reg. 195.

38. Non videtur vim facere, qui jure ſuo utitur. *ff. eod.* Reg. 198.

39. In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet. *ff. eod.* Reg. 171.

40. Bona fides tantum poſſidendi præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt. *ff. eod. l.* Bona fides, Reg. 177.

41. Minus eſt actionem habere, quam rem. *ff. eod. l.* Minus, Reg. 204.

42. Cum de lucro quæritur, melior eſt conditio poſſidentis. *ff. de reg. jur.* Reg. 169.

43. Æquiſſimum viſum eſt, creditorem ita agere rem debitoris, ut ſuam ageret. *ff.* de ſolutionibus, *l.* 1.

44. Libertas omnibus rebus favorabilior eſt. *ff. de reg. jur. l.* Libertas, Reg. 165.

45. Infinita eſt æſtimatio libertatis, & neceſſitudinis. *Reg.* 137. *ff. eod.*

46. Servitutem mortalitati comparamus. *ff. eod.* Servitutem. *Reg.* 209.

47. Etſi nihil facile mutandum eſt ex ſolemnibus, tamen ubi æquitas expoſcit, ſubveniendum eſt. *ff. eod.* Etſi nihil.

48. **Omnis definitio in jure civili periculoſa eſt: parum eſt enim, ut ſubverti poſſit. *ff. eod.* omnis definitio, Reg. 202.**

§. III.

Sententiæ ex variis Marci Tulii libris collectæ.

XI. Sequentes æquitatis regulæ pudore maximo ſuffundere deberent nonnullos ex noſtris Caſuiſtis, qui in ſplendidiſſima Chriſtianæ Religionis luce minus in pluribus vident, quam Scriptor extraneus nativo lumine ſuo in gentilitatis errorum tenebris obvolutus. Ex multis hæ paucæ ſint. Ac primum *ex Oratione pro Aulo Cecinna.*

1. Ex æquo, & bono, non ex callido, verſutoque jure rem judicari oportet. Scriptum ſequi calumniatoris eſt: boni Judicis voluntatem Scriptoris, auctoritatemque defendere.

2. Si voluntas, tacitis nobis, intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur: quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.

3. Non ex verbis totum pendet jus, ſed verba ſerviunt hominum conſiliis, & auctoritatibus.

4. Imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent.

5. Non quibus verbis, quidque dicatur quæritur; ſed quæ res agatur.

6. Cauſſæ ratione, non verbis ponderantur.

7. Fieri non poteſt, ut aliud judicari de jure, aliud reſpondei oporteat.

8. Legem bonam a mala nulli alia re, niſi naturali norma dividere poſſumus. *lib.* 1. *de legibus.*

9. Honeſta, & turpia natura, non opinione, judicanda ſunt. *lib. eod.*

10. Omnes viri boni ipſam æquitatem, & jus amant: nec eſt viri boni errare, & diligere, quod per ſe non ſit diligendum. *lib. eod.*

11. Nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligere, nos ad juſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe jus. *lib. eod.*

12. Ad Divos adeunto caſte: pietatem adhibento: ſi quis ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit: ſancte vota reddunto. *Ex legibus*

Digitized by Google

bus Romanis lib. 2. *de legibus*.

13. Magiſtratus hæc eſt vis, ut præſit, præſcribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. 3. *de leg.*

14. Ut Magiſtratibus leges, ita populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum Magiſtratum. *Ibidem*.

15. Qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt. *Ibidem*.

16. Salus populi ſuprema lex eſto. *Ibidem*.

17. Eſt iniqua in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque ſelectus. *lib.* 3. *de leg.*

18. Ut cupiditatibus Principum infici ſolet tota Civitas, ſic emendari, & corrigi continentia. *lib. eod.*

19. Nobilium vita, victuque mutato, mores mutari Civitatum puto. *In eodem*.

20. Vi opprimi in mala cauſa melius eſt, quam male cedere. *Ibid.*

21. Nihil tam contrarium juri, & legibus, nihil minus civile, & humanum, quam compoſita, & conſtituta Republica, quidquam agi per vim. *Ibid.*

22. Noxæ pœna par eſto, ut in ſuo vitio quiſque plectatur: vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia ſanciatur. *Ibid.*

23. Fundamenta juſtitiæ ſunt, ut ne cui noceatur, ut communi utilitati ſerviatur, & cum tempora commutantur, commutare officium, ut non ſemper ſit idem. *In* 1. *de officiis.*

24. Fundamentum juſtitiæ eſt fides, ideſt dictorum, conventorumque conſtantia. *lib. eod.*

25. Promiſſa ſervanda non ſunt, quæ ſunt iis, quibus promiſeris, inutilia. *In* 1. & 111. *offic.* Nec ſi tibi plus noceant, quam illi proſint, cui promiſeris. *In* 1. *offic.*

26. Quod verum eſt, ſimplex, ſincerumque id eſt naturæ hominis aptiſſimum. *Ibid.*

27. Duobus modis fit injuria; vi, & fraude. Fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur. Utrumque alieniſſimum ab homine: ſed fraus odio digna majore. *Ibid.*

28. Totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur. 1. *de offic.*

29. Dare beneficium in noſtra poteſtate eſt: non reddere viro bono non licet. *Ibid.*

30. Quidquid ſine detrimento poteſt commodari, id cuique tribuendum eſt, vel ignoto. *Ibid.*

31. Vinculum humanæ ſocietatis eſt ratio, atque oratio. *Ibid.*

32. Offerre ſe periculis ſine cauſa nihil ſtultius. *Ibid.*

33. Quæ parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum. *Ibid.*

34. Victus, cultuſque corporis ad valetudinem referatur, non ad voluptatem. *Ibid.*

35. Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non poſſis cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim fere deſcriptio officii. 1. *de offic.*

36. Sine verecundia nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. *Ibid.*

37. Nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. *Ibid.*

38. Ut tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa, gerenda eſt. *In* 1. *de offic.*

39. Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam diſſoluti. *Ibid.*

40. Contemnuntur ii, qui nec ſibi nec alteri proſunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. *In* 11. *offic.*

41. Habere quæſtui Remp. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. *Ibid.*

42. Multa, quæ natura videntur honeſta, temporibus fiunt inhoneſta, *In* III. *Offic.* (Quod tamen non eſt accipiendum de honeſtis jure naturali.)

43. Hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors. *Ibid.* [quod multis argumentis probat.]

44. Homo naturæ obediens homini nocere non poteſt. *Ibid.*

45. Hoc ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. *Ibid.*

46. Eadem, quæ utilitatis, honeſtatis eſt regula. *Ibid.*

47. Vir bonus eſt is, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini. *Ibid.*

48. Recte præcipiunt, qui fieri vetant, quod dubites æquum ſit, vel iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe. Dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ. *Ibid.*

49. Nihil, quod crudele, utile. Eſt enim hominum naturæ, quam ſequi debemus, maxime inimica crudelitas. *lib.* III. *de officiis.*

50. Vir bonus ne cogitare quidem audebit, quod non audeat prædicare. *Ibid.*

51. Cato ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori vitium, quod noſſet venditor. *Ibid.*

52. Ratio poſtulat, ne quid inſidioſe, ne quid ſimulate, ne quid fallaciter (fiat.) *Ibidem.*

53. Quoniam juris natura fons eſt, hoc intelligitur ſecundum naturam eſſe, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inſcitia: nec ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quam in malitia ſimulatio intelligentiæ. III. *offic.*

54. Illud quod imperatur, neceſſarium: illud quod permittitur, voluntarium eſt. *lib.* 2. *de Invent.*

55. Leges in conſilio Scriptoris, & utilitate communi conſiſtunt. *Ibid.*

56. Indignum eſt, æquitatem litteris legis urgeri, quæ voluntate ejus, qui ſcripſit, defenditur. *Ibid.*

57. Velle, quod non deceat, id ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt non adipiſci, quod velis, quam adipiſci velle, quod non oporteat. *Ex libro de Philoſ. apud S. Auguſt. lib.* 13. *de Trin. c.* 3.

58. Quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint. *In partitionibus Orat. ubi de genere deliberandi.*

59. Quod permagni intereſt, pro neceſſitate ſæpe habetur. *Ibid.*

Hæ, & ſupra productæ regulæ, ſive ſententiæ tum ex jure Canonico, tum ex jure civili memoriæ commendandæ forent: maximo namque adjumento eſſe poſſunt in judiciis recte efformandis *de bono, & æquo.*

CAPUT VI.

Conſectaria Præcedentis Dortrinæ.

I. *Confundi minime debet interpretatio legis cum Epicheja.*

II. *Ideo Epicheja verba legis prætermittit, quia id poſtulat juſtitiæ ratio, & bonum commune.*

III. *Falſa eſt doctrina P. Vive putantis, locum eſſe Epicheja, quoties finis legis ſolum etiam negative ceſſet.*

IV. *Falſa itidem alia ejuſdem Vive opinio admittentis in Epicheja uſum minoris probabilitatis. P. Suarez ab hac opinione ipſi a Vive tributa vindicatur.*

V. *Neque in æquali utrinque probabilitate, ſive in dubio Epicheja uti licet.*

VI. *Nullus eſt proprie Epichejæ locus in lege naturali, aut etiam divina poſitiva.*

VII. *Etiam in humanis legibus irritantibus, & actum prohibentibus nullus eſt Epichejæ locus.*

VIII.

VIII. *Locum Epicheja habere aliquando poteſt, tametſi non agatur de detrimento boni communis, ſed privati.*

IX. *Licet nonnunquam uti Epicheja, ſi firmum formari queat de voluntate Legislatoris approbantis judicium.*

X. *Hinc regulæ quædam conſiderandæ ſunt pro recto Epicheja uſu.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CONFUNDENDA non eſt Epicheja cum generali legum interpretatione, quamquam magnam habeant inter ſe affinitatem. Aliud namque eſt inquirere de legitimo verborum ſenſu, an ſcilicet verba univerſalia ſint, & hos vel illos caſus comprehendant, ſive an in hac, aut illa ſignificatione ſumantur, quod eſt interpretationis proprium officium. Aliud vero munus peculiare Epichejæ, quæ, ut inquit Ariſtoteles 5. Ethic. *eſt emendatio legis propter univerſale*; quia nimirum emendat legem univerſalem in caſu particulari. Supponit igitur Epicheja ſenſum legis quoad verborum univerſalitatem, & caſum illum peculiarem comprehendi in ipſa lege ex vi ſuæ ſignificationis univerſalis: nihilominus illum excipit a lege in peculiari eventu, quia ob occurrentes circumſtantias cenſetur cadere non potuiſſe ſub poteſtate, aut voluntate Legislatoris.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. In tantum Epicheja verba legis prætermittit, in quantum juſtitiæ ratio, & communis utilitas id interdum expoſcit. Cum enim ſpiritus legis juſtitiam, bonumque commune reſpiciat, conſentaneum eſt, ut verba legis negligantur, quoties æquitatis, & boni communis jactura impendet. Hinc docet S. Thomas 2. 2. q. 120. art. 2. *Juſtitiam legalem dirigi ſecundum Epiikiam: unde eſt quaſi ſuperior regula humanorum actuum*: quod amplius exponit in 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiun.* 4. inquiens: *Dicendum, quod præcepta juris poſitivi magis obligant ex intentione Legislatoris, quam ex ipſis verbis: & ideo tranſgreſſor talis præcepti magis eſt reputandus, qui obviat intentioni Legislatoris, quam qui deviat in aliqua legis ordinatione. Intentioni autem Legislatoris obviat, qui vel ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat. In quo autem probabiliter credi poteſt, ſi Legislator adeſſet, eum obligare non velle, talis non eſt reputandus præcepti tranſgreſſor.*

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Falſa eſt doctrina P. Vivæ, quam habet de *legibus* q. 6. art. 6. nempe Epichejam locum habere nedum cum finis legis ceſſat *contrarie*, ſed etiam cum ceſſat *negative* in particulari (de qua diſtinctione dicturi ſumus C. ſequente), ſi legis obſervatio incommoda ſit. Nam ſola ratio, cur Epicheja uti aliquando debeamus in quibuſdam caſibus particularibus, eſt, quia tunc merito præſumitur non eſſe voluntatem, & intentionem Legislatoris, ut ea tunc obſervetur ob præjudicium boni communis, quod ex ejus obſervatione ſequeretur, quod præ omnibus reſpicit Legislator in legum conditione. Incommodum autem particulare, quod ex obſervantia legis oritur, motivum eſſe nequit, cur ab illa obſervanda ſubditus excuſetur. Quis enim incommodum non percipit ex obſervatione legis, quæ voluntatem noſtram coarctat, & appetitui, & humanitati contraria eſt?

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Falſa quoque, & ex Probabiliſmi laxis, & pernicioſis principiis deducta eſt alia ſententia ejuſdem P. Vivæ, quam ibidem tradit n. 4. ad licitum Epichejæ uſum nedum probabilitatem, ſed etiam ſatis eſſe probabilitatem, *minorem* opinione contraria. Sic enim ſcribit: *Unde id verum eſt, non ſolum ſi ſubditus habeat formidinem de oppoſito; ſed etiam ſi detur ex altera parte probabilitas, immo major probabilitas, quod Le-*

giſlator potuerit, & voluerit ad talem caſum obligare, ut docet Suarez lib. 6. de leg. Cap. 8. *n.* 3. Falſitas, & laxitas hujus doctrinæ patet tum ex iis, quæ dicta ſunt, tum ex aliis, quæ fuſe dicenda erunt, cum de probabiliſtico ſyſtemate. At quoniam ad ſuam opinionem confirmandam P. Viva laudat P. Suarez, juvat hic exſcribere textum eximii hujus Doctoris, ut quiſque intelligat, quam parum fidendum ſit citationibus quorumdam Auctorum, qui ſæpe afferunt in præſidium ſententiæ propriæ eos ipſos, qui contrarium docent. P. Suarez loco citato *n.* 4. cum prius retuliſſet ſententiam eorum, qui ſentiunt ex judicio probabili licere uti Epicheja, approbat ſententiam Cajetani, & Soti dicens: „ Hanc aſſertionem limitant Cajetanus, & Soto, ut locum habeat, quando occaſio eſt ſubita, & urgens periculum, ita ut non detur tempus conſulendi Superiorem: alioquin dicunt in illo recurrendum eſſe ad Superiorem: & ita exponunt D. Thomam utentem illa diſtinctione; quia non poteſt in alio dubio verificari, ut ſtatim dicemus. Hæc vero doctrina aliquibus modernis non placet, neque putant diſtinctionem illam D. Thomæ de caſu, in quo poteſt vel non poteſt conveniri Superior, poſſe applicari ad caſum formidoloſum cum judicio probabili ...... Ideoque diſtinguunt duos modos Epikiæ, ſcilicet vel excipiendo caſum a poteſtate Legiſlatoris, vel a ſola voluntate. Et in priori dicunt poſſe ſubditum ex probabili judicio, quod talis caſus non comprehenditur ſub poteſtate legis, excuſari a legis obſervatione, nulla expectata interpretatione Superioris, non ſolum in caſu ſubito, & urgente, ſed etiam in quolibet alio ..... n. 5. At vero in altero modo Epiikiæ, in quo caſus excipitur a ſola voluntate &c. *ait hæc opinio*, non ſolum eſſe recurrendum ad Superiorem, quando fieri poteſt in caſu probabili, ſed etiam ſi caſus ſit moræ impatiens &c. n. 6. Nihilominus *ſententiam Cajetani, & Soti cenſeo eſſe practice certam* quoad hanc partem, ut quando non poteſt conveniri Superior, liceat ex probabili ſententia, aut judicio Epiikia uti &c. Ratio eſt, quia judicium, probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum, præſertim ubi regula certa applicari non poteſt &c. " Ex quibus, & ex aliis, quæ ſequuntur, quæ gratia brevitatis prætereo, liquet id ſolum velle P. Suarez, *ex judicio probabili* licere uti Epicheja, quod indubitatum eſt, quando non concurrat cum alio judicio probabili contrario; neque enim in rebus moralibus poſſumus ſemper habere judicium certum: nec de judicio ex minori probabilitate formato verbum ullum habet Doctor eximius ſicut perperam ipſi attribuit Viva.

Consectarium Quintum.

V. Hoc Conſectarium eſt confirmatio, & major explicatio præcedentis. Nam ſi probabilitas opinionis pro una parte concurrat cum opinione probabili ex altera parte, dubium generetur neceſſe eſt. Quoties igitur dubium eſt, an caſus ob damnum, quod ex obſervantia legis naſceretur, comprehendatur in lege, nec ne, certa doctrina S. Thomæ eſt, tunc aut conſulendum eſſe Superiorem, aut ſi Superior conſuli nequeat, legem eſſe obſervandam, prout conſtat ex teſtimonio S. Doctoris ſupra laudato, nimirum *in caſu, in quo eſt manifeſtum per evidentiam nocumenti Legiſlatorem aliud intendiſſe*, tunc non agit contra mentem Legiſlatoris agendo præter verba legis. *Si enim*, ſubdit, *dubium ſit, debet, vel ſecundum verba legis agere, vel Superiorem conſulere*. Vel hoc ſolum S. Doctoris teſtimonium abunde ſufficeret ad oſtendendum, quam ſit mens ipſius probabiliſticæ regulæ adverſa. Solum namque licere putat interpretari per Epicheiam Legiſlatoris mentem, & agere præter verba legis, *in caſu, in quo manifeſtum eſt aliud intendiſſe ob evidentiam nocumenti*, quod ex obſervata ſua lege ſequeretur: ſed ſi *dubium hoc* ſit ex contrarietate

tate rationum, tunc non conſcientiam *probabilem* ſibi formandam edocet, ſed legem obſervandam præſcribit, ſi Superior conſuli minime poſſit. Et hoc ipſum docet etiam D. Thomam ſecutus P. Suarez, quo abuſus eſt P. Dominicus Viva. Nam loco citato *n.* 10 habet: „ Quarto dicendum eſt de caſu du„ bio, in quo judicari non poteſt probabili„ ter, an caſus comprehendatur ſub legis ob„ ligatione. In quo ſententia communis eſt, „ recurrendum eſſe ad Superiorem, ſi fieri „ poſſit, vel ſi non poſſit, ſervandam eſſe „ legem. Ita D. Thomas, Conradus, Ca„ jetanus, Medina, & Soto ſupra &c. Quæ „ ſententia per ſe evidens eſt in caſu patien„ te moram, ut conſulatur Princeps. Nam „ *ſi in caſu tantum formidoloſo, & probabili* „ *hoc fieri debet, multo magis in caſu dubio*".

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. In lege naturali, ac divina nullus eſt Epichejæ locus. Hæc eſt communis, ac vera ſententia, quam Theologi defendunt adverſus aliquos; qui etiam in iis legibus eam admittunt, utentes, ſive potius abutentes, ut refert P. Elizalda p. 1. de *Reg. Mor.* lib. 4. q. 16. verbis Domini, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, & illis, *Mandata mea gravia non ſunt*, quæ nihil omnino ad rem plane faciunt. Et hoc quidem conſtat ex oppoſita ratione, qua evincitur admittendam eſſe in lege humana: quoniam Lex humana aliquando in caſibus particularibus deficit; non ita vero lex naturalis, ac divina, quæ omnia comprehendit, & in nullo unquam deficere poteſt. Unde & in exemplo allato de furioſo repoſcente gladium in damnum ſui, vel alterius, cui reddi minime debere diximus, lex ipſa naturalis eo in caſu vetat eſſe reddendum.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Etiam in humanis legibus irritantibus, & actum prohibentibus Epichejæ locus non eſt. Quoniam lex irritans voluntatem ad aliquem actum inhabilem perſonam efficit vel ſimpliciter, vel ad contrahendum, niſi juxta formam legis: ſed inhabilitas per legem inducta reſtitui nequit per modum Epichejæ: quia Epicheja ut ſummum conferre poteſt ad excuſationem obligationis; non autem ſufficit ad tribuendam poteſtatem, quam quis non habet, aut reſtituendam poteſtatem ablatam: ſiquidem ad hoc requiritur poſitivus actus vel Superioris, vel alterius poteſtatem habentis conferendi idoneitatem jam ablatam. Hinc inhabilitas e. g. ad contrahendum cum conſanguinea in gradu prohibito nullo in caſu ceſſare poteſt ſine diſpenſatione.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Neceſſe non eſt, ut Epichejæ locus ſit, quod ſemper agatur de detrimento boni communis, ut liceat operari præter verba legis. Satis quippe eſt, ut etiam aliquando de ſolo agatur detrimento boni privati, ſi nempe validum ſit fundamentum putandi Legiſlatoris voluntatem non eſſe, ut in eo caſu ſua lex obliget, ut liquet in caſu modo indicato de repetente ſuum gladium non ad patriæ impugnationem, ſed ad alicui privatæ perſonæ necem inferendam, & in caſu, quo quis in die vetito omni alio cibo careret ad vitam conſervandam præter carnes, & in aliis ejuſdem generis.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Epicheja nedum locum habere poteſt in caſu, in quo deeſſet abſolute in Legiſlatore poteſtas ad obligandum ad obſervationem legis, ſed etiam cum ejuſmodi circumſtantiæ concurrunt, ut firmum judicium ferri queat, hanc ejus mentem non fuiſſe, ut iis poſitis obligare vellet. Dixi, *ſi firmum judicium ferri queat &c.* neque enim anceps, aut fluctuans judicium ſufficit, ut præter verba legis agamus. Porro conſectarium hocce ſignificaſſe videtur Ariſtoteles, cum dixit, *Epichejam emendare legem, quam &*

ipſa

Digitized by Google

ipſe Legiſlator, ſi præſens foret, aut circumſtantias noſceret, emendaret, ideſt ita legem temperaret, ac interpretaretur. Sic etiam docuit S. Thomas, munus eſſe Epichejæ, prætermiſſis verbis legis, intentionem ſequi Legiſlatoris: adeoque ad Epichejam neceſſe non eſt interpretari, caſum non comprehendi ſub lege; quia abſolute non potuit Legiſlator caſum illum ſub lege comprehendere; ſed etiam ſufficiet, ſi ſpectatis circumſtantiis prudens, firmumque judicium formari poſſit, noluiſſe comprehendere. At cavendus diligenter eſt abuſus, qui de hac doctrina facillime fieri poſſet, interpretando Legiſlatoris mentem non juxta veritatem, ſed juxta noſtram cupiditatem.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Hinc, ne in aliquem errorem incidamus in uſu Epikejæ, hæ regulæ deſervire poſſunt. Primo conſiderandum eſt, an in eo caſu particulari occurrat aliud præceptum, præſertim juris naturalis, aut divini poſitivi, cui executio repugnet humanæ legis juxta verba ipſius intellectæ, atque adeo num actus tunc contineat injuſtitiam, aut pravitatem inſeparabilem, vel ſaltem contrarius ſit alteri præcepto gravius, & amplius obliganti; ac juxta hæc principia judicare de ipſo oporteat. Secundo conſideranda ſunt, quæ diximus de modo, quo leges humanæ obligant, ac juxta illa judicandum, num hoc peculiare factum in iis circumſtantiis legis humanæ poteſtatem excedat. Tertio, cum non de poteſtate, ſed de voluntate Legiſlatoris judicium ferendum eſt ob occurrentes hic, & nunc circumſtantias, conjecturis uti tunc oportet, ſed quæ non leves, futileſque ſint, verum tanti ponderis, quæ virum prudentem, legiſque amatorem permovere valeant.

CAPUT VII.

De ceſſatione legis humanæ.

DOCTRINA.

I. *Pluribus modis lex humana totaliter deſinere poteſt.*

II. *Explicatur duplex modus, quo finis legis poteſt deſinere*, contrarie *ſcilicet*, & negative.

III. *Si finis, aut ratio legis* contrarie *deſinat, lex omnino ceſſat.*

IV. *Duplex finis legis diſtinguendus, alius intrinſecus, extrinſecus alius.*

V. *Dum perſiſtit finis intrinſecus natura ſua honeſtus, lex non ceſſat, quamquam ceſſet finis extrinſecus.*

VI. *Si actio a lege præcepta ſuapte natura ſit indifferens, ceſſante fine ſibi a Legiſlatore præfixo, ceſſat ipſamet lex.*

VII. *Si tamen finis ceſſet univerſim reſpectu totius Communitatis, non autem relate ad particularem perſonam. Veritas hujus ſententiæ comprobata.*

VIII. *Abſurda, quæ ex adverſa ſententia profluunt, paucis indicantur.*

IX. *Elevantur adverſariorum momenta.*

I. DIXIMUS de legis humanæ ceſſatione in particulari eventu, quæ fit per interpretationem, & epichejam, in qua fit mutatio legis tantum in parte, veluti in ſe, & ab intrinſeco. Dicendum modo aliquid eſt de ejuſdem ceſſatione totali, cum nempe lex mutatur, ac ceſſat omnino vel ex defectu materiæ, vel finis, aut rationis ejuſdem, ita, ut non amplius obliget. Et quidem lex in communi pluribus modis deſinere, aut ceſſare poteſt, ſcilicet ex parte cauſæ effectricis, ſi nempe Legiſlator eam revocet, vel abroget; vel ex parte termini, ſive Communitatis, cui lex indicta fuit, ſi nimirum temporum decurſu, & mutatione reipublicæ inducta non ſubſiſtat populus legi

Digitized by Google

legi ſubjectus , quod raro contingit : at de his ceſſationibus modo non loquimur , ſed de ea tantummodo , quæ ſe tenet ex parte objecti , quatenus mutatur objectum , circa quod lex ipſa verſatur , quoad propriam illam rationem , ob quam ſub legis obligatione conſtituitur : quod perinde eſt , ac quærere , an ceſſante omnino, ac totaliter ratione , vel fine legis , ceſſet etiam lex , adeo ut penitus extinguatur , ac de medio tollatur .

II. Porro duplici modo , ut jam innuimus , ceſſare poteſt objectum , ſive finis , & ratio legis , *contrarie* ſcilicet , & *negative* . Tunc dicitur mutari , aut ceſſare *contrarie* objectum , aut ratio legis , quoties ob mutationem materiæ , vel rerum , ſive circumſtantiarum injuſtum fiat , vel quocunque modo turpe ſervare legem , vel etiam ita arduum , ac difficile , ut moraliter impoſſibilis relate ad totam Communitatem evadat obſervantia legis , vel denique ſi objectum prorſus inutile ſit reſpectu communis boni . Mutatio autem,aut ceſſatio *negativa* erit,ſi in tota legis materia non perſiſtat ratio , ob quam condita fuit , tametſi ea ſublata , adhuc materia ex ſe mala non ſit , nec injuſta , nec impoſſibilis , aut inutilis .

III. Si igitur mutatio objecti in tota materia legis *contraria* ſit, res omnino perſpicua eſt , nec ulli controverſiæ ſubjecta, legem tunc ipſo facto ceſſare , nec ullam amplius parere obligationem , quoniam hoc ipſo deſinit eſſe juſta ; lex autem , ut ſæpe diximus ex SS. Auguſtino , & Thoma , quæ juſta non eſt , nec etiam lex eſt . Fieri autem tunc injuſtam ſatis patet , quia injuſta lex omnis eſt , quæ aliquid continet , quod æquitati naturali , aut juſtitiæ repugnat , aut eſt impoſſibilis , & inutilis communi bono . Quare in eo eventu neceſſe non eſt , quod revocetur a Principe , ut licite non obſervetur , neque etiam ut conſuetudine abrogetur . Nam etiam ante conſuetudinem introductam juſte poterit non obſervari . Quod compertiſſimum eſt , quoties legis obſervatio incipit eſſe iniqua : nec enim obligatio ulla eſſe poteſt ad aliquid iniquum efficiendum . At vero idem quoque dicendum eſt , ſi lex fiat impoſſibilis , quoniam ad impoſſibile nemo obligatur , & reſpectu Communitatis ſufficit , quod hæc impoſſibilitas ſit moralis , ut ceſſet obligatio , nedum relate ad ipſam Communitatem , ſed etiam relate ad ſingules Cives eam Communitatem componentes. At ſimiliter idem dicas, ſi materia fiat inutilis, ac vana in ordine ad bonum commune : cum enim de ratione legis ſit , ut in commune bonum referatur, hac ratione ceſſante , lex ipſa ceſſet , oportet , ejuſque obligatio , quæ eſt proprietas ipſius . Neceſſe autem eſt, ut hæc mutatio totius materiæ univerſaliter facta , manifeſta ſit , atque evidens . Si enim dubia ſit , jam lex ſuum omne jus retinet, ſemperque pro ejus juſtitia, poſſibilitate , ac utilitate præſumitur .

IV. Atque in his , ut dixi , res clara eſt, nec difficultati obnoxia . Difficultas tantum eſt , quoties finis , aut ratio legis univerſaliter quidem ceſſat , ſed ſolum *negative* . Pro qua dirimenda recolendum eſt, duplicem eſſe finem legis , alium *intimum* , alium *extrinſecum* . Finis legis intrinſecus eſt ipſa rei præceptæ honeſtas : extrinſecus , quem ſibi Legiſlator ipſe præfigit in ferenda lege ; qui ſub duplici ratione conſiderari poteſt . Nam aliquando idem eſt , ac finis intrinſecus , aliquando ab illo diverſus . Sic E. C. finis intrinſecus legis jejunii , cujus res præcepta natura ſua honeſta eſt , eſt temperantia , quam conſequitur mortificatio carnis . Quare dum Legiſlator præcipit jejunium , non poteſt non præcipere temperantiam , & carnis mortificationem . Sic etiam finis intrinſecus orationis eſt religio : adeoque Legiſlator præcipiens orationem nequit non intendere actum religionis . Quoties igitur actio, quæ præcipitur , ſuapte natura honeſta eſt , ut in caſibus hic propoſitis , aliiſque ſimilibus , finis

in-

intrinſecus legis eſt ipſa lex præcepta. Tunc vero nequit Legislator non intendere hunc finem, licet alios ſibi præfigere valeat, qui *extrinſeci* dicuntur, & omnino pendent a voluntate Legislatoris, ut ſi præcipiat jejunium, aut orationem ad placandam iram Dei, ad avertendam publicam calamitatem, ad aliquid impetrandum a Divina Miſericordia &c. Finis omnino extrinſecus legis eſt, quotieſcunque res præcepta nullam ex ſe honeſtatem continet, ſed natura ſua mere eſt indifferens, ut geſtare arma, extrahere merces &c. quæ Legislator præcipit, aut vetat ob fines ſibi præſtitutos. Hoc poſito

V. Si lex præcipiat actionem natura ſua honeſtam, & virtuoſam, ut in exemplis allatis de jejunio, & oratione, quamvis ceſſet finis extrinſecus ſibi a Legislatore præfixus, ipſa lex ſemper perſiſtit. Loquor de lege, non de ſolo præcepto, quod fieri ab homine poteſt ob aliquem ſuum peculiarem finem. Si enim de hoc ſermo ſit, tunc ceſſante fine, & cauſa præcepti a Legislatore impoſiti, ceſſare etiam illud ſolet: quamquam actio præcepta ſit intrinſece honeſta, ac officium virtutis, ut ſi Superior ob aliquam ſpecialem neceſſitatem præcipiat jejunium, aut orationem etiam plurium dierum: nam eo fine, aut cauſa ſublata, ceſſat quoque jejunandi, aut orandi obligatio. Quoniam reſpectu illius præcepti tota præcipiendi ratio eſt finis extrinſecus, non intrinſeca honeſtas, licet hæc ſupponatur: cujus ſignum evidens eſt, quod talis tranſgreſſio præcepti non eſt E. C. intemperantia, ſed inobedientia. Si vero loquamur de lege proprie accepta, res aliter ſe habet. In hac ſiquidem primo intenditur honeſtas virtutis, ſub qua actus conſtituitur; ut patet in lege obligante ad Divini Officii recitationem, cujus intimus finis eſt religioſus cultus Deo præſtandus per ejuſmodi recitationem, tametſi ad alios fines extrinſecos a Legislatore poſſit ordinari. Porro ratio affectionis hæc eſt: quia tunc non ceſſat cauſa adæquata legis: nam potiſſima cauſa, ſeu finis, & ratio quaſi proxima illius legis eſt honeſtas actus: cum igitur ſemper hæc perſiſtat, non eſt cur lex ipſa ceſſet. Quod confirmari poteſt ex doctrina S. Thomæ *p.* 2. *q.* 100. *art.* 9. *ad* 2. ubi docet, aliud eſſe, quod Legislator intendit præcipere; unde ſi ut lex de ſe obligat ad primum, non vero ad alterum; ita ex oppoſito, quamdiu conſiſtit primum, dum in eo ſufficiens legis ratio perſeverat, lex ipſa conſiſtit, licet ceſſet finis extrinſecus. Hinc ſi in lege jejunii, quæ fertur propter temperantiam, & carnis mortificationem, fingamus Communitatem hoc medio non indigere ad hunc finem obtinendum, lex jejunii nihilominus obligabit. Quod ſi actus deſineret eſſe actus temperantiæ, ut in caſu neceſſitatis extremæ, tunc lex ceſſaret. Similiter ſi a lege præſcribatur, pretium tritici, quamdiu in illo permanet æqualitas, quæ a juſtitia præcipitur, adeo ut inæquale non fiat, legis obligatio perdurat, quamvis aliæ rationes extrinſecæ, aut utilitates ceſſent. Si autem ita res mutaretur, ut quantitas pretii injuſta fieret, lex omnino deſineret, atque ita de aliis.

VI. Si actio a lege præcepta non ſit de ſe bona, aut honeſta, ſed natura ſua indifferens, ceſſante fine adæquato ſibi a Legislatore præſtituto, ceſſat ipſa lex; quoniam actus ex ſe indifferens non poteſt propter ſe præcipi, nec materia legis eſt, niſi propter aliquam communem utilitatem, quam ex illo percipiat Reſpublica, quam ſpectat Legislator, & ad quam ſtatutum ſuum refert. Igitur, ſi hæc boni communis utilitas a Legislatore intenta omnino ceſſat, lex inutilis fit, adeoque extinguitur. Quod ſi non unus, ſed plures ſint fines, quos ſibi præfigit Legislator, nec invicem ſubordinentur, tunc uno tantum ceſſante, lex perſiſtit, quia ſemper

Digitized by Google

per perſiſtit alius, ob quem rogata lex eſt.

VII. Hæc intelligenda ſunt, quoties finis, aut ratio legis ceſſat univerſim reſpectu totius Communitatis. Cæterum aliter eſt ſentiendum, ſi tantummodo ceſſet relate ad peculiarem perſonam ejuſdem Communitatis. Equidem Authores non deſunt, qui contra opinentur, quorum aliquos refert, ſed forte ab ipſo minime perpenſos P. Dominicus Viva q. 6. art. 3. At vera, & omnino tenenda ſententia, quam etiam frequentius ipſi Probabiliſtæ defendunt, tradit non ceſſare legis obligationem reſpectu omnium, quamvis finis etiam adæquatus legis *negative* ceſſet, ſive, ut melius, & exactius dicam, locum non habeat in aliqua perſona particulari, quæ idcirco ab obſervanda lege non eximitur. Probatur autem ex illo S. Thomæ principio, quod leges humanæ feruntur propter commune bonum, & *ſecundum ea, quæ in pluribus accidunt*: adeoque, dum ſubſiſtit finis adæquatus legis in communi, nunquam lex ceſſat in particulari, ſive nullus ſubditorum a lege ſervanda exemptus eſt. Boni ſiquidem communis conſervatio requirit, ut leges communiter ab omnibus ſubditis obſerventur, qui eas obſervare poſſunt. Eas autem obſervare poſſunt ii, in quibus ratio legis ceſſat tantum *negative*, & in particulari: neque enim in hoc caſu peccatum in ea ſervanda committunt, quemadmodum ſi reſpectu hujus, aut alterius ceſſaret *contrarie*, adeo ut legem obſervare non poſſet abſque peccato. Sic lex jejunii quadrageſimalis inſtituta ab Eccleſia eſt propter mortificationem carnis, qui præcipuus finis eſt, & ob alios ſanctiſſimos fines e. g. diſponendi fideles ad paſchale Sacramentum rite, & devote ſumendum. Supponamus virum juſtum, ac perfectum, cujus caro omnino compreſſa, & ſubacta ſit, animuſque diſpoſitus per ſacra ſpiritualia exercitia ad res divinas, ut jejunio non indigeat ad hos fines obtinendos, non ideo a lege jejunii exemptus eſt, ſi eam obſervare valeat: quoniam omnes lex illa complectitur, & pro omnibus lata fuit; adeoque licet finis legis pro hoc ſingulari homine non ſubſiſtat, non minus ac cæteri, ad ejus obſervationem adſtringitur. Quod ad alios caſus extendi facile poteſt.

VIII. Abſurda etiam plurima, quæ ex adverſariorum ſententia conſequuntur, eamdem falſitatis convincunt. Ea namque admiſſa, eluderentur facillime omnes ferme leges humanæ. Nam quiſque, ut ab iis obſervandis eximeretur, hanc excuſationem prætexere poſſet, quod finis, aut ratio legis reſpectu ſui ceſſet omnino. Hinc ſibi facile perſuaderent homines, ſe licite poſſe legere hæreticorum libros, quia nulla ſibi vel fidei, vel morum perverſio imminet, accedere ad Monaſteria Monialium, deferre arma vetita, uti pompis prohibitis, aliaque plura præſtare, quæ lege prohibentur, quia pro ſe ipſis non ea militat ratio, ob quam lata lex fuit.

IX. Momenta, quibus nituntur oppoſitæ ſententiæ defenſores, nullius ponderis ſunt. Dicunt nimirum primo; finis legis eſt tota ratio legis, qua ſublata, lex deficere debet. Deinde; lex non obligat tantum in communi, ſed etiam in particulari: Ergo, quemadmodum ceſſante fine legis in communi, deficit lex pro omnibus, ſic ceſſante fine legis reſpectu perſonæ particularis, pro illa quoque ceſſabit legis obligatio. Exemplo id confirmant legis correctionis fraternæ, cujus obligatio in particulari ceſſat, ceſſante ſpe utilitatis correctionis.

Sed reſpondemus, ad primum falſa ſuppoſitione niti adverſarios, negamus enim ceſſare finem legis in particulari, dum finis ipſius in communi conſiſtit. Nam lex complectitur omnes, & bonum commune exigit, ut lex ab omnibus obſervetur, tametſi pro hoc, aut illo ſubdito locum non habeat damnum, aut periculum, quod ex non obſervantia legis impendet. Ex quo in auras abit utraque objectio. Ad exemplum ex lege correctionis fraternæ deſumptum dico, non

ideo ceſſare legem, quod finis in particulari ceſſet, ſed quia, cum lex illa ſit præceptum affirmativum, non obligat pro ſemper, nec habet determinatum tempus, in quo urgeat obligatio. Unde cum nullus ex correctione ſperatur fructus, non ceſſat obligatio præcepti affirmativi corrigendi fratrem, ſed ſolum obligatio illa, quæ ex ſe indefinita eſt, non coarctatur ad hoc tempus, in quo correctio inutilis eſt ob ſubjectum ad eam recipiendam nequaquam diſpoſitum.

CAPUT VIII.

CONSECTARIA DOCTRINÆ PRÆCEDENTIS.

I. *Si finis legis humanæ* contrarie *ceſſet, ut injuſta fiat, obſervari nequit citra peccatum.*

II. *Si certo conſtat legem deſiiſſe, quamvis ſine peccato obſervari queat, nullus ad eam obſervandam tenetur.*

III. *Oportet, ut lex deſiiſſe judicetur, quod ceſſatio omnibus manifeſta ſit.*

IV. *Dum finis legis univerſim etiam* negative *ceſſat, opus non eſt declaratione Legiſlatoris, ut lex non amplius obliget.*

V. *Solida non eſt Juriſtarum quorumdam de hac re diſtinctio.*

VI. *Ceſſare lex poteſt quoad unam partem, non vero quoad aliam.*

VII. *Si actio præcepta de ſe honeſta eſt, in ea ſpecie virtutis per legem conſtituitur, cujus eſt honeſtas ipſius: ſi autem indifferens, ex fine Legiſlatoris honeſtatem recipit.*

VIII. *Probabilis dicenda non eſt ſententia aſſerens, ceſſante* negative *fine legis in particulari, ceſſare legis obligationem.*

IX. *Improbatur modus ſe gerendi P. Viva in falſa hac ſententia referenda.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. EX iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt, quod quotieſcunque legis humanæ objectum ceſſat *contrarie*, ſive, quod idem eſt, materia legis ex aliquo eventu, aut circumſtantia iniqua ſit, aut divino juri naturali, vel poſitivo repugnans, neque debet, nec poteſt ſine peccato, lex obſervari; quia tunc jus majus prævalet minori, & Deo magis obediendum eſt, quam hominibus; nec opus eſt in hoc caſu recurſu ad Principem, quia nulla tunc ejus authoritas eſt, & etiamſi legem ſuam obſervandam vellet, non poſſet illi obedientia præſtari.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Si certo conſtet, legem deſiiſſe, nec amplius obligare, etiamſi poſſit ſervari abſque peccato, propria authoritate ſubditus poteſt ſe ab ejus obſervatione eximere. Eadem eſt ratio hujus conſectarii, quæ pro priori, hoc ſolo intercedente diſcrimine, quod in priore caſu nedum poteſt ſubditus, ſed etiam tenetur non obſervare legem, ſive licentiam petat, ſive non petat a Superiore: at in hoc caſu poſteriore poteſt quidem, ſi velit, ea efficere, quæ præſcripta in lege erant, ſed ad hoc non obligatur, quoties certum eſt, nullum eſſe in obſervanda lege peccatum. Quod ſi dubitet, ſervanda eſt regula ſuperius aſſignata.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Ut lex ceſſet reſpectu omnium ſubditorum, quia effecta eſt vel impoſſibilis, vel inutilis, oportet ut hæc mutatio facta in tota lege manifeſta ſit, & evidens: nam in dubio pro legis exiſtentia judicandum eſt. Si namque mutatio omnibus evidens, & manifeſta non ſit, inde colligi jure licet, eam talem non eſſe, nec tam univerſalem, ut merito exiſtimari valeat legem eſſe mutatam. Neque hic quidpiam juvat diſtinctio de majori, vel minori dubio, ſed omnino certa notitia neceſſaria eſt ex publica, & conſtanti populi opinione profecta.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quoties finis legis adæquate ceſſat etiam *negative* , neceſſarium non eſt decretum aliquod Legislatoris , quo hæc ceſſatio declaretur: ſed ſufficit , ut de tali ceſſatione manifeſte conſtet per evidentiam facti cogniti in tali Republica , ſive Communitate : quia hoc ipſo ceſſat lex , & obligare deſinit . Cur enim Principis decretum hujuſce ceſſationis declarativum neceſſarium foret ? Profecto hoc nec ex rei natura requiritur , ut patet : ſed neque ex jure aliquo poſitivo ita præſcribente ; quia nullibi extat .

CONSECTARIUM QUINTUM .

V. Hinc ſolida non videtur ea diſtinctio, quam nonnulli Juriſtæ tradunt inter legem , quæ fertur ob inconvenientia amovenda,quæ ex aliquo facto ut plurimum conſequuntur, & legem , quæ fertur propter aliquod commodum , aut utilitatem Communitatis . Quoniam ſi lex ſtatuitur ob vitanda inconvenientia , ſive incommoda , jam finis ejuſdem horum remotio eſt , adeoque eadem eſt ratio de ceſſatione hujus , ac de aliis , qui reſpiciunt immediate aliquod commune bonum : ſolumque, ſi qua differentia eſt , *materialis* dici poteſt . Nam lex quæ fertur ob vitanda incommoda , actum præcipere non ſolet propter ejus bonitatem , vel prohibere propter pravitatem , ſed tantum propter occaſionem mali tollendam . Lex autem , quæ fertur ob aliquod Communitatis bonum procurandum , reſpicit actum propter ejus bonitatem , quæ vel ipſi intima eſt , ſi ſit ex ſe honeſtus , vel quam recipit a lege , ſi ſit indifferens : atque ita de lege aliquid prohibente. Cæterum utrinque legis fine adæquato ceſſante , ceſſat lex,& obligatio legis .

CONSECTARIUM SEXTUM .

VI. Quoniam ſæpe contingit, ut lex plura præcipiat , aut vetet , ſive varia membra, aut partes contineat , idem ferendum judicium eſt de parte , cujus finis , aut ratio legis ceſſavit , ac de tota aliqua lege : eadem quippe ratio eſt ; neque tunc reapſe una lex eſt , ſed multiplex , adeoque una ceſſare poteſt , altera non ceſſante . Si tamen ea multa , quæ lex continet , eſſent invicem ſubordinata , ita ut unam , & integram obligationem inducerent ; tunc attente conſiderandum eſt , an propter defectum in una parte , tota lex reddatur injuſta , vel noxia, vel inutilis , ac ſuperflua : tunc enim tota legis obligatio extinguitur . Si vero eo defectu in una parte nihil obſtante lex adhuc juſta permaneat , atque magis utilis , quam nociva , non ceſſabit ipſo facto , niſi a Principe revocetur .

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Cum leges humanæ conſtituant actum , quem præcipiunt , aut vetant in aliqua ſpecie virtutis , aut vitii , ſi materia legis in ſe , & per ſe honeſtate gaudeat , per legem in ea ſpecie virtutis proxime conſtituitur , ad quam intime pertinet illa materia: ut jejunium ab humana lege præceptum conſtituitur in ſpecie virtutis temperantiæ , ejuſque omiſſio intemperantia eſt : atque ita de oratione , ac de aliis . Atque idem dicendum , quoties per legem medium virtutis in tali materia conſtitui poteſt , ut in lege taxante pretium mercium . Ante legem namque illud non erat *medium juſtitiæ* : poſtquam autem a lege definitum pretium eſt , in eo *medium juſtitiæ* conſiſtit . Quod ſi actus a lege præceptus ſit ex ſe indifferens , nec per legem medium virtutis conſtituatur , ſed dumtaxat propter extrinſecam utilitatem lex ipſum præcipiat , aut vetet ; tunc tota actus honeſtas ex illo fine ſumenda eſt , & ſub ea propriam recipit a lege obligationem, ac neceſſitatem .

Consectarium Octavum.

VIII. Nullatenus admittendum eſt, *probabilem* eſſe ſententiam eorum Authorum, qui docent, ceſſante *negative* fine legis in particulari, ceſſare legis obligationem. *Satis probabilem* ſententiam hanc vocant PP. Salmanticenſes Tract. xı. c. 4. *punct.* 1. *n.* 5. quæ ſi *ſatis probabilis* exiſtimatur, etiam licita, & in praxi ſecura credenda eſt juxta probabiliſticum ſyſtema. At vero nulla ſolida probabilitate gaudere omnino dicendum, tum propter allatam a nobis rationem, & abſurda graviſſima, quæ ex illa profluunt, tum propter argumenta futilia, quæ ad eam comprobandam adducunt.

Consectarium Nonum.

IX. Hinc etiam probandus non eſt modus, quo ſe gerit P. Dominicus Viva, qui licet *q.* 6. *art.* 5. ſententiam noſtram, Theologorumque communem, & ipſe defendat, tamen probabiliſtica benignitate, relatis adverſariorum reſponſis, ea non refutat, ac lectoribus permittit, ut id ſeligant, quod ſibi magis expedire videbitur; quin immo verſus finem ita adverſa reſponſa magnificat, ut quo animo ſit erga ſententiam, quam verbo non amplectitur, plane omnes intelligant. En unum ex adverſariorum reſponſis, quæ affert, ac *intrepida* appellat P. Viva: „ Falſum eſt, „ inquiunt Legislatorem habere finem illum „ univerſaliorem, quod pars conformetur „ toti, quando ceſſat finis immediatus legis „ in particulari. Nam hoc non eſt utile, ſed „ damnoſum Communitati, eo quod ſingulos „ obliget, & aggravet in caſu, quo ceſſat „ finis legis abſque ulla utilitate. Hinc di„ cunt, ceſſante fine directo & immediato „ legis, ceſſare animam legis, atque adeo „ non obligare, ut pars conformetur toti, „ quando in parte ceſſat ratio, cur confor„ metur toti, & nullum adeſt ſcandalum." Porro reſponſum iſtud quod Viva refert, & quodammodo approbare videtur, abſurdis pleniſſimum eſt. Ac in primis erroneum eſt aſſerere in caſu noſtro, partem non debere conformari toti. Cum enim finis legis in communi non ceſſet, lex omnino ſubſiſtit reſpectu omnium, qui ad illam Communitatem pertinent. Si autem ſubſiſtit lex, quæ neminem excipit, obligabit etiam omnes ad illam Communitatem pertinentes. Neque refert, quod finis legis relate ad unum, aut alterum locum non habeat, non enim propterea finis legis etiam in particulari revera ceſſat, quamvis tunc in communi loquendi modo ceſſare dicatur; quia finis eſt commune bonum, quod conſurgit ex eo, quod ſubditi omnes in legis obſervantiam conſpirent, nulluſque ab illa quovis prætextu ſe ſubtrahat, niſi juſta de cauſa ab ipſo Legiſlatore eximatur: quod fit per diſpenſationem, de qua ſtatim.

CAPUT IX.

De diſpenſatione a lege.

Doctrina.

I. *Præmittitur doctrina S. Thomæ circa diſpenſationem a lege.*

II. *Sancti Thomæ doctrina amplius expoſita. Definitio diſpenſationis.*

III. *Diſpenſationis diviſio, ac neceſſitas, ut quis a lege ſolvatur.*

IV. *Regulæ in diſpenſatione obſervandæ. Regula prima: Præcepta juris naturæ nullam admittunt proprie dictam diſpenſationem.*

V. *Regula II. Nulla poteſtas humana in lege divina poſitiva diſpenſare valet.*

VI. *Regula III. Nec Eccleſiæ, nec Summo Pontifici commiſſa a Deo poteſtas eſt, diſpenſandi in iis, quæ ſunt juris divini.*

VII. *Regula IV. Legiſlator humanus in legibus ſuis, & prædeceſſorum ſuorum diſpenſare poteſt.*

VIII. *Regula V. Inferior poteſtate caret diſpenſandi in lege ſuperioris, niſi ipſi concedatur.*

IX.

IX. *Regula VI. Qui poſſunt diſpenſare cum aliis, poſſunt etiam cum ſemetipſis.*

X. *Regula VII. Peccat Superior, qui abſque juſta cauſa diſpenſationem impertitur.*

XI. *Regula VIII. Quanam cenſenda ſit juſta diſpenſandi cauſa.*

XII. *Regula IX. Inferior nedum illicite, ſed etiam invalide in lege ſuperioris diſpenſat.*

XIII. *Regula X. Diſpenſationes ſine juſta cauſa conceſſæ etiam a Superiore plerumque invalidæ, & nullæ ſunt.*

XIV. *Regula XI. Invalidæ ſemper ſunt diſpenſationes a Sacris Canonibus, dum jus in ipſis naturale, vel divinum poſitivum immiſcetur.*

XV. *Regula XII. Nullius valoris eſt diſpenſatio ſubreptitia, & obreptitia.*

XVI. *Regula XIII. Ceſſante cauſa diſpenſationis, & ipſa diſpenſatio ceſſat.*

XVII. *Regula XIV. Diſpenſatio non ceſſat morte concedentis.*

XVIII. *Regula XV. Diſpenſator revocare poteſt, & aliquando debet diſpenſationem.*

XIX. *Regula XVI Ceſſat diſpenſatio, dum ipſi diſpenſatus rennunciat, ſi non eſt in damnum tertii.*

I. AD hanc materiam *de diſpenſatione a lege*, cum pluribus difficultatibus obnoxia ſit, præmittendam duco doctrinam S. Thomæ, quam tradit hic *q.* 97. *art.* 4. ex qua plurimum lucis affulget ad veritatem illuſtrandam. In eo articulo quærit S. Doctor: *Utrum Rectores multitudinis poſſint in legibus humanis diſpenſare?* Ad hoc quæſitum ita reſpondet: „ Dicendum, quod diſpenſatio „ proprie importat *commenſurationem alicujus* „ *communis ad ſingula*. Unde etiam guber„ nator familiæ dicitur *diſpenſator*, in quan„ tum unicuique de familia cum pondere, & „ menſura diſtribuit & operationes, & ne„ ceſſaria vitæ. Sic igitur & in quacunque „ multitudine ex eo dicitur aliquis diſpen„ ſare, quia ordinat qualiter aliquod com„ mune præceptum ſit a ſingulis adim„ plendum “.

„ Contingit autem quandoque, quod ali„ quod præceptum, quod eſt ad commodum „ multitudinis ut in pluribus, non eſt con„ veniens huic perſonæ, vel in hoc caſu, „ quia vel per hoc impediretur aliquid me„ lius, vel etiam induceretur aliquod malum, „ ſicut ex ſupradictis patet. Periculoſum au„ tem eſſet, ut hoc judicio cujuslibet com„ mitteretur, niſi forte propter evidens, & „ ſubitum periculum, ut ſupra dictum eſt „ (nempe loquendo de *Epicheja*). Et ideo „ ille, qui habet regere multitudinem, ha„ bet poteſtatem diſpenſandi in lege huma„ na, quæ ſuæ authoritati innititur, ut ſci„ licet in perſonis, vel in caſibus, in qui„ bus lex deficit, licentiam tribuat, ut præ„ ceptum legis non ſervetur “.

„ Si autem abſque hac ratione pro ſola „ voluntate licentiam tribuat, non erit fi„ delis in diſpenſatione, aut erit imprudens. „ *Infidelis* quidem, ſi non habet intentio„ nem ad bonum commune: *imprudens* au„ tem, ſi rationem diſpenſandi ignoret, „ propter quod Dominus dicit Lucæ 12. *Quis* „ *putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens,* „ *quem conſtituit Dominus ſuper familiam* „ *ſuam?* “.

II. Ex hac aurea Sancti Thomæ doctrina plura conſtant, quæ nos aliquanto latius explicabimus. Ac in primis liquet *diſpenſationis* nomen ſumptum eſſe ex diſtributione, quæ fit a gubernatore familiæ pro pondere, & menſura officiorum, onerum, ac neceſſariorum ad vitam. Aptatum autem eſt ad ſignificandam relaxationem communis obſervantiæ legis reſpectu aliquorum, quibus eam minime convenire a Legislatore cenſetur. Unde diſpenſationis, prout hic ſumitur, hæc eſſe poteſt

DE-

DEFINITIO.

Diſpenſatio eſt quadam relaxatio juris communis reſpectu plurium, aut alicujus perſonæ in aliquo particulari caſu, ex juſta cauſa facta ab habente legitimam poteſtatem.

Ex hac definitione colligere pronum eſt, *diſpenſationem* differre primum a *mutatione* legis preſſe dicta, in qua tota lex revocatur, aut abrogatur, ſive etiam ipſi derogatur; quamquam in aliquo cum derogatione conveniat: differre deinde ab *interpretatione* legis quæ actus juriſdictionis non eſt, ſicut diſpenſatio, ſed mera expoſitio ſenſus legis, quæ fieri ab homine ſapiente poteſt: hinc etiam tertio differre ab *Epicheja*, quæ legem non relaxat, ſed caſum excipit, quia nec ab ipſo Legislatore in lege comprehenſus præſumitur: ac demum differre a *privilegio*, quod eſt facultas permanens conceſſa in perpetuum ad inſtar cujuſdam legis, ac ſæpe non eſt contra, ſed præter legem. Itaque diſpenſatio preſſe dicta cadit in legem obligantem, ejuſque obligationem aufert, aut relaxat in particulari caſu, vel perſona: unde actus juriſdictionis eſt, qui idcirco fieri non poteſt, niſi ab habente poteſtatem, qua perpenſis circumſtantiis, & cauſis ſubditum eximit ab obligatione ſervandæ legis in caſibus particularibus. Siquidem, ut ait S. Thomas, *quod eſt ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non eſt conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum.*

III. Aliquæ aſſignantur *diſpenſationis* diviſiones. Primo diviſio eſt in *partialem*, & *totalem*, ſive integram. Partialis eſt, quæ partem tantum obligationis tollit: totalis, quæ totam legis obligationem aufert & quantum ad pœnam, & quantum ad culpam. Altera eſt in *tacitam*, quæ ſignis exprimitur, & *expreſſam*, quæ verbis ſignificatur, & exhibetur. Quam quam ſi ſigna manifeſta ſint, & evidentia, *expreſſa* ipſa quoque dicenda ſit. Neque enim aliud requiritur ad diſpenſationem, niſi quod pateſiat Legislatoris voluntas, ſive poſtea id perficiatur ſignis, ſive verbis, quæ determinata non ſunt, ut diſpenſatio ſuum effectum aſſequatur.

Hæc autem expreſſio voluntatis Legislatoris, ſive ſignis fiat, ſive verbis, neceſſaria omnino eſt ad diſpenſationem. Unde ut ſubditus a legis obligatione eximatur, ſola præſumptio non ſufficit de Superioris voluntate, quod nempe in hoc, aut illo caſu diſpenſationem conceſſurus ſit, ſi circumſtantias cognoſceret. Quoniam voluntas futura parere nequit effectum diſpenſationis præſentem: diſpenſatio autem præcedere debet, ut aliquis a lege ſolutus dici valeat; neque enim vinculum legis ſolvitur, niſi per illam. Nec eſt, quod opponas, ſatis eſſe aliquando præſumptionem licentiæ futuræ, ut quis actum exercere licite queat, puta quod Religioſus voto paupertatis obſtrictus prudenter præſumat, Prælatum conceſſurum fore licentiam, ut expendat, aut recipiat pecuniam, ſi talis caſus convenientiam noſſet. Differunt enim licentia, & diſpenſatio inter ſe, quod ex licentia, ſive permiſſione reapſe non relaxatur obligatio legis, ſed ſolum apponitur conditio, ſub qua lex non obligat. Sic in exemplo allato obligatur quidem Religioſus paupertatis voto, ne expendat, aut recipiat pecuniam, ſed ſine Prælati ſui facultate, aut licentia; unde licentiam petens, aut prudenter præſumens, jam legem implet, & juxta legem operatur. Non ita vero dicendum de diſpenſatione, quæ ſolvit a lege jam vigente, adeoque *vulnus legis* dici ſolet, quæ præſumi non debet, ſed a Superiore concedi: quapropter dum conceſſa non eſt ſignis, aut verbis ſufficientibus, ſubditus ſub lege manet, neque præſumptione futuræ conceſſionis ab ipſa ſolvitur. Dico *ſignis, aut verbis ſufficien-*

ſicientibus, ad declarandam Superioris voluntatem, quorum hoc certum eſſe credendum eſt, ſi nempe Superior aliquem actum præcipiat, aut fieri concedat, qui abſque diſpenſatione exerceri minime valeat, E. C. ſi Epiſcopus ſciens aliquem eſſe irregularem, ſuper qua irregularitate diſpenſare poſſit, ad Ordines ſacros promoveat: non enim præſumitur tunc pugnantia velle, aut præcipere.

Cum autem in definitione, ſive deſcriptione *diſpenſationis* dictum ſit, eam fieri *ab habente poteſtatem, & ex juſta cauſa*, hæ quoque partes explicandæ ſunt; quamquam ea, quæ notata a nobis fuerunt de poteſtate ferendi legem, eamque mutandi, ſive abrogandi, ſatis eſſe deberent ad hujuſce rei notitiam. Hoc vero nonnullis propoſitis regulis majoris claritatis gratia præſtabimus.

Regula prima.

Præcepta juris naturæ nullam admittunt diſpenſationem proprie dictam.

IV. Quænam ſit diſpenſatio legis naturalis *proprie* accepta, quænam *improprie* dicta, ſatis conſtat ex iis, quæ diximus de ejuſdem legis immutabilitate differentes. Itaque nullam *proprie dictam* diſpenſationem admittere præcepta legis naturalis, hac ſolida ratione oſtendit S. Thomas hic q. 100. art. 8.
,, Intentio Legiſlatoris cujuslibet ordinatur
,, primo quidem, & principaliter ad bonum
,, commune, ſecundo autem ad ordinem ju-
,, ſtitiæ, & virtutis, ſecundum quem bonum
,, commune conſervatur, & ad ipſum per-
,, venitur. Si qua ergo præcepta dentur,
,, quæ contineant ipſam conſervationem bo-
,, ni communis, vel ipſum ordinem juſti-
,, tiæ, & virtutis, hujuſmodi præcepta con-
,, tinent intentionem Legiſlatoris; & ideo
,, indiſpenſabilia ſunt. Puta ſi poneretur hoc
,, præceptum in aliqua Communitate, quod
,, nullus deſtrueret Rempublicam, neque pro-
,, deret Civitatem hoſtibus, ſive quod nullus
,, faceret aliquid injuſte, vel male; hujuſ-
,, modi præcepta eſſent indiſpenſabilia. Sed
,, ſi aliqua alia præcepta traderentur, ordi-
,, nata ad iſta præcepta, quibus determi-
,, nantur aliqui ſpeciales modi, in talibus
,, præceptis diſpenſatio poſſet fieri, in quan-
,, tum per omiſſionem hujuſmodi præcepto-
,, rum in aliquibus caſibus non fieret præju-
,, dicium primis præceptis, quæ continent
,, intentionem Legiſlatoris: puta, ſi ad con-
,, ſervationem Reipublicæ ſtatueretur in ali-
,, qua Civitate, quod de ſingulis vicis aliqui
,, vigilarent ad cuſtodiam Civitatis obſeſſæ,
,, poſſet cum aliquibus diſpenſari propter ali-
,, iquam majorem utilitatem.

,, Præcepta autem Decalogi continent
,, ipſam intentionem Legiſlatoris, ſcilicet
,, Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ
,, ordinantur ad Deum continent, ipſum or-
,, dinem ad bonum commune, & finale,
,, quod Deus eſt. Præcepta autem ſecundæ
,, tabulæ continent ordinem juſtitiæ inter
,, homines obſervandæ, ut ſcilicet nulli fiat
,, indebitum, & cuilibet reddatur debitum.
,, Secundum enim hanc rationem ſunt in-
,, telligenda præcepta Decalogi. Et ideo
,, præcepta Decalogi ſunt omnino indiſpen-
,, ſabilia ".

Notanda maxime ſunt poſtrema hæc Sancti Doctoris verba: *ea quæ continent ordinem juſtitiæ &c. ut ſcilicet nulli fiat indebitum &c.* Ex his quippe eniteſcit reſponſio ad plures difficultates, quæ fieri contra poſſunt Angelicam, & communem doctrinam: eaque utitur S. Thomas in reſp. *ad* 3. ad illam ſolvendam, quæ ſumitur ex quinto Decalogi præcepto. *Non occides*, inquiens: *Occiſio hominis prohibetur in Decalogo, ſecundum quod habet rationem indebiti; ſic enim præceptum continet ipſam rationem juſtitiæ. Lex autem humana hoc concedere non poteſt, quod licite homo indebite occidatur. Sed malefactores occidi, vel hoſtes Reipublicæ, hoc non eſt indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto*

De-

Digitized by Google

Decalogi: nec talis occiſio eſt homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur, ut Auguſtinus dicit in lib. 1. *de libero arbitrio*. Quam reſponſionem adhibet etiam ad ſimiles alias difficultates eluendas: unde ſubdit: " Et ſimiliter, ſi alicui auferatur, quod ſuum erat, *ſi debitum eſt*, quod ipſum amittat, hoc non eſt furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibeatur. Et ideo, quando filii Iſrael præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum ſpolia, non fuit furtum: quia hoc eis *debebatur* ex ſententia Dei. Similiter & Abraham, cum conſenſit occidere filium, non conſenſit in homicidium: quia *debitum* erat eum occidi per mandatum Dei, qui eſt Dominus vitæ, & mortis. Ipſe enim eſt, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus, juſtis, & injuſtis pro peccato primi parentis, cujus ſententiæ, ſi homo ſit executor authoritate divina, non erit homicida, ſicut nec Deus. Et ſimiliter etiam Oſee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus: quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundum mandatum divinum, qui eſt author inſtitutionis Matrimonii ". Quamquam quoad factum Oſee non deſint plures, qui laudabiliter aſſerant, hoc non contigiſſe vera, & reali conjunctione Prophetæ ad mulierem fornicariam, ſed in prænotione myſtica, atque prophetica.

Ex his doctrinam ſuam concludens S. Doctor ait: *Sic igitur præcepta ipſa Decalogi, quantum ad rationem juſtitiæ, quam continent, immutabilia ſunt* (& indiſpenſabilia): *ſed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad ſingulares actus* (*ut ſcilicet hoc, vel illud ſit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non*); *hoc quidem eſt mutabile* (ſive diſpenſabile), *quandoque quidem ſola authoritate divina, in his ſcilicet, quæ a ſolo Deo ſunt inſtituta, ſicut in matrimonio, & in aliis hujuſmodi: quandoque etiam authoritate humana, ſicut in his, quæ ſunt commiſſa hominum juriſdictioni. Quantum enim ad hoc homines gerunt vices Dei, non autem quantum ad omnia*. Atque hæ omnes mutationes, ſive diſpenſationes in lege naturali impropriæ ſunt, & dicuntur: quemadmodum alibi oſtenſum eſt.

Regula Secunda.

Nulla poteſtas humana diſpenſare valet in lege divina poſitiva.

V. Evidens hujuſce regulæ ratio eſt: quoniam divina poteſtas ſuperior eſt quacunque humana poteſtate; inferior autem poteſtas nullam authoritatem habet in iis, quæ ad ſuperiorem pertinent: igitur neque relaxandi obligationem a divina poteſtate impoſitam. Id magis declarat S. Thomas hic in reſponſione ad 3. dicens: *Ad legem divinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur. Unde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille, a quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit; ita in præceptis juris divini, quæ ſunt a Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is, cui ipſe ſpecialiter committeret*. Hæc comperta ſunt apud omnes. At vero cum S. Doctor affirmet in his poſtremis verbis, nullum quidem hominem diſpenſare poſſe in lege divina, ſed addat, *niſi ipſe ſpecialiter alicui committeret*, quæſtio excitari poteſt, ac excitatur a Theologis, num reipſa Deus hanc ſuam poteſtatem alicui commiſerit: quod ſane nonniſi de Eccleſia ſponſa ſua, ejuſque Capite ſupremo Romano Pontifice inquiri poteſt, ac ſolet. Pro qua ſit

RE-

Digitized by Google

REGULA TERTIA.

Nec Eccleſiæ, nec Summo Pontifici commiſſa a Deo poteſtas eſt in iis, quæ ſunt juris divini, ſive in divinis legibus diſpenſandi.

VI. Dico *diſpenſandi*, & quidem diſpenſatione in ſenſu proprio accepta. Siquidem poteſtatem *interpretandi* ea etiam, quæ ad divinum jus pertinent, ineſſe Eccleſiæ, Summoque Pontifici nullus Catholicorum negat. Porro poteſtatem diſpenſandi in lege divina Eccleſiæ, ac Pontifici Summo conceſſam a Deo minime fuiſſe, ſatis aperte colligi videtur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *c.* 2. ubi clare indicat, Eccleſiam mutare non poſſe ea, quæ Sacramentorum ſubſtantiam ſpectant. Hanc etiam regulam diſerte tradit pluribus locis S. Thomas: & ratio manifeſta eam confirmat. Nam ut hæc poteſtas diſpenſandi in lege divina tribui poſſet Eccleſiæ, & Summo Pontifici ex Dei conceſſione, aſſignare oporteret textum aliquem Sacræ Scripturæ, ex quo ejuſmodi conceſſio conſtaret, eo præſertim, quod cum diſpenſatio, nemine diſſentiente, inter odioſa computetur, utpote *vulnus legis*, adeoque non amplianda ſit, ſed potius arctanda in iis etiam humanis legibus, quæ diſpenſationi ſubjecta ſunt; niſi Scripturæ textus ſit perſpicuus, & omnino convincens, hæc poteſtas Eccleſiæ conceſſa aſſerenda non eſt. Porro nullus adhuc Scripturæ textus allatus eſt, ex quo hæc conceſſio certo conſtet: qui enim adduci plerumque ſolet ex Evangelio, *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* abs re eſt, nihilque peculiare continet pro hac diſpenſandi facultate; alioquin, ſi quid probaret, probaret etiam in præceptis omnibus divinarum legum Eccleſiam poſſe diſpenſare, quod & ipſi adverſarii admittere abnuunt. Igitur conceſſam ipſi minime fuiſſe dicendum eſt. Id præterea confirmatur ex eo, quod bono Eccleſiæ nihil conferat hujuſmodi authoritas, immo in ejuſdem majeſtatem cedit firmitas, atque conſtantia in præceptis divinis inviolabiliter obſervandis, nulloque in caſu ipſis derogandi, ut nemo non perſpicit, adeoque nihil eſt, quod cogat, ut hanc conceſſionem a Deo factam Eccleſiæ admittamus, quin potius plura præſto ſunt, ut eam denegemus.

Adverſarii, cum textibus evincere nequeant ſententiam ſuam, factis nos obruere pertentant; multa nempe exempla congerunt diſpenſationum, quæ factæ ſunt in lege divina a Summis Pontificibus: quibus reponimus, omiſſa ſingulorum diſcuſſione, aliqua falſa eſſe, aliqua non pertinere ad jus divinum; quædam non eſſe proprie diſpenſationes divinæ legis, ſed interpretationes ejuſdem. Hoc autem officium interpretandi, quæ divinæ legis ſunt, Eccleſiæ lubenter concedimus, Summiſque adeo Pontificibus, qui cum cuſtodes ſint divini depoſiti Scripturarum, & traditionum, facultate gaudent ea declarandi, & in ambiguis caſibus decidendi, quid ad divinam legem pertineat, quid ab ea diſſideat. Cæterum ſi qui afferuntur caſus, in quibus proprie dicta diſpenſatio in jure divino facta ſit a Summis Pontificibus, dicimus eos vel ſecutos eſſe ſententiam, quam ipſi veram, aut ſaltem probabiliorem judicarunt, vel in iis haud munere ſibi competente eſſe perfunctos: neque enim ii ſumus, qui velimus geſta omnia Summorum Pontificum ita venerari, ac ſuſpicere, prout faciunt nonnulli, ut mitius loquar, imprudentes, quaſi & ipſi homines non eſſent obnoxii humanis affectionibus, ac deceptionibus.

Digitized by Google

Regula Quarta.

Legiſlator humanus in legibus ſuis diſpenſare valet, ſicut etiam in legibus Prædeceſſorum ſuorum: itemque in legibus inferiorum in juriſdictione.

VII. Nulla hæc regula probatione indiget poſt ea, quæ dicta ſunt de legum mutatione: eadem quippe ratio utramque convincit poteſtatem. Unde ſolum applicanda eſt poteſtati cuicumque peculiari. Sic igitur Summus Pontifex diſpenſare valet nedum in legibus a ſe latis, ſed etiam in cæteris Prædeceſſorum ſuorum, & generatim in legibus Eccleſiaſticis, quia poteſtatem legiſlativam, atque adeo diſpenſativam habet in univerſa Eccleſia. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi diſpenſare poſſunt in legibus ſuis, aut in ſuis decretis: Epiſcopus, & Archiepiſcopus Metropolitanus valent diſpenſare in legibus latis in Synodo Provinciali, in propria tamen Diœceſi, ut conſuetudo eſt, non in aliis: ſiquidem in Provinciali Concilio Epiſcopi omnes pari poteſtate fruuntur in judicando, ac leges ferendo: & licet Metropolitanus cæteris ſuperior ſit dignitate, ſuperior tamen non eſt in juriſdictione, ſed inferior ipſo Concilio. Unde ſi Concilium, quod ſingulis ſuperior eſt, ſibi caſum aliquem reſervaſſet, nemo ipſorum in eo diſpenſare poſſet, niſi de conſenſu Concilii. Atque ita de cæteris Rectoribus Reipublicæ ſive Civilis, ſive Eccleſiaſticæ, proportione ſervata, intelligas.

Regula Quinta.

Quamquam inferior poteſtate careat diſpenſandi in lege ſuperioris, eam tamen habere aliquando poteſt ex illius conceſſione.

VIII. Quod ex ſe inferior careat poteſtate diſpenſandi in lege ſuperioris evidens eſt: quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis; inferior autem nullam juriſdictionem habet in legem ſuperioris. Hinc Clemen. *Ne Romani* tit. *de electi*. Pontifex ait: *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*: quod ibi intelligitur pro *irritari*, *detrahi*, ſive *diſpenſari*. Sed quoniam inferiores diſpenſare poſſunt ex facultate ſibi a ſuperiore collata, quandonam, quibuſque in caſibus diſpenſare ex hac conceſſione poterunt? Quia vero præcipua diſputatio eſt de legibus Eccleſiaſticis, ideo quædam ad ejus reſolutionem conſtituenda ſunt. Primo Epiſcopis conceſſa facultas diſpenſandi eſt in iis legibus, in quibus dicitur, *ſtatuimus*, *præcipimus &c. donec in eo diſpenſetur*: ſic enim habetur in Cap. *Poſtulaſti* de Cleric. Excom. ubi legitur, Clericum excommunicatum non poſſe retinere duo beneficia, *niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum*. Secundo Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 6. concedit Epiſcopis, ut diſpenſare valeant in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex occulto delicto provenientibus, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Tertio: quando obtinuit conſuetudo, ut Epiſcopus in aliquo caſu diſpenſet: ſicut enim alia poſſunt conſuetudine præſcribi, ita & diſpenſandi poteſtas, ipſaque conſuetudo legitima ſatis eſt ad juriſdictionem conferendam. Quarto in iis, quæ frequenter accidunt, ut in jejuniis, horis canonicis, feſtis, aliiſque ſimilibus, diſpenſare Epiſcopi, immo etiam interdum Parochi poſſunt: eſſet namque onus importabile, ſi in iis, quæ contingunt in dies, ad ſupremum Legiſlatorem recurrendum eſſet. Quinto quoties gravis occurrit neceſſitas, neque facilis ad Pontificem, ejuſve Legatum Pontificia facultate munitum pateat acceſſus, ſive propter penuriam, ſive propter periculum in mora, ſive propter aliud rationabile motivum, Epiſcopis conceſſa eſt diſpenſandi facultas. Hoc enim exigit jurium

æqui-

æquitas, & commune bonum. Qua de cauſa Epiſcopi diſpenſant in impedimentis matrimonii, ſi matrimonium jam ante contractum publicum eſt, & impedimentum occultum, meritoque timetur ex conjugum ſeparatione ſcandalum, vel gravis perturbatio.

Regula Sexta.

Qui poſſunt diſpenſare cum aliis, poſſunt etiam diſpenſare cum ſemetipſis.

IX. Ratio aperta eſt: quia Superiores, ſive ſint ſæculares, ſive Eccleſiaſtici, non debent eſſe deterioris conditionis, quam ſubditi; hoc enim æquitas omnino requirit. Atque hæc regula tanquam certa traditur a S. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. ſive interim hæc ſit diſpenſatio proprie dicta, ſive improprie, & late accepta. Loquens enim S. Doctor *de obſervantiis regularibus*, quibus ſubdi poſſunt Religioſi ad Epiſcopatum promoti, diſtinguit eas, quæ officio Pontificali repugnant, quibus obſervandis non adſtringuntur, ab iis, quæ convenire Epiſcopo valent, ac de his docet, *poſſe diſpenſatione uti, ſecundum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, & conditio hominum, cum quibus vivit, per modum, quo etiam Prælati Religionum* (idemque dicas de cæteris Prælatis) *in talibus ſecum diſpenſant*.

Regula septima.

Peccat Superior, qui diſpenſationem in lege concedit abſque juſta cauſa.

X. Hæc ita generatim poſita extra omnem controverſiam eſt. *Si abſque ratione* [inquit S. Thomas] Superior *licentiam*, ſive diſpenſationem *pro ſola voluntate tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, rationem diſpenſandi ignoret*. Hanc doctrinam hauſit S. Doctor ex Patribus, ac præſertim ex D. Bernardo, qui *lib. III. de Conſider. C.* 4. ait: “ Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, *communis*, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt “. Et lib. *de præcept. & diſpenſ.* Cap. 11. „ Stabile dixerim, quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas ſit, niſi ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, ideſt Præpoſitis, verbi gratia, regulæ Sanctorum, Baſilii, Auguſtini, Benedicti, nec non & authentici Canones, & ſi quæ ſunt alia Eccleſiaſtica Inſtituta dignæ authoritatis: quæ quoniam a Sanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeverant, nec omnino cuivis ſubditorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus etiam per homines illis canonica electione ſuccedentes, licite interdum, innoxieque pro cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſantur.... Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omnino, ne ab ipſis quidem Prælatis ſine offenſa poſſunt: aut ſi e contrario contraria forte aliquando charitati viſa fuerint, his duntaxat, quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt: nonne juſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? Sicut e regione Iniquum proculdubio foret, ſi ſtatuta pro ſola charitate contra charitatem tenerentur. Tenent ergo fixam, firmamque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex ſtabili neceſſario ſunt, ſed quatenus charitati deſerviunt. Numquid autem hoc ego, vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſum vel Papa Gelaſius ſenſit? Ait ſiquidem: *Ubi neceſſitas, non eſt*

„ *inconvertibilia maneant Sanctorum Patrum* „ *decreta*. Leo quoque Papa, *Ubi*, inquit, *neceſ-* „ *ſitas non eſt, nullo modo Sanctorum Patrum* „ *conſtituta violentur*. Et infert: ubi ergo „ *neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiæ, qui* „ *poteſtatem habet, ea diſpenſet: ex neceſſita-* „ *te enim fit mutatio legis*."

REGULA OCTAVA.

Juſta cauſa diſpenſandi in legibus humanis ea cenſenda eſt, (quoties diſpenſatio vel proficit ad bonum commune, vel exigitur a charitate).

XI. Hæc regula fluit ex doctrina tradita S. Bernardi, & S. Thomæ. Et quidem S. Thomas nedum eam tradit in corpore articuli, ſed repetit etiam in reſponſione ad 1. *argument.* inquiens: *Quando cum aliquo diſpenſatur, ut legem communem non ſervet, non debet fieri in præjudicium boni communis, ſed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat.* Et S. Bernardus vocat *non fidelem diſpenſationem, ſed crudelem diſſipationem, ubi utilitas communis non provocat, vel neceſſitas non urget, aut charitas non impellit, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur.*

Ex quibus certo colligitur, cauſam, propter quam cum aliquo ab habente poteſtatem diſpenſari poteſt in lege, talem eſſe debere, ut diſpenſatio quadantenus in bonum commune referatur. Lex etenim ad commune bonum ordinatur: adeoque ſi in aliquo caſu diſpenſatio fiat, hæc fieri debet abſque communis boni præjudicio, quinimmo habito ad ipſum reſpectu, eaque *intentione, ut ad bonum commune proficiat*: quemadmodum ajebat S. Auguſtinus epiſt. 1. *Detrahendum nimirum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat*. Qua de cauſa contingere nonnunquam poteſt, ut recte officio ſuo non fungatur Superior, & peccet non diſpenſando in caſibus, in quibus diſpenſatio ad commune bonum prodeſſe poteſt, dum nempe nimia ſeveritate cortici legis inhærens, legiſque ſpiritum aut ignorans, aut ſequi non curans, diſpenſare recuſet, quoties id expedit communi bono. Præbet enim faciles occaſiones murmurationum, conjicitque ſubditos in grave periculum violandi legem, quam relaxare renuit, dum juſta, atque urgens relaxandi ſuppetit cauſa.

Cæterum quænam in particulari cauſa ſit diſpenſandi, quæ juſta dici debeat, & bono communi, & charitati conſentanea, definiri minime poteſt, cum hoc pendeat a circumſtantiis temporis, utilitatis, neceſſitatis, pietatis, conditionis, ac meriti perſonarum, quarum in diſpenſando habenda ratio eſt. Unum illud ſolummodo obſervare par eſt, talem, ac tantam non eſſe debere cauſam, quæ ex ſe etiam abſque Superioris authoritate ſufficeret, ut quiſpiam jam a lege obſervanda ſolutus eſſet. Tunc enim opus non foret diſpenſatione, ſed ut ſummum declaratione, aut interpretatione. Quoniam vero juſta cauſa indiviſibilis plane non eſt, ad Superioris prudentiam, ac diſcretionem pertinet, quibuſdam quidem totum legis onus relaxare, quibuſdam vero partem oneris, quibuſdam etiam aliud onus imponere, levius tamen illo, ſuper quod diſpenſationem impartitur: neque enim diſpenſatio tunc eſſet, ſed commutatio.

REGULA NONA.

Inferior, cui delegata, aut commiſſa diſpenſandi facultas eſt, nedum peccat ſine juſta cauſa diſpenſando, ſed etiam invalida, ac nulla eſt ejus diſpenſatio.

XII. Ratio eſt: quia cum tota poteſtas diſpenſandi penes Superiorem ſit, præſumi nullo modo poteſt, aut debet, velle Superiorem hanc alteri elargiri facultatem, niſi cum juſta ſubeſt diſpenſandi cauſa. Quare ſi Epiſcopus in ſtatutis Summo-

morum Pontificum , aut Conciliorum abſque cauſa diſpenſaret , nullæ forent , penituſque invalidæ ejuſmodi diſpenſationes , atque adeo iis uti non poſſet diſpenſatus , ac utendo nedum peccaret , ſed nec etiam diſpenſationis effectum conſequeretur .

Regula Decima.

Diſpenſationes in lege abſque juſta cauſa a Superiore conceſſæ ſaltem ut plurimum invalidæ , ac nullæ ſunt .

XIII. Quamvis Theologi cum S. Thoma doceant communiter illicitas eſſe diſpenſationes etiam a Summis Pontificibus conceſſas abſque juſta cauſa ; gravis tamen inter ipſos controverſia eſt de earumdem valore , num ſcilicet validæ ſint , diſpenſatumque a legis onere ſolvant . Theologi frequentius ſententiam affirmantem defendunt : at non deſunt alii , & ii quidem in primis illuſtres Doctores , qui negantem docent , ac tuentur , vel ut certam , vel ſaltem ut valde probabilem, uti ſunt Cajetanus , Vaſquez , Covarruvias , Rebuffus . & alii . Ii porro omnes : tum qui priorem, tum qui alteram ſententiam tradunt, loquuntur de diſpenſatione in legibus pure humanis ab homine conditis . Nam ſi in hiſce legibus quidpiam immiſceatur , quod ad naturale , ſive divinum jus pertineat , conveniunt omnes , diſpenſationes ſine juſta cauſa conceſſas tum illicitas eſſe, tum etiam invalidas , ut ſequenti regula dicemus . In hac ergo diſſidentium inter ſe Doctorum controverſia quid ego ſentiam , in regula poſita expono ; nimirum diſpenſationes ſine juſta cauſa tributas plerumque eſſe invalidas . Dico *plerumque* : quia plerumque ſubreptitiæ ſunt, vel extortæ contra Superioris voluntatem precibus importunis , vel conceſſæ adverſum jus aliquod ſuperius , vel ob alias ſimiles cauſas, quæ nullam efficiunt diſpenſationem . Id profecto mihi colligi poſſe videtur ex ſententiis productis Sanctorum Bernardi , ac Thomæ , qui ejuſmodi facultates ſine juſta cauſa conceſſas non diſpenſationes , ſed *diſſipationes* vocant . Id etiam ſatis probari arbitror ex Concilio Tridentino , quod *ſeſſ.* 25. *c.* 18. hæc habet : " Sicut publice expedit ,, legis vinculum quandoque relaxare , ut plenius evenientibus caſibus , & neceſſitatibus ,, pro communi utilitate ſatisſiat ; ſic frequentius legem ſolvere , exemploque potius , quam certo perſonarum rerumque ,, delectu petentibus indulgere , nihil aliud ,, eſt , quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire . Quapropter ſciant ,, univerſi , Sacratiſſimos Canones exacte ab ,, omnibus , & quoad ejus fieri poterit , indiſtincte obſervandos . Quod ſi urgens, juſtaque ratio , & major quandoque utilitas ,, poſtulaverit , cum aliquibus diſpenſandum ,, eſſe , id cauſa cognita , ac ſumma maturitate , atque gratis , a quibuſcunque, ad ,, quos diſpenſatio pertinebit , erit præſtandum : aliterque facta diſpenſatio *ſubreptitia* cenſeatur "; quod perinde eſt , ac nullius valoris , ut poſtea dicemus . Porro Concilium loqui de iis Sacris Canonibus , qui ab Eccleſia inſtituti ſunt , non autem de legibus divinis , aut quæ juris aliquid divini continent , exploratum eſt . In diſpenſationibus itaque in hiſce Canonibus concedendis præcipit ſummam adhibendam conſilii maturitatem , atque diligentiam , ut non abſque urgenti , juſtaque cauſa tribuantur : quod ſi ſecus factum fuerit , vult hujuſmodi diſpenſationes cenſeri debere *ſubreptitias* , ideſt effectu ſuo vacuas .

Quod Sacroſanctum Concilium ſenſit, idem quoque ſentire cæteros Eccleſiæ Paſtores , ac præſertim Summos Romanos Pontifices omnino præſumendum eſt . Quis enim ſibi perſuadeat , hos reapſe velle diſpenſare , dum juſta non ſuppetit diſpenſandi cauſa , in Sacris Canonibus , quos totius Eccleſiæ uſus conſecravit , aut in legibus aliis majoris momenti , ex quo non exiguum oritur diſciplinæ

Digitized by Google

næ communi præjudicium, ac piis fidelibus offenſio, & ſcandalum? Hinc S. Bernardus epiſt. 7. ſcribens ad Monachum quemdam adverſus aliquos, qui diſpenſationum, quas a Romano Pontifice obtinuerant, prætextu ſe a lege obſervanda immunes arbitrabantur, exclamat: *Mira cautela, ac ſtupenda providentia! Malum, quod jam corde conceperant, opera tamen cauti fuere, non implere, niſi cum licentia. Conceperunt dolorem, ſed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo conceptui Papa præberet aſſenſum. Quo lucro? Numquid ideo aut malum eſſe deſiit, aut vel minoratum, quia Papa conceſſit? Quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? Quod tamen Summum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Similia habet Cardinalis Bellarminus, cujus authoritas hac præcipue in re magni facienda eſt, *in Epiſt. ad Nep.* ubi contra injuſtas diſpenſationes ſcribit: *Hic cavillus* (quod nempe obtinuerint a Summo Pontifice diſpenſationem) *ſecuros reddit multos, tutum vero neminem. Quoniam Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator: ideoque qui iniquam diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt, & qui ea utitur, eadem ſemper irretitur iniquitate.* Quibus verbis rationem ſtatutæ a nobis regulæ affert: quod ſcilicet etiam ipſe Summus Pontifex *non ſit dominus*, ut pro arbitrio diſpenſet in Eccleſiæ legibus, quæ, & quibus ipſi placuerit, ſine juſta cauſa: quia neque ipſum reapſe diſpenſare velle exiſtimandum eſt, licet quandoque oretenus aſſentiri videatur.

Regula undecima.

Diſpenſationes a Sacris Canonibus, in quibus jus naturale, vel divinum poſitivum immiſcetur, invalidæ, ac nullæ ſunt.

XIV. De hac regula, quam, nuper innuimus, plura a nobis dicta ſunt, dum de lege Eccleſiaſtica verba fecimus. Hanc autem, licet in ſuperiore diſſentiant, Theologi omnes ut certam tradunt: quoniam humana poteſtas, quæ unque ea ſit, nullam authoritatem habet in iis, quæ a ſuprema divina poteſtate conſtituta fuere. Ea porro permaxime animadvertenda eſt, quoniam ex legum humanarum, & divinarum permixtione, plures ratas, ac validas habent diſpenſationes Pontificias, quæ reapſe nullæ ſunt. Audire in primis juvat S. Thomam *quodl.* 9. *art.* 15. cujus doctrina facem clariſſimam præſtat propoſitæ regulæ: „ Sunt quædam, inquit, actiones, quæ abſolute conſideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important: quæ tamen, aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonæ efficiuntur. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas. Cum hoc, quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat: utpote quod non eſt poſſibile aliquem deſervire in pluribus Eccleſiis, in quibus eſt præbendatus; cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ, quaſi ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiæ contulerunt, ut certus numerus Deo ſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt; & multa alia hujuſmodi, quæ de facili patent. Unde non poteſt contineri inter indifferentes actiones, multo minus inter eas, quæ ſunt ſecundum ſe bonæ ut dare eleemoſynam, & hujuſmodi. Quamvis vero has inordinationes pluralitas præbendarum contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequii, ut poſſet plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, „ quod

Digitized by Google

,, quod alius præſens, & ſi quæ alia ſunt
,, hujuſmodi: & tunc, iſtis conditionibus ſu-
,, pervenientibus, cum recta intentione non
,, erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione
,, interveniente, ſi conſideretur tantum ſecun-
,, dum jus naturale; quia diſpenſatio ad jus
,, naturale non pertinet, ſed ſolum ad jus
,, poſitivum. Si vero aliquis hac intentio-
,, ne &c. ''

Qua ex doctrina, licet unicum caſum plurium præbendarum ſpectet, generatim colligi debet, nihil prorſus valere diſpenſationes, quæ fierent a Summis Pontificibus in iis omnibus caſibus, in quibus jus naturale, aut divinum involvitur, læditurque per ipſam diſpenſationem, nec niſi ex cauſa gravi occurrente, qua reddantur honeſti, ad jus naturale amplius non pertineant, ſed ad merum jus poſitivum. Hinc Proſper Fagnanus C. *Quia* de Præb. n. 13. adducta S. Thomæ auctoritate ſubjicit: *Non ceſſantibus ejuſmodi circumſtantiis, quæ deformitatem, ſeu inordinationem tollunt, licitum non eſt plures præbendas obtinere et iam cum diſpenſatione: eo quod diſpenſatio non auferat ligamen juris naturalis, ſed ſolum ligamen juris poſitivi.*

Huc referri poteſt luculentiſſimum teſtimonium immortalis memoriæ Benedicti XIV. Cum enim anno 1749. coram ipſo ageretur cauſa graviſſima in Sacra Congregatione *Signaturæ Gratiæ* de donatione facta a quodam Prædeceſſore ſuo *officiorum vacabilium*, multaque hinc, atque inde diſputarentur pro utraque parte, perorata cauſa, Sanctiſſimus pro tribunali ſedens hanc cedro dignam ſententiam elata voce pronunciavit: *Sciant omnes, atque intelligant, Pontifices Summos eſſe duntaxat adminiſtratores, & diſpenſatores Eccleſiaſticorum redituum. Quapropter Innocentius X. donare nequaquam potuit præfatæ Olympiæ officia vacabilia, de quibus cauſa agitur. Pii fideles Sancto Petro, non Pontificum Nepotibus bona ſua obtulerunt. Et hac de cauſa quidpiam nos Nepoti Noſtro impertiri conſtantiſſime ſemper recuſavimus.* O vere, continere me non poſſum, quin exclamem, Chriſti Vicario, Petrique ſucceſſore dignam ſententiam linguarum omnium præconiis celebrandam!

REGULA DUODECIMA.

Si diſpenſatio ſubreptitia, aut obreptitia ſit, vel per metum extorta, nullius valoris eſt.

XV. *Subreptitia* diſpenſatio ea dicitur, in qua poſtulator non exprimit ea in petitione ſua, quæ eſſent exprimenda ſpectato jure, & conſuetudine. *Obreptitia* illa vocatur, in qua aliquid falſum in petitione exponitur. Quoties igitur vel aliquid non exprimitur in petitione, quod erat exprimendum, vel falſum aliquod exponitur, diſpenſatio obtenta nullius valoris eſt. Ad diſpenſationem enim requiritur diſpenſantis conſenſus; hic autem deficit, quoties vel non exprimitur veritas, vel exponitur falſitas. Hinc in diſpenſationibus ſemper vel apponitur, vel intelligitur ea conditio: *ſi res ita ſit; ſi vera ſunt expoſita* &c. qua non poſita, diſpenſatio nulla eſt, ſicut habetur in Cap. *de fide & inſtr.* ubi Pontifex Innocentius III. ait: *Si tales* [petentes ſcilicet diſpenſationem] *per ſuppreſſionem veritatis, aut falſitatis expreſſionem litteras noſtras etiam certas conſtiterit impetraſſe, carere volumus impetratis, & iis non obſtantibus ad voti executionem compelli.*

Quænam autem reticentia veritatis, aut expreſſio falſitatis ſatis ſit, ut invalida diſpenſatio reddatur, definiri vix poteſt, cum hoc pendeat a circumſtantiis particularibus. Hæ nihilominus generales regulæ tradi ſolent: 1. nempe, ſi non exprimatur, quamvis ſine culpa, aliquid ad rei petitæ ſubſtantiam pertinens, vel quidpiam eorum,,, quæ juxta jus, & ſtylum Curiæ exprimi deberent

Digitized by Google

betent, ut habetur ex Cap. 2. *de filiis Presb.* in 6. quoniam Superior non intendit conferre diſpenſationem, niſi adſint conditiones, quæ ad ipſam intime ſpectant, & quæ exiguntur juxta jura, ſtylum, conſuetudinem, ac regulas Cancellariæ, ut cognoſcatur, quænam ſit, & in quo conſiſtat facultas, aut diſpenſatio, quæ tribuitur. Secundo: nulla eſt diſpenſatio, ſi falſa ſit finalis cauſa, propter quam obtinetur, ut *in Cap.* 20. *de Reſcrip.* ſtatuitur: neque enim Superior cenſendus eſt diſpenſare velle ſine juſta, ac legitima cauſa. Idemque dicendum, ſi ex duabus cauſis, quæ afferuntur, altera vera ſit, altera falſa, & vera ex ſe non ſufficiat ad diſpenſationem impetrandam, quæ juſta, ac rationalibus ſit: ſecus vero ſe res habet, ſi cauſa vera principalis ſit, & ad gratiam obtinendam ſufficiat, falſa autem aliquem duntaxat impulſum, aut incitamentum præbeat. Fagnanus tamen Cap. *Super litteris* cum aliis putat, etiam tunc invalidam eſſe, niſi *ſubreptio*, aut *obreptio* oriatur ex ignorantia inculpata. Tertio tandem, quod & duas præcedentes regulas complectitur: quoties aliqua veritas non exprimitur, aut aliqua falſitas proponitur, unde ſapientum judicio caſus expoſitus corrumpitur, aut vitiatur. Nam tunc invalida exiſtimanda diſpenſatio eſt, etiam ſi Pontifex eam conceſſurus fuiſſet, facti veritate perſpecta: non enim ad diſpenſationem ſufficit conſenſus futurus, ſed præſens requiritur: qui tunc deeſt, cum non feratur in alium, ſed in caſum, qui diſpenſatori proponitur.

Ut aliquid dicamus etiam de diſpenſatione extorta per metum; hæc quidem abſolute valida eſt: ſiquidem ex generali doctrina metus non tollit ſimpliciter voluntarium, & libertatem, ſed duntaxat cauſat involuntarium *ſecundum quid*, ut inquiunt. Hinc ſi metus injuſte incutiatur, peccat quidem poſtulator ex hoc capite, quod metum incutiat; cæterum ſi vera ac legitima fuerit diſpenſandi cauſa, uti ſine peccato poterit diſpenſatione conceſſa, quoniam valida, ac licita eſt: jura namque excipiunt tantummodo matrimonium, & abſolutionem ab excomunicatione, nihilque definitum habemus, quoad alios contractus, & officia, quæ idcirco valida cenſenda ſunt. Poteſtamen Superior diſpenſationem revocare in pœnam delicti; & conveniens eſt, ut eamdem revocet. Quod ſi metus juſte incuſſus fuerit, valida, & licita eſt diſpenſatio nedum in uſu ejuſdem, verum etiam in petitione.

Regula Decimatertia.

Ceſſante cauſa, ob quam conceſſa eſt diſpenſatio, ipſa diſpenſatio ceſſat.

XVI. Loquimur de diſpenſatione, quæ effectum ſuum totum, integrum nondum conſecuta eſt. Si enim hujuſmodi effectum conſecuta jam ſit evidens eſt poſitam regulam locum habere minime poſſe, ut ſi quis diſpenſatus fuerit ad matrimonium contrahendum, aut ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, contracto matrimonio, vel ſuſceptis ordinibus, diſpenſatio ceſſare nequit, etiamſi forte revocaretur. Sic etiam ſi effectus non unus, ſed multiplex ſit, & unum, ſed non alterum conſecuta fuerit diſpenſatio; relate ad hunc revocari quidem diſpenſatio poteſt, non autem relate ad illum. Itaque ſi cauſa, quæ movit, & induxit Superiorem ad diſpenſationem concedendam, non ſubſiſtat tempore, quo diſpenſatio fit, hæc nulla prorſus, & invalida eſt: Superiores quippe, nulla cauſa exiſtente, diſpenſationem elargiri nolunt, ſed neque forte poſſunt. Atque idem omnino dicendum, ſi ejuſmodi cauſa ceſſet, antequam delegatus a Superiore officium diſpenſandi executus ſit. Tota ergo, ſi qua eſt, difficultas, ad eos caſus revocatur, in quibus materia diviſibilis eſt, & ceſſat quoad aliquam partem finalis, & prin-

Digitized by Google

principalis cauſa, ob quam conceſſa fuit diſpenſatio, puta ſi diſpenſetur aliquis ab obſervantia jejunii, a recitatione horarum canonicarum, aut ab alio ſimili præcepto ob ægritudinem, aliudve impedimentum, num ſcilicet diſpenſatus, ſublato impedimento, diſpenſatione uti licite valeat. Qua in re regulam conſtituo, quæ certa mihi eſt, licet nonnulli Theologi oppoſitum ſentiant. Nec ab alio capite rationem repero hujuſmodi aſſertionis, quam ab intimo omnium ſenſu, qui certior eſt veritatum moralium judex præ ſubtilibus Theologorum ſpeculationibus, quæ ſæpius veritatem denſis tenebris offundunt. Quis enim eſt piorum hominum, qui diſpenſatus ob ægritudinem a quadrageſimali jejunio, ſi ægritudo omnino ceſſet vel in principio, vel in medio quadrageſimæ, non ſe credat obſtrictum ad jejunandum reliquis ſacri illius temporis diebus, quamquam hoc in diſpenſatione expreſſum minime ſit? Idemque dicas de diſpenſatione vel audiendi Sacri, vel recitandi divinum officium &c. ſi vel ægritudo, vel cæcitas, vel aliud impedimentum, quod cauſa fuit obtinendæ diſpenſationis, penitus evaneſcat.

Regula Decimaquarta.

Diſpenſatio ob mortem concedentis non ceſſat.

XVII. In proloquio ſatis vulgato eſt, quod *gratia non expirat morte concedentis*. Cum igitur diſpenſatio in lege gratia quædam ſit a Legiſlatore facta, eam non ceſſare etiam ipſo vita functo, dicendum videtur. Nihilominus oportet duplicem diſpenſationem diſtinguere, quarum altera abſoluta eſt, & cauſa, ob quam conceſſa fuit, perſiſtit: atque hanc non ceſſare morte concedentis aſſerimus; quoniam diſpenſatio donationi cuidam, ſive gratiæ comparatur, quæ ſemel facta, & acceptata perdurat etiam poſt mortem donatoris: unde ſi diſpenſatio a jejunio obtenta ſit per integram quadrageſimam, etiamſi in media quadrageſima diſpenſator obierit, diſpenſatio non ceſſat. Altera vero eſt conditionata, ſive conditioni illigata, quæ ceſſare poteſt defuncto Superiore, ut ſi diſpenſatio clauſulis hujuſmodi circumſcripta ſit: *Ad arbitrium noſtrum fruare hac diſpenſatione*, vel *donec nobis viſum fuerit*, *ac placuerit* &c. & hæc morte diſpenſantis expirat. Si tamen actus, pro quo diſpenſatio data eſt, inceptus quidem fuerit, ſed nondum completus, actum diſpenſatus perficere valide poteſt.

Regula Decimaquinta.

Diſpenſator revocare poteſt datam diſpenſationem ſuam, immo aliquando debet.

XVIII. Aliquando diſpenſator revocare diſpenſationem debet, ſi nempe illam ſine juſta cauſa contulerit, aut ſe contuliſſe comperit, præſertim ſi de re agatur non exigui momenti. Diſpenſationem vero ex juſta cauſa conceſſam, adeoque validam, ac licitam revocare quidem valet diſpenſator, ſed nova cauſa occurrente; ſine cauſa vero licite nequit: quoniam ſicut peccaret diſpenſator, ſi abſque juſta cauſa diſpenſationem tribueret; ita peccaret, ſi abſque rationabili cauſa eamdem revocaret: quia ex arbitrio nemini quidquam agere fas eſt, ſed ratio dirigat oportet noſtras actiones. Si tamen etiam ſine cauſa diſpenſatio revocetur, valida revocatio eſt, nec ea amplius uti licet.

Regula Decimasexta.

Diſpenſatio ceſſat, ſi ipſi diſpenſatus renunciet, modo non ſit in damnum tertii.

XIX. Ratio eſt: quia cum unuſquiſque renuntiare gratiæ, vel favori ſibi collato valeat, poteſt & ipſi diſpenſationi renuntiare, quæ gratia quædam, & favor eſt. Non tamen id facere poteſt, ſi damnum aliquod tertiæ perſonæ ex renuntiatione ſequatur, puta ſi quis defloraverit conſanguineam, & diſ-

& diſpenſationem obtinuerit, ut eam in uxorem ducere queat; tunc huic diſpenſationi renuntiare minime poſſet ob conſanguineæ præjudicium, quod inde ſequeretur.

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Intelligenda ſunt de diſpenſatione minus proprie dicta, quæ proſtant in Scripturis, exempla diſpenſationis in lege naturæ.*

II. *Neceſſe non eſt, ut inferior diſpenſare nequeat in lege ſuperioris, quod hic expreſſe diſpenſationem reſervaverit.*

III. *Si dubium ſit de facultate diſpenſandi in lege, inferior diſpenſare non poteſt.*

IV. *Qui diſpenſare in lege poteſt, poteſt etiam commutare.*

V. *Delegatus alteri committere nequit diſpenſandi poteſtatem.*

VI. *Superior non poteſt a lege diſpenſare, niſi proprios ſubditos.*

VII. *Diſpenſatio limitari potius debet, quam extendi ultra rigorem verborum.*

VIII. *Sola Superioris taciturnitas ſatis non eſt, ut diſpenſatio collata cenſeatur.*

IX. *In legibus Concilii Provincialis nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi: qui ad illud convenere, diſpenſare valent.*

X *Falſa eſt aliquorum ſententia dicentium, venialiter ſolum abſolute peccare Superiorem diſpenſantem abſque cauſa.*

XI. *Quare in periculo ſalutis verſantur Prælati nimium faciles in diſpenſationibus concedendis.*

XII. *Etiam Superiores Regulares in ſalutis periculo ſunt in religioſis obſervantiis facillime diſpenſantes.*

XIII. *Quanquam ampliſſima ſit Summi Pontificis in diſpenſando poteſtas, & ipſa tamen ſuis limitibus coarctatur.*

XIV. *Nedum illicitæ, ſed etiam invalidæ ſunt diſpenſationes contra juſtitiam, & Religionem.*

XV. *Diſpenſationes ſine cauſa conceſſæ, licet validæ ſint in foro externo, ſunt invalidæ in foro conſcientiæ.*

XVI. *In diſpenſationibus doctrina S. Thomæ præ oculis habenda.*

XVII. *Si ſubſit legitima diſpenſandi cauſa, diſpenſatio valida eſt a Superiore conceſſa, licet eam ignoret, aut ad eam non attendat.*

XVIII. *Aliquando peccat Superior abſque cauſa diſpenſationem denegans.*

XIX. *Abſurda dicenda eſt quorumdam opinio poſſe mulcta pecuniaria compenſari defectum cauſæ in diſpenſando.*

XX. *Nulla eſt obtenta diſpenſatio, ſi in petitione facti veritas non exponatur.*

XXI. *Ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio.*

XXII. *Sententia PP. Salmanticenſium de hac re rejecta.*

XXIII. *Inferior revocare nequit diſpenſationem a ſuperiore conceſſam.*

XXIV. *Non eſt neceſſe ad valorem diſpenſationis, ut petitio præcedat.*

Appendix, ubi formulæ aliquæ exhibentur pro petendis diſpenſationibus.

Consectarium Primum.

I. EXEMPLA omnia, quæ proſtant in ſacris literis, quibus videtur, Deum diſpenſaſſe aliquando in lege naturæ, intelligenda ſunt de diſpenſatione haud proprie ſumpta, prout explicatum a nobis eſt, dum egimus de immutabilitate legis naturalis, ubi etiam plura ex his exemplis, quo ſenſu accipienda ſint, enodavimus. Quoad alia nonnulla, de quibus ibi mentionem non fecimus, ita quoque explicanda veniunt juxta allatam S. Thomæ doctrinam, nempe quod præcepta Decalogi ſemper jubent id, quod eſt ſecundum ſe *debitum*, idque prohibent, quod eſt *indebitum*, & intrinſece malum. Unde exempla de diſpenſationibus cum filiis Adam, ut validum eſſet matrimonium fra-

Digitized by Google

ris cum ſorore, & cum poſteris eorum, ut licita foret polygamia, & etiam cum Sanſone, ut ſe ipſum, & Philiſthæos ruina templi interficeret, & id genus alia, facile ſoluta manent ex hac doctrina, & aliis obſervationibus, quæ factæ jam ſunt.

Consectarium secundum.

II. Falſa eſt ſententia eorum, qui ajunt, inferiores poſſe diſpenſare in cunctis legibus ſuperiorum, quarum diſpenſatio non ſit expreſſe ſuperiori reſervata. Ratio eſt, quia inferior non habet poteſtatem in ſuperiorem, atque adeo nec in leges ab eo latas. Cum igitur poteſtate careat, nulla eſt diſpenſatio ipſius ex hoc præciſe capite, quod ſibi eamdem ſuperior non reſervaverit. Oportet ergo, quod ex aliis capitibus inferiori conſtet de poteſtate ſibi a ſuperiore collata. Sic ſatis conſtat de facultate collata Sacerdoti abſolvendi ab excommunicationibus contentis in corpore juris, aliiſque, quas ſibi Pontifex expreſſe non reſervavit. Cum enim valde expediant ad animarum ſpirituale bonum, ut hac facultate pollerent Confeſſarii in caſibus, qui frequentiſſime contingunt, noluit Summus Pontifex alias excommunicationes eſſe ſibi reſervatas, niſi illas, quas ſibi ſpecialiter, & expreſſe reſervat.

Consectarium Tertium.

III. Si dubium occurrat, prout occurrere ſæpe ſolet, an inferior facultatem habeat diſpenſandi in lege ſuperioris, ea tunc regula ſervanda eſt, cujus ſupra meminimus ex Sancto Thoma *de Epicheja* differentes, nimirum quod debeat vel ſuperiorem conſulere, vel a diſpenſando abſtinere, ſive dubium negativum ſit, ſive poſitivum, ſive an probabiles rationes ſint pro una parte, & item probabiles pro altera. Neque audiendi in hoc ſunt moderni Probabiliſtæ, qui putant hanc facultatem, quam forte inferior non habet, conferri tunc vel ab Eccleſia, vel a Principe juxta legum qualitatem: neque enim de hac aſſerenda facultate eo in caſu collata ſolidum ullum extat fundamentum.

Consectarium Quartum.

IV. Superior, qui in lege diſpenſare poteſt, poteſt etiam commutare, ſive cum diſpenſatione commutationem conjungere: immo id ſæpe expedientius futurum eſt; ut ſi diſpenſet divitem hominem a jejunio quadrageſimali, recte ſe geret, ſi congruam eleemoſynam pauperibus erogandam pro jejunio ſubſtituat, aut ſi pauper ſit, preces aliquas quotidie recitandas. Illud ſolum hic advertere neceſſum eſt, quod opus injunctum per modum commutationis cujuſdam, ſive compenſationis, reſpondeat, quoad fieri poteſt & qualitati perſonæ, cui diſpenſatio conceditur, & fini legis, in qua fit.

Consectarium quintum.

V. Qui poteſtatem habet diſpenſandi delegatam, eam alteri ſubdelegare minime poteſt, niſi aliter a Superiore diſponatur, aut hæc nova facultas ſubdelegandi exprimatur, aut uſu, & conſuetudine legitima jam invaluerit. Hinc delegatus Summi Pontificis, aut alterius ſupremi Principis facultate gaudet alium, aut alios ſubdelegandi, niſi eidem a Superiore vetetur. Hoc enim pendet a voluntate Superioris, qui ſicut facultatem reſtringere; ita etiam ampliare poteſt, prout ipſi libuerit.

Consectarium sextum.

VI. Sicut Superior non poteſt legibus adſtringere niſi ſubditos proprios, ita neque in iiſdem legibus niſi ſubditos diſpenſare. Poteſtas namque condendi leges, & in iis diſpenſandi ſibi mutuo reſpondet, & altera alterius quædam conſecutio eſt. Quapropter nec Prælati quicunque Eccleſiaſtici diſpenſare valent in legibus temporalibus Principum ſæcularium, nec ſæculares Principes in legi-

bus Eccleſiaſticis. Sic etiam Epiſcopi diſpenſare quidem poſſunt ſubditos propriæ Diœceſis, non autem alienæ: Generales Regularium ſubditos univerſæ propriæ Religionis, Provinciales ſubditos Provinciæ ſuæ, atque ita de cæteris ſentiendum.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Cum diſpenſatio quoddam vulnus legis ſit, odioſa eſt, adeoque limitari potius debet, quam extendi ultra verborum rigorem, prout de cæteris odioſis docent fere omnes Theologi. Quare verbis, aut aliquo exteriore ſigno declaretur oportet, nec ſatis eſt eam ex benignitate diſpenſantis præſumere: cum neceſſe omnino ſit, ut voluntas Superioris ſigno aliquo manifeſto concurrat, quo poſtulans a lege reapſe ſolvatur. Præſumptio autem voluntatis Superioris ſolvendum quidem ſupponit, ſed reap ſe non ſolvit. Quamdiu autem ſolutus quiſque non eſt, tamdiu manet lege obligatus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Hinc ſola taciturnitas Superioris, dum ab ipſo diſpenſatio petitur, ſufficiens non eſt, ut valida diſpenſatio ſit, niſi forte tales circumſtantiæ, aut conditiones concurrerent, quæ voluntatem ejuſdem Superioris ſatis aperte pro ea tribuenda declararent. Unde falſa reputanda eſt ſententia PP. Salmaticenſium, & P. Vivæ alios Probabiliſtas referentium, qui docent abſolute, etiam ſolam taciturnitatem Superioris ſufficere ad diſpenſationis, quæ ab ipſo quæritur, validitatem, eo ducti trito principio, quo plane abutuntur: Qui tacet, conſentire videtur. Poſſunt enim plures rationes eſſe, cur taceat, quin revera conſentiat, nec ſat eſt, ut conſentire videatur, ſed requiritur, ut voluntatem ſuam diſpenſandi manifeſtet.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. In Legibus Concilii Provincialis nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi qui ad illud convenerunt, diſpenſare abſolute poſſunt etiam pro ſola ſua Diœceſi, niſi ex uſu, qui jam obtinuiſſe videtur, & ex tacito Concilii conſenſu hac facultate fruantur. Nam Provinciale Concilium, licet ex Epiſcopis, & Archiepiſcopis conſtet, ſe habet tamquam Superiorem reſpectu ſingulorum, legeſque ab ipſo conditæ a toto Conventu pendent, adeoque ſicut nullus ipſorum eas abrogare valet etiam pro ſua ſola Diœceſi, ita neque in iis diſpenſare. Quare, ut quiſque diſpenſare valide queat, requiritur, ut Concilii voluntas accedat, quæ vel concedatur, vel ex uſu, & conſuetudine jam obtinente ſatis dignoſcatur. Quoniam vero de ſuperioritate Concilii Provincialis ſupra Epiſcopos, & Archiepiſcopos mentio facta eſt, præſtat hic addere, quæ circa *juriſdictionem*, & ordinem, quem tenent inter ſe Poteſtates Eccleſiaſticæ Papa inferiores, adnotavit Franciſcus Sylvius in q. 97. art. 4. S. Thomæ concl. 3. ubi conſectarium noſtrum ita confirmat.

„ Major eſt poteſtas Synodi Provincialis, „ quam Archiepiſcopi: ergo Archiepiſcopus „ non poteſt in legibus talis Synodi diſpen„ ſare tamquam in ſuis propriis. Ant. prob. „ ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *c.* 18. ubi „ de detrectantibus ſolvere portionem Semi„ nario erigendo neceſſariam dicitur: *Epi„ ſcopum, Archiepiſcopum, & Superiores Sy„ nodus Provincialis acriter corripere, eoſque „ ad omnia ſupradicta cogere debeat*. Et ſeſſ. „ 24. c. 3. *A Metropolitanis etiam, poſt ple„ ne viſitatam propriam Diœceſim, non viſi„ tentur Cathedrales Eccleſiæ neque Diœceſes „ ſuorum comprovincialium, niſi cauſa cognita, „ & probata in Concilio Provinciali*. Ubi Con„ cilium Provinciale ſatis clare ſignificatur „ eſſe majus, ſeu juriſdictione ſuperius ipſo „ Archiepiſcopo; licet Archiepiſcopus ſit ma„ jor quantum ad præſidendum. Accedit, „ quod in Cap. *Multis* diſt. 17. cum dicitur, „ quod ſi inter Epiſcopos alicujus Provin-

cia-

„ cæ fuerit controverſia, quæ non poſſit per ipſos componi, *ad Majorem*, hoc eſt ad Metropolitanam *Sedem* referatur: & ſtatim ſequitur: *Et ſi illic facile, & juſte non diſcernuntur, ubi fuerit Synodus regulariter congregata, canonice, & juſte* judicentur. Ex quibus verbis manifeſtum eſt, dari recurſum a Metropolitano ad Synodum Provincialem: nam de Provinciali eſſe ſermonem patet tum ex eo, quod ad ejuſmodi cauſas neque ſufficit Epiſcopalis, neque requiritur Generalis: tum quia ibidem additur: *Majores vero, & difficiliores quæſtiones ad Sedem Apoſtolicam ſemper referantur*. Non ergo vult, ut cauſæ minores, de quibus ſermo præcedit, vel ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Concilium Generale (quod foret difficilius) referantur, ſed ad Provinciale. "

„ His conformia ſunt, quæ Navarrus *conſ.* 6. *de Major. & Obed.* tradit, Archiepiſcopum eſſe caput Concilii Provincialis ad hunc effectum, quod ad eum pertinet vocatio, & congregatio ejus, & ut debeat habere primam ſedem, ut habet Decanus, vel Canonicus Senior in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis: ſed non quoad hoc, quod ſit ſuperior ejus, vel major eo jam congregato: neque quod habeat eamdem juriſdictionem, quam habet illud: immo eſt tantum conjudex, & collega aliorum Epiſcoporum. Ubi etiam Navar. paulo ante dixit, quod Concilium Provinciale eſt ſuperius ſingulis omnibus, qui illud conſtituunt, quorum unus eſt ipſe Archiepiſcopus: & quod tam ipſe, quam alii poſſint a tali Concilio mulctari, & excommunicari. Ex quibus proinde ulterius dicendum eſt, Archiepiſcopum non ſe habere ad Concilium Provinciale, ſicut ſe habet Epiſcopus vel ad ſuum Capitulum, vel ad Synodum Diœceſanam: quia non ſolus ipſe habet poteſtatem Epiſcopalem, & legiſlativam, ſicut Epiſcopus in Synodo Diœceſana; ſed potius ſe habet ſicut Decanus, aut Canonicus Senior Capituli ad ipſum Capitulum, in quem Capitulum poteſt exercere juriſdictionem competentem ei, in quorum eſt Capitulum. Unde in hujuſmodi Concilio Archiepiſcopus non poteſt per ſe ipſum concludere, ſicut poteſt Epiſcopus in Synodo Diœceſana, ſed cum majori parte ſuorum ſuffraganeorum. His conſentiens videri poteſt Granad. *ſect.* 3. *diſp.* 17. *de leg.* ubi ait: Concilium Provinciale conſtare ex multis Epiſcopis, quorum authoritas major, & quodammodo ſuperior eſt authoritate ſingulorum. Plura vero, & apertiora habet Suarezius lib. 6. de leg. C. 15. ". Hæc ille: at poſt hanc non inutilem notitiam ad conſectaria noſtra revertamur.

Consectarium Decimum.

X. Falſa & laxa judicanda eſt ſententia PP. Salmanticenſium, & Auctorum, quos ipſi laudant, Caſtropalai, Villalobos, Dianæ, Sanches, & Laymani, qui univerſim tradunt, peccare duntaxat venialiter Superiorem ex mero arbitrio, & ſine juſta cauſa diſpenſantem. Quamquam enim id, ſi de re levi agatur, admitti poſſit, ſi tamen ſermo ſit de diſpenſatione in re gravi, graviter peccare Superiores pro ſolo lubitu ſuo diſpenſantes, omnino dicendum eſt, adeo ut hujuſmodi diſpenſationes arbitrariæ ex genere ſuo ſint lethalia peccata. Atque ita ſenſiſſe Patres Eccleſiæ, colligitur ex verbis, quibus tales diſpenſationes appellant, dum eas vocant *prævaricationes* officii proprii, & *diſſipationes* legum, & diſciplinæ. Ratio porro ea eſt; quia Legiſlator ex juſtitia legali tenetur legum ſuarum obſervantiam promovere, & conſervare utpote ad commune bonum neceſſariam: ergo dum a lege ſine cauſa diſpenſat, peccat contra juſtitiam. Peccatum autem contra juſtitiam juxta doctrinam S. Thomæ, ac Theologorum, ex genere ſuo grave

&le-

& lethale peccatum eſt. P. Franciſcus Suarez, qui noſtram ſententiam cum aliis defendit, *lib.* 6. *c.* 18. ſapienter obſervat Superiorem diſpenſantem abſque juſta, & legitima cauſa triplicem juſtitiam violare, commutativam, diſtributivam, & legalem. Commutativam quidem, quia Superior ex debito officii ſui tenetur non concedere ejuſmodi diſpenſationem. Nam obligatio quælibet ad officium conſecuta ad juſtitiam commutativam pertinet. Diſtributivam vero, quia cum ex arbitrio diſpenſet cum uno, & non cum alio æqualis, aut forte etiam majoris meriti, ut ita loquar, ea, quæ communia ſunt, haud recte diſtribuit, ſed cum perſonarum acceptione. Legalem demum, quia agit adverſus commune bonum, quod curare, ac promovere debet. Ex quo nemo non videt hujuſmodi peccatum ex genere ſuo eſſe mortale.

Consectarium Undecimum.

XI. Hinc colligere proclive eſt, quanto in periculo verſentur Prælati Eccleſiæ, qui faciles ſe nimium præbent in diſpenſationibus concedendis ſive pro aliis, ſive etiam pro ſemetipſis; qui cauſas exacte non expendunt, cur iſte ſolvendus ſit e. g. ab obligatione jejunii, aut alius ab onere recitandi canonicas horas &c. qui ſatis habent, ut abs ſe diſpenſatio petatur, ut eam ſtatim elargiantur, nulla diſcuſſione præmiſſa neceſſitatis, aut indigentiæ. Hi profecto officio ſuo, & poteſtate abutuntur, nec fideles diſpenſatores vocandi ſunt, ſed diſſipatores Eccleſiaſticarum legum. Quapropter, dum diſpenſatio requiritur, ut peccandi periculum devitent, auream illam S. Bernardi regulam, quam ſupra dedimus, ante oculos habere debent: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis, non propria. Nam, cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

Consectarium Duodecimum.

XII. Non minus Prælati Eccleſiæ, quam Superiores Regularium in ſalutis periculo verſantur, ſi ſine juſta cauſa diſpenſent cum ſubditis in regularibus obſervantiis. Hic etiam audire præſtat eumdem Sanctum Bernardum, qui in *lib. de Precep. & Diſpenſ.* ita loquitur: " Quidquid de ſpiritualibus in „ regula traditum eſt, in manu Abbatis ne„ quaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, „ quæ in corporalibus conſtat obſervantiis, ne „ ipſa quidem in ejus voluntate ita poſita „ eſt, ut ejuſdem deſerviat voluntati, ſed „ magis charitati. Neque enim Abbas ſu„ pra regulam eſt, cui ſemel & ipſe ſpon„ tanea ſe Profeſſione ſubmiſit, etſi (quod „ negandum non eſt) Dei regula charitas „ regulæ Sancti Benedicti jure præponitur. „ Eſto proinde, ut interdum regulæ littera „ cedat pro tempore charitati, cum ratio „ neceſſitatis, vel charitatis exegerit; abſit „ tamen, ut hominis cujuſpiam ſubdatur vo„ luntati. Super Fratrum ſane tranſgreſſio„ nes, non ſuper Patrum traditiones conſti„ tuitur, qui Abbas eligitur, mandatorum „ cuſtos, & ultor vitiorum. Arbitror nam„ que ſanctas illas obſervantias Prælatorum „ prudentiæ, & fidei creditas, non ſubditas „ voluntati. Hinc eſt, quod idem Legiſlator „ in iis, quæ Abbati diſpenſanda reliquit, „ caute nuſquam [ut memini) voluntatem, „ ſed aut conſiderationem, aut diſpoſitio„ nem, aut providentiam, aut certe arbi„ trium, ſeu aliquid hujuſmodi poſcit: vo„ lens nimirum, providum, fidumque di„ ſpenſatorem, rationis, ubi forte diſpen„ ſat, ſequi judicium, non ſuæ placitum „ voluntatis. Unde & intimat ei non ſemel, „ quod de omnibus judiciis ſuis Deo redditu„ rus ſit rationem.

CON-

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Quamquam ſupremus Pontifex, & Chriſti Vicarius ſumma polleat in diſpenſando poteſtate tum in Sacris Canonibus, tum in reliquis quibuſcumque Eccleſiaſticis legibus, quæ jus naturale, aut divinum poſitivum non continent; nihilominus & ejus ampla diſpenſandi poteſtas ſuis limitibus coarctatur, iiſque plane, quos memorat S. Bernardus, & S. Thomas, ut nempe diſpenſare ſaltem licite nequeat ex arbitrio, nec niſi cum vel *urget neceſſitas*, *vel utilitas provocat*, *non propria*, *ſed communis*, ſive cum legitima & juſta cauſa. Qua in re proderit ea referre, quæ ſcripſit, ſive ſuppliciter obtulit ad Paulum III. Congregatio *Novemviralis*, quatuor Cardinalibus, & quinque Prælatis conſtans ab eodem Summo Pontifice inſtituta, ut ea ſuggererent, quæ pro Eccleſiæ reformatione aptiora, magiſque neceſſaria ipſis viſa fuiſſent. Inter alia igitur, quæ ſuggerenda exiſtimarunt ſapientes Prælati, unum hoc extitit, quo diſpenſationum facilitatem improbarunt his verbis; *Illud vero ante omnia*, Beatiſſime Pater, *putamus, ſtatuendum eſſe* .... *ut quantum fieri poteſt, leges ſerventur*: *nec putamus licere diſpenſare in legibus, niſi urgenti de cauſa*, *& neceſſaria*. *Nulla namque perniciosior conſuetudo in quavis Republica induci poteſt, quam hæc legum inobſervantia*, *quas ſanctas majores noſtri eſſe voluerunt*, *earumque poteſtatem venerandam*, *& divinam appellarunt*. En quomodo venerabiles illi Viri diſpenſationes *ſine juſta*, *& neceſſaria cauſa* collatas omnibus prorſus, adeoque nec Summo Pontifici *non licere* putarunt.

At quoniam de hac celebri Congregatione, in qua præ cæteris eminuit præclariſſimus Cardinalis Contarenus, mentio a nobis facta eſt, audiamus etiam alium ipſius textum, quo Summum Pontificem libere allocuta eſt: „Quoniam Sanctitas tua, Spiritu Dei erudi„ta probe noverat principium horum malo„rum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices „Prædeceſſores tui, *prurientes auribus* (ut „inquit Apoſtolus Paulus) *coacervarunt ſibi* „*magiſtros* ad deſideria ſua, non ut ab eis „diſcerent, quid facere deberent, ſed *ut* „*eorum ſtudio*, *& calliditate inveniretur ra*„*tio*, *qua liceret id*, *quod liberet*; inde ef„fectum eſt (præterquamquod Principatum „omnem ſequitur adulatio, ut umbra cor„pus, difficillimuſque fuit aditus veritatis „ad aures Principum) quod confeſtim pro„dirent Doctores, qui docerent Pontificem „eſſe dominum beneficiorum omnium: ac „ideo cum dominus jure vendat, quod „ſuum eſt, neceſſario ſequi in Pontificem „non poſſe cadere ſimoniam: ita quod vo„luntas Pontificis, qualiſcunque illa fuerit, „ſit regula, qua ejus operationes, & actio„nes dirigantur. Ex quo proculdubio effici„tur, ut quidquid libeat, id etiam liceat. „Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex „equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot „abuſus, & tam graviſſimi morbi &c." Quibus ſanandis plurimam operam contulerunt Tridentina Synodus, quæ ſub idem, ac ſequens tempus celebrata eſt, & qui poſtea zelo Eccleſiæ Dei flagrantes Romani Pontifices ſucceſſerunt.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Nedum illicitæ, ſed etiam invalidæ ſæpe ſunt diſpenſationes factæ ſine juſta cauſa in quibuſdam materiis, quæ implicant aliquid contra juſtitiam, aut religionem. Hoc ſequitur ex iis, quæ capite ſuperiore dicta ſunt, & locum præſertim habet in diſpenſationibus retinendi plura beneficia, vel poſſidendi reditus Eccleſiaſticos. Nam poſſeſſio plurium beneficiorum, aut redituum Eccleſiæ, niſi vitentur ea incommoda, & deformitates, quæ ex D. Thoma retulimus, honeſta effici nequaquam poteſt: porro ſi honeſta non eſt, ſed æquitati, aut juſtitiæ repugnet, diſpenſatio nulla eſt, nec ea licite, ac vali-

Digitized by Google

de quis uti poteſt, ſi plura beneficia, ita acquiſiverit. *Si aliquis*, ſequitur loco laudato Doctor Angelicus, *ea intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Epiſcopatum perveniat*, &c. *non tolluntur prædictæ deformitates; ſed augentur* &c. Illis autem deformitatibus non ſublatis, jam religioni, & juſtitiæ adverſæ deprahenduntur, adeoque nec diſpenſator ea tunc valide concedere, nec poſtulator iis uti jure valet. " Juſta ergo ſublata cauſa, [in-
,, quit appoſite Modernus Author pietate, ac
,, doctrina conſpicuus] nihil ſuffragantur di-
,, ſpenſationes percipiendi penſiones, retinen-
,, di plures præbendas, abſentiæ a reſidentia.
,, Pii fideles ingentibus reditibus Eccleſias
,, donarunt, ut earumdem Paſtoribus & pau-
,, peribus, viduis, & orphanis providerent.
,, Deo victimas bonorum litarunt, ut Dei
,, miniſtri & ſe ipſos, & pauperes alerent.
,, Quoties ergo Dei honor, & bonum Eccle-
,, ſiæ univerſalis poſtulant, ut ex bonis unius
,, Eccleſiæ aliquid accipiatur, ut aliarum Ec-
,, cleſiarum miniſtri alantur, in iis conſen-
,, tire pii, & prudentes donatores præſumun-
,, tur. Quoniam una eſt Chriſti Eccleſia, &
,, vinculo charitatis omnes miniſtri unum
,, ſunt. Supremus ergo diſpenſator Roma-
,, nus Pontifex poteſt dubio procul ex rediti-
,, bus omnium Eccleſiarum miniſtris de Ec-
,, cleſia optime meritis, juſta exigente cauſa,
,, providere, quando nempe id bonum com-
,, mune Eccleſiæ poſtulaverit.

,, Verum enim vero ſi ex Eccleſiarum re-
,, ditibus penſiones darentur Clericis cincin-
,, natis, barbatulis, qui mulieribus, non
,, Deo inſerviunt, qui pro Chriſti Eccleſia
,, nihil omnino operati ſunt, non ſacris lit-
,, teris eam illuſtrarunt, non apoſtolica mi-
,, niſteria peregerunt, non morum ſanctitate,
,, non verbo, non exemplo Chriſti cauſam,
,, & Eccleſiæ incrementum promoverunt: ſi
,, iſtis, inquam, penſiones darentur, quis
,, aſſereret validas eaſdem eſſe? Quid ſi ho-
,, minum, & fœmellarum officiis, & me-
,, ritorum larvis confictis extorquerentur? Si
,, Patres omnes fures, latrones, uſurpatores,
,, ſacrilegos compellant vel ipſos Eccleſiarum
,, legitimos Paſtores, qui omnes curas, &
,, ſtudia excolendæ vineæ impendunt, ſi quid-
,, quam præter congruum victum, & veſti-
,, tum, ſibi ad faſtum, ad ditandos con-
,, ſanguineos, ad vanas pompas de propria-
,, rum Eccleſiarum reditibus applicant; quid
,, de illis dicendum, qui nec Eccleſiæ addi-
,, cti, nec Eccleſiarum miniſterio operam
,, navant, nec in Eccleſiæ utilitatem quid-
,, piam operantur? Hi ne pauperum panem,
,, Chriſti patrimonium devorare tuta conſcien-
,, tia, quacunque interveniente Pontificia
,, diſpenſatione? &c.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Diſpenſationes ſine juſta cauſa conceſſæ, tametſi in foro exteriore validæ ſint, validæ tamen non ſunt in foro conſcientiæ. Conſectarium hocce authoritate confirmo ſpectatiſſimi viri Cardinalis Toleti, qui *lib. 5. Inſtruct. Sacerd. c.* 83. hæc habet: ,, Pa-
,, pæ diſpenſatio ſine cauſa non habet lo-
,, cum in foro interiori, & coram Deo, ſed
,, tantum in foro exteriori. Unde qui pen-
,, ſiones retinent etiam cum diſpenſatione,
,, ſi non adeſt cauſa legitima, ſecuri non
,, ſunt. Nec excuſantur, *quia Papa dedit*, &
,, ipſius eſt conſiderare, quomodo dederit
,, (hæc eſt ſolita excuſatio, qua placare ſo-
,, lent conſcientiæ ſtimulos:] hæc, inquam,
,, non excuſant. Si enim pecunias quis acci-
,, piat ab Œconomo, quem ſcit male diſpen-
,, ſare rem Domini, & contra juſtitiam, non
,, poteſt tunc retinere. Papa autem *non eſt*
,, *dominus bonorum, & redituum Eccleſiæ*,
,, ſed tantum univerſalis diſpenſator. Unde
,, ſicut cum diſpenſat hominem in voto, non
,, facit hominem ſecurum in conſcientia, niſi
,, cauſa adſit: ita in penſionum, & benefi-
,, ciorum diſtributione. Cauſa autem hæc
de-

Digitized by Google

„ debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ, cujus ſunt „ bona. Si enim nulla via in Eccleſiæ hujus, „ vel univerſalis utilitatem tendat, non eſt „ cauſa legitima “.

Consectarium Decimum sextum.

XVI. Quamquam certa, & univerſalis regula præfiniri nequeat circa legitimas diſpenſationis cauſas; hoc ſiquidem a pluribus pender circumſtantiis loci, temporis, ac perſonarum diſpenſationem petentium; nihilominus ea, quam tradidimus, Divi Thomæ generalis doctrina ad plures caſus peculiares reſolvendos inſervire plurimum poteſt, quod nempe diſpenſatio in primis in præjudicium non vergat boni communis, ſed magis *ad bonum commune proficiat*. Quapropter, ſpectanda eſt indigentia, pietas, qualitas tum perſonæ poſtulantis, tum materiæ, in qua diſpenſatio facienda eſt: quæ enim hoc tempore, in his circumſtantiis, reſpectu hujus, aut illius perſonæ diſpenſationes *proficere poſſunt ad bonum commune*, non proficiunt, ſed potius obſunt alio tempore, aliis circumſtantiis &c. Similiter cum etiam in diſpenſando *charitatis* habenda ratio ſit, quod nunc, & in his circumſtantiis opus charitatis eſt, in aliis veræ, & ſinceræ charitati potius adverſatur. Quod ſi de cauſæ ſufficientia dubitatur, ſi dubium rationabiliter deponi nequeat, ſervanda eſt generalis regula, quod ſcilicet tutior pars eligatur. Hinc audiendi non ſunt, qui cum PP. Salmanticenſibus, aliiſque Probabiliſtis diſtinguunt dubitationem *de exiſtentia cauſæ*, nimirum, num detur, nec ne cauſa diſpenſandi, & *de ſufficientia ejuſdem*: & in primo quidem caſu docent, ſupremum Superiorem licite diſpenſare non poſſe: in altero vero opus non eſſe diſpenſatione pertendunt: quia tunc a legis onere ſolutus eſt. Futilis quippe eſt ejuſmodi diſtinctio: dum enim dubitatur *de ſufficientia cauſæ*, idem eſt, ac dubitare, an detur cauſa legitima diſpenſandi. Quare tunc Superioris judicio ſubjicere quiſque debet dubitationem ſuam, ut judicet, num revera indigeat diſpenſatione.

Consectarium decimumseptimum.

XVII. Si adſit juſta, ac legitima diſpenſandi cauſa, & Superior diſpenſationem concedat, ſed vel illam ignorans, vel ad eam non attendens, peccat quidem Superior diſpenſando, quia, quantum eſt ex ſe, diſpenſationem ſine cauſa largitur, veriſimilius tamen eſt, quod valida ſit, eaque tuta conſcientia diſpenſatus uti valeat. Siquidem ex una parte exiſtit juſta, ac legitima diſpenſationis cauſa: ex altera diſpenſatio a Superiore conceſſa eſt. Quid igitur ulterius requiritur, ut nedum valide, ſed etiam licite ea uti queat? neque enim peccatum a Superiore in hoc caſu ignorantiæ, aut inadvertentiæ commiſſum præjudicium diſpenſato inferre poteſt, aut debet.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Si Legislator, aut Superior diſpenſationem deneget in quibuſdam circumſtantiis, nempe dum urgens gravis mali, puta ſcandali, vitandi cauſa ſubeſt, aut illam commune bonum requirit, deficit officio ſuo, & peccat: quoniam in eo caſu eam elargiri tenetur. Si vero debita non ſit, nullumque impendeat ſcandalum, aut communi bono detrimentum, eam denegare licite poteſt, quamvis legitima ſuppetat cauſa diſpenſandi. Nam cum diſpenſatio gratia quædam, & indulgentia ſit, eam concedere nequaquam adſtringitur; ſed prout ſibi viſum fuerit, aut expedientius judicaverit, eam concedere, vel negare valet. In hoc tamen non ex mero arbitrio ſuo, aut pro libito ſolo agere debet, ſed juxta prudentiæ leges, quæ multa conſiderat. Non enim cuiquam agere licet ex libito, ſed ratione præeunte, quæ præfiniat, quid agendum ſit, quid vero ſpretis omnibus omittendum.

Conſectarium Decimumnonum.

XIX. Abſurda reputanda eſt ſententia, prout illam proponunt, ac ſequuntur Patres Salmanticenſes *tract. xr. c. 5. p. 4. §. 2.* hæc ſcribentes: *Quando cauſa juſta diſpenſandi non adeſt, poteſt imponi mulcta pecuniaria: & ex illa reſultat ſufficiens cauſa diſpenſationis.* Non enim mulcta pecuniaria poteſt de ſe reddere ſufficientem diſpenſationis cauſam, quæ aliis ex capitibus ſufficiens non eſt. Quare præſupponi debet juſta, & ſufficiens diſpenſandi cauſa, qua poſita loco eleemoſynæ imponi jure poſſunt mulctæ pecuniariæ pauperibus, aut Eccleſiæ erogandæ: quemadmodum fit in diſpenſationibus, quæ pro impedimentis matrimonii obtinentur.

Conſectarium Vigeſimum.

XX. Si in petitione diſpenſationis facti veritas non exponatur, nulla eſt obtenta diſpenſatio, etiamſi Pontifex diſpenſaturus fuiſſet, facti veritate narrata. Quia ad diſpenſationem non ſufficit conſenſus voluntatis futurus, ſed neceſſarius eſt conſenſus præſens. Unde falſa eſt regula, quam aliqui tradunt, ſcilicet reticentiam veritatis in petenda diſpenſatione, aut falſitatis narrationem tunc minime vitiare diſpenſationem, quoties Pontifex eam perinde conceſſiſſet, veritate narrata, & omiſſa falſitate: ſiquidem ad valorem diſpenſationis non ſufficit conſenſus futurus, & conditionatus, ſed præſens requiritur, ut notavimus.

Conſectarium Vigeſimumprimum.

XXI. Dum Summus Pontifex alicui committit, ut diſpenſationem indulgeat, ſi cauſa diſpenſationis omnino ceſſet, antequam illam impertiatur, nec Commiſſarius diſpenſare amplius valet, nec, ſi diſpenſet, valida diſpenſatio eſt. Pontifex namque facultatem diſpenſandi non dedit, aut non dediſſe præſumitur, niſi cauſa exiſtente. Nulla autem eſt diſpenſandi cauſa, quando fit diſpenſatio.

Conſectarium Vigeſimumſecundum.

XXII. Probabilis dicenda non eſt ſententia, quam defendunt PP. Salmaticenſes, & alii, licitum eſſe diſpenſationis uſum, quamvis omnino ceſſet cauſa finalis, quæ Superiorem ad diſpenſandum induxit, antequam executioni demandetur; puta ſi ceſſet ægritudo, propter quam quiſpiam diſpenſatus eſt a jejunio, vel ab horis divinis recitandis: Quia, inquiunt, ſemel ablata lege per diſpenſationem, hæc non reviviſcit, niſi per novum actum Legiſlatoris; Legiſlator autem, ſive Superior legem non renovat; ergo obligatio nulla amplius eſt obſervandi legem. Nam hæc ratio nullius momenti eſt, & potius quoddam ſophiſma: Diſpenſatio enim legem non aufert, adeo ut Legiſlator legem renovare debeat, ſed ſolum aliquem eximit a legis obſervatione ob juſtam, quæ adeſt, aut adeſſe ſupponitur, eximendi cauſam. Si igitur hæc cauſa non duret, jam lex ſuum effectum obligandi obtinet omnes ſubditos, quin opus ſit renovatione legis, quæ nunquam ablata eſt: atque hanc fuiſſe Legiſlatoris voluntatem omnino præſumendum eſt.

Conſectarium Vigeſimumtertium.

XXIII. Inferior revocare nequit diſpenſationem a ſuperiore conceſſam; niſi data eidem fuerit a ſuperiore revocandi facultas. E contra ſuperior nedum in ordine, ſed etiam in juriſdictione revocare poteſt non ſolum diſpenſationes in ſuis legibus conceſſas, ſed etiam in legibus inferiorum: ad hæc quippe ejus poteſtas ſe extendit. Unde Summus Pontifex revocare valet ex juſta, & rationabili cauſa diſpenſationes conceſſas ab Epiſcopis in propriis legibus: idque etiam laudabiliter præſtabit, ſi aliquos Epiſcopos in diſpenſationibus elargiendis nimium faciles ſe præbuiſſe deprehenderit.

RE-

CONSECTARIUM VIGESIMUMQUARTUM.

XXIV. Ad validam diſpenſationem abſolute non requiritur, ut petitio, aut ſupplicatio præcedat, ſed a Superiore circumſtantiis, & boni publici neceſſitatem, aut commodum, ſive etiam charitatis motivum conſiderante proprio motu conferri poteſt. Quoniam neque natura ſua ea petitio neceſſaria eſt, neque ulla lege poſitiva diſpenſatio ſine petitione prohibetur, ſive Summo Pontifici, ſive Principi, ut per ſe notum eſt, ſive etiam Epiſcopis, aut inferioribus Prælatis. Quin immo Superior nedum ſponte diſpenſare poteſt, verum etiam præcipere ſubdito ut diſpenſatione utantur, cum id oportere juxta prudentiæ leges judicaverit.

Atque hæc de diſpenſatione a lege generatim ſpectata modo ſufficiant: quoniam in peculiaribus aliis tractatibus de eadem ſermo recurret.

APPENDIX

Quædam formulæ exhibentur ad faciliorem praxim petendæ diſpenſationis.

Quoniam ſæpe laborant Confeſſarii, aliique diſpenſatione indigentes pro ſe, aut pro aliis in inſtruendis, ſive formandis ſupplicationibus, quibus vel a Sede Apoſtolica, vel ab Epiſcopis diſpenſationem petunt in caſibus, qui interdum occurrunt, placet hic ſubjicere exempla quædam formularum, ad quarum inſtar effingere poſſint ſupplicationes ſuas juxta caſuum varietatem.

Formula ſupplicationis ad impetrandam diſpenſationem in votis Summo Pontifici reſervatis.

Beatiſſime Pater: Devotus in Chriſto Filius N. N. Diœceſis N. exhibet Sanctitati veſtræ, quod natus annos [*hic apponi debet ætas, qua votum fuit elicitum*] plena deliberatione votum elicuit (*hic exprimatur qualitas voti, v. gr. votum perpetuæ caſtitatis, votum ingrediendi Religionem approbatam* &c.): idemque humilis orator ſupplicat Sanctitati veſtræ, ut dignetur eum a tali voto gratioſe abſolvere, & illud in alia pietatis exercitia commutare. [*Si orator, vel oratrix motiva particularia habeat petendi diſpenſationem, hic apponi debent ſincere, & abſque ullo mendacio.*] Hanc expectat gratiam humilis in Chriſto orator, ſi hæc motiva videantur Sanctitati veſtræ ſufficientia, cujus judicio, & authoritati vult ſemper acquieſcere. Datum N. die N. menſis N. anno N.

Formula ſupplicationis ad obtinendam diſpenſationem pro impedimento matrimoniali Papæ reſervato, & matrimonium præcedente.

Beatiſſime Pater, Devotus in Chriſto filius N. N. (*hic apponi debet nomen, & cognomen Sponſi*) Diœceſis N. & devota in Chriſto filia (*hic apponatur nomen, & cognomen Sponſæ*) Diœceſis N. ſcientes ſe eſſe in ſecundo [*vel tertio*] conſanguinitatis [*vel affinitatis*] gradu, volunt tamen matrimonium inter ſe contrahere. Cum autem id fieri nequeat juxta Canones ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ſupplicant humiliter Sanctitati veſtræ, ut dignetur hanc eis facultatem gratioſe concedere *hic orator, & oratrix motiva proponant petendi hanc diſpenſationem ſincere, & ſine ullo mendacio, & exprimi debet, ſi ſint nobiles, vel pauperes, an intervenerit copula carnalis, & quo motivo, an ex ſola paſſione, an ex deſiderio facilius obtinendi diſpenſationem*). Hanc expectant gratiam humiles in Chriſto orator, & oratrix, ſi allata motiva ſufficientia videantur Sanctitati veſtræ, cujus authoritati, & judicio volunt ſemper acquieſcere. Datum N. die N. menſis N. anno N.

Formula ſupplicationis ad obtinendam diſpenſationem pro impedimento matrimoniali Papæ reſervato, & matrimonio jam contracto ſuperveniente.

Beatiſſime Pater, Devotus in Chriſto filius N.N. Diæceſis N. matrimonio conjunctus cum N. N. exhibet Sanctitati veſtræ, quod matrimonio illi jam contracto ſupervenerit impedimentum publicum Sedi Apoſtolicæ reſervatum (*hic apponatur qualitas impedimenti*); idemque humilis orator ſupplicat Sanctitati veſtræ, ut dignetur eum tali impedimento abſolvere, adeo ut poſſit valide, & licite debitum conjugale & reddere, & exigere. Hanc expectat gratiam humilis orator a Sanctitate veſtra, cujus judicio, & authoritati vult ſemper aequieſcere. Dtaum N. die N. menſis N. anno N.

Formula ſupplicationis ad obtinendam abſolutionem, & diſpenſationem circa excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, & irregularitatem Papæ reſervatam.

Beatiſſime Pater, Devotus in Chriſto filius N. N. Diœceſis N. exhibet Sanctitati veſtræ, quod excommunicationem [*vel* ſuſpenſionem, *vel* Interdictum, *vel* irregularitatem] Sedi Apoſtolicæ reſervatam, ob tale factum incurrerit (*hic debet ſincere exprimi factum, ob quod lapſus eſt in excommunicationem &c.*) Idemque humilis orator ſupplicat Sanctitati veſtræ, ut dignetur, eum a tali excommunicatione &c. abſolvere, impoſita congrua parti læſæ ſatisfactione, & ſalutari pœnitentia. Hanc expectat gratiam humilis in Chriſto orator a Sanctitate veſtra, cujus judicio, & authoritati vult ſemper aquieſcere. Datum N. die N. menſis N. anno N.

Formula ſupplicationis exhibendæ Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, vel ejus Vicario Generali in caſibus Apoſtolicæ Sedi non reſervatis.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, Devotus in Chriſto filius N. N. hujuſce Diœceſis exhibet Celſitudini veſtræ, quod in caſum inciderit Sedi Apoſtolicæ non reſervatum, cujus abſolutionem, *vel* diſpenſationem a Celſitudine veſtra obtinere poteſt. (*Hic ſincere caſus exprimatur, ut Ordinarius conſideret, an authoritate fruatur circa hujuſmodi caſum*). Motiva petendi hanc diſpenſationem, *vel* abſolutionem ſunt hæc (*hic afferantur motiva, cur orator diſpenſationem &c. petit*). Hanc gratiam expectat humilis in Chriſto orator, ſi prædicta motiva videantur ſufficientia Celſitudini veſtræ, cujus judicio, & authoritati vult ſemper aequieſcere. Datum N. die N. menſis N. anno N.

CAPUT XI.

De Privilegiis.

DOCTRINA.

I. *Privilegii definitio.*
II. *Multiplex privilegiorum diviſio proponitur.*
III. *Solus ille privilegium conferre poteſt, qui poteſt condere legem.*
IV. *Poteſtas conferendi privilegia intra aliquos limites continetur.*
V. *Etiam Epiſcopi, aliique Prælati conferre privilegia poſſunt.*
VI. *Quid cavere debeant Prælati Eccleſiæ in privilegiis concedendis.*
VII. *Epiſcopi auferre non poſſunt privilegia a S. Sede Regularibus conceſſa.*
VIII. *Privilegia Regularium non debent præjudicium inferre juribus Eccleſiarum.*
IX. *Conſuetudo legitima aliquando inducit privilegium.*

X. Qui-

X. *Quilibet ſubditus, & etiam inferior capax eſt privilegii recipiendi.*

XI. *Privilegium iis tantum conceditur, qui expreſſe nominantur.*

XII. *Cauſa juſta requiritur, ut licita ſit privilegii conceſſio.*

XIII. *Privilegium derogans juri communi reſtringendum potius, quam ampliandum.*

XIV. *Privilegia certis perſonis conceſſa non ſunt ad alios extendenda ob rationis paritatem.*

XV. *Pluribus modis privilegium irritum, & inane eſt.*

XVI. *Ad robur privilegii obſcuri quadraginta annorum præſcriptio ſufficit.*

XVII. *Ceſſat privilegium, ſi non ponatur conditio adjecta.*

XVIII. *Privilegia revocari poſſunt ab eo, qui conceſſit.*

XIX. *Quando ſufficiat, nec ne clauſula generalis revocationis privilegii.*

I. DISPENSATIONI proximum eſt *privilegium*, de quo pauca admodum diſſeruit Angelicus Doctor S. Thomas, ſolumque, quantum in ejus operibus deprehendere licuit, occaſione reſponſionis ad quoddam argumentum ſibi *p.* 2. *q.* 96. *art.* 1. objectum ex Ariſtotele ad primum, ubi ſic ait: " Philoſophus in 5. *Etich.* ponit tres ſpecies juris legalis, quod eſt jus poſitivum: Sunt enim quædam, quæ ſimpliciter in communi ponuntur: & hæc ſunt *leges communes*. Et quantum ad hujuſmodi dicit: *Quod legale eſt, quod ex principio quidem nihil differt ſic, vel aliter: quando autem ponitur, differt*, putà, quod *captivi ſtatuto pretio redimantur*. Quædam vero ſunt, quæ ſunt communia, quantum ad aliquid, & ſingularia, quantum ad aliquid. Et hujuſmodi dicuntur *Privilegia*, quaſi *leges privatæ*; quia reſpiciunt ſingulares perſonas: & tamen poteſtas eorum extenditur ad multa negotia. Et quantum ad hoc ſubdit [Philoſophus] *adhuc quæcunque in ſingularibus leges ponunt*". Ex quibus quandam privilegii notionem depromere poſſumus, quod nempe ſit *lex quædam privata aliquid ſpeciale concedens*: privata, inquam; non quod privilegium unam tantum perſonam reſpiciat: reſpicere quippe etiam poteſt aliquam communitatem; ſed quia peculiari perſonæ, aut communitati jus ſpeciale concedit præter commune. Si quis autem exactiorem *privilegii* notionem, ac ideam deſideret, hanc accipiat ejuſdem definitionem, nimirum:

Privilegium eſt facultas conſtans, ac permanens a Superiore aliquibus conceſſa agendi, vel non præſtandi aliquid, contra, vel præter communem legem.

Ex qua definitione, quæ ſeipſa ſatis clara eſt, conſtat, privilegium a diſpenſatione differre; tum quia diſpenſatio actum, vel caſum particularem reſpicit, in quo legem relaxat, non condit; tum quia eadem non eſt permanens, ſed tranſiens: & etiam differre a lege communiter dicta, quæ ſpectat ſubditos omnes, ſive totam communitatem Superiori ſubjectam: *privilegium* autem vel ſingularem perſonam, vel peculiarem communitatem. Hinc additur, aliquid concedere *contra, vel præter legem* communem, quatenus per privilegium aliquid conceditur vel ultra, vel contra jus illud, quo cæteri adſtringuntur. Hoc poſito pauca quædam de hoc argumento delibabimus, non quia non amplum, quin & ampliſſimum ſit, ſed quia fuſior tractatio vel ad Canoniſtas Theologos pertinet, vel ad peculiares quaſdam materias, de quibus ſuo loco verba faciemus.

II. Duplex in primis privilegium diſtinguitur, *reale* ſcilicet, & *perſonale*. *Reale* illud eſt, quod immediate, & directe conceditur ratione rei, muneris, conditionis, ac ſtatus. *Perſonale*, quod directe concedi-

tur

Digitized by Google

tur ratione, ſeu intuitu perſonæ. Hoc affixum perſonæ eſt, & cum ea extinguitur, ut habetur *reg. 7. juris* in 6. Illud vero rei adhæret, & cum ea perſiſtit, niſi tamen vel ex parte, vel totum revocetur, aut amittatur, ut Cap. *Resolentes* extra *de Statu Monachorum*. Si tamen res ipſa, puta, Eccleſia, vel locus privilegio donatus, non Superioris authoritate, ſed vel Incendio, vel hoſtium incurſione, &c. deſtruatur, non ideo privilegium deſinit, ut infra dicemus. Huc privilegium illud revocatur, quod aliqui *corporale* vocant, quod ſcilicet alicui Univerſitati, Societati, Ordini, vel Capitulo, aut Collegio ita conceditur, ut quodlibet ipſius membrum eo privilegio fruatur, vel etiam Univerſitas ipſa, Societas, Ordo, Capitulum, vel Collegium. Ejuſmodi privilegium non perit durante Collegio, niſi revocetur ab illo, qui conceſſit, aut ab ejus ſucceſſore, aut alio modo deficiat ex iis, quæ notantur in jure. Privilegium *perſonale* aliquando eſt perſona quædam particularis: aliquando vero eſt genus perſonarum, ut Minores, Mariti, Uxores: & utrunque vocari poſſe *perſonale* notant Canoniſtæ. Ac de primo quidem res eſt perſpicua: de poſteriore vero ratio eſt, quia tale privilegium ſingulis perſonis veris ſub illa appellatione conceditur, non ratione communitatis hujuſmodi perſonarum, ſed ratione ſui, & prout in unaquaque eſt, illi ſoli prodeſt, & cum ea extinguitur.

Alia diviſio privilegii aſſignari ſolet, nempe *in gratioſum*, quod gratis conceditur abſque ullo reſpectu ad merita privilegiati, aut parentum, aut aliorum, qui jus aliquod meritorum, qualecunque ſit, in illum tranſtulerint. *Remunerativum* autem dicitur, quod propter merita propria, vel aliena alicui perſonæ, vel communitati applicata confertur. Illud autem adverti debet, privilegium gratioſum equidem conferri abſque intuitu meritorum, ſed conferri non poſſe abſque juſta, & legitima cauſa, ſicut diximus de diſpenſatione: eadem quippe regula in hac & iſto ſervanda omnino eſt.

Tertia diviſio Privilegii eſt in *conventionale*, & *purum*. *Purum* eſt, quod ſine aliquo pacto, ſive conventione tribuitur. *Conventionale* vero, in quo pactum aliquod, aut conventio intervenit, ratione cujus quodammodo privilegiatus obligatur ad privilegium ſibi demerendum aliqua actione, vel omiſſione. Non enim de ratione privilegii eſt, ut liberaliter, & gratioſe concedatur, ſed concedi etiam poteſt cum onere, ſive obligatione, quam ſi quis adimpleat, privilegium acquirit. Iſtud autem privilegium, ſi ſimul perſonale ſit, ad hæredes non tranſit, ſed cum perſona extinguitur, niſi forte aliter in ipſo privilegio exprimatur.

Demum, ut alias minutiores privilegii diviſiones omittam, dividitur privilegium in *perpetuum*, & *temporarium*. Perpetuum dicitur, non quia finem habere nequeat; ſemper enim, ut dicemus, privilegia amitti poſſunt, ſed quia, vel adhæret rei de ſe perpetuæ, vel quia conceditur abſque ulla limitatione temporis, ſed de ſe ſubſiſtit, quamdiu revocatum non fuerit. *Temporarium* vero privilegium eſſe multipliciter contingit. Primo, quia ad definitum aliquod tempus conceditur, quo elapſo ceſſat. Secundo temporarium eſt, ſi ſoli alicui perſonæ tribuatur, licet nulla præſtitura limitatione temporis, quia cum vita ipſius finem habet. Tertio ſi detur ſub conditione, quæ lapſu temporis deſinat, impleta namque illa conditione, ceſſat privilegium: & hoc modo poteſt etiam conferri uſque ad mortem concedentis, ſi iſte ita diſponat, ac declaret, quamvis ex ſe morte concedentis non expiret. His conſtitutis quaſdam regulas expono, quibus ea, quæ hocce argumentum de Privilegiis ſpectant, elucidantur.

RE-

Digitized by Google

REGULA PRIMA.

Solus ille privilegium conferre poteſt, qui poteſt condere legem.

III. Ratio evidens eſt: quia privilegium, eſt quædam lex *privata*, adeoque poteſtatem legislativam in concedente requirit; ex hoc enim, quod privilegium lex privata, non publica ſit, lex quædam eſſe non deſinit: unde præditum eſſe poteſtate legislativa opus eſt, qui illud concedit. Hoc ut clarius explicetur, obſervandum eſt, quod licet privilegium ſit lex privata, ex ea parte tamen, qua derogat juri communi, poteſtatem publicam exigit, ac de ſe ſufficientem ad jus commune conſtituendum: ex ea vero parte, qua privilegium vim habet obligandi alios, ut ſervent, aut non impediant privilegium alicui, vel pluribus conceſſum, eſt vera lex totam Communitatem reſpiciens, adeoque ex hac parte poteſtatem exigit publicam, ac ſimpliciter legislativam. Quod ſi privilegium fuerit præter jus commune, ſeu juri communi minime contrarium, tunc etiam requiri poteſtatem legislativam compertum eſt, cum nonniſi, qui hac poteſtate gaudet, id præſtare valeat, quod ad privilegium conſtituendum neceſſarium eſt.

REGULA SECUNDA.

Intra limites propriæ poteſtatis Princeps tantum privilegia conferre valet.

IV. Explicatur: Princeps temporalis conferre privilegia poteſt, ſed nonniſi in rebus temporalibus, ſive Civilibus: & ſimiliter Princeps Eccleſiæ, ſive Summus Pontifex nonniſi in rebus ſpiritualibus, ſive Eccleſiaſticis, exceptis tamen terris, ſive civitatibus, in quibus eſt etiam Dominus temporalis, atque in ipſis poteſtatem habet, ſicut alii Principes temporales. Hæc regula liquidiſſime fluit ex præcedente; quod nempe hi ſolum poteſtate legislativa potiantur intra eos limites, qui ſupra conſtituti ſunt.

REGULA TERTIA.

Epiſcopi, aliique Superiores poteſtate gaudent conferendi privilegia.

V. Epiſcopi, & Superiores omnes Eccleſiæ Prælati poſſunt reſpective, & ſervata proportione privilegia concedere. Quoniam & ipſi poteſtate gaudent ferendi leges, atque adeo & privilegia conferendi. Verum hæc ſuis legibus, ſuæque poteſtati reſpondeant oportet. Si enim privilegium ſit *contra jus*, Epiſcopus poteſt privilegium concedere in jure vel a ſe, vel a Prædeceſſore ſuo condito, quia illud poteſtati ſuæ ſubditur, non tamen in jure vel communi, vel Pontificio, ſive lato a ſuo Superiore. Si autem ſit *præter jus*, illud etiam conferre quidem Epiſcopus valet, ſed reſpectu rerum ad ſe pertinentium.

REGULA QUARTA.

Prælati Eccleſiæ in conferendis privilegiis curare magnopere debent, ne quidpiam detrahant, aut ullum præjudicium inferant Decretis Patrum, & Conciliorum venerabili antiquitate conſecratis.

VI. Conſtat hæc regula ex ipſo Gratiano, & ex iis, quæ ad eam confirmandam profert C. 25. in quo occaſione cujuſdam diſſidii inter Monachos, & Clericos pluribus oſtendere nititur Sedem ipſam Apoſtolicam Decreta Patrum, & Conciliorum religioſe ſervare etiam in privilegiis concedendis, adeoque & ipſa Sedis Apoſtolicæ Decreta ab aliis eſſe ſervanda. Prius ergo teſtimonia producit, quibus evincat, quod Apoſtolica Sedes præ reliquis Conciliorum Decreta exequatur, & quo ipſa ſublimior eſt, eo magis ſtudioſe invigilet, ne Decreta Patrum violentur, *Siquidem reatu majore delinquit; qui honore potiore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum ſublimatas*

blimitas peccantium, ut loquitur Hilarius Papa *Can.* 4.

Can. autem 6. ſub nomine Urbani (qui creditur *Secundus*, & ſedit in Pontificatu anno circiter 1090.) dicitur, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas leges condere (atque adeo & privilegia, quæ *privatæ leges ſunt, concedere*); *Sed hoc ubi aperte Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes SS. Patres ſententialiter nihil definiverunt.* Alias ubi id factum eſt, *non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt.*

Dein *Can.* 7. verba refert Zozimi Papæ, quibus edicitur, quod *contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis* (Apoſtolicæ) *poſſit Authoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.*

Item *Can.* 8. verba profert S. Gregorii Magni ex *epiſt.* 139. ubi Sanctus Pontifex ſcribit, quod privilegia Eccleſiarum non ſint lædenda, & Romanæ Eccleſiæ jura ita defendenda, ut ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſerventur. Et *Can.* 9. alia affert ejuſdem S. Gregorii verba *ex epiſt.* 110. ubi monet ſollicitudinis curam adhibendam, ut ea, quæ pro quiete Monachorum, religioſæque converſationis ſunt ordinata, non perturbentur.

Quæ poſtquam Gratianus attulit, ita concludit: *Serventur ergo privilegia Eccleſiarum cunctis inconcuſſa temporibus, ne videlicet præter ejus authoritatem, a quo data ſunt, contra ea liceat ire alicui.* Occaſione vero ſententiæ S. Gregorii Magni poſtremo loco a Gratiano relatæ, ſequentem regulam ſubjicimus.

Regula quinta.

Non eſt in poteſtate Epiſcoporum auferre a Regularibus legitima privilegia a S. Sede conceſſa, & a Concilio Tridentino confirmata.

VII. Hæc regula colligitur in primis ex allatis S. Gregorii verbis, quibus *ſollicitudinis curam adhibendam* monet, *ut ea, quæ pro quiete Monachorum, religioſæque converſationis ſunt ordinata, non perturbentur.* Eamdem diſertis verbis ſtatuit, ac probat Benedictus XIV. *lib.* 7. *de Synod. Diœceſ.* C. 41. cujus titulus eſt: *Nihil in Synodo conſtituendum, quod Regularium privilegia lædat.* Quod deinde ita oſtendit: ‘ Quemadmodum inferio„ri non licet legem abrogare a ſuperiore la„tam, ita nec privilegiis derogare cuipiam „a ſuperiore conceſſis. Quocirca S. Grego„rius Magnus *epiſt.* 13. *lib.* 8. *Indict.* 1. *Hæc* „*Conſtitutionis noſtræ decreta, quæ pro De*„*fenſorum ſunt privilegiis, & ordinatione di*„*ſpoſita, perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua* „*conſtituimus refragatione ſervari: ſive quæ* „*ſcripta decrevimus, ſeu quæ in eis in noſtra* „*præſentia videntur eſſe diſpoſita; nec a quo*„*quam Pontificum in totum, partemve qua*„*libet occaſione convelli decernimus.* Et epiſt. „3. lib. 9. Indict. 2. *Cura eſt ſollicitudinis* „*adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Mona*„*chorum, religioſæque converſationis fuerint* „*ordinata, nec diſſimulatio negligere, nec* „*quædam valeat præſumptio perturbare. Sed* „*ſicut quod ratio exigebat utiliter, oportuit* „*definiri; ita quod definitum eſt, non debet* „*violari.* Et Innocentius IV. in Concilio „Generali Lugdunenſi relat. in cap. 1. de „Privil. in 6. *Volentes* [inquit] *libertatem,* „*quam nonnullis Apoſtolica Sedes privilegio* „*exemptionis indulſit, ſic integram obſervari,* „*ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus* „*limites non excedant* ‘‘.

„ Hæc, ſubdit Summus Pontifex, aliaque

jura

„ jura id ipſum decernentia Epiſcoporum „ oculis ſubjecit Fagnanus in Cap. *Quod ſuper his de Majorit. & obed. a n. 14. ad fin.* „ ut ſibi perſuaſum haberent, nihil Synodalibus Conſtitutionibus eſſe inſerendum, quod „ præjudicium inferat privilegiis a Sede Apoſtolica conceſſis Regularium Ordinum Inſtituti. Ad uberiorem autem Epiſcoporum inſtructionem in exemplum adduxit „ ipſe Fagnanus quamdam Synodum Cracovienſem, e cujus actis, jubente Paulo V, „ expuncta fuere nonnulla Decreta, quibus „ Regularium exemptio vulnerabatur. Haud „ abſimile exemplum nos adnotatum reperimus in lib. 14. *Decret. Sacræ Congregationis Concilii p. 601.* ubi Robertus Cardinalis Ubaldini refert, a Sacra Congregatione approbata fuiſſe acta, & decreta „ Concilii Provincialis Cameracenſis, hac „ tamen adjecta declaratione, ut per illa „ nihil cenſeretur derogatum privilegiis Regularium, quibus propterea denunciari „ mandavit, ut ſua privilegia, non clauſa „ in corpore juris, quantocius ejuſdem Provinciæ Epiſcopis exhiberent, ut hac ratione iſti cognoſcerent, quidnam in Concilii „ Decretis illis adverſaretur, & idcirco corrigendum foret ".

Poſt hæc ſapienter addit Summus Pontifex: „ Hiſce fortaſſe exemplis nimium perterriti „ plerique Epiſcopi, nullum, ne minimum „ quidem verbum, in ſuis Synodis de Regularibus fecerunt: quod tamen nos minime probavimus. Siquidem quamplurima „ ſunt, in quibus Regulares, quantacunque „ fruantur exemptione, ſubſunt Epiſcopo „ tanquam Apoſtolicæ Sedis delegato, & ne „ hujus ſubjectionis obliviſcantur, neceſſe eſt „ eam quandoque illis in memoriam redigere, quod certe nuſquam commodius fiet, „ quam in Synodalibus Conſtitutionibus fieri „ poteſt ". Quænam autem ſint, in quibus Regulares Epiſcopis ſubjecti ſunt, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, jam ſupra recenſuimus ex Concilio Tridentino, & ex eodem Summo Pontifice Benedicto XIV.

Regula Sexta.

Quæcunque ſint privilegia Regularibus conceſſa, non poſſunt, neque debent præjudicium inferre juribus Eccleſiarum Cathedralium, & Parochialium.

VIII. Hæc regula fundamentum habet in ipſo jure naturali, & poſitivo divino. Nam ex hoc ſaltem divino, & Apoſtolico jure hujuſmodi Eccleſiæ jam ab initio inſtitutæ, ſuiſque peculiaribus juribus donatæ ad animarum, quæ ipſis commiſſæ fuerunt, ſempiternam ſalutem, nullum detrimentum perpeti debent ex jure humano privilegia Regularibus impartiente. Hinc loco laudato ex Gratiano circa contentionem excitatam inter Monachos, & Clericos quoad Decimas propter privilegia, quibus illi gaudere obtendebant, hoc ſub finem quæſtionis Gratianus ipſe monet, quod " Si privilegium circa Decimas non ſolvendas propter inſtantem temporis neceſſitatem concedi nequiverit, niſi aliis derogetur; ita privilegiorum authoritas videatur eſſe ſervanda, ut „ eorum (Monachorum) ſubveniatur inopiæ „ non ut ſuarum divitiarum augmento, & „ poſſeſſionum non modica extenſione, perfecta, baptiſmales, ſeu Parochiales Eccleſiæ penitus deſtruantur ". Utinam hæc a Religioſis omnibus ſervarentur, ac præſertim a quibuſdam, qui Monaſteria, domoſque ſuas tantopere ditare ſatagunt, nulla habita ratione Eccleſiarum Parochialium, ac etiam Cathedralium, quæ magna aliquando indigentia laborant, dum ipſi divitiis affluunt

Digitized by Google

Regula septima.

Conſuetudo legitima inducit aliquando privilegium.

IX. Quid neceſſe ſit, ut conſuetudo dicatur legitima, infra exponemus. Interim, quod hæc inducat aliquando privilegium, ſive effectum eumdem, quem præſtat privilegium a Principe expreſſe conceſſum, ſatis conſtat ex eo, quod ſi talis conſuetudo ſit *contra legem*, derogat ipſi, ſive removet in particulari obligationem, quam lex inducebat. Si vero ſit *ultra legem*, jus præbet, ac facultatem operandi, in quo ſita eſt veritas, ac ſubſtantia privilegii. Hoc confirmatur: quoniam ſicut conſuetudo generalis, quæ conſcientiam obligat, veram legem, ut dicemus, conſtituit reſpectu omnium; ita conſuetudo ſpecialis, de qua modo loquimur, veram conſtituet legem privatam, quæ privilegiato ſecuritatem præbeat in conſcientia, alioſque obſtringat ad ipſi ſervandum jus conſuetudine acquiſitum.

Regula Octava.

Quilibet ſubditus, vel etiam inferior capax eſt Privilegii recipiendi.

X. Prima pars liquet: ſicut enim omnes ſubditi ſunt ex ſe capaces legis ſibi a Superiore ſuo impoſitæ; ita quoque privilegii: quoniam a lege eximi poſſunt, ſi aliæ intercedant neceſſariæ conditiones. Altera vero conſtat, quia gratia concedi valet quibuſcunque placuerit Superiori, vel Principi eam concedere. Sic e. g. Rex Galliæ, aut Hiſpaniæ nedum ſubditis ſuis, ſed etiam non ſubditis tale conferre privilegium poteſt cuicumque Veneto Civi, ut pedagia non ſolvat, dum tranſit per loca ſuæ ditioni ſubjecta. In quo tamen caſu, ſaltem tranſeunter ſit Regi ſubjectus.

Regula Nona.

Privilegium iis tantum conceditur, qui expreſſe nominantur.

XI. Ratio deducitur ex vulgato illo principio, quod *privilegia tantum valent, quantum ſonant*, & non amplius; quæ regula nedum intelligitur quoad res conceſſas, ſed quoad illos etiam, quibus conceduntur, cum eadem ſit utriuſque ratio. Præterea iis tantum privilegium conceditur, ad quos voluntas, & intentio concedentis dirigitur, cum ex ejus voluntate conceſſio pendeat & extenſio privilegii. Cum igitur concedentis intentio ad illos tantummodo extendatur, qui ejuſdem verbis exprimuntur; neque enim aliunde ejus voluntas innoteſcere nobis poteſt; illis ſolum privilegium concedi dicendum eſt. Quoniam vero contingere poteſt, ut aliqua ſit inter perſonas neceſſaria connexio vel ex ſignificatione vocum, vel ex qualitate materiæ, idcirco eo in caſu privilegii conceſſio extendi valet ad perſonas etiam non expreſſas: quia tunc talem fuiſſe Principis voluntatem merito præſumitur.

Regula decima.

Ut licita ſit privilegii conceſſio, juſta cauſa requiritur.

XII. Eædem rationes, quæ evincunt neceſſitatem juſtæ cauſæ ad diſpenſationem licite conferendam, evincunt etiam, multoque magis, juſtam cauſam neceſſariam eſſe ad licitam privilegii conceſſionem. Quocirca ea, quæ de diſpenſatione differentes docuimus, hic ſervata proportione ſunt applicanda. Nihilominus hoc amplius declarari poteſt: nam vel privilegium eſt *contra* jus commune, vel *præter*, aut *ultra* ipſum. Si ſit contra jus commune, patet juſtam cauſam requiri ad privilegii conceſſionem, ut juſtitia legalis, ac diſtributiva ſervetur. Si vero ſit præter

ip-

ipſum, licet non eadem inordinatio appareat, quoties abſque juſta cauſa conferatur: quia tamen & in gratiarum collatione prudens diſtributio ſervanda eſt, ne in prodigalitatem degeneret, conceſſio privilegii non ex mero voluntaris arbitrio, ſed ex juſta cauſa fieri debet. An vero & quando ejuſmodi conceſſio facta ſine juſta, ac legitima cauſa non ſolum illicita, verum etiam invalida dicenda ſit, ex iis, quæ ſupra notata fuere de diſpenſatione, ſatis conſtat.

Regula Undecima.

Privilegium derogans juri communi, odioſum reputandum eſt, adeoque reſtringendum potius, quam ampliandum.

XIII. Ita in Cap. *Quod dilecto* de conſangu. & affinit. idque Theologi probant ex generali regula, quod omnis derogatio juris communis inter *odioſa* computatur, *odia autem eſſe reſtringenda* altera juris regula præſcribit. Quoniam ſicut commune bonum ſingulari ſemper præferendum eſt, ita & jus commune particulari. Privilegium autem jus quoddam privatum, ſeu particulare eſt, adeoque ipſi præferendum eſt ex genere ſuo jus commune. Si igitur alterutrum reſtringere oporteat, ut minus aliud lædatur, privilegium potius reſtringendum eſt reſpectu juris communis.

Regula Duodecima.

Privilegia uni, vel certis quibuſdem perſonis conceſſa, non ſunt ad alies extendenda ob rationis paritatem.

XIV. Hæc regula nititur Cap. *Sane*, ſive Decreto Alexandri III. tit. *de Privilegiis*, ubi dicitur: *Temerarium eſt, & indignum, aliquem ſibi ſua authoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui, certa ratione inſpecta, ſingularibus voluit beneficiis indulgere*. Hinc regula juris 28. in ſexto: *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*. Et reg. 74. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*, etiamſi parem eſſe rationem ſibi alii perſuadeant.

Regula Decimatertia.

Pluribus modis privilegium irritum, & caducum eſt.

XV. S. Antoninus 1. p. tit. 19. c. 1. decem modos aſſignat, quibus irritum, & inane privilegium evadit. 1. Si ſubreptitium ſit, ſive per ſubreptionem conceſſum: tunc enim favore caret, qui illud ſic impetravit, ut habetur Cap. *Litteris* Extra *de Reſcriptis*; & Cap. *Cum olim* Extra *de ſententia, & re judicata*. 2. Si contrarium ſit Conſtitutioni, quin illius mentionem faciat, Cap. *Cum nos* Extra *de his, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli*. 3. Si tollat conſuetudinem, neque tamen privilegium largiens ejuſdem meminerit, Cap. *licet* tit. de Conſtitut. in 6. Item ſi ſit contra ſententiam latam, quin illam exprimat, Cap. *Inter dilectos* Extr. *de fide inſtrum*. Item ſi lite pendente ſit impetratum, quin nulla de hoc mentio fiat, Cap. *Cauſam* Extra *de teſtibus*. 4. Ceſſante cauſa privilegii, deficit privilegium, Cap. *Cum ceſſante* Extra *de appellationibus*. 5. Excidit privilegio, qui agit contra privilegii tenorem, Cap. *Porro* & Cap. *Conceſſionibus* Extra *de Privilegiis*, & Cap. *Cum acceſſiſſet* Extr. *de Conſtitutionibus*. 6. Ceſſat Privilegium, cum alicui nocere incipit, & illi præcipue, in cujus gratiam conceſſum eſt, ut habet regula juris 61. in 6. *Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. 7. Privilegium prius tollitur per ſecundum contrarium, quod expreſſam illius mentionem facit, Cap. *Veniens* Extra *de Præſcriptionibus*. 8. Tollitur per concedentis revocationem, quam tamen fieri non decet ſine cauſa. Ex cauſa vero poteſt, &

N n 2 debet

debet revocari, puta ſi eo privilegio jus aliorum graviter lædatur . Item ſi quis non ſervat privilegia ſubditis ſuis a ſuo Superiore conceſſa , merito & ipſe privilegio ſuo privatur , Cap. *Dilecti* Extr. *de Privilegiis* ; quod Alexandri III. reſponſum eſt . 9. Ceſſat privilegium per ejus , cui conceſſum eſt , renunciationem , Cap. *Nuper* Extr. *de Decimis* 10. Amittitur privilegium per non uſum, vel uſum contrarium , ſeu abuſum . *Privilegium omnino meretur amittere , qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate* , ut habetur Can. *Privilegium* Cauſa XI. q. 3. & Cap. *Tuarum* Extra *de Privilegiis*, & Cap. *Si de terra* ſub eodem titulo , & Cap. *Ut privilegia* .

Regula decimaquarta .

Præſcriptio quadraginta annorum ſufficit ad robur privilegii haud ſatis clari .

XVI. Colligitur hæc regula ex Cap. *Cum perſona* de Privilegiis in ſexto , ubi dicitur : *Si vero privilegium per ſe ſufficiens , quando ſolo privilegio ſe defendunt , vel ſaltem tale , quod præſcriptioni canonicæ cauſam præſtet, cum præſcriptionem allegant , non exhibuerint ; cum de jure communi ordinariorum intentio ſit fundata , ſua juriſdictione uti poſſunt libere in eoſdem , donec de præſcriptione canonica fecerint plenam fidem* . Ex quibus eruitur , quod ſi privilegii tenor per ſe non ſufficiat ad plenam immunitatis , ſive exemptionis probationem , ſed tamen cauſam præbeat præſcribendi , qui privilegium allegant , præſcriptionem probare tenentur quadraginta annorum, quæ eſt *præſcriptio canonica* . Spatium hoc quadraginta annorum ſufficit etiam , ut qui toto hoc tempore uſi non ſunt privilegio , ab illo excidant , ut reſpondit Innocentius III. Cap. *Accedentibus* Extra *de Privilegiis* .

Regula Decimaquinta .

Si privilegio apponatur conditio , ceſſat haud poſita conditione .

XVII. Hæc regula ſatis de ſe perſpicua eſt, & explicari poteſt ex C. *Abbate* de verborum ſignificatione in fine , ubi ſic habetur de quodam privilegio conceſſo Monaſterio : *Tamdiu Monaſterium ipſum hac honoris debeat prærogativa gaudere , donec ibidem viguerit obſervantia regularis* . Si enim obſervantia deſineret , etiam privilegium ſtatim ceſſat . Quod etiam dicendum eſt de privilegio alicui Cœnobio , aut Provinciæ collato , inducendi Novitios ad habitum religioſum, poſito , quod in illo regularis obſervantia vigeat , ac de ſexcentis aliis privilegiis conditionate conceſſis .

Regula Decimasexta .

Privilegia a Principe conceſſa revocari poſſunt ab eodem , vel a pari poteſtate gaudente .

XVIII. Ratio aperta eſt , quia privilegium ſive ſit contra legem , ſive præter legem , ſemper pendet a voluntate concedentis, adeoque in ejus arbitrio eſt ſicut concedere , ita etiam revocare . Illud ſolum adverto , quod licet valida ſit privilegii revocatio , quocunque modo fiat , ut tamen ſit etiam licita , requiritur juſta aliqua cauſa ; neque enim licet quidquam agere ſine aliquo motivo prudenti , & rationali . Quæ tamen cauſa ſi deſit , non videtur revocationem ex hoc capite culpam venialem excedere , niſi forte ex ea gravis aliqua perturbatio oriretur , aut ſcandalum , quæ raro admodum contingere poſſunt . Si autem juſta ſuppetat cauſa revocandi privilegii , nedum Princeps , aut Eccleſiæ Prælatos licite poteſt , ſed & revocare tenetur , etiam aliquando ſub gravi culpa .

RE-

Digitized by Google

REGULA DECIMASEPTIMA.

Clauſula generalis in privilegiorum revocatione adhibita ordinario ſufficiens eſt, etſi interdum opus ſit ſpeciali revocatione.

XIX. Hæc poſtrema regula explicatione potius indiget, quam probatione. Igitur ſi expreſſa fiat privilegiorum revocatio non in ſpecie, ſed per generalem clauſulam, per hanc ſcilicet: *Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis* &c. hæc ordinario ſufficiens cenſenda eſt: nam genus de ſe ſpecies comprehendit. Quia tamen ſæpe aliqua ſunt, quæ ſpeciali mentione indigent; ideo haud ſemper ſufficit. Et primo quidem, ſi loquamur de privilegiis in jure contentis, hæc ſpeciale aliquid requirunt: eo ipſo ſiquidem, quod in corpore Juris inſerta ſunt, non tantum privilegia, ſed etiam leges publicæ judicantur; & ideo non fit derogatio eorumdem per generalem clauſulam revocatoriam privilegiorum in poſteriore privilegio poſitam, niſi addatur etiam clauſula derogatoria legum, ſive Canonum, ut notat Gloſſa in authentica *Quia* cod. *Ubi de criminibus* &c. & verbo *Illic omni privilegio &c.*

Secundo ſi privilegia conceſſa in ſuo tenore contineant, quod revocari nequeant, niſi expreſſa eorum mentio fiat, ac de verbo ad verbum, aliudve ſimile. De his, quo pacto revocari valeant, late pertractant Canoniſtæ. Summa omnium eſt, oportere, ut verba aliqua addantur, quibus illa quadantenus exprimantur: Ut v. g. ſi dicatur: *Non obſtante tali, vel tali clauſula, revocata intelligantur*; vel ſingillatim: *Non obſtante privilegio ſub quacunque verborum forma conceſſo*, ut in Clement. *de ſeput.* in fine, vel alio ſimili modo. Et ratio evidens eſt, quia non eſt cogendus Summus Pontifex, ut de verbo ad verbum hæc, & illa privilegia commemoret, quorum fortaſſe nec meminiſſe poteſt, nec poteſtate privandus eſt revocandi privilegia, quoties oportuerit, atque adeo ſatis eſt, ut per alia verba generalia, quibus priora comprehendantur, mentem ſuam manifeſtet.

Tertio, ſi revocanda ſint privilegia conceſſa per modum contractus oneroſi (quod interdum contingit in iis, quæ a Principibus ſæcularibus conceduntur) generales clauſulæ minime ſufficiunt, ſed expreſſa eorum mentio fieri debet, ſaltem hoc pacto; *Etiamſi per modum contractus fuerint conceſſa*. Quia cum ejuſmodi privilegia jure ordinario irrevocabilia ſint, & neceſſaria ſit graviſſima cauſa, ut juſte revocentur, non præſumuntur revocari, niſi prædicto ſaltem modo revocatio ſatis exprimatur: præſertim quod talis revocatio cedat in præjudicium tertii in jure acquiſito, & juſtitiæ. Porro tale præjudicium non præſumitur, niſi exprimatur. Quamquam vero tres hujuſmodi exceptiones regulæ generalis locum habere poſſint, dum præſertim ſermo eſt de privilegiis vel Principum temporalium, vel contentis in Bullis Summorum Pontificum; caute tamen adhibendæ ſunt, nec nimium urgendæ, præcipue dum de revocatione agitur privilegiorum facta in Concilio Tridentino, quam vim omnem habere volunt & ipſi Romani Pontifices, licet ſub generali forma concepta ſit, nec illa ſpecialia verba exprimat quæ Canoniſtæ requirere ſolent.

CAPUT XII.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Non eſt de ſubſtantia privilegii, ut ſcripto mandetur.*

II. *Nullam fidem facit privilegium, aliudve inſtrumentum, cujus litteræ legi non poſſunt.*

III.

III. *Privilegium differt a Reſcripto Pontificio etiam favorabili.*

IV. *Diſpenſatio permanens, ſive ad modum privatæ legis conceſſa, cum privilegio confunditur, & ab eo non diſtinguitur.*

V. *Duo requiruntur ad privilegii perpetuitatem, nempe quod ſimpliciter, & abſolute concedatur, & quod adhæreat rei de ſe perpetuæ.*

VI. *Deſtructa Eccleſia ex mandato Superioris, perit privilegium: non autem ſi deſtruatur ex alio capite.*

VII. *Privilegium conceſſum in foro pœnitentiali non extenditur ad contentioſum.*

VIII. *Privilegium præjudicans juri acquiſito tertii reſtringendum eſt.*

IX. *Privilegium a S. Sede conceſſum non derogat juri Epiſcoporum, niſi exprimatur.*

X. *Qui per privilegia Sedis Apoſtolicæ ſe exemptos aſſerunt, requiſiti ab Ordinariis locorum, tenentur oſtendere privilegia ſua.*

XI. *Propter vitium, & abuſum perſonalem privilegium ſubtrahi poteſt.*

XII. *Falſa, & juribus Secularium Principum infeſta eſt ſententia P. Eſcobarii, revocari non poſſe privilegia ab iiſdem Regularibus conceſſa.*

XIII. *Regulares uti non poſſunt privilegiis a Tridentina Synodo revocatis. Contraria ſententia ab Alexandro VII. damnata.*

XIV. *Falſa eſt ſententia aſſerens, Regulares uti poſſe, ſaltem in foro conſcientiæ, iiſdem privilegiis ob conceſſionem factam a Sede Apoſtolica.*

XV. *Nec in regionibus, ubi non omnia Concilii decreta recepta ſunt, uti licet iiſdem privilegiis revocatis.*

XVI. *Nedum expreſſe, ſed etiam tacite revocari privilegia poſſunt.*

XVII. *Hinc revocata cenſenda ſunt a Concilio Tridentino privilegia, quæ pugnant cum legibus ab ipſo editis.*

XVIII. *Merito proſcripta eſt ſantentia aſſerens, poſſe Regulares abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis.*

XIX. *Commentitia eſt ratio, qua probant aliqui, Privilegia Regularium eſſe irrevocabilia.*

XX. *Quædam rejiciuntur, quæ habet P. Lacroixius.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. ABSOLUTE loquendo de ſubſtantia privilegii non eſt, ut ſcriptum ſit, ſive ſcripturæ mandatum, cum etiam oretenus, ſeu verbo concedi valide queat. Ita namque ſumitur, ex Cap. *Inſtitutionis* 25. quæſt. 2. ubi id notat Gloſſa. & ex Clement. *Dudum* de ſepul. *Gratias, aut privilegia verbo, aut ſcripto conceſſa*. Id inque docet ſub nomine *gratiæ* Innocentius III in Cap. *Conſtitutum*. Et ratio eſt, quia nec jure naturæ, ut patet, nec jure aliquo poſitivo præſcribitur, quod ad valorem, aut effectum privilegii ſcriptura requiratur. At vero, tametſi ſcriptura neceſſaria abſolute non ſit, admodum tamen conveniens eſt, ut ſcripturæ mandentur ea præſertim privilegia, quæ non perſonis ſingularibus, ſed Communitatibus aut Religionibus conferuntur, ad præcavendas fraudes, & dolos, & pravam verborum intelligentiam, quæ incommoda facillime occurrere poſſunt, ac ſolent, dum privilegia oretenus conferuntur, Unde & hæc praxis a Summis Pontificibus adhiberi conſuevit, dum maxime Communitatibus privilegia concedunt.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Fidem nullam facit privilegium, inquit Natalis Alexander in Decal. C. 1. & quodcumque aliud inſtrumentum, cujus litteræ legi non poſſunt, maxime in nota temporis, quo datum eſt, vel cujus charta vetuſta eſt, ſcriptura vero alicubi ſaltem recentior, vel cujus ſigillum non eſt authenticum. Quod probat ex Cap. *Inter dilectos*, quod eſt Innocentii III. Extr. *de fide inſtrumentorum*: & Cap. *Quam gravis* ſub eod. tit. *Falſa latini-*

tas

Digitized by Google

tat privilegium, & quodvis aliud Summi Pontificis Reſcriptum vitiat, ex Lucio III. Cap. *Ad Audientiam* Extr. *de Reſcriptis*. Si tamen in narratione facti, vel in nominibus poſſeſſionum abraſum ſit privilegium, vel quodlibet aliud inſtrumentum, aut Reſcriptum, in ſuſpicionem falſi propterea venire non debet, ut reſpondet Alexander III. Cap. *Ex litteris* Extr. *De fide Inſtrumentorum*. Paucarum litterarum raſuram in loco non ſuſpecto minime ſufficere ad privilegium redarguendum falſitatis, reſpondet Innocentius III. Cap. *Ex conſcientia* Extr. *De crimine falſi*. Multo minus Reſcriptum vitiat unius ſyllabæ defectum, ut ſtatuit Honorius III. Cap. *Ex parte* Extra *De fide Inſtrumentorum*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Ex data privilegii definitione colligi facile poteſt, ipſum differre a *Reſcripto*. Et juxta quidem juris Canonici, ac Civilis uſum, *Reſcriptum* generale nomen eſt ſub ſe continens privilegium ſcriptum, aliaque multa, quæ privilegia non ſunt. Quare duplex *Reſcriptum* diſtingui ſolet, ſcilicet *juſtitiæ*, & *gratiæ*. Reſcriptum *juſtitiæ* eſt, quod tribuitur vel ad explicandum jus, vel ad lites dirimendas, vel ad jus dicendum inter partes. Et hoc *Reſcriptum*, ut nemo non videt, maxime differt a privilegio: quia illud tribuitur ſecundum jus commune, vel ad ejuſdem interpretationem, aut executionem. Privilegium autem conceditur vel *contra*, vel *præter jus*, ut ex definitione liquet. Reſcriptum vero *gratiæ*, quamquam cum privilegio aliquo modo conveniat, nihilominus ab eo revera differt: tum quia continet alias gratias, quæ privilegia non ſunt, ut diſpenſationes: tum etiam quia Reſcriptum *gratiæ* verſari poteſt circa facta hominum, quatenus confert vel donum alicui gratis collatum, vel Beneficium &c. nec *lex privata* vocari poteſt, ut eſt privilegium.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ea diſpenſatio cum privilegio confunditur, eodemque nomine appellari valet, quæ conceditur per modum cujuſdam *privatæ legis* ad aliquid permanenter agendum *contra* aliquod jus commune, utendo privato jure per ejuſmodi conceſſionem conſtituto. Unde tale privilegium dici poteſt quaſi quædam permanens diſpenſatio, adeoque tanto potiorem cauſam in concedente requirit, quo major, & amplior eſt diſpenſatio permanens ea, quæ pro una, vel altera vice ſolummodo conceditur. Quare nedum eæ conditiones, quas ad ſimplicem diſpenſationem conferendam neceſſarias conſtituimus, ſed etiam graviores, & urgentiores eſſe debent ad hanc permanentem, ſive ad hoc privilegium concedendum.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Cum privilegium aliud temporarium ſit, aliud perpetuum, duo neceſſaria ſunt, ac ſufficiunt ad privilegii perpetuitatem. Alterum, ut ſimpliciter, & abſolute concedatur, vel cum aliqua conditione perpetua, ut cum dicitur a Pontifice, *ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, vel *donec revocetur*. Hæ namque conditiones includuntur in quocunque privilegio, ideoque licet exprimantur, ejus non mutant indolem, ac naturam. Alterum, ut adhæreat rei perpetuæ. Res autem humanæ maxime perpetuæ ſunt per ſucceſſionem quamdam. Et hoc modo perpetuum in primis eſt privilegium conceſſum Communitati, vel Religioni, quia tametſi perſonæ temporariæ ſint, Communitas ſemper permanet. Item perpetuum eſt privilegium conceſſum dignitati, vel officio, quia hæc ſemper durant per ſucceſſionem perſonarum. Denique perpetuum cenſetur privilegium, quod adnectitur rei corporeæ immobili, ut Eccleſiæ, Monaſterio &c.

CON-

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Si Eccleſia, aut Monaſterium, cui adnexum privilegium eſt, deſtruatur mandato Superioris, ſive poteſtatem habentis, perit cum ipſo privilegium. Si vero diruatur vel ab hoſtium incurſione, vel ab incendio, aliove ſimili modo, non omnino extinguitur privilegium, ſed ſaltem permanere cenſetur in jure, & ſpe, adeoque ſi ad priſtinum ſtatum reſtituatur, reviviſcit cum illo privilegium, ut colligitur ex Cap. *Quia Monaſterium* de Relig. Dom. & ex Cap *Paſtoralis.*

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Si privilegium concedatur, ut ſæpe ſolet, *in foro pœnitentiæ*, vel *pœnitentiali*, non extenditur, neque extendi poteſt ad forum contentioſum, & externum, ſed ad forum conſcientiæ limitatur. Ita namque communis uſus, & ſenſus verborum illorum accipitur. An vero vinculum, quod hoc privilegio tolli conſuevit, auferendum ſit in Sacramento Pœnitentiæ, nec ne, ex vinculi ipſius conditione, aut qualitate dijudicandum eſt. Si enim fuerit vinculum culpæ, forum Sacramenti requirit: ſi autem vinculum pœnæ, aut cenſuræ, extra Sacramentum poteſt auferri, imponendo ſalutarem pœnitentiam, quod eſt exercere pœnitentiale aliquod judicium.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quoties privilegium derogat juri acquiſito tertiæ perſonæ, niſi reſtringatur, omnino reſtringendum eſt, & in arctiora ſenſu accipiendum. Quamquam enim jus alterius tale ſit, ut ex rationabili cauſa Princeps illud tollere valeat citra ullam injuſtitiam, non cenſetur tamen illud tollere velle, niſi id expreſſe declaret: adeoque licet generaliter loquatur, non comprehendit detrimentum tertii in jure jam acquiſito, immo præſumitur illud ignorare, atque adeo etiam nolle hujuſmodi præjudicium inferre. Hæc doctrina, quæ communis eſt penes Authores, deducitur ex l. 2. §. *Si quis a Principe*, ff. *ne quid in loco* &c. Videant ergo nonnulli, & conſiderent, qua conſcientia nedum non reſtringant, ſed potius extendant privilegia ſibi conceſſa, nulla habita ratione damni, quod ex eorum uſu aliis ſæpe proficiſcitur.

CONSECTARIUM NONUM.

XI. Privilegium ab Apoſtolica Sede conceſſum juri Epiſcoporum non derogat, niſi in ipſis Privilegii litteris hoc exprimatur. Summi namque Pontifices curam maximam adhibere ſolent, ut ſarta tecta ſerventur Epiſcoporum jura, quæ ſacratiſſima ſunt, adeoque ſpeciali mentione digna. Unde, ſi juri ipſorum quandoque derogetur, quod fieri perraro debet, & nonniſi gravi de cauſa, derogationis hujuſce in conceſſione privilegii mentio facienda eſt; ſecus vero, minime eidem derogare velle Summos Pontifices, merito præſumendum. Quamobrem, cum viris Religioſis indultum eſſet, ut Eccleſias ad Monaſterium ſuum pertinentes, Rectoribus illarum e vita migrantibus, in proprios uſus convertere poſſent: ac in dubium revocatum eſſet, num authoritate propria illarum poſſeſſionem adire, an a Diœceſano Epiſcopo eas recipere debetent; reſpondit Innocentius III. Cap. *Paſtoralis* Extr. *de Privilegiis*, quod, *Niſi forte indulgentia Summi Pontificis id contineatur expreſſum, ſuo Epiſcopo inconſulto, in poſſeſſionem ipſarum eis non eſt licitum introire: quia per indulgentiam hujuſmodi Epiſcopali juri non derogatur.*

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Qui exemptos ſe aſſerunt per privilegia Sedis Apoſtolicæ, requiſiti ab Ordinariis locorum, hujuſmodi privilegia oſtendere tenentur, ac ad legendum exhibere, nec non de arti-

Digitized by Google

ti ul s, de quibus controverſia fuerit, tranſcriptum tradere. Hæc regula nititur Cap. *Accepimus* Extr. *De fide Inſtrumentorum*; ac merito quidem id eſt conſtitutum. Nam ſæpe privilegia quæ jactantur, neutiquam ſubſiſtunt. Unde perperam egiſſe dicendum eſt Religioſos quoſdam, qui adduci non potuerunt, ut oſtenderent proprio Epiſcopo privilegia, quibus ſe exemptos ab Ordinarii juriſdictione in facultate confeſſiones ſæcularium audiendi, conſtanter affirmabant.

Consectarium Undecimum.

XI. Propter vitium, & abuſum perſoualem privilegium alicui conceſſum ſubtrahi poteſt a Superiore ſive Civili, ſive Eccl eſiaſtico. Ita ex Gratiano C. 25. ubi diſerte tradit, ob perſonale vitium tolli poſſe privilegium, *Eo quod privilegium amittere mereatur, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*. Quod ad omnes generatim extendit, qui vel propter privilegiorum abuſum, vel propter ſcelera perpetrata, ea ſe amittere prometentur, *veluti*, inquit, *dum Civitati Epiſcopalis dignitas perpetuo ſubtrabitur, quæ ſuos Epiſcopos interimere conſuevit*, prolato in hanc rem Can. 25. prolixo fragmento ſub nomine Gelaſii Papæ.

Consectarium Duodecimum.

XII. Quidquid ſit de illa Juriſtarum doctrina, quod privilegia conceſſa non ſubdito ſint irrevocabilia, falſa, perniciosa, & juri legitimo Principum temporalium plana infeſta eſt ſententia Eſcobarii, qui pro eadem laudat P. Suareſium, quamquam Authorem hunc illam tenuiſſe, prout ab ipſo refertur, difficile mihi perſuadeam, nimirum *privilegia a ſæcularibus Principibus conceſſa Eccleſiaſticis* non poſſe ab iiſdem revocari. Falſo ſiquidem nititur fundamento, quod Eccleſiaſtici directe ſubditi non ſint ſæcularium Principum, cum ſubditi non minus ac cæteri, omnino dicendi ſint in rebus temporalibus, ac civilibus, ut alibi oſtenſum eſt, præter plurima abſurda, & incommoda, quæ ex hac ſententia conſequuntur.

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Regulares uti nullatenus poſſunt privilegiis a Tridentina Synodo revocatis. Id conſtat ex damnata ab Alexandro VII. propoſitione in ſuo Decreto *n.* 36. quæ aſſerebat: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum*. Authores, qui hanc docuere ſententiam, teſte Dominico Viva in hanc propoſitionem *n.* 1. ſunt Henr. Rodriq, Sa, Velaſco, Alviſſet, Bruno, & alii innixi quibuſdam momentis, quæ ab eodem referuntur. Merito autem damnatam fuiſſe ex eo probat, quod ſicut juxta Doctores omnes Regulares uti non poſſunt privilegiis a Concilio Tridentino revocatis pro foro externo, ita neque pro foro interno. Idcirco namque pro foro externo iis uti privilegiis minime poſſunt, quia ita expedit publico bono ad vitandas diſcordias inter Epiſcopos, & Regulares. Porro idem incommodum ſequitur, ſi pro foro interno Regulares iis privilegiis utantur. Si enim e. g. Regulares abſolverent pro foro interno a caſibus Epiſcopo reſervatis, aut ſine Epiſcopi approbatione &c. non omnino vitarentur diſſenſiones inter Epiſcopos, & Regulares. Igitur &c. Sed quidquid ſit de hac ratione, quæ minus ſolida mihi videtur; neque enim ad nos pertinet diſcutere cauſas peculiares, quibus permoti ſunt Tridentini Patres ad plura revocanda Regularium privilegia, ex damnata propoſitione colligere neceſſe eſt, ea non valera amplius nec pro foro externo, nec pro interoo adeoque nec licite, nec valide pro utroque, foro iis uti poſſe Regulares.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Ex eadem damnata propoſitione inferendum eſt falſam eſſe opinationem illorum, qui apud Gaſparum Hurtado de Sacram.

Ord, obtendebant, conceſſionem a Gregorio XIII. factam Societati Jeſu, atque adeo per privilegiorum communicationem cæteris Regularibus, ut pro foro conſcientiæ uti poſſint privilegiis per Tridentinum revocatis. Nam utut admittamus oraculum illud Gregorii Papæ, ſaltem a ſubſequentibus Pontificibus revocatum fuiſſe dicendum eſt; poſt damnatam propoſitionem, quæ plane vera eſſet (quod abſit opinari) ſi Regulares revocatis a Concilio privilegiis adhuc uti poſſent. Sed neque a tempore damnatæ propoſitionis validum ullum privilegium afferri poteſt, quo uſus eorum, quæ revocata ſunt, concedatur: ſiquidem ſatis comperta eſt voluntas Summorum Pontificum, ut intacta permaneant Venerabilis illius Concilii decreta. Unde in privilegiorum vel conceſſione, vel confirmatione ea clauſula apponitur: *Modo ſacris Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adverſentur*. Quæ ſi etiam aliquando omittatur, ſemper ſubintelligenda eſt.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. In iis etiam regionibus, in quibus non omnia Concilii Tridentini Reformationis Decreta recepta ſunt, Regulares uti non poſſunt privilegiis ab ipſo revocatis. Ratio ex eadem proſcriptione propoſitionis deducitur: proſcripta quippe propoſitio fuit ut falſa, vel etiam ut ſcandaloſa, prout ex cenſuris liquet præfixis propoſitionibus, quas Pontifex damnat. Sive autem ſolum falſa, ſive etiam ſcandaloſa dicatur, aut judicetur, ubique gentium talis reputanda eſt; adeoque etiamſi in quibuſdam regionibus haud recepta ſint Concilii Decreta, quæ privilegia Regularium revocant, iis uti nequaquam poſſunt.

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite revocari poteſt privilegium: ſi nempe Princeps aliquem actum præſtet, qui ſubſiſtere nullo modo valet, aut effectum ab ipſo intentum habere abſque prius conceſſi privilegii derogatione. Cum enim duæ illæ Principis voluntates invicem pugnent, & contrariæ ſint, poſterior omnino prævalere debet, atque adeo effectum prioris tollere, ſcilicet privilegium: quia cum hoc pendeat ex voluntate Principis, ſi ſatis comperta ſit voluntas illud revocandi, ut comperta ſatis eſt in caſu poſito, dum Princeps privilegium non ignorans ponit actum, qui cum eo componi neutiquam poteſt, illud revocare velle cenſetur. Illud ſolum animadvertendum, quod, ſi abſolute incompatibilis ſit nova Principis diſpoſitio cum toto privilegio, totum auferat: ſi vero ſolum ex parte deroget, privilegium quoad hanc partem duntaxat revocabit. Atque idem de tempore dicendum eſt; poteſt enim ex aliqua Principis diſpoſitione ſuſpendi privilegium pro aliquo tempore, & non abſolute pro omni tempore. Unde ſi Princeps alicui privilegium conceſſerit non ſolvendi tributum, etiamſi pro aliqua vice, vel neceſſitate ſpeciali ab ipſo tributum exigat, non propterea privilegium auferre præſumitur.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Hinc iis privilegiis uti non poſſunt Regulares, quæ licet non expreſſe, implicite tamen, & virtualiter Tridentina Synodus revocavit, quatenus legem edidit, quæ privilegiis Regularium contraria eſt. Ex hoc enim quod in ea lege non exceperit Regulares, hos etiam comprehendere voluiſſe cenſetur. Quod ſi etiam hæc implicita revocatio haud ſufficiens credatur ad revocanda privilegia Regularibus ab Apoſtolica Sede conceſſa, ſed exigatur expreſſa, hanc minime deeſſe dicendum eſt: quoniam Pius IV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *In Principis Apoſtolorum Sede*, data anno 1566. & habetur in Calce Concilii, expreſſe revocat quæcunque privilegia, quæ Concilii Tridentini Decretis adver-

Digitized by Google

verſantur, his verbis inter alia : *Omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates &c. in quibus illa ſtatutis, & Decretis Concilii hujuſmodi contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata, ac ad ipſius Concilii terminos, atque limites reducta ſint, & eſſe cenſeantur, nec quidquam adverſus ipſa decreta, & ſtatuta, quominus ubique, & apud omnes obſerventur, in aliquo ſuffragari poſſe ; ſed ea perinde haberi, ac reputari debere, ac ſi nunquam emanaſſent, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus* &c. Supra autem expreſſerat omnes privilegiis, & exemptionibus gaudentes, nullo genere perſonarum, domorum, Communitatum, Religioſorum excepto. Quapropter valde mirari ſubit, cur P. Dominicus Viva loco citato *n.* xt. hanc Conſtitutionem commemorans, de privilegiis Mendicantibus conceſſis ſolummodo loquatur, cum Summus Pontifex nedum hos, ſed & alios Religioſos omnes, atque Ordines, & Inſtituta complectatur, & exprimat. Illud tamen P. Viva recte ſubjicit, dici non poſſe, quod hujuſmodi privilegia *per innovationem, & confirmationem privilegiorum* poſtea factam, *reſtituta fuiſſe Mendicantibus* (idem dicas de cæteris Inſtitutis religioſis). *Nam in iis confirmationibus addi ſolet clauſula illa* : Dummodo Decretis Tridentini non adverſentur : *Ergo per confirmationem privilegiorum non cenſentur reſtituta, atque adeo neque iis poſſunt Mendicantes* (neque cæteri Regulares, etiam Societatis Jeſu) *uti in foro conſcientiæ ; quidquid in contrarium docuerit Rodriq. cum Miranda, & Portello*.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Hinc etiam merito proſcripta fuit ab eodem Alexandro VII. alia propoſitio in Decreto *n.* 12. quæ aſſerebat : *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*. Hoc namque, ſi quod antea vigebat, privilegium per Synodum Tridentinam penitus ſublatum eſt : & quia Authores non deerant, qui illud ſequiores tempore revixiſſe contendebant propter innovationem, & confirmationem privilegiorum factam Regularibus, maximeque Mendicantibus, idcirco Urbanus VIII. volens, Decretum Tridentinum in ſuo robore penitus permanere, ejuſmodi opinionem rejecit, ac expreſſe prohibuit, ne Regulares virtute ſuorum privilegiorum a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolverent ; declaravitque per privilegiorum confirmationem nullatenus revixiſſe hoc privilegium a Tridentino, & ab aliis Decretis Sacrarum Congregationum ſublatum, & extinctum. Quamquam autem in damnata propoſitione ſolum nominentur *Mendicantes*, comprehendi tamen etiam cæteros Regulares, cujuſcunque ſint inſtituti, indubitatum eſt ; idque patet ex celeberrima controverſia inter Epiſcopum Angelopolitanum Ven. Joannem de Palafox, & Patres Societatis, ubi ab Apoſtolica Sede deciſum eſt, etiam relate ad ipſos vim omnem habere Decretum Concilii Tridentini.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Commentitia eſt illa ratio, qua utuntur nonnulli Regulares ad tuenda ſua privilegia a Sede Apoſtolica, aut ab aliis Eccleſiæ Prælatis conceſſa, ex qua inferunt, ea non amplius poſſe revocari ; ſcilicet, ut habetur apud Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp.* 33. quod „ Privilegia Regularium ſint *remuneratoria*, & contractu firmata quippe quæ „ conceſſa in remunerationem obſequiorum, „ quæ Regulares Eccleſiæ præſtiterunt, & non „ mere *gratuita*, adeoque revocari non poſſunt, niſi revocatio aperte cedat in bonum „ publicum, & ſimul fiat aliter recompenſatio, conferendo aliquid æquivalens. Et „ ratio eſt, inquiunt : quia hujuſmodi privilegia collata vi contractus tranſierunt in „ jus privilegiarii, & juri alieno ne quidem „ Pontifex poteſt præjudicare &c. “. Commen-

mentitia, inquam, illhæc ratio eſt, adeoque falſa, & improbabilis illi ſuperſtructa ſententia. Demus enim quædam exiſtere privilegia, quæ conceſſa ſint per modum contractus, ut fieri quandoque ſolet a terrenis Principibus, quænam ſunt ejuſmodi privilegia ita conceſſa ab Eccleſia, & ab Eccleſiaſticis Prælatis, præſertim a Summo Pontifice? Quibus verbis hujuſce forma contractus exprimitur? Aut quænam ſunt hæc merita Regularium cum Eccleſia, Summiſque Pontificibus, quæ ſibi debita fecerint ſpecialia privilegia in recompenſationem conferenda? Numquid quod in vinea Domini plus cæteris laboraverunt, quia ferventius Eccleſiæ inſervierunt in propaganda Religione Catholica, in Miſſionibus peragendis, in reducendis Hæreticis ad ſinum matris ſuæ, in convertendis peccatoribus, aut infidelibus? Hæc profecto ſunt merita, quæ ipſi amplificare ſæpe ſolent. Sed nonne hæc dum præſtant, debito officii ſui, ſuæque vocationis funguntur? Quæ ergo remuneratio expectanda ab ipſis eſt, ſi recto fine gloriæ Dei, & non ſuæ, aut propriæ Religionis exiſtimationis hæc omnia perfecerint? Non alia plane, quam quæ a Deo tribuenda in cælo promittitur. Privilegia autem, quæ a Summis Pontificibus conceduntur, non loco mercedis aut proprie dictæ remunerationis habenda ſunt; ſed potius ſtimuli, atque incitamenti, quo eorum animi accendantur ad majora pro Dei gloria, & Eccleſiæ incremento peragenda: adeoque eadem juſtis de cauſis revocari ſemper valent, quin ipſi contra poſſint ſua merita obtrudere. Ipſe P. Dominicus Viva loco citato *n.* 9. cum aliis, quos indicat, objectionem hanc minime curandam cenſet. Monet enim „ Privilegium non dici remu-
„ neratorium, nec exigere recompenſationem,
„ quando juſtis de cauſis tollitur, ſi ſolum
„ in genere dicatur concedi ob merita privi-
„ legiarii: quia hæc mentio meritorum in
„ genere fieri ſolet potius ob honorem pri-
„ vilegiarii, quam pro rei veritate .... Pri-
„ vilegia autem Regularium non ſunt in ſtric-
„ to ſenſu remuneratoria: & idcirco poſſunt
„ ob commune bonum tolli, quamvis nihil
„ detur in compenſationem. Sufficienter enim
„ meritis præteritis Regularium reſpondent
„ in remunerationem (minus preſſe dictam)
„ privilegia alia, quæ ulterius perſeverant ſi-
„ mul cum privilegio illo, quod uſque ad
„ revocationem perſeveravit, & deinde re-
„ vocatur “.

Consectarium Vigesimum.

XX. Ex his rejicienda ſunt, quæ habet P. Lacroixius in tract. *de Legibus n.* 852. ubi ait:
„ Adhuc ſunt Auctores, qui dicunt ex aliis
„ fundamentis *probabile eſſe* manere valorem
„ privilegiorum *vivæ vocis* pro Regularibus
„ (etſi Sedes Apoſtolica non ſemel declara-
„ vit, ea eſſe ſublata). Quod ſi probabi-
„ le eſt, poterunt eis uti &c. Quod ſi forte
„ non ſubſiſtant ejuſmodi privilegia, Eccle-
„ ſia ſupplebit, uti probat Cardenas “. Adhunc ergo *probabile eſt* vigere Regularium privilegia, tametſi revocata? Si eſt probabile, Regulares ergo tuto poterunt eis uti: Si hæc privilegia non amplius vigent, *ſupplebit Eccleſia*, ſeu eadem illa privilegia concedet Eccleſia, quæ jam abolevit, & irrita declaravit? Quo ergo appoſite tot Eccleſiæ declarationes, atque interdicta? His ne etiam Probabiliſtarum doctrina anteferenda?

En altera n. 856. „ Auctores ad minimum 13. apud „ Cardenas, & alii Recentiores
„ apud Illſung, & apud Gobat inferunt,
„ omnia *vivæ vocis* oracula ante hos Ponti-
„ fices [Pium V. Paulum V. Gregorium
„ XIV. &c.] data illis ordinibus, aliiſque
„ communicantibus cum ipſis vim habere ex
„ his Bullis, & eſſe Bullata, adeoque revo-
„ cata non eſſe per Gregorium XV. vel
„ per Urbanum VIII. Hoc ipſum judicarunt
„ alii viri docti. Sed quidquid ſit de his,
„ Gobat poſt multa utrinque diſputata ſub-

„ jun-

„ jungit, ſibi adhuc probari doctrinam aliis „ ſapientiſſimis viris etiam probatam, vide„ licet tunc non eſſe ſolius *vivæ vocis ora„ cula*, ſed cenſeri *bullata*, quando ſunt da„ ta alicui Communitati, &c. adeo ut hæc „ ſententia ab extrinſeco ſaltem videatur „ probabilis “. Quid, ſi hæc ſententia *intrinſeca* probabilis jam non eſt, poſtquam hæc vivæ vocis oracula Romani Pontifices toties revocarunt, & Alex. VII. propoſitionem 36. confixit? Ut adhuc vigere credantur, ſatis eſt *extrinſeca* probabilitas, quæ a Scriptorum, qui in hac ſententia ſunt, auctoritate petitur?

CAPUT XIII.

De Conſuetudine.

DOCTRINA.

I. *Doctrina S. Thomæ* de conſuetudine *præmiſſa.*

II. *Conſuetudinis definitio expoſita, ac diſcrimen ipſius ab aliis, quæ aliquam cum ea analogiam habent.*

III. *Multiplex conſuetudinis diviſio explicata.*

IV. *Regulæ ſtatuuntur circa conſuetudinem. Prima Regula: Nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra jus naturale, & divinum.*

V. *Æque obligare poteſt, ac lex humana ſcripta, ſi conditiones neceſſariæ concurrant.*

VI. *Prima conditio, ut legis rationem habeat, quod ſit utilis communi bono.*

VII. *Secunda conditio: Frequentia actuum.*

VIII. *Tertia conditio: Debet induci a Communitate perfecta.*

IX. *Quarta conditio: Oportet, ut inducatur a populo animo ſeſe obligandi.*

X. *Conditio quinta: Diuturnum tempus effluat neceſſe eſt.*

XI. *Obtinere nequit vim legis abſque aliquo aſſenſu Principis.*

XII. *Conſuetudo ceſſare poteſt, & abrogari, ſicut quælibet lex humana.*

XIII. *Vim habet interpretandi legem, etiam aliquando divinam.*

XIV. *Conſuetudo legitima legem humanam abrogare valet.*

XV. *Corruptelæ dicendæ ſunt quædam conſuetudines contra Canones, & leges Eccleſiæ, quas idcirco abrogare non poſſunt.*

XVI. *Conſuetudo a quibuſvis inducta prævalere non poteſt adverſus conſuetudines univerſæ Eccleſiæ.*

XVII. *Plures etiam conſuetudines peculiarium Eccleſiarum nec abrogavit oppoſita plurium conſuetudo, nec fortaſſis abrogatura eſt.*

XVIII. *Conſuetudines ſuperfluæ, & inutiles amputandæ, ſi id fieri queat ſine tumultu, & ſcandalo.*

XIX. *Conſuetudines vel communi bono, vel pietati faventes fovendæ ſunt, niſi forte majus inde detrimentum timeatur.*

I. QUONIAM conſuetudo aliquando legem inducit, aliquando legem interpretatur, & aliquando etiam abrogat; ideo diſputationem de eadem ad finem rejecimus hujuſce *Diſſertationis* de ceſſatione legum, ac totius de legibus *Tractatus*. In primis itaque de more præmitto S. Thomæ doctrinam, quam habet de conſuetudine p. 2. q. 97. art. 3. ubi inquirit, *Utrum conſuetudo poſſit obtinere vim legis*. Primumque in hanc rem affert authoritatem S. Auguſtini ex Epiſtola ad Caſulanum, quæ partem affirmantem ſtatuit, ſcilicet: *Mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege ſunt tenenda*: & *Sicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coercendi ſunt.* Deinde quæſtionem reſolvens ita ſcribit: „ Omnis lex proficiſcitur a ratione, & vo„ luntate Legiſlatoris: lex quidem divina, „ & naturalis a rationabili Dei voluntate: „ lex autem humana a voluntate hominis „ ratione regulata. Sicut autem ratio, & „ voluntas hominis manifeſtantur verbo in „ rebus agendis, ita etiam manifeſtantur „ fac-

Digitized by Google

„ licet. Hoc enim unuſquiſque videtur eli-
„ gere ut bonum, quod opere implet. Ma-
„ nifeſtum eſt autem, quod verbo humano
„ poteſt & mutari lex, & etiam exponi,
„ in quantum manifeſtat interiorem motum,
„ & conceptum rationis humanæ. Unde e-
„ tiam & per actus maxime multiplicatos,
„ qui conſuetudinem efficiunt, mutari poteſt
„ lex, & exponi, & etiam aliquid cauſari,
„ quod legis virtutem obtineat, in quantum
„ ſcilicet per exteriores actus multiplicatos in-
„ terior voluntatis motus, & rationis con-
„ ceptus efficaciſſime declaratur. Cum enim
„ aliquid multoties fit, videtur ex deliberato
„ rationis judicio provenire. Et ſecundum
„ hoc conſuetudo & habet vim legis, & le-
„ gem abolet, & legem interpretatur “.
Hactenus D. Thomas.

Ex hac doctrina perſpicuum eſt triplex officium eſſe, ſive habere poſſe conſuetudinem, nempe *legem inducendi*, *legem interpretandi*, eam videlicet, quæ inſtituta eſt a Legiſlatore legitimo, ac demum *legem eamdem abrogandi*. Juxta primum officium hæc eſt ab Iſidoro lib. 5. C. III. Etymolog. tradita

DEFINITIO.

Conſuetudo eſt jus quoddam, moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, ubi deficit lex.

II. Quamquam hæc definitio quibuſdam obſcura, & implexa eſſe videatur; nihilominus probe explicatis terminis, omnis difficultas facile evaneſcit, ejuſque rectitudo manifeſta fit. Conſuetudo, ut notat D. Thomas *in 2. diſtinct. 24. q. 3. art. 2.* prout nunc conſideratur, *importat quamdam frequentiam circa ea, quæ facere, vel non facere in nobis eſt*. Unde ex ſe eſt aliquid *facti*: frequentia namque actuum non aliud ſunt, niſi facta ipſa multiplicata: atque ita inſpecta conſuetudo neque *jus* eſt, neque legem importat. Sed aliquid aliud eſt, quod ex tali frequentia conſurgit, ſive relinquitur: quod poteſt eſſe vel aliquid *phyſicum*, ut eſt *habitus*; frequentia ſiquidem actuum cauſat habitum, de quo modo non loquimur: vel aliquid *morale* per modum facultatis, vel juris obligationis ad quidpiam agendum, vel omittendum, quod vocari poteſt *jus conſuetudinis*, ſive conſuetudine introductum: atque adeo, licet conſuetudo *aliquid facti* primario ſignificet, transferri potuit ad ſignificandum *aliquid juris*, quod ex frequentia actuum reſultat. Nam cauſæ nomen transferri ſolet ad effectum, & e converſo: atque ita conſuetudo vocatur & ipſa frequentia actuum, & *jus* conſuetudine invectum. Unde in definitione poſita S. Iſidorus conſuetudinem *a more* diſtinguit, quia *mos ad factum* tantummodo refertur, conſuetudo vero etiam *ad jus*. Et ideo dicitur *jus quoddam moribus inſtitutum*, ſive per frequentiam actuum inductum.

Additur autem in definitione, *quod pro lege ſuſcipitur*: non quia conſuetudo, dum requiſitis conditionibus gaudeat, non ſit vera lex; ſed quia S. Iſidorus nomen legis accommodat ad legem ſcriptam; & ideo dixit *jus* conſuetudinis loco illius *ſuſcipi*, *ubi deficit lex*, juxta ea, quæ habentur in jure ex lege *De quibus ff. de legibus*, ubi dicitur: *De quibus ſcriptis legibus non utimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus, & conſuetudine introductum eſt*. Et infra: *Inveterata conſuetudo pro lege non immerito cuſtoditur*.

Ex his colligi facile poteſt, in quo differat conſuetudo, de qua ſermo nunc eſt, a cæteris, quæ aliquam cum ipſa analogiam videntur habere. Ac primo differt *ab uſu*, qui juxta doctrinam S. Thomæ 1. *p. q. 16. art. 1.* proprie, ac theologice conſideratus ſignificat actum, quo voluntas libere exequitur actum, quem eligit; quod

etiam

etiam prius notaverat S. Auguſtinus *lib.* 10. *de Trinit.* C. 11. ubi hac ratione dixit, *uſum non habere, niſi animal, quod rationis eſt particeps*: quia ſolum homo libere ſe, & alia applicat ad operationem. In vulgari tamen ſermone uſus ſignificat ſimilium actuum frequentiam: quo pacto cum *facti* conſuetudine convenit. Et in eadem ſignificatione ſumitur etiam *mos*. Quamquam, ut animadvertit S. Thomas loco ſupra laudato, *Mos etiam dicitur de inclinatione ad ſimiles actus ex eorum frequentia relicta*. Denique differt conſuetudo a *præſcriptione*, licet ambæ in aliquo conveniant; in hoc nimirum, quod tam in præſcriptione, quam in lege non ſcripta intervenit aliquid facti, & aliquid juris, quod per factum invehitur. Unde & præſcriptio conſuetudinem aliquam requirit, & lex non ſcripta conſuetudinem interdum requirit aliquo modo præſcriptam, ſive certam, ac legitimam. At vero differunt in primis in ipſo jure: quia præſcriptio preſſe dicta non introducit *jus legale*, ſed confert *jus dominii*, aut aliud ſimile jus utendi, vel fruendi prædio, domo, juriſdictione, ſuffragio &c. atque exinde differunt etiam in conſuetudine *facti*, per quam unum, vel aliud jus introducitur: alias namque conditiones requirit conſuetudo præſcriptionis, alias legis. Ad jus enim legis neceſſaria eſt conſuetudo populi; ad præſcriptionem autem ſufficit uſus privatæ perſonæ. Præterea differunt: quia ad conſuetudinem propriam, & legalem, de qua loquimur, neceſſarius eſt aliquis conſenſus ſive populi, ſive Principis: non ita ad præſcriptionem exigitur conſenſus ejus, contra quem præſcribitur. Tandem, ut alia omittam, non idem tempus in utraque requiritur. Nam tempus præſcriptionis definitum a lege eſt: at in conſuetudine vel eadem non eſt diſpoſitio juris, vel ex ſe neceſſaria non eſt, ut poſtea dicemus.

Divisio Consuetudinis.

III. Plures traduntur conſuetudinis diviſiones. Prima eſt in *univerſalem*, & *communem*. *Univerſalis* idem eſt, ac *jus gentium*, quod licet non ſcriptum ſit, ſervatur tanquam lex ab univerſis, vel pleriſque nationibus. *Communis* ea eſt, de qua modo, & *Civilis* etiam nuncupatur, quæ nempe in aliqua natione, regno, provincia, civitate introducitur, & invaleſcit. Ad illud, ſive jus gentium, revocari non immerito poſſunt Eccleſiaſticæ traditiones, quarum initium, & authos ignoratur, & ab univerſali Eccleſia toto orbe diffuſa ſervantur. Illæ namque jus non ſcriptum continent, & moribus totius Eccleſiæ firmatæ ſunt. Ad iſtud vero, nempe ad jus *comune* referuntur conſuetudines, quæ in Eccleſiis peculiaribus vigent, & obſervantur.

Altera diviſio conſuetudinis eſt in eam, quæ eſt *juxta legem* (intellige ſcriptam), *præter legem*, & *contra legem*. Conſuetudo *juxta legem* novam legem non inducit, ſed præexiſtentem potius firmat, ac roborat, & lege abrogata, ipſa quoque ceſſat, & extinguitur. Et de hac locutus eſt Gratianus, cum dixit, *Leges inſtitui, cum promulgantur: firmari autem, cum moribus utentium approbantur*. Conſuetudo *contra legem* eſt illa, quæ non inducit, ſed abrogat præcedentem: de qua poſtea. Tandem conſuetudo *præter legem* illa eſt, quæ ex actuum frequentia producitur in materia, in qua lex ſcripta nihil diſpoſuit, aut decrevit. Et hæc ſola eſt, quæ novum jus introducit, & vim legis obtinet, ſi cæteræ non deſint conditiones ad legem requiſitæ.

Tertia *ex parte materiæ*, circa quam verſantur, conſuetudo varias ſubit diviſiones. Nam primo dividitur, ſicut ipſa lex humana, in *Civilem*, & *Canonicam*, ſive Eccleſiaſticam. Deinde in *ſtylum*, *ritum*, *&*

forum

forum. *Stylus* proprie ſignificat ſpecialem uſum in ſcribendo, vel loquendo, ut colligitur ex Cap. *Quam gravi* de Crimin. falſ. ſive uſum, & modum ſcribendi, vel loquendi: indeque vox hæc accommodata videtur ad denotandum modum ſervari ſolitum in aliquo ordine judiciali, & comprehendit Scripturas, Bullas, Reſcripta &c. ex quo illud *ſtylo*, vel *juxta ſtylum Romanæ Curiæ*. Hinc aptando ſtylum conſuetudini, ſicut hæc alia eſt *facti*, alia etiam *juris*; ita ſi ex ſtylo facti oriatur obligatio ſervandi talem modum loquendi, vel ſcribendi, ſtylus inducet legem, quæ ſcripta non eſt. *Ritus eſt conſuetudo ſolemnitatem præbens in aliquo actu exercendo*: & dicitur frequentius in rebus ſacris, ut in Sacrificio altaris Sacramentorum, Sacramentalium, aut orationum, ſive divinorum officiorum. Nam licet hujuſmodi ritus ſoleant eſſe Eccleſiaſtica lege præſcripti, attamen non repugnat, immo etiam quandoque contingit, ut uſu, & conſuetudine, quæ obliget conſcientiam, inducantur: & tunc ejuſmodi conſuetudo jus, ſeu legem invehit: ut in ritu e. g. *Ambroſiano*, *Alexandrino* &c. *Forum* denique hic ſignificat locum judiciorum, & etiam proprium territorium cujuſcunque Judicis, aut Prælati, extra quod ex uſu, & conſuetudine obligante jus dicere nequit, & authoritatem ſuam exercere, ſive juriſdictionem.

Poſtrema demum, ne diviſiones alias perſequar minoris momenti, diviſio conſuetudinis eſt in *rationabilem & irrationabilem*. Navarrus priorem definit illam eſſe, *quæ non eſt contra legem naturalem, vel divinam directe, vel indirecte*; & e converſo, *omnem, & ſolam conſuetudinem, quæ directe, vel indirecte pugnat cum lege naturali, vel divina*, aſſerit eſſe *irrationabilem*. At quamquam hoc veriſſimum ſit, non tamen ea ſola conſuetudo, quæ legi naturali, vel divinæ adverſatur, *irrationabilis* dicenda eſt. Nam conſuetudo aliqua poteſt eſſe undequaque honeſta, neque tamen eſſe *rationabilis*, ut conſuetudo audiendi quotidie Miſſam, honeſta, quin & honeſtiſſima eſt; *irrationabilis* tamen eſſet, ſi eo animo fieret, & intentione, ut induceretur jus, & obligatio. Hinc in jure plures conſuetudines cenſentur *irrationabiles*, licet nec legi naturæ, nec divinæ poſitivæ repugnent, ut e. g. quod laici in choro ſedeant cum Clericis, dum ſacræ functiones peraguntur. Unde quod conſuetudo irrationabilis ſit, ex eo repetendum videtur, quod præſeferat indecentiam, vel aliquid contineat, propter quod inepta, & indigna reputetur, ut per conſuetudinem inducatur.

His poſitis ad aliquas regulas conſtituendas accedo circa conſuetudinem, primumque circa illud officium, ſive effectum, quem ex Sancto Thoma notavimus relate ad jus, ſive legem inducendam: qua in re hanc regulam generalem præmitto, nempe quidquid per legem humanam ſcriptam, & promulgatam induci poteſt, conſuetudine quoque poteſt induci: & e contra: quidquid lege humana ſtatui non poteſt, nec conſuetudine induci valet. Juxta quam ſit

REGULA PRIMA.

Nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem naturalem, & divinam poſitivam; nec illam quadantenus mutare.

IV. Sanctorum Patrum ſententiis hæc regula in primis evincitur. S. Auguſtinus relatus in Can. *Fruſtra* diſt 9. lib. 4. de baptiſ. contra Donatiſt. C. 5. ait: *Hoc plane verum eſt: quia ratio, & veritas conſuetudini præponenda eſt: ſed cum conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri.*

S. Iſidorus lib. 7. Synonym. C. 16. *Multa ſunt*, inquit, *conſuetudine vitiata, multa pravo uſu præſumpta, multa contra pudicos mores illicite uſurpata: cedat conſuetudo authoritati*

Digitized by Google

reti ; pravum uſum lex , & ratio vincat : adime conſuetudinem ſerva legem , divinam ſcilicet naturalem , & poſitivam .

Can. *Si conſuetudinem* ex Gregorio VII. hæc referuntur : „ Si conſuetudinem fortaſſis „ opponas , advertendum eſt , quod Dominus „ dicit : *Ego ſum veritas & vita* . Et certe , „ (ut B. Cypriani ſententia utamur) quælibet conſuetudo , quantumvis vetuſta , veritati omnino eſt poſtponenda , & uſus , „ qui veritati eſt contrarius , eſt abolendus.“ Et Cap. *Cum tanto* Extra de conſuetudine Gregorius IX. ait : “ Cum tanto graviora „ ſint peccata , quanto diutius infelicem ani„ mam detinent alligatam, nemo ſanæ men„ tis intelligit , naturali juri , cujus tranſ„ greſſio periculum ſalutis inducit, quamcun„ que conſuetudinem , quæ dicenda eſt verius „ in hac parte corruptela , poſſe aliquatenus „ derogari “ .

Fuſius de hoc diſſerit S. Bernardus loquens de divina , & naturali lege *lib. de Præcep. & diſpenſ. C.* 3. dicens : Hujuſmodi jus „ neceſſarium eſt , inviolabile , & incommu„ tabile . *Neceſſarium , inviolabile* illud in„ telligo , quod non ab homine traditum , „ ſed divinitus promulgatum , niſi a Deo , „ qui tradidit, mutari omnino non patitur“, eo modo , qui jam explicatus eſt . “ *Ne„ ceſſarium , incommutabile* eſt , quod divina „ ita conſtat ratione firmatum , ut nulla ex „ cauſa poſſit , vel ab ipſo Deo aliquatenus „ immutari “. Quod ibidem latius exponit .

Denique S. Thomas hanc regulam confirmat *hic ad primum* inquiens : “ Lex natu„ ralis, & divina procedit a voluntate divi„ na . Unde non poteſt mutari per conſue„ tudinem procedentem a voluntate hominis, „ ſed ſolum per authoritatem divinam muta„ ri poſſet . Et inde eſt , quod nulla con„ ſuetudo vim legis obtinere poteſt contra le„ gem divinam , ac legem naturalem “ . Quibus verbis rationem aſſignat regulæ propoſitæ .

Cum igitur conſuetudo , quæcunque illa ſit , legis rationem habere nequeat adverſus jus divinum , ſive naturale , ſive poſitivum , multoque minus ipſum abrogare , ſupereſt , ut videamus , an hoc officium habere valeat relate ad jus humanum . Pro quo ſit

Regula Secunda .

Conſuetudo poteſt obtinere vim legis , qua ſinguli ad Communitatem ſpectantes obligentur , non minus quam lege humana ſcripta, ſi conditionibus neceſſariis prædita ſit .

V. Quænam ſint hujuſmodi neceſſariæ conditiones , mox definiemus . Interim regulam comprobamus tum authoritate jam laudata S. Auguſtini dicentis Epiſt. 86. *In his rebus , de quibus nihil certi ſtatuit lex divina , mos populi Dei , vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt* : tum ratione contenta in S. Thomæ doctrina , ſcilicet , quod *Sicut ratio, & voluntas hominis* legem ſtatuentis , *manifeſtantur verbo in rebus agendis , ita etiam manifeſtantur facto : hoc enim unuſquiſque videtur eligere bonum , quod opere* implet . *Manifeſtum eſt autem , quod verbo humano poteſt lex* inſtitui , nempe a Superiore . *Unde etiam & per actus maxime multiplicatos , qui conſuetudinem efficiunt , poteſt aliquid cauſari , quod legis virtutem obtineat , in quantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus efficaciſſime declaratur . . . . & ſecundum hoc conſuetudo habet vim legis* . Quia tamen ſi deſint conditiones ad hoc conſuetudinis officium requiſitæ , nullam inducit legem, ſicut neque præexiſtentem legem ſcriptam abrogare poteſt ; idcirco eas ſtatim conſtituo regula , quæ ſequuntur .

REGULA TERTIA.

Ut conſuetudo legem introducat, debet eſſe utilis bono communi.

VI. Hæc conditio ex generali legum conditione neceſſaria eſt. Nam ut definitione legis conſtitutum fuit, lex quælibet, adeoque & lex humana, debet eſſe ad commune bonum ordinata, eique prodeſſe: ac proinde ſi conſuetudo bono communi inutilis ſit, ac potius obſit, rationem legis habere non poteſt, ſed tanquam corruptela exiſtimanda eſt. Porro illæ conſuetudines communi ſocietatis bono adverſæ ſunt, quæ laxitates invehunt, quæ populos ſolutiores efficiunt, viamque aperiunt diſſidiis, ſcandalis, ac nimiæ ſubditorum libertati.

REGULA QUARTA.

Frequentia actuum neceſſaria eſt ad legitimam conſuetudinem inducendam: iique liberi, ac publici ſint, oportet.

VII. Prima pars liquet ex ipſa definitione conſuetudinis. Conſuetudo namque debet eſſe moribus utentium initiata: mores autem non ſunt abſque actuum frequentia. Quænam autem frequentia requiratur, definire minime fas eſt, ſed prudentum arbitrio relinquendum.

Altera pars, quod actus debeant eſſe liberi, ſeu voluntarii, ex eo conſtat, quod ſicut lex a ratione, & voluntate, ita & conſuetudo proficiſcatur neceſſe eſt. Unde ſi populus quidpiam agat metu coactus, conſuetudinem velle introducere nequaquam præſumitur.

Tertia tandem, quod debeant eſſe publici, ſive notorii, conſtat, tum quia actus occulti dici nequeunt peracti ex communi ſocietatis conſenſu; tum quia ſicut ad legem ſcriptam requiritur publica promulgatio, ita ad legem non ſcriptam neceſſaria eſt hæc promulgatio, quæ non voce, ſed publica actuum frequentia perficitur.

REGULA QUINTA.

Ut conſuetudo legitima inducatur, a Communitate perfecta proficiſci debet.

VIII. Non enim ad conſuetudinem ſufficit frequentia actuum exercita ab una, vel ab altera perſona, ſive etiam familia, ſed exigitur, ut fiant a Communitate perfecta, quam jam ab initio definivimus. Nam actus multiplicati non inducunt conſuetudinem vim legis habentem, niſi ratione conſenſus Communitatis, qui per actus hujuſmodi declaretur. Porro ex *l.* 19. §. *Ad Municip.* a tota Communitate fieri cenſetur, quod fit a majore parte illius.

REGULA SEXTA.

Neceſſe eſt ad legem inducendam, ut actus, ex quibus oritur conſuetudo, a populo fiant animo ſe ſe obligandi, in eoque perſiſtat toto tempore ad conſuetudinem requiſito.

IX. Ratio eſt: quia ſicut nulla conſtitutio rationem legis habere poteſt, niſi eam præcipere Legislator velit, ita & de conſuetudine, quæ legis rationem habitura ſit, judicare oportet. Quæ tamen intentio populi in imponenda ſibi obligatione rigidior, aut mitior eſſe valet. Poteſt enim eam ſibi imponere aut ſub gravi, aut ſub levi culpa, aut etiam ſub pœna duntaxat, omni culpa ſecluſa: quo in caſu propriæ legis rationem non obtinet. Illa autem intentio, ſive voluntas non debet eſſe interrupta, ſed continua toto tempore pro conſuetudine inferenda neceſſario. Nam ſi initium ex animo ſe ſe obligandi fuerit, progreſſu vero temporis ex mera devotione actus continuentur, nulla lex inducetur.

RE-

Digitized by Google

REGULA SEPTIMA.

Ut conſuetudo vim legis obtineat, diuturnum tempus effluat, neceſſe eſt.

X. Diuturnum tempus illud in jure accipi ſolet, quod complectitur decem ſaltem annorum ſpatium: Iſtud autem ſpatium ſufficit ad præſcriptionem conſuetudinis legalis, quæ una eſt ex conditionibus a jure eodem requiſita, ut vim legis obtineat. Porro hoc decennium debet eſſe continuum, nec interruptum per actus contrarios ſive Superioris reſiſtentis, ſive populi illam interrumpentis. Hæc tamen præſcriptio, ſive diuturnitas temporis neceſſaria non eſt, ut conſuetudo vim legis acquirat, ſi accedat conſenſus Principis perſonalis ſaltem tacitus; nimirum ſi Princeps ſciat, & non impediat conſuetudinem, aut conſuetudinis obligationem, id, quod contingit, cum poſſet facile impedire, ac deberet, niſi tacite conſentiret.

REGULA OCTAVA.

Conſuetudo nequit obtinere vim legis abſque conſenſu habentis poteſtatem legiſlativam.

XI. Hæc regula traditur, & explicatur a D. Thoma *hic ad 3.* his verbis: "Multitudo, „ in qua conſuetudo introducitur, duplicis „ conditionis eſſe poteſt. Si enim ſit libera „ multitudo, quæ poſſit ſibi legem facere, „ plus eſt conſenſus totius multitudinis ad „ aliquid obſervandum, quod conſuetudo „ manifeſtat, quam authoritas Principis, „ qui non habet poteſtatem condendi legem, „ niſi in quantum gerit perſonam multitu„ dinis: unde licet ſingulæ perſonæ non „ poſſint condere legem, tamen totus po„ pulus condere legem poteſt. Si vero mul„ titudo non habeat liberam poteſtatem con„ dendi ſibi legem, vel legem a ſuperiori „ poteſtate poſitam removendi, tamen ipſa „ conſuetudo in tali multitudine prævalens „ obtinet vim legis, in quantum per eos „ toleratur, ad quos pertinet multitudini „ legem imponere: ex hoc enim ipſo viden„ tur approbare, quod conſuetudo introduxit." Nimirum ſi multitudo ſit libera, prout eſt in regimine Democratico, ſatis eſt conſenſus multitudinis ad inducendam conſuetudinem, quæ vim legis obtineat, quia ipſa poteſtate fruitur imponendi ſibi legem. Si autem ſubditur alteri vicem ipſius gerenti, prout in regimine Ariſtocratico ſunt Optimates, & in regimine Monarchico Rex, aut Princeps ſupremus, requiritur horum approbatio ſaltem virtualis, & interpretativa, quatenus per eos toleratur, qui poſſent impedire, ſi vellent. Idemque proportione ſervata dicas de conſuetudine in re, ſive materia ſpirituali, ad quam firmandam in ratione legis requiritur ejuſmodi interpretativus conſenſus in Prælato, vel in Summo Pontifice juxta conſuetudinis varietatem. Id tamen communius Authores intelligendum docent de conſuetudine, quæ jam præſcripta non fuerit. Si enim præſcripta ſit, niſi a Principe, vel a Prælato revocetur, eam ſubſiſtere, vimque obligandi retinere, etiam Superiori eam ignorante, adeoque ſine ullo nec expreſſo, nec interpretativo conſenſu exiſtimant. Sed tamen neque in hoc caſu conſenſus ſaltem generalis Principis deeſſe videtur, quatenus vel ipſe, vel Prædeceſſores ſui receperunt in genere conſuetudines omnes in multitudine prævalentes rationabiles, & legitime præſcriptas: qui conſenſus appellari ſolet *legalis*; quatenus lege conſtitutum eſt, ut conſuetudo rationabilis decem annorum ſpatio præſcribatur.

Digitized by Google

Regula nona.

Conſuetudo ceſſare poteſt, & abrogari, ſicut quælibet alia lex humana.

XII. Hæc regula ex iis, quæ de legum humanarum mutatione dicta ſunt, neceſſario conſequitur: non enim majorem vim habet conſuetudo, quam ceteræ humanæ leges; quemadmodum ergo hæ & ceſſare poſſunt, & abrogari a Principe, ita de conſuetudinibus obligatoriis aſſerendum eſt. Porro conſuetudo ex ſe ceſſare poteſt per ſolam mutationem materiæ, quoad ipſius honeſtatem, vel publicam utilitatem abſque ulla revocatione. Quod enim tanta fieri in materia poſſit mutatio, ut ex ſe conſuetudo ceſſet, ac deſinat obligare, liquet: quoniam neceſſe eſt, ut legitima conſuetudo in aliqua ratione fundata ſit, & propter aliquem finem honeſtum, & utilem introducta: hoc enim ad legis eſſentiam pertinet. Si ergo lapſu temporis res ita mutentur, ut hujuſmodi finis nedum in particulari, ſed etiam in generali ceſſet, deſinet etiam conſuetudinis obligatio. Immo contingere interdum poteſt, quod res ita mutentur, ut conſuetudo non tantum inutilis, ſed etiam nociva evadat, & occaſio ſcandali: quo in caſu nedum minime tenemur conſuetudinem ſequi, ſed etiam tenemur eam minime ſequi, ac prorſus deſerere. Qua de cauſa merito ſublatæ ſunt aliquæ conſuetudines olim ex pietate, ac devotione introductæ, ut e. g. conveniendi noctutno tempore in Eccleſiam ad preces Deo fundendas viros, ac mulieres, quæ progreſſu temporum pietate, ac devotione ceſſante, occaſiones ſcandali, ac peccati effectæ ſunt.

Quod vero conſuetudo juſtis de cauſis abrogari a Principe valeat, nemo negaverit, cum ſicuti lex a ſe condita, ita & conſuetudo a ſubditis ſuis invecta a ſua poteſtate pendeat, ac voluntate. Abrogare autem Princeps conſuetudinem poteſt vel per expreſſam ſuam voluntatem, ſive condendo legem, qua eam abroget, vel legem aliam ſtatuendo, qua ſubinde cuique conſuetudini contrariæ deroget, aut illam aboleat expreſſe, vel tacite: qua in re hæc obſervanda ſunt: 1. nempe: quod conſuetudo revocatur per legem contrariam, præcipue quando Legiſlator eam non ignorare præſumitur, maximeque ſi clauſulam addat, *Non obſtante conſuetudine* &c. neque enim clarius mentem ſuam explicare valet. Quod ſi hæc clauſula non addatur, perpendere oportet, num repugnantia ſit inter legem, & conſuetudinem, adeo ut lex obſervari nequaquam poſſit, ſi conſuetudo ſervetur.

Secundo: ſi conſuetudo ſit univerſalis v. g. totius regni, aut Eccleſiæ, & lex contraria pro toto regno, vel tota Eccleſia feratur, per hujuſmodi legem abrogatur omnino conſuetudo, etiam non adjecta clauſula derogatoria. Nam lex poſterior univerſalis revocat priorem univerſalem, quamquam illius mentionem non faciat, ut aperte ſumitur ex Cap. 1. de Conſtit. in 6. *Singularium conſuetudinum*. Idque ſervata proportione locum habet in unoquoque Epiſcopatu pro legibus Synodalibus, & conſuetudinibus generalibus cujuſcunque Diœceſis: & in Principatu ſæculari in legibus civilibus ejuſdem relate ad conſuetudines univerſales in ipſo vigentes.

Tertio: per legem univerſalem latam pro tota Eccleſia, vel Regno, non revocantur conſuetudines peculiares Diœceſum, vel Provinciarum, aut Civitatum, niſi clauſula addatur, *Non obſtante* &c. vel in ſpeciali, vel ſaltem in generali, adeo ut cum fundamento præſumatur Superiorem velle ipſam abolere. Ita enim expreſſe declaratur in præfato Cap. *Singularium conſuetudinum*, ubi etiam ratio redditur: quia Legiſlator univerſalis non cenſetur ſcire facta particularia, ad quæ pertinent conſuetudines particularium locorum: adeoque neque cenſetur illas revocare velle per legem univer-

ſa-

Digitized by Google

ſalem, niſi earum ſpecialem mentionem faciat, vel ſaltem in genere omnes contrarias conſuetudines revocet, addendo claufulam, *Non obſtante* &c.

Regula Decima.

Conſuetudo vim habet interpretandi legem.

XIII. Hoc eſt alterum officium, quod conſuetudini tribuit S. Thomas in laudato articulo, & cum eo cæteri Theologi, ut nempe poſſit legem ſcriptam interpretari. Quod officium ita convenit ipſi, ut in jure dicatur eſſe *optima legum interpres*. Porro ut officium hoc, & regula poſita magis declaretur, illud animadvertendum eſt, dupliciter conſuetudinem cenſeri poſſe ad legem interpretandam, nempe primum, ut eſt ſignum aliquod, aut teſtimonium talem fuiſſe Legislatoris mentem, & hoc, non autem alio ſenſu receptam eſſe, & habere vim obligandi. Sic autem inſpecta conſuetudo certam reddere nequit, atque infallibilem interpretationem: quoniam tantum conjectura quædam humana eſt; ſed tamen cum valde probabilis ſit, ad interpretationem doctrinalem plurimum confert, eoque probabilior erit, quo fuerit diuturnior, & altiores in populo radices fixerit. Deinde poteſt alio modo legem interpretari, tamquam causa concurrens ad introducendam, atque firmandam hujuſmodi interpretationem, legiſque in hoc, vel illo ſenſu obligationem: quod declaratur aperte in l. *Nam Imperator* ff. *de leg.* ubi dicitur: *In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum ſimiliter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere*. Sicut ergo ſupra diximus, *authenticam* eſſe illam *interpretationem*, quæ fit a Superiore poteſtatem ferendæ legis habente; ita quoque de conſuetudine dicendum eſt, ſi ad gradum illum perveniat, ut vim legis acquirat. Ac juxta hæc vera cenſenda eſt multorum ſententia, qui docent, tam efficacem eſſe conſuetudinem ad legem interpretandam, ut tametſi ex verbis & materia ambiguum ſit, num lex obliget ſub culpa lethali, nec ne, ſi tamen ex conſuetudine conſtet, non obligare niſi ſub levi culpa, levis tantum erit obligatio ea præſtandi, quæ lege imponuntur. Immo etiam efficere poteſt, ut nulla ſit obligatio in conſcientia, quo in caſu legem abrogabit, de quo ſtatim. Addendum etiam, poſſe conſuetudinem interpretari ipſam legem divinam, non eodem tamen modo, ac humanam. Divinam namque legem ſolum interpretatur, quatenus ex ejus mentem, & intentionem ſupremi Legislatoris Dei, adeoque neceſſe eſt, ut conſuetudo ſit univerſalis Eccleſiæ traditione firmata, vel a Conciliis Œcumenicis, Summiſque Pontificibus approbata.

Regula Undecima.

Conſuetudo legitima abrogare poteſt legem humanam.

XIV. Hoc eſt poſtremum conſuetudinis officium a S. Thoma, & a Theologis aſſignatum, quod conſuetudo legitima, ſive gaudens conditionibus jam expoſitis, abrogare, vel abolere valeat legem humanam: neque enim, ut præmiſimus, hunc effectum circa divinam legem habere poteſt. Id autem conſtat in primis ex *l. De quibus ff. de legib*, ubi in fine dicitur: *Rectiſſime receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio Legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur*. Et ratio id quoque confirmat: quia ad hunc effectum non deeſt poteſtas in Communitate, & voluntas per ipſam conſuetudinem ſufficienter oſtenditur: adeoque cum legitima conſuetudo eſt, hunc etiam effectum inducet.

Illud tamen obſervandum, quod cum conſuetudo triplicem ſtatum habeat, ſcilicet *inceptionis*, *progreſſus*, & *præſcriptionis*, qui

hanc

Digitized by Google

hanc introducunt ab initio, & etiam in progreſſu, donec conſuetudo præſcripta ſit, vel Principis conſenſione probata, plerumque legem tranſgrediuntur, & peccant: quoniam tunc adhuc lex prævalet, & virtutem obligandi obtinet. Nihilominus fieri aliquando poteſt, ut a peccato immunis ſit, qui legem ab initio ob conſuetudinem non obſervat. Quod egregie declaratur a S. Thoma hic *ad* 2.; cum enim ſibi objeciſſet: „ Ex multis „ malis non poteſt fieri unum bonum: ſed „ ille, qui incipit primo contra legem agere, male facit; ergo multiplicatis ſimilibus actibus, non efficietur aliquod bonum. „ Lex autem eſt quoddam bonum, cum ſit „ regula humanorum actuum. Ergo &c. ". Porro ad hoc argumentum reſpondet: " Quod „ ſicut ſupra dictum eſt, leges humanæ in „ aliquibus caſibus deficiunt. Unde poſſibile „ eſt, quandoque præter legem agere, in „ caſu ſcilicet, in quo deficit lex: & tamen „ actus non erit malus. Et cum tales actus „ multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis: ſicut etiam manifeſtaretur, ſi lex contraria promulgaretur. Si autem maneat „ ratio eadem, propter quam lex utilis erat, „ non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit; niſi forte propter hoc ſolum „ inutilis lex videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem Patriæ, „ quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis „ removere ".

Ex hac doctrina liquet, quod licet conſuetudo plerumque actibus illicitis incipiat, atque etiam proficiat, *poſſibile tamen eſt*, quod etiam peccaminoſa non ſit ab initio, ſi nempe *lex in aliquo deficiat*, & appareat non eſſe bono communi utilis. Quod etiam contingere nonnunquam poteſt, ſi tam univerſalis ſit multitudinis reſpectu legis contrarietas, ut obſervatu vix poſſibilis ſit: ipſaque contrarietas circumſtantia eſſe poteſt, ut lex inutilis efficiatur, & prævalere debeat oppoſita conſuetudo.

Fieri itidem poteſt, ut ſubditi bona fide exiſtiment, materiam legis, aut ejuſdem circumſtantias ita eſſe mutatas, ut nunc lex ceſſare debeat, eaque ratione ipſam non obſervent, quod ſibi perſuaſum habeant, vim ſuam amiſiſſe, quamquam reapſe tanti momenti non ſint ipſorum rationes, ut propter eas lex jam deſiverit. Atque inde ex ea perſuaſione bona fide concepta ita multiplicantur actus legi oppoſiti, ut tandem procedente tempore lex ipſa abrogetur. Illud vero attentius animadverti velim in allata Doctoris Angelici authoritate: *Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit*: ex his namque verbis elicere fas eſt, plures conſuetudines jam introductas abrogare minime potuiſſe nonnullas leges præſertim Eccleſiaſticas. Quare ſit

Regula Duodecima.

Corruptelæ potius dicendæ ſunt quædam conſuetudines invectæ contra Canones, ac leges Eccleſiæ, quæ idcirco per eaſdem abrogari neutiquam poſſunt.

XV. Hujuſmodi ſunt omnes, quæ reprobatæ ſunt in jure; ideoque reprobatæ, quod ratio eadem invariata perſiſtat in legibus contrariis. Harum exempla proferre poſſumus ex his, quæ ſtatuit contra conſuetudines aliquas Innocentius III. Sic Summus Pontifex reprobavit illam, quæ ævo ſuo invaluerat, qua ſecundi ordinis Sacerdotes ea Sacramenta Conſtantinopoli miniſtrabant, quæ ab Apoſtolorum tempore ſolis Epiſcopis reſervata ſunt, ut Sacramentum Confirmationis, prout habetur C. *Quanto* Extra *de Conſuetud.* Sic idem Pontifex Cap. *Cum inter vos* ſub eod. tit. improbat conſuetudinem, qua non ſervantur ea, quæ in jure obſervanda ſtatuuntur circa Cenſu-

Digitized by Google

futas Eccleſiaſticas, ut ea qua Canonici S. Petri de Curia non ſervabant Interdictum generale ab Epiſcopo Cenomanenſi poſitum, ſed pulſatis campanis (interdictis tamen, & excommunicatis excluſis) divina officia celebrabant: & rationem adjecit: *quia ex tali conſuetudine diſrumperetur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ*. Sic etiam idem Innocentius irrationabilem cenſuit conſuetudinem, qua fretus Abbas quidam Sedi Apoſtolicæ immediate ſubditus, ad aliam Abbatiam eidem Sedi pariter ſubjectam demigtaverat abſque licentia Summi Pontificis: quia hæc conſuetudo adverſa erat Sacris Canonibus, adeoque non tam conſuetudo, quam corruptela judicanda, ut legitur Cap. *Cum venerabilis*, Extra *de conſuetudine*. Atque idem ſentiendum eſt de quacunque conſuetudine, quæ pugnat contra Eccleſiæ, vel electionis libertatem, ut decernit Cœleſtinus III. Cap. *Cum terra*, Extra *de Elect.* & Gregorius IX. Cap. *Sacroſancta* ſub eodem titulo. Plures alias conſuetudines improbatas invenies apud Canoniſtas, quæ proinde omni vi carent leges Eccleſiaſticas abrogandi. Qua de re vide etiam, quæ ſupra notata ſunt, dum *de lege Eccleſiaſtica* diſſeruimus.

Regula Decimatertia.

Conſuetudo a quibuſvis inducta prævalere non poteſt adverſus conſuetudines in univerſa Eccleſia conſecratas, quæ potius religioſe ſervandæ ſunt.

XVI. Hæc regula, quæ æquitati, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſentanea admodum eſt, expreſſe traditur a S. Auguſtino Epiſt. 54 ad Januarium C. 1. & refertur Can. *Illa* diſtinct. 12. *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti, anniverſaria celebritate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Et cap. V. *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Et epiſt. 36. ad Caſulanum loquens de Dominica die hæc habet: *Quiſquis hunc diem jejunio decernendum putaverit, ſicut quidam jejunantes Sabbatum obſervant, non parvo ſcandalo erit Eccleſiæ, nec immerito: in iis enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.*

Verum illud obſervare par eſt quoad ſolemnitates memoratas a S. Auguſtino, quod licet circa earum veluti ſubſtantiam nunquam prævaluerit, nec prævalitura ſit conſuetudo contraria, prævalere tamen potuit circa aliquas veluti circumſtantias, Eccleſia ipſa conſuetudinem ſaltem tacite approbante. Sic lex olim viguit [quæ etiam nunc aliquatenus viget in Græca Eccleſia] de tota hebdomada Paſchæ ſolemniter celebranda, ut habetur ex Can. *Pronunciatum*: ſic etiam lex erat de obſervantia Rogationum, ut Can. *Rogationes* diſt. *de Conſecratione* &c. quæ tamen abrogatæ ſunt contraria conſuetudine rationabili, atque præſcripta, ob tepeſcentem fidelium devotionem, & ob incommoda, quæ præſertim pauperibus ſibi victum ex labore manuum ſuarum quærentibus afferebat jejuniorum, feſtorumque multiplicitas. Idemque dicendum de lege jejunii quadrageſimalis incipiendi a Clericis prima die poſt Dominicam quinquageſimæ juxta Canonem *Statuimus* diſt. 4. quam conſuetudo abrogavit, licet adhuc apud quoſdam Regulares, ſed non in ratione præcepti, perſeveret.

RE.

Digitized by Google

Regula decimaquarta.

Plures etiam conſuetudines ſunt Eccleſiarum particularium, quas nec abrogavit, nec fortaſſis unquam obrogatura eſt oppoſita conſuetudo; adeoque fideliter obſervandæ.

XVII. Hæc quoque regula ex S. Auguſtino depromitur *Epiſt. citat.* 54. ubi de variis locorum, regionumque conſuetudinibus ſcribit. *Faciat ergo quiſque, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc, vel inde meliores. His enim cauſis, ideſt aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel inſtitui, quod non fiebat.*

Validius regulam noſtram firmat S. Gregorius Magnus in reſponſis ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, ubi privatas variarum Eccleſiarum conſuetudines commendat, ut habetur Cap. *Noverit* diſt. 12. *Mihi placet*, inquit, *ut ſive in Romana ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus Omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc in fide nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa quæ recta ſunt, elige: & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Probat igitur Magnus Gregorius peculiares Eccleſiarum inſtitutiones, & conſuetudines, eaſque non ſolum non abolendas judicat, ſed etiam conſervandas, atque ſectandas, immo ex iis eligenda, *quæ, pia, quæ religioſa, quæ recta* magis viſa fuiſſent, ac transferenda in novarum Eccleſiarum conſuetudinem.

Regula Decimaquinta.

Conſuetudines ſine cauſa legitima introductæ, ac præſertim inutiles, & ſuperfluæ, amputandæ ſunt, ſi id fieri valeat ſine tumultu, & ſcandalo.

XVIII. Hæc regula traditur a S. Auguſtino in eadem laudata Epiſtola C. 19. dicens:
„ Hoc nimis doleo, quod multa, quæ in di-
„ vinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, mi-
„ nus curantur, & tam multis præſumptio-
„ nibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius cor-
„ ripiatur, qui per Octavas ſuas terram nu-
„ do pede tetigerit, quam qui mentem vi-
„ nolentia ſepelierit. Omnia itaque talia,
„ quæ neque Sanctarum Scripturarum autho-
„ ritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſ-
„ coporum ſtatuta inveniuntur, nec conſue-
„ tudine univerſæ Eccleſiæ (aut etiam ſingu-
„ larium Eccleſiarum), ſed pro diverſorum
„ locorum diverſis moribus innumerabiliter
„ variantur, ita ut vix, aut omnino nun-
„ quam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis
„ inſtituendis homines ſecuti ſunt; ubi facul-
„ tas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſe-
„ canda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc
„ inveniri poſſit, quomodo contra fidem
„ ſint [aut bonos mores], ipſam tamen
„ Religionem, quam pauciſſimis, & mani-
„ feſtiſſimis celebrationum Sacramentis Miſe-
„ ricordia Dei liberam eſſe voluit, ſervilibus
„ oneribus premunt, ut tolerabilior ſit con-
„ ditio Judæorum, qui etiamſi tempus liber-
„ tatis non agnoverunt, legalibus tamen ſar-
„ cinis, non humanis præſumptionibus ſubji-
„ ciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam
„ paleam, multaque zizania conſtituta mul-
„ ta tolerat; & tamen, quæ ſunt contra fi-
„ dem, vel bonam vitam non approbat,
„ nec tacet, nec facit “. Quibus verbis rationem etiam, cur hujuſmodi conſuetudines reſecari mereantur, Sanctus Doctor aſſignat; quia nimirum *ſervilibus oneribus* nimium gravan-

vantur fideles, quos Miſericordia Divina liberrate donavit. Magna tamen prudentia, & cautione opus eſt in iis conſuetudinibus reſecandis, atque extirpandis, ubi altas præſertim radices egerunt, ne perturbationes, & ſcandala excitentur in populo.

Regula decimasexta.

Si quæ ſint in Diœceſibus, aut Provinciis invectæ conſuetudines, quæ vel communi bono, vel pietati fovendæ conferunt, eæ conſervandæ, ac firmandæ ſunt, niſi forte majus inde detrimentum timeretur.

XIX. Hæc eſt alia inter optimas regulas, quæ in laudata Epiſtola ad Januarium traditur a S. Auguſtino C. 17. his verbis: „ Miror ſane, quid ita volueris, ut de his, quæ varie per diverſa loca obſervantur, tibi aliqua ſcriberem, cum & non ſit neceſſarium, & una in his ſaluberrima regula retinenda ſit, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbamus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impediat, ut majora ſtudioſorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, maxime id, quod etiam de Scripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis, & pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta “. Verum nonnullæ ſunt ex his conſuetudinibus, quæ primum ex pietate, & devotione introductæ, pietatem ipſam, ac devotionem ab initio reapſe fovebant: ſed poſtmodum progreſſu temporum pernicioſæ potius, quam utiles evaſerunt ob diſſolutiones, & ſcandala: quæ idcirco reſecari merentur, & a Paſtoribus Eccleſiæ reſecandæ ſunt, niſi majus inde detrimentum metuatur.

CAPUT XIV.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Eodem modo relate ad conſuetudinem ſentiendum de actibus, & actuum omiſſione.*

II. *Conſuetudo non inducitur, niſi ſaltem a majore parte Communitatis.*

III. *Multitudo etiam Superiori ſubjecta introducere poteſt conſuetudinem vim legis habentem.*

IV. *Neceſſaria non eſt notitia juridica conſuetudinis ad inducendam legem.*

V. *Induci nequit conſuetudo actibus cum ignorantia, & errore elicitis.*

VI. *Conſuetudo præſcripta jus inducit, etiam ſine aſſenſu perſonali Principis.*

VII. *Spatium non interruptum decem annorum ſatis eſt ad præſcribendam conſuetudinem.*

VIII. *Sententia PP. Salmanticenſium de hac re rejecta.*

IX. *Alia eorumdem ſententia improbata.*

X. *Colligitur diſcrimen inter præſcriptionem bonorum & conſuetudinis.*

XI. *Aliquando conſuetudo invehitur in una Provincia, vel Civitate, & non in alia, licet eidem Domino ſubjecta.*

XII. *Sæpe conſuetudo non totam legem aufert, ſed partem tantum ipſius.*

XIII. *Conſuetudo vim legis obtinens æque obligat eos, qui ad Communitatem pertinent.*

XIV. *Hinc etiam tum laicos, tum Clericos obligare ſolet.*

XV. *Admittenda non eſt quorumdam opinio duos, aut tres actus ſatis eſſe putantium ad conſuetudinem inducendam.*

XVI. *Plures ſunt laudabiles conſuetudines ſola devotione invectæ, quæ non pariunt obligationem.*

XVII. *In dubio, num conſuetudo inducta ſit ex devotione, vel ex præcepto, obſervanda eſt.*

XVIII. *Nulla conſuetudo prævalere poteſt contra jus divinum, ac naturale.*

XIX. *Conſuetudines, quæ vel quidpiam ſuperſtitioſum continent, vel aliquid divinæ juri repugnans, evellendæ ſunt ab Eccleſiæ Paſtoribus.*

XX. *E contra haud facile mutandæ, quæ neque fidei, neque bonis moribus adverſantur.*

XXI. *Magna adhibenda cura eſt a Prælatis Eccleſiæ in judicandis, ac diſcernendis conſuetudinibus, quæ reſecari, aut non reſecari merentur.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. QUIDQUID aſſeritur de actibus in ordine vel ad invehendam conſuetudinem, vel ad producendos effectus, qui ex illa conſequuntur, aſſerendum quoque eſt, proportione ſervata, de omiſſionibus actuum, adeo ut harum frequentia ſatis eſſe poſſit ad jus dicendum (licet fortaſſe major ſit oporteat reſpectu harum), & ad interpretationem legum civilium, & Eccleſiaſticarum, & ad abrogandam demum ipſam humanam legem, ſi concurrant conditiones omnes, quæ pro actuum frequentia recenſitæ ſunt: eadem quippe ratio eſt de actibus, atque actuum omiſſionibus.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Ut conſuetudo a populo inducatur, neceſſe eſt ut ſaltem a majori parte Communitatis obſervetur: & hæc ſufficit. Prioris partis ratio eſt; quoniam conſuetudo debet eſſe ſaltem moraliter a tota Communitate; minor autem pars non ſufficit, ut conſuetudo ipſi Communitati moraliter tribuatur, neque ut dici vere queat, quod in ipſam Communitas conſentiat. Sicut ergo ſi Communitas legem ferret per expreſſam ejuſdem voluntatem, haud ſufficeret minoris partis Communitatis aſſenſus, ſive ſuffragia, ſicut non ſufficit in electionibus, aliiſque Communitatis actibus; ita neque ſufficere cenſendum eſt ad conſuetudinem legalem introducendam. Atque ex hoc conſtat etiam pars altera aſſertionis, quod ſatis ſit major pars Communitatis ad inducendam conſuetudinem, quemadmodum ſatis eſt in omnibus actibus, & electionibus, quæ a quacunque Communitate fiunt, niſi aliquid ſpeciale ſtatuatur, ut ſtatui aliquando ſolet in quibuſdam gravioribus negotiis.

CONSCTARIUM TERTIUM.

III. Conſuetudo vim, & efficaciam legis obtinens poteſt a multitudine introduci, etiamſi alteri ſive Principi, ſive Prælato ſubjecta ſit, ſi tamen ab hoc ſaltem toleretur. Ita D. Thomas hic *ad 3.* ubi poſtquam docuit, liberam multitudinem poſſe ſolo conſenſu ſuo legem ſibi condere, ſubjicit: *Si vero multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a Superiori poteſtate poſitam removendi; tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipſo videntur approbare, quod conſuetudo introduxit.*

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non eſt neceſſe, ut conſuetudo legem inducat, quod notitia de actuum frequentia juridica ſit, ſive in judicio publica authoritate probata, prout aliqui ex Juriſtis contendunt. Siquidem hæc juridica notitia neque neceſſaria eſt ex ipſa natura rei: non enim ulla ratio hujuſmodi neceſſitatem probat: ſed neque ex jure aliquo poſitivo, quod nullum affertur, neque afferri poteſt: quia hocce jus nihil aliud ad legalem conſuetudinem requirit, niſi ut ſit inveterata, præſcripta, antiqua, hiſque ſimilia, ut patet ex l. *De quibus* jam citata. Neque ex Cap. *Abbate* quidpiam extundere poſſunt in ſui favorem, qui contra ſentiunt. Ibi namque

ſermo

Digitized by Google

ſermo non eſt de conſuetudine juris, ſed de præſcriptione juris eligendi, quæ res eſt plane diverſa, præter alia, quæ notari poſſent in illo Capite.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Cum legalis conſuetudo introduci nequeat abſque deliberato conſenſu populi, inferendum eſt actibus cum ignorantia, & errore factis eam induci minime poſſe; quoniam involuntarii ſunt: atque ita animadvertit Gloſſa in Cap. ultimo *de Conſuet.* & ibidem Juriſtæ communiter. Hoc autem intelligi debet de ignorantia, & errore quoad illa, quæ ſpectant ſubſtantiam conſuetudinis ſive in jure ipſius, ſive in facto, quod eſt fundamentum juris: hæc enim ignorantia eſt, quæ deliberatum conſenſum impedit. Si vero ſit circa alia motiva accidentalia, nihil obſtabit, quia hæc conſenſum non tollit. Ex hoc etiam deduci debet, conſuetudinem non induci per actus elicitos ex vi, aut gravi, & injurioſo metu: quoniam vis, & metus liberum impedit voluntatis aſſenſum ad invehendam conſuetudinem neceſſarium.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Ut conſuetudo præſcripta jus inducat, non requiritur conſenſus *perſonalis* Principis, atque adeo nec ſpecialis ſcientia ipſius de ejuſmodi conſuetudine: ſed ipſo nihil ſciente, aut volente, tacite, vel expreſſe conſuetudo efficaciter introducitur. Quoniam in jure ad valorem conſuetudinis obligantis nulla mentio fit de Principe, ſed ſolum exigitur, ut rationabilis, & præſcripta ſit: adeoque, quamvis Princeps talem conſuetudinem ignoret [& plane omnes difficillime ſcire poteſt], valida cenſenda eſt. Tunc enim præſumitur Princeps generaliter approbare omnes conſuetudines habentes conditiones in jure conſtitutas: qui conſenſus dicitur *legalis*. Si autem adhuc præſcripta conſuetudo non ſit, ad ejus valorem exigitur ſaltem tacitus Principis conſenſus, quem jam declaravimus.

CONSECTARIUM SEPTIMUM

VII. Quamquam non una, eademque ſit Doctorum ſententia circa tempus requiſitum, ut conſuetudo ſit legitime præſcripta, probabilior tamen videtur ea, quæ aſſerit, ſufficere ſpatium non interruptum decem annorum, ut jam diximus, tum in lege Civili, tum in lege Eccleſiaſtica; quoniam in jure tempus definitum non eſt, ſed ſolum diuturnum requiritur: quod decem annorum eſſe computatur. Quare non eodem pacto de præſcriptione conſuetudinis, ac de præſcriptione bonorum, & jurium ratiocinari oportet. Ad horum namque præſcriptionem, ſi bona, & jura ſint Eccleſiaſtica, exigitur ſpatium quadraginta annorum, cum decem tantum requirantur pro bonis, & juribus civilibus. At quoad præſcriptionem conſuetudinis tum Civilis, tum Eccleſiaſticæ idem ſpatium, nempe annorum decem ſatis eſſe videtur. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ, ac præſertim quæ ſit & natura legis invehendæ, vel abrogandæ, & conſuetudinis indoles, & commune prudentum judicium.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex infecta Probabilitatis radice profectu videtur hæc PP. Salmanticenſium doctrina, quam tradunt *tract.* XI. *c.* 6. *p.* 3. §. 2. *n.* 18. ſcilicet, *Sufficere.. dictum unius eximii Doctoris aſſerentis tempus ad conſuetudinem requiſitum prateriiſſe, ut per eam lex abrogata cenſeatur, etiamſi plures alii oppoſitum ſentiant*. Nemo jam neſcit propoſitionem *n.* 27. damnatam ab Alexandro VII. quæ aſſerebat: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem* In hac propoſitionem im-

Digitized by Google

pingit Salmaticenſium doctrina. Neque enim ad eam honeſtandam ſatis eſt, quod *dictum* exigant *eximii Doctoris*; cum, *ſi alii plures oppoſitum ſentiant*, qui certe ſua authoritate præditi erunt, dubiam ſaltem efficiant aſſertionem Doctoris illius, quem *eximium* præſumunt: & in dubio prævalere debet tutior pars legi favens, adeo ut abrogata cenſenda non ſit.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Eadem de cauſa probanda non eſt ſententia eorumdem Salmanticenſium, & Authorum, quos laudant, dum docent, legem non tranſgredi, adeoque neque peccare, nondum completo præſcriptionis tempore, ut abrogata exiſtimari jure valeat, unde putant ipſi, initio quidem conſuetudinis peccare eos, qui legem vigentem non obſervant, *in progreſſu* tamen, etiam præſcriptione non adhuc inducta, a peccato tranſgreſſores excuſant. Probanda, inquam, hæc ſententia non eſt, ſed potius rejicienda, cum nondum facta præſcriptione, lex ſemper obtineat, ac prævaleat, adeoque violari non poſſit citra peccatum.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Quare in hoc etiam diſtinguitur præſcriptio bonorum, & jurium a præſcriptione legum: quod ad illam bona fides requiratur ab initio, & in progreſſu; ſecus ad iſtam. In hoc vero diſparitatis ratio conſiſtit: quia per præſcriptionem bonorum transfertur dominium, invito Domino, ad lites, aliaque incommoda evitanda. Unde ſi valida foret præſcriptio malæ fidei in bonis, ac juribus, lata aperiretur janua fraudibus, ac dolis, gravioribuſque incommodis, quam ea ſint, quæ per legem præſcriptionis vitantur. At vero præſcriptio contra legem non fit invito Legislatore, ſed eo ſaltem *legaliter* aſſentiente, & poteſtatem habente abrogandi ipſam conſuetudinem legi adverſantem.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Contingere interdum poteſt, ut lex ſive civilis, ſive Eccleſiaſtica abrogetur per conſuetudinem contrariam in una civitate, vel Provincia, & non in alia, licet ſubjiciantur eidem Principi: & ſimiliter in una Diœceſi, & non in aliena, quamvis eidem contigua. Satis namque eſt, ut hic, & non illic, lex non ſervetur, Superioribus minime repugnantibus toto tempore ad præſcriptionem neceſſario. Hinc in quibuſdam Diœceſibus conſuetudo legem etiam communem abrogavit jejunandi in vigilia aliquorum Apoſtolorum, & ſervandi eorum feſta. Sic etiam per conſuetudinem abrogata lex eſt alicubi non veſcendi carnibus diebus Sabbati a feſto Dominicæ Nativitatis uſque ad Feſtum Purificationis: atque ita in aliis locis aliæ conſuetudines invectæ ſunt contra leges, quæ ſervantur ſine peccato, Prælatis, Summoque Pontifice minime reſiſtentibus.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Quemadmodum conſuetudo legitima abrogare poteſt totam legem humanam, ita etiam, idque potiore titulo poteſt derogare eidem, ſive partem legis auferre, alia permanente in ſuo vigore, quod non infrequenter contingit. Poteſt etiam efficere, ut ut lex pœnalis non amplius pœnalis ſit, & lex mixta ſit tantummodo pœnalis eo ſenſu, quem ſuo loco diximus. Eadem quippe in his omnibus ratio militat, ut eſt manifeſtum.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Conſuetudo legitime introducta, vimque legis obtinens æque obligat populum, ac Principem, Senatum ſupremum, forenſes, advenas, peregrinos &c. Eadem quippe ratio eſt de lege ſcripta, ac de conſuetudine, quæ dum requiſitas conditiones habet, vera lex eſt, ſolaque inter unam, & al-

Digitized by Google

& alteram differentia in modo eſt, qui non variat vim obligandi: adeoque quæ de lege humana in omnibus conſtitutis reſolutionibus obſervata fuere, conſuetudini applicanda ſunt.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Hinc conſuetudo æqua communis laicis, & clericis, æque etiam laicos, & clericos, ac Religioſos adſtringit: quoniam & ipſi Cives ſunt, ac Communitatis partes. Si tamen ſit aliqua conſuetodo, quæ propria laicorum ſit, nec cohæreat cum ſtatu Clericorum, ac inſtitutionibus Religioſorum, ad hos obligandos nequaquam extenditur, niſi forte Prælati conſenſus acceſſerit, aut ex non obſervantia ſcandali præberetur occaſio. Quo in caſu non vi humanæ conſuetudinis, ſed lege naturali tenerentur.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Rejicienda eſt ſententia, quæ tribuitur Martinez, Leſſio, Dianæ, & Reginaldo, nimirum ſufficere ad conſuetudinem inducendam duos, treſve publicos actus; quia, inquiunt, frequenter fieri dicitur, quod fit duobus, tribuſve actibus, atque adeo hiſce abrogari poſſe legem inſtitutam. Rejicienda, inquam, hæc ſententia eſt: quoniam hujuſmodi actus frequentiam illam non præferunt, quæ ad conſuetudinem requiritur, præſertim quia nonniſi diuturno tempore conſuetudo introducitur. Porro quot actus ad hanc frequentiam neceſſarii ſint, prudentum judicio relinquendum eſt, ſpectatis circumſtantiis, & conſuetudinis materia. In una namque materia plures requiruntur actus, in alia pauciores ſufficiunt.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Cum nulla conſuetudo, quantumvis inveterata, & communis vim legis obtineat, & obligationem inducat, niſi adſit in Communitate voluntas, & intentio ſe ſe obligandi ſub culpa, hinc fit plures eſſe conſuetudines, quæ licet communiſſimæ ſint, & a vetuſtis temporibus vigentes, nullam tamen inducunt in conſcientia obligationem, ſed ex mera devotione frequentantur; prout ſunt ex. c. aſperſio cinerum in die prima quadrageſimæ, ſalutatio angelica ad Beatam Virginem facta mane, & ſero, ſignum Crucis cum aqua benedicta in ingreſſu Eccleſiæ, acceptio ſacrorum Ramorum die Dominico Palmarum, jejunium in vigiliis quorumdam Sanctorum. Hæ, aliæque ſimiles conſuetudines ſola devotione invectæ ſunt, abſque intentione præceptum, aut legem imponendi; adeoque nullam pariunt conſcientiæ obligationem, &, ſi ſcandalum abſit, citra culpam etiam levem prætermitti queunt, tametſi fovendæ ſint, & commendandæ.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. Si res dubia ſit, num pia aliqua conſuetudo inducta fuerit cum voluntate obligandi, vel ex mera devotione, tutiorem partem ſequi tenemur, eamque obſervare; quidquid oppoſitum doceat P. Lacroixius cum ſuis Probabiliſtis. Porro ſigna non deſunt ad dubia in hac re deponenda, & colligendum, num Communitas voluntatem habuerit ſeſe obligandi ex præcepto, aut ſolum ex devotione. Præcipua hæc ſunt: 1. Senſus communis populi, maxime prudentum, ac piorum. 2. Uniformitas totius Communitatis in obſervanda conſuetudine, præſertim in materia gravi, atque difficili. 3. Si Superiores eos reprehendant, ac puniant, qui conſuetudinem tranſgrediuntur. Si tria hæc indicia ſimul concurrant, niſi certo conſtet, ſocietatem noluiſſe ſe obſtringere ſub culpa, grave argumentum ſuppeditant colligendi conſuetudinem obligantem conſcientiam: ſecus ſi deſint.

Con-

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Fieri nullo modo poteſt, ut quædam conſuetudines cæteroquin communes, quæ divino juri adverſantur, adverſus ipſum prævaleant, ac licitæ tandem evadant. Sic nulla conſuetudine introduci poteſt, ut ſpiritualia licite vendantur; ut Prælati, vel Capitula ſibi fructus uſurpent beneficii litigioſi in præjudicium illius, qui vero jure potitur, etiamſi eos pauperibus diſtribuerent; ut temporales Domini mulctare, vel punire queant interceptores ferarum ſibi damna inferentium, cum interim ipſi nolint ea damna reparare: ut Maritus pro arbitrio ſuo diſtrahat uxoris dotem, atque uxor debitis gravetur ob mariti prodigalitatem contractis: ut naufragantium bona ſibi quiſque vindicet: ut Prætores, vel Satellites ſibi approprient, quæcunque repeterint apud furem, quem apprehendunt: ut damnatis ad mortem denegetur tempus recipiendi Sacramenta pœnitentiæ, & Communionis: ac demum, ut omittam alia clariora, ac magis obvia, ut Eccleſiæ Miniſtris nullæ decimæ ſolvantur, quibus ſuſtententur. Quamquam enim introduci valeat, ut decimæ non ſolvantur ex his, aut illis fructibus, vel hac, aut illa quantitate, nulla tamen conſuetudine introduci poteſt, ut perſonis divino cultui mancipatis, Eccleſiæque miniſtris nihil ſolvatur, quod pro vitæ ſuſtentatione ipſis debetur.

Consectarium Decimumnonum.

XIX. Eccleſiæ Prælati ſatagere tenentur tota animi ſui diligentia, atque labore, ut e ſuis Diœceſibus evellant conſuetudines omnes, quæ vel fidei, vel bonis moribus præjudicium inferunt, vel ritus quoſdam ſuperſtitioſos continent, vel diſſolutiones, & corruptelas fovent, vel ſcandalo ſunt piorum animis, ac perſonis bene moratis. Cum enim innumera mala ſint, quæ ex his conſuetudinibus proficiſcuntur, officium, ac debitum paſtorale ab ipſis poſtulat, ut quantum poſſunt, curam impendant ad eas extirpandas. Hujuſmodi erat, ut exemplum aliquod proferam, quam ævo ſuo extitiſſe commemorat S. Auguſtinus Serm. 15. de Sanctis his verbis: *Cum ſolemnitatem hanc Eccleſiis merito religioſa obſervatio introduxerit, miror, cur apud quoſdam hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſa de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Cujus ſimiles ſuperſtitione pollutas conſuetudines non paucas invenient Epiſcopi in ſuis Diœceſibus vigentes, ſi ſtudium, ac diligentiam ad eas inveniendas adhibeant.

Consectarium Vigesimum.

XX. E contra haud facile mutandæ ſunt conſuetudines, quæ neque fidei, nec bonis moribus adverſantur, magnaque cautela, ac prudentia opus eſt, ne, dum eas mutari contenditur, majora inde mala conſequantur. Ut enim ſapienter obſervat S. Auguſtinus Cap. 5. epiſt. 54. ad Januarium: *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter, quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

Consectarium Vigesimumprimum.

XXI. Magna quoque adhibenda cura eſt ab Eccleſiæ Paſtoribus in judicando de conſuetudinibus, quæ jam obtinuerunt, ut non facile via aperiatur tranſgreſſioni ordinationum Eccleſiaſticarum, *nec etiam condemnetur quis leviter de mortali in hujuſmodi conſuetudinum obſervatione*, quæ canonicis quibuſdam ſtatutis obviant, ſed tamen tolerantur, quemadmodum prudenter monet Sanctus Epiſcopus Antoninus, *1. p. tit. 16. c. 1.* quod etiam declarat exemplis. Sic, docet ille, conſuetudo plurimorum locorum, ut Sabbato, & in vigiliis magnarum ſolemnitatum, quidam artifices tota nocte laborent, ut Sartores

Digitized by Google

tores, & Barbitonſores, *videtur poſſe tolerari*. (Huic tamen permiſſioni laxandæ habenæ non ſunt, ne in abuſum vergat). *Sed nullo modo tolerari debet, nec excuſat a peccato conſuetudo, immo corruptela*, ut ad Sacram Communionem accedere non incipiant homines, niſi in virili ætate, aut puellæ, cum ſunt nuptæ: cum præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, & Paſchalis communionis Chriſtianos omnes obliget, poſtquam ad uſum rationis pervenerunt. Excuſare ſimiliter non poteſt viduas quælibet conſuetudo, ut poſt mortem virorum diebus Dominicis, & feſtis Miſſæ non interſint. Nec etiam Clericos excuſat conſuetudo Patriæ, ut contra decorem, & modeſtiam ſtatus Clericalis multa faciant, quæ Canonibus prohibentur. Nec etiam viros Religioſos excuſat conſuetudo a Regularibus obſervantiis, quas Regula, vel Conſtitutiones illis præſcribunt, ut conſtat ex Cap. *Cum ad Monaſterium* Extra *de ſtatu Monachorum*. Nec Moniales a clauſura ſervanda excuſat Tridentinæ Synodi Decreto, ac Pontificiis Conſtitutionibus contraria. *Nec dici poſſunt hujuſmodi conſuetudines, ſed corruptelæ, & abuſiones: & ideo extirpandæ ſunt a Prælatis, cum fieri poteſt ſine majori ſcandalo, quam eſſet bonum inde ſequens*. Hanc exceptionem S. Antoninus ſapienter addit, confirmatque Can. *Denique* diſt. 4. quod eſt reſponſum S. Gregorii datum Auguſtino Anglorum Epiſcopo, ubi loquens de laicorum conſuetudine, qui die carnis privii ſe de carnium cibis uſque ad mediam noctem ingurgitant, non aliter ſe ſacri temporis quadrageſimalis obſervationem ſuſcipere putantes, *quod non rationi, ſed voluptati, imo cujuſdam mentis cæcitati adſcribendum eſt*; ait; *Unde nec a tali conſuetudine averti poſſunt: & ideo cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt; ne forte pejores exiſtant, ſi a tali conſuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon: qui multum emungit, elicit ſanguinem*. Quod tamen de venia *pœnæ* duntaxat, non de venia culpæ intelligendum eſt. *Tolerat ergo S. Gregorius crimen tale propter periculum ſchiſmatis, vel ſcandali: unde non eſt dicendum, quod ignoſcatur eis, licet non puniat eos propter multitudinem, vel ſcandalum*. De hujuſmodi pravis conſuetudinibus Nicolaus I. ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem ſcribit, ut habetur Can. *Mala* diſtin 8. *Mala conſuetudo, quæ non minus, quam pernicioſa corruptela vitanda eſt; niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur: & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumptiones celerrime non compreſſæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari*.

R E F L E X I O.

Quælibet lex humana mutari poteſt, ceſſare poteſt, abrogari poteſt. Quælibet Epichejam novit, diſpenſationem admittit, aboleri conſuetudine valet. Sola divina lex immutabilis eſt, neceſſaria eſt, inviolabilis eſt. Sola Epichejam reſpuit, diſpenſationem non excipit, contraria conſuetudine nunquam obliteratur. Sola, ut utar Bernardi verbis [*lib. de Præcep. & diſpenſ.*] *ita conſtat divina ratione firmata, ut nulla ex cauſa poſſit vel ab ipſo Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere eſt*, ſequitur ille, *omnis illa Sermonis Dominici in monte habiti ſpiritualis traditio, & quidquid de dilectione, humilitate, manſuetudine cæteriſque virtutibus tam in novo, quam in veteri Teſtamento ſpiritualiter obſervandum contradicitur. Hæc quippe talia ſunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Ea ſiquidem immobiliter, quo & naturaliter bona: nunquam niſi innocenter, nunquam niſi ſalubriter aut imperantur, aut obſervantur. Omni tempore, omni perſonæ, morte contempta, cuſtodita ſalutem operantur*. Ecquis inde non colligat, quam ardenti affectu divinam hanc præ cæteris legem complecti, quam ſingulari ſtudio, ac diligentia meditari, quam fideliter, & accurate ſuper omnia cuſtodire, at-

que

que adimplere debeamus? Hoc illud plane erat, quod inſerendum ſibi dixerat, alteque inſigendum cordi ſuo piiſſimus ille Rex, ac Propheta, dum intimos ſui animi coram Deo ſenſus exprimere id identidem ajebat nunc: *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti*: .... *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion*: .... *Anima mea dilexit ea vehementer*: .... *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine* &c. Modo: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea eſt*! .... *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*: .... *Scrutabar mandata tua, & teſtimonia tua* &c. Sæpius: *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*: .... *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: .... *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus*: .... *Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua* &c. aliaſque ſimiles ignitas voces, quibus internos declarabat animi ſui motus, curamque ardentiſſimam in lege Dei perquam exacte obſervanda. Præclariſſimum hoc exemplar ſibi quiſque ante oculos proponere ad imitandum deberet, atque ab illo addiſcere potiſſimam curam ſuam, ſuaſque maximas cogitationes in hoc eſſe conferendas, ut in primis, ac præ cæteris omnibus ardenter diligeret, ſtudioſe, & accurate inquireret, ac tota mentis attentione, atque ſollicitudine cuſtodiret divinam legem, quæ prima, ac ſuprema legum omnium eſt, ac cæterarum parens, a qua totam ſuam bonitatem, atque efficaciam hauriunt humanæ leges, & cui ſi nequaquam conſonent, neque leges ſunt, neque obligationem inducunt.

At enim vero quænam illuſio plurimorum eſt, aut potius Satanæ præſtigium, quo ſe illudi miſerrime ſinunt, dum quod magis æſtimandum foret, minus pendunt; legemque Dei, quam præ omnibus diligere, atque obſervare deberent, pro nihilo ducunt: eamque libere, & abſque ulla perturbatione animi tranſgredi non reformidant? Nonne plures videas, qui dum accuratiſſime perficiunt ea, quæ ab humanis legibus præcipiuntur, qui anxii admodum ſunt, atque ſolliciti, E. C. ne forte nedum feſtis, ſed nec etiam profeſtis ipſis diebus Miſſam unquam audire prætermittant, ſummoque afficiuntur angore animi, ſi eidem fortaſſis intereſſe nequeant; deſides poſtea, & incurioſos omnino ſe produnt in divinis mandatis adimplendis! Quot, proh dolor! inter Chriſtianos cernimus, qui Eccleſias frequentant, ſacris functionibus quotidie vacant, precatiunculas ſuas nunquam omittunt, aliiſque pietatis exercitationibus adeo ſedulo incumbunt, ut ſibi religioni vertant, earum vel minimam præterire; interim vero, quæ graviora ſunt, divinæ legis præcepta nequaquam curant, odia, & invidias in corde fovent, divitias, & honores impotenter amant, avaritiæ, ac voluptatibus ſtudent, aliiſque pravis affectionibus quandoque turpiſſimis inſordeſcunt? Hi profecto Scribis, & Phariſæis comparandi ſunt, quos Dominus in Evangelio ſæpe redarguebat, qui dum in minutis quibuſdam legis cæremoniis obſervandis diligentiſſimi erant, graviora præcepta penitus negligebant; quibus propterea terribilem illam maledictionem comminatus eſt, quam legimus apud Sanctos Evangeliſtas Matthæum, & Lucam: *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi; quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes &c. Væ vobis, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt, legis judicium, & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere: Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, quia mundatis, quod deforis eſt, calicis, & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia*? &c. Nonne eadem formidanda maledictio in eos quoque Chriſtianos recidit, qui ſuis operibus eorum exempla ſectantur,

quæ-

Digitized by Google

quædam exteriora pietatis opera impenſo ſtudio exequentes, & potiora divinæ legis mandata prætermittentes? Quid ergo? Ne & ipſi eamdem ſupremi Judicis maledictionem incurrant, atque adeo damnationem, quæ ex illa conſequitur, ſempiternam, neceſſe eſt, ut ab errore ſuo reſipiſcant, primaſque curas, atque ſollicitudines ſedulo impendant in iis accurate obeundis, quæ *mandavit* Deus *cuſtodiri nimis*. *Hæc* enim, ut ait ille, *primum oportuit facere*, *& illa* poſtea *non omittere*.

FINIS TRACTATUS PRIMI.

ETHICÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS SECUNDUS

DE ALTERA REGULA MORALIUM ACTIONUM, NEMPE

RATIONE HUMANA.

QUUM *duæ ſint Regulæ moralium actionum, quemadmodum ab initio hujuſce Operis præmonuimus* lex *ſcilicet &* ratio, *quarum altera prima, ac remota, altera ſecundaria eſt, ac proxima; expeditis iis, quæ* ad legem *pertinere viſa ſunt, ſupereſt, ut ad aliam explicandam ſtatim accedamus. Hunc porro Tractatum in tres Diſſertationes tribuo. In quarum prima de ipſa ſermo erit* humana ratione, *quæ proprie* Regulæ *characterem habet: in altera de eidem ſubiecta* conſcientia, *quam plures cum* ratione *confundunt: in tertia demum* de novo Probabilitatis ſyſtemate, *quod utramque Ethicæ regulam* legem *ſcilicet, ac* rationem *corrumpit, atque pervertit.*

DISSERTATIO PRIMA.

PRIOR *hæc Diſſertatio complectitur ea, quæ* humanam rationem *ſpectant, quatenus* regula moralium actionum *eſt, quæque ad ipſius rectituatnem neceſſaria ſunt: quod quibuſdam Capitibus explicabitur.*

CAPUT I.

De Ratione, quatenus regula eſt humanarum actionum.

DOCTRINA.

Doctrinæ Synopſis.

I. *Definitio rationis, ut regula eſt humanorum actuum.*

II. *Secundaria tantum, & ſubordinata regula eſt.*

III. *Regula eſt, quatenus primam regulam recte applicat ad actiones humanas; a qua ſi deflectat, nec vere regula eſt, nec actio erit honeſta.*

IV. *Non eſt regula ſecundum ſe ſolam inſpecta, ſed quatenus primas ideas habet boni, & mali ſibi a Deo naturaliter impreſſas.*

V.

Digitized by Google

V. *In hiſce ideis, ſive principiis naturaliter inditis proprie conſiſtit habitus ille, qui vocatur* ſynderesis, *& rationem informat.*

VI. *Synderesis notio exhibetur; & quid vere ſit exponitur ex S. Thoma.*

VII. *Ut prima principia recte applicentur ad actiones ſingulares, prudentia neceſſaria eſt.*

VIII. *Hæc proinde cognoſcat, oportet, tum principia prima, tum ſingulares actiones, ad quas eadem applicare debet.*

IX. *Quo pacto id efficit, declaratur.*

X. *Tres ſunt prudentiæ actus*, conſilium, judicium & imperium, *quod ceteris principalius eſt.*

XI. *Plures prudentiæ partes, ſive affectiones diſtinguuntur, quibus prudentia utitur, ut rite fungatur officio ſuo.*

I. UT a definitione rei, de qua agimus, ſumamus exordium hæc humanæ rationis, prout de ea modo loquimur, eſſe poteſt

DEFINITIO.

Ratio eſt facultas cognoſcitiva intellectus, ut practicus eſt, quæ proxime dirigit humanas actiones ad finem honeſtum, ſive ad honeſtatem.

Declaratur: duplex veluti facultas in intellectu diſtinguitur: altera, quæ ſiſtit in cognitione veritatis: & hæc vocatur a S. Thoma 1. p. q. 79. art. 11. *intellectus ſpeculativus*: altera quæ veritatem cognitam ordinat ad opus: & hæc *intellectus practicus* appellatur. Hujuſce intellectus *ratio*, de qua loquimur, facultas eſt. *Intellectus practicus*, inquit ibidem S. Doctor ad 2. *veritatem cognoſcit, ſicut ſpeculativus, ſed veritatem cognitam ordinat ad opus.*

II. Hæc facultas regula quidem eſt humanorum actuum, at non abſoluta, & independens, ſed ſecundaria, ſubordinata, ac dependens, adeoque regulam aliam præſupponit, cui ſubjecta eſt, & a qua ſuam omnem rectitudinem haurit, *legem* ſcilicet *æternam Dei*, cujus veluti emanationes ſunt aliæ quæcunque leges, *naturalis* ſcilicet, *poſitiva divina, & humana*. Ut enim ſapienter ait S. Thomas p. 2. q. 19. art. 9. *Unumquodque rectum & honeſtum eſt, in quantum attingit ad propriam menſuram*. Prima autem cujuſcunque honeſtatis regula, ac menſura lex æterna eſt. Unde ſi huic primæ, & indefectibili regulæ conformis non ſit humana ratio, *regula* nequaquam eſt, ſed potius *defectio a regula*, adeoque nec unquam recta erit actio, quæ ab ipſa dirigitur, ac menſuratur. Repugnat ſiquidem rectam eſſe regulam *ſecundariam*, aut actionem ab ipſa regulatam, niſi per conformitatem ad *primariam*. Nam ſi recta foret, & non conformis primæ regulæ, jam eſſet ipſa *prima* regula honeſtatis. *In omnibus cauſis ordinatis*, inquit art. 4. *effectus plus dependet a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda: quia cauſa ſecunda non agit, niſi in virtute primæ. Quod autem ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuretur, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio divina. Unde in Pſal. 4. dicitur:* Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; *quaſi diceret: lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultus tui, id eſt a vultu tuo derivatum. Unde manifeſtum eſt, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna, quam a ratione humana: & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.*

III. Ratio itaque humana, quatenus regula eſt, applicat actioni regulam primam. Si primam regulam recte applicat, *regula* eſt, & actio honeſta. Si regulam primam revera non applicat, *regula* ipſa non eſt, nec actio honeſta, ſed peccaminoſa, quia quod a regula prima deflectit, ſemper peccatum eſt, & imputabile quidem ad culpam, niſi error

ſit invincibilis. Id perſpicue admodum docet S. Præceptor 1. 2. q. 21. art. 1. " In iis, quæ aguntur per voluntatem, *regula proxima* eſt ratio humana, *Regula* autem *ſuprema* eſt lex æterna [quæ complectitur tum legem naturalem, tum legem poſitivam ſive divinam, ſive humanam). Quandocunque ergo actus hominis procedit in finem ſecundum ordinem *rationis*, & *legis æternæ*; tunc actus eſt rectus. Quando autem ab hac rectitudine obliquatur; tunc dicitur *peccatum*. Manifeſtum eſt autem ex præmiſſis, quod omnis actus voluntarius eſt malus per hoc, quod recedit ab ordine rationis, & legis æternæ: & omnis actus bonus concordat rationi, & legi æternæ. Unde ſequitur, quod actus humanus ex hoc, quod eſt bonus, vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati ".

IV. Ex hoc vero conſequitur, quod humana ratio dupliciter ſpectari poteſt, nempe *ſecundum ſe*, & quatenus participat legem æternam, ſive quatenus boni, malique notiones habet, atque ideas ſibi a Deo impreſſas. Non autem primo, ſed altero modo conſiderata regula eſt, atque menſura honeſtatis humanorum actuum; prout diſerte aſſerit S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 3. ad 2. inquiens: *Ratio humana ſecundum ſe non eſt regula rerum, ſed principia ei naturaliter indita ſunt regulæ quædam generales, & menſuræ omnium eorum, quæ ſunt per hominem agenda, quorum ratio naturalis eſt regula, & menſura*. Sive, ut ait *q. 2. de malo art. 4.* regula actionum moralium eſt ratio humana *informata principiis legis divinæ, ac naturalis*. Id, quod ex ipſa deducitur conditione *regulæ*, quæ debet eſſe firma, conſtans, & invariabilis. Ratio autem humana ſecundum ſe conſtans, & firma non eſt, ſed deficere poteſt, ſolaque incommutabili æterna Dei lege firmatur.

V. In hiſce principiis nobis naturaliter inditis proprie conſiſtit habitus ille, qui vocatur *ſyndereſis*; ac definiri ſolet *habitus naturalis practicus, quo prima rerum agendarum principia cognoſcimus*. Hujus notionem præclare nobis exhibet S. Thomas 1. p. q. 79. art. 12. ejuſque diſcrimen, tum ab habitu primorum principiorum ſpeculabilium, tum ab ipſa lege æterna, tum etiam a conſcientia, dicens: " Ratiocinatio hominis, cum ſit quidam motus, ab intellectu progreditur aliquorum (principiorum) ſcilicet naturaliter notorum abſque inveſtigatione rationis, ſicut a quodam principio immobili, & ad intellectum etiam terminatur, in quantum judicamus per principia per ſe naturaliter nota de his, quæ ratiocinando invenimus [ut E. C. *quodlibet eſt, vel non eſt: totum eſt majus ſua parte &c.*]. Conſtat autem, quod ſicut ratio ſpeculativa ratiocinatur de ſpeculativis; ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis eſſe indita ſicut principia ſpeculabilium, ita & principia operabilium ".

VI. " Prima autem principia ſpeculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam ſpecialem potentiam, ſed ad quemdam ſpecialem habitum, qui dicitur *intellectus principiorum*. Unde & principia operabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad ſpecialem potentiam, ſed ad ſpecialem habitum naturalem, quem dicimus *ſyndereſim*. Unde & ſyndereſis dicitur *inſtigare ad bonum, & remurmurare de malo*, in quantum per principia procedimus ad inveniendum & judicamus inventa. Patet ergo, quod ſyndereſis non eſt potentia, ſed habitus naturalis ". Hactenus D. Thomas.

Ex quibus habemus, tum ſyndereſim non eſſe aliquam potentiam preſſe dictam: quoniam hæc facultatem ſignificat ad oppoſitos actus indifferentem: ſed aliquem habitum determinantem ipſam potentiam, ſive rationem ad proſecutionem boni, & fugam mali: tum vero habitum hunc eſſe primorum principio-

rum

rum *operabilium*, ſive *practicorum*, quæ nobis a Deo in ipſa conditione noſtra impreſſa fuere, ut noſmetipſos dirigeremus in bona humanæ rationi convenientia, quemadmodum ipſe naturæ Conditor Deus nobis prima impreſſit principia ſpeculativa, ut ex his ad cognoſcendas veritates ſpeculativas per inveſtigationem rationis progrederemur: tum demum officium ſyndereſis proprium eſſe *inſtigare ad bonum*, *& murmurare de malo* hoc ſenſu, quod nobis *bonum* oſtendit, quod proſequi, & amare debemus, & *malum*, quod odiſſe, & vitare tenemur. Ita ſiquidem ad bonum inſtigat, & a malo avocat.

VII. Cæterum cum prima principia practica, quorum habitus eſt *ſyndereſis*, ſint univerſalia, & neceſſe ſit, ut ex his ratio procedat ad peculiares concluſiones eruendas, eadem principia recte applicando, nemo non intelligit quidpiam aliud requiri, ut hujuſmodi recta applicatio perficiatur, adeo ut, quæ vere bona ſunt, rationique conveniunt, inveniantur in rebus, ac de inventis recte judicemus, eademque eligamus. Iſtud autem aliud non eſt, niſi *prudentia*, quæ idcirco definitur *recta ratio agibilium*. Quod ut manifeſtum fiat, doctrinam S. Thomæ præſtat proponere, quæ huic materiæ illuſtrandæ facem ſplendidiſſimam præfert.

VIII. Docet itaque S. Doctor 2. 2. q. 47. pertinere ad prudentiam applicare prima principia operabilium ad opus, *quod eſt finis practicæ rationis*. *Cum autem nullus poſſit convenienter alteri aliquid applicare, niſi utrumque cognoſcat, ſcilicet & illud, quod applicandum eſt, & id, cui applicandum eſt: operationes autem ſint in ſingularibus; neceſſe eſt, quod prudens & cognoſcat univerſalia principia rationis, & cognoſcat ſingularia, circa quæ ſunt operationes*. Id exactius exponit *art.* 15. inquiens: " Prudentia includit cognitionem & „ univerſalium, & ſingularium operabilium, „ ad quæ prudens applicat univerſalia prin„ cipia. Quantum ad univerſalium cognitio„ nem eadem ratio eſt de prudentia, & ſcien„ tia ſpeculativa: quia utriuſque prima prin„ cipia ſunt naturaliter nota, niſi quod prin„ cipia communia prudentiæ ſunt magis con„ naturalia homini .... ſed alia principia uni„ verſalia poſteriora, ſive ſint rationis ſpe„ culativæ, ſive practicæ, non habentur per „ naturam, ſed per inventionem ſecundum „ viam experimenti, vel per diſciplinam ". Quod & repetit aliis in locis, ac præſertim 1. 2. q. 46. *art.* 5. dicens: *Ad prudentiam maxime requiritur, ut ſit homo bene ratiocinativus, ut poſſit bene applicare univerſalia ad particularia, & incerta*.

IX. Igitur ut probe intelligatur prudentiæ munus, illud ob oculos habendum eſt, ipſam neque prima principia humanæ rationi, neque fines moralium virtutum præſtituere, ſed ea recte applicare ad actiones ſingulares, mediumque præfigere officiis virtutum moralium, quarum fines in ipſa ratione præexiſtunt. „ Temperantia enim, ait S. Doctor „ *art.* 7. hoc intendit, ne propter concupi„ ſcentias homo divertat a ratione: & ſimi„ liter fortitudo, ne a recto judicio ratio„ nis divertat propter timorem, vel auda„ ciam. Et hic finis præſtitutus eſt homini „ ſecundum naturalem rationem: naturalis „ enim ratio dictat unicuique, ut ſecundum „ rationem operetur. Sed qualiter, & per „ quæ homo in operando attingat medium „ rationis, pertinet ad diſpoſitionem pru„ dentiæ. Licet enim attingere medium ſit „ finis virtutis moralis; tamen per rectam „ diſpoſitionem eorum, quæ ſunt ad finem, „ medium invenitur ..... Sicut agens natura„ le facit, ut forma ſit in materia: non ta„ men facit, ut formæ conveniant ea, quæ „ per ſe ei inſunt; ita etiam prudentia me„ dium conſtituit in paſſionibus, & opera„ tionibus; non tamen facit, quod medium „ quærere conveniat virtuti ".

X. Tres porro actus enumerat S. Thomas 2. 2. q. 48. *art.* 1. quibus prudentia animum regit, ac rationem ad recte operandum diſponit,

videlicet *conſilium*, *judicium*, & *imperium*. Conſiliantem prudentiam vocat græco nomine *Eubuliam*, eamque poſitam docet *q.* 51. *art.* 1. in quadam inquiſitione rationis circa agenda, in quibus conſiſtit vita humana. Rectæ conſultationis fructus eſt bonum judicium de mediis inventis ad recte operandum. Unde prudentia poſt inquiſitionem mediorum ad finis conſecutionem conducentium, gradum facit ad judicium de mediorum idoneitate ad conſequendum finem, eaque voluntati eligenda proponit. Hoc autem judicium duplex eſt, *Syneſis* nempe, ut Græci vocant, quæ judicat de agendis ſecundum communem legem, aut regulam: & *Gnome*, quæ judicat aliquid eſſe faciendum præter communes regulas agendorum, atque adeo ſecundum altiora principia, ut cum impugnatori Patriæ ratio judicat non eſſe reddendum depoſitum. Completo judicio ſuccedit tandem tertius prudentiæ actus, ad quem alii duo referuntur, nempe *imperium*, quo applicantur ad opus, quæ per conſilium inventa ſunt, & per judicium determinata. Hunc autem præcipuum eſſe actum prudentiæ egregiæ declarat S. Thomas loco citato *q.* 47. *art.* 8. „ Prudentia, „ inquit, eſt *recta ratio agibilium*. Unde oportet, quod ille ſit præcipuus actus prudentiæ, qui eſt præcipuus actus rationis agibilium. Cujus quidem ſunt tres actus: quorum primus eſt *conſiliari*, quod pertinet ad inventionem. Nam conſiliari eſt quærere, ut ſupra habitum eſt. Secundus actus eſt *judicare de inventis*: & hoc facit ſpeculativa ratio. Sed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, procedit ulterius, & eſt tertius actus ejus *præcipere*: qui quidem actus conſiſtit in applicatione conſiliatorum, & judicatorum ad operandum. Et quia iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt, quod iſte eſt principalis actus rationis practicæ, & per conſequens prudentiæ "

XI. Ut omnia, quæ ad rectam operationem neceſſaria ſunt, prudentia, ſive ratio prudentia ornata, perficiat, undique lumen, & cognitiones exquirit, præterita recolendo, ex quo *memoria* nuncupatur, & præſentia conſiderando, diciturque *intellectus*. Præſto ipſi debent eſſe principia, ut idonee diſcurrat, quo pacto vocatur *ratio*, facilemque reddit hominem, ut ab iis præſertim addiſcat, & erudiatur, qui ſcientia pollent, & experimento doctiores effecti ſunt: unde prudentia non eſt abſque *docilitate*. Item *ſolertia* præſtat, ut media perſemetipſum facilius inveniat ad finem conſequendum aptiora. *Providentia* eadem media ordinat cum proportione ad finem. *Circumſpectio* omnes rei circumſtantias diligenter expendit, comparatque id, quod ordinatur in finem cum his, quæ finem ipſum circumſtant. *Cautio* tandem præcavet ea, per quæ actus virtutum impediri poſſet, ne tendat, & pertingat ad finem convenientem. De his omnibus prudentiæ partibus, ſive affectionibus neceſſariis legendus eſt D. Thomas tota quæſtione 49. 2. 2. ubi eas miro ordine digerit, ac ſumma perſpicuitate declarat. Hæc ſaltem indicare oportuit: quia licet nimium ſpeculativa, & abſtracta quibuſdam videri queant, ad ſolidam tamen moralium rerum notitiam plane neceſſaria ſunt.

CAPUT II.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Falluntur ii Theologi, qui bonitatem moralis actionis ultimo revocant in rationem humanam.*

II. *Principia practica, ex quibus ratio de rerum bonitate, aut pravitate judicat, certiſſima ſunt.*

III. *Ea ſub diverſo reſpectu pertinent tum ad* rationem, *tum ad* ſyndereſim.

IV. *Syndereſis nunquam in homine extinguitur, ſed firma & immobilis permanet.*

V. *Principia naturaliter nota, quorum habitus eſt* ſyndereſis, *ſunt fines virtutum moralium.*

VI.

VI. *Ut ratio regula ſit humanorum actuum, neceſſe eſt, ut ſit informata prudentia.*

VII. *Prudentia, ut recte applicet univerſalia principia ad particulares concluſiones rerum agendarum, requirit appetitum bene diſpoſitum circa fines aliarum virtutum.*

VIII. *Certitudo prudentiæ tanta non eſt, quin ſollicitudini locus ſit.*

IX. *Falſo aliqui prudentiam reſtringunt ad bonum proprium cujuſque.*

X. *Imperfecta quidem, at non perfecta poteſt eſſe in peccatore prudentia.*

XI. *In juſtis omnibus perfectam prudentiam admittere oportet.*

XII. *Docilitas proprie ad prudentiam pertinet.*

XIII. *Ad rectum conſilium exigitur tum bonus finis ſibi ab homine præſtitutus, tum idonea media ad illum conſequendum.*

XIV. *Neceſſe maxime eſt, quod homo in inquiſitione conſilii dirigatur a Deo.*

XV. *Imprudentia ſemper eſt peccatum, aliquando quidem mortale, aliquando veniale.*

XVI. *Quodnam ſit ignorantiæ ab imprudentia diſcrimen.*

XVII. *Inconſtantia præcipuo actui prudentiæ opponitur.*

XVIII. *Quomodo negligentia opponatur prudentiæ.*

XIX. *Quid ſit* prudentia carnis, *prout eam vocat Apoſtolus.*

XX. *Prudentia* carnis *eſt, quod quis relicta opinione probabiliori, ac tutiore, minus tutom, ac probabilem eligat.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. CUM humana ratio ſit regula ſecunda, ac dependens a prima, lege ſcilicet æterna Dei, evidens eſt id, quod docet S. Thomas: *Multo magis bonitatem voluntatis humanæ dependere a lege æterna, quam a ratione humana.* Quare a veritate longius abſunt il Theologi, qui bonitatem humanarum actionum ultimo revocant in humanam rationem proponentem legem æternam. Fatemur quidem nos omnes rationem humanam eſſe veluti conditionem applicantem legem, quæ ſola prima menſura eſt, & regula, cui conformis eſſe debet & ratio humana, & operatio voluntatis. At vero alii, præſertim Probabiliſtæ, contendunt, rationem humanam ita regulam eſſe bonitatis moralis, & operationis, ut hæc vere bona ſit, quoties eſt conformis rationi, quantumvis repugnet æternæ legi. Quam doctrinam S. Thomas improbat verbis illis: *Et ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere*, ut bona ſit; utpote quod ab illa magis pendeat bonitas voluntatis, quam ab humana ratione.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Prima principia practica, ex quibus de rerum bonitate, aut pravitate humana ratio judicat, ita certa ſunt, certoque bonum oſtendunt, ut nulli unquam errori obnoxia eſſe queant: ſunt enim *lumen* illud *vultus Dei ſuper eos ſignatum*, quod nonniſi bonum oſtendere poteſt, quod proſequamur, nec niſi malum, quod evitare tenemur. Impoſſibile namque eſt, quod prima, & ſuprema veritas aut fallatur, aut fallat. Nos autem profecto falleret, ſi ea in ratione noſtra, quæ impreſſit, univerſalia dictata, aliud oſtenderent, quam quod vere bonum, aut vere malum eſt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Eadem prima principia practica, quibus de rebus certo judicamus, aut judicare poſſumus, pertinent tum ad *rationem*, tum ad *ſynderesim*, ſub diverſo tamen reſpectu. Unde, cum S. Thomas 1. p. q. 79. art. 12. quamdam ſibi objeciſſet Auguſtini ſententiam, dicentis lib. 2. de lib. arbit. *In naturali judicatorio* (quod eſt ipſa ratio practica) *adſunt quædam regulæ, & ſemina virtutum & vera, & incommutabilia*: reſpondet ad 3. „Quod hujuſmodi incommutabiles rationes „ſunt prima principia operabilium, circa „quæ non contingit errare: & attribuuntur „ra-

„ *rationi*. ſicut potentiæ, & *ſyndereſi*, ſicut habitui. Unde & utraque, ſcilicet ratione, & ſyndereſi, naturaliter judicamus “. Quare ſyndereſis non eſt idem ac *ratio*: hæc enim potentiam denotat elicientem operationes; ſyndereſis vero habitum determinantem potentiam, ut eas recte eliciat.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quemadmodum principia communia practica nullo modo deleri poſſunt a cordibus hominum in univerſali, ſunt enim naturaliter indita humanæ rationi; ita neque ſyndereſis, quæ habitus eſt ipſorum principiorum, extingui, aut obliterari poteſt, ſed firma, & immobilis perſeverat in homine: licet quandoque circumſtrepente undique rerum terrenarum, ac paſſionum tumultu, vocem ejus minime percipiat. In quo etiam, præter alia, ab ipſa *conſcientia* differt, quæ nonnunquam in quibuſdam aboletur prorſus, & extinguitur.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Principia naturaliter nota ſunt fines virtutum moralium. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 6. *Finis virtutum moralium eſt bonum humanum: bonum autem humanæ animæ eſt ſecundum rationem eſſe, ut patet per Dionyſium* de Divin. nomin. *Unde neceſſe eſt, quod fines moralium virtutum præexiſtant in ratione*. Adeoque & hi fines naturaliter nobis noti ſunt, ut e. g. *Temperate vivendum eſt: juſtitia exercenda* &c. Sed ex his ad conclusiones practicas, ſive *ad ea, quæ ad finem*, procedere neceſſe eſt: *Et horum eſt prudentia applicans univerſalia principia ad particulares concluſiones operabilium. Et ideo ad prudentiam non pertinet præſtituere finem virtutibus moralibus*: (*Hanc enim*, ut inquit ad primum, *præſtituit ratio naturalis, quæ dicitur ſyndereſis*) *ſed ſolum diſponere de his, quæ ſunt ad finem*; ſive recte applicare principia, ut actiones fini conveniant.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Hinc vero elucet quam maxime neceſſitas prudentiæ, ut ratio recta regula ſit humanæ vitæ, & humanorum actuum. “ Bene enim vivere, ait S. Doctor 1. 2. *q*. 57. *art*. 5. conſiſtit in bene operari. Ad hoc autem, quod aliquis bene operetur, non ſolum requiritur, quid faciat, ſed etiam quomodo faciat, ut ſcilicet ſecundum electionem rectam operetur, non ſolum ex impetu, aut paſſione. Cum autem electio ſit eorum, quæ ſunt ad finem, rectitudo electionis duo requirit, ſcilicet debitum finem, & id, quod convenienter ordinatur ad debitum finem. Ad debitum autem finem homo convenienter diſponitur per virtutem, quæ perficit partem animæ appetitivam, cujus objectum eſt bonum, & finis. Ad id autem, quod convenienter in finem debitum ordinatur, oportet, quod homo directe diſponatur per habitum rationis, quia conſiliari, & eligere, quæ ſunt ad finem, ſunt actus rationis. Et ideo neceſſe eſt, in ratione eſſe aliquam virtutem intellectualem, per quam perficiatur ratio ad hoc, quod convenienter ſe habeat ad ea, quæ ſunt ad finem. Et hæc virtus eſt prudentia. Unde prudentia eſt virtus neceſſaria ad bene vivendum “.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Ut prudentia ſuo fungatur officio, recteque applicet principia univerſalia ad particulares concluſiones, oportet, quod homo ſit bene diſpoſitus circa fines aliarum virtutum: quod quidem eſt per appetitum rectum. Et ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam rectus fit appetitus hominis. Hinc qui rationem habent paſſione, vel prava conſuetudine, ſive etiam falſis præjudiciis affectam, non bene applicant principia communia, & in multos errores practicos ſæpiſſime labuntur.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Certitudo equidem veritatis pertinet ad prudentiam, cum ſit virtus intellectualis: ſed ut ex Philoſopho docet S. Thomas 2. 2. Q. 47. art. 9. ad 2. *Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omnibus, ſed in unaquaque materia ſecundum proprium modum*. Quia vero materia prudentiæ ſunt ſingularia contingentia, circa quæ ſunt operationes humanæ, non poteſt certitudo prudentiæ tanta eſſe, quod omnino ſolicitudo tollatur.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Tanquam omnino falſa repudianda eſt eorum opinio, qui putabant prudentiam haud ſe extendere ad bonum commune, ſed duntaxat ad bonum proprium. „ Sed hæc æſtimatio, inquit S. Thomas *art.* 10. repugnat caritati, *quæ non quærit, quæ ſua ſunt*, ut dicitur 1. ad Corinth. 13. Unde & Apoſtolus de ſe ipſo dicit, *Non quærens, quod mihi utile ſit, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. Repugnat etiam rationi rectæ, quæ hoc judicat, quod bonum commune ſit melius, quam bonum unius. Quia ergo ad prudentiam pertinet recte conſiliari, judicare, & præcipere de iis, per quæ pervenitur ad debitum finem; manifeſtum eſt quod prudentia non ſolum ſe habet ad bonum privatum, ſed etiam ad bonum commune multitudinis ".

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Ex dictis non eſt difficile eam quæſtionem ſolvere, an ſcilicet poſſit eſſe prudentia in peccatore, prout eam ſolvit Doctor Angelicus *art.* 13. Trifariam prudentia dici poſſe admonet. Prima eſt quædam prudentia falſa, vel per ſimilitudinem. Cum enim prudens ſit, qui bene diſponit ea, quæ agenda ſunt propter aliquem bonum finem, ille, qui propter malum diſponit ea, quæ ipſi congruunt, falſam habet prudentiam, quatenus illud, quod accipit pro fine, non eſt vere bonum, ſed ſecundum ſimilitudinem: ſicut dicitur aliquis *bonus latro*: hoc enim modo poteſt ſecundum ſimilitudinem vocari *prudens latro*, qui convenientes vias adinvenit ad latrocinandum. Et hujuſmodi eſt prudentia, de qua loquitur Apoſtolus Paulus ad Romanos 8. *prudentia carnis mors eſt*, quæ ſcilicet finem ultimum conſtituit in delectatione carnis, viaſque exquirit omnes, ut ipſius deſideria compleat.

Prudentia altera, quam diſtinguit, vera quidem prudentia eſt: quia vias adinvenit accommodatas ad finem vere bonum: ſed imperfecta eſt ex duplici capite; primo nempe, quia bonum illud, quod pro fine accipit, non eſt finis communis totius humanæ vitæ, ſed alicujus ſpecialis negotii; puta cum aliquis adinvenit viae accommodatas ad negotiandum, vel ad navigandum, dicitur *prudens negotiator*, vel *nauta*. Altero autem ex capite imperfecta eſt: quia deficit in principali actu prudentiæ: puta cum aliquis recte conſiliatur, & bene judicat etiam de iis, quæ pertinent ad totam vitam; ſed non efficaciter præcipit.

Tertia demum eſt vera, & perfecta prudentia, quæ ad bonum finem totius vitæ recte conſiliatur, judicat, & præcipit. Et *hæc ſola*, inquit, *dicitur prudentia ſimpliciter, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt. Prima autem prudentia eſt in ſolis peccatoribus: prudentia autem imperfecta eſt communis bonis, & malis, maxime illa, quæ eſt imperfecta propter finem particularem. Nam illa, quæ eſt imperfecta propter defectum principalis actus, etiam non eſt niſi in malis*.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Quemadmodum in peccatoribus perfecta prudentia non eſt, ſed ut ſummum imperfecta, & penes ſimilitudinem; ita in juſtis omnibus gratia, & divina caritate præditis eam admittere oportet. Hoc probat S. Thomas

mas, quod neceſſe ſit virtutes eſſe connexas, adeo ut omnes habeat, qui unam poſſidet. Unde neceſſe eſt, quod prudentia præditus ſit, qui gratiam, & caritatem habet, quæ virtus eſt, & quidem omnium præſtantiſſima. Duplicem tamen prudentiam, ſive prudentiæ officium diſtinguit ad difficultates, quæ doctrinæ ſuæ objici poſſunt, eluendas. Alia namque prudentia eſt, *quæ eſt ſufficiens ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis*: & hæc invenitur *in omnibus habentibus gratiam, quos unctio docet de omnibus*, ut dicitur 1. Joan. 2. Alia vero *plenior, per quam aliquis ſibi, & aliis poteſt providere, non ſolum de iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſed etiam de quibuſcunque pertinentibus ad humanam vitam*: & hujuſmodi induſtria, ſive prudentia *non eſt in omnibus habentibus gratiam*. Sic etiam multi juſti ſunt, adeoque prudentia ornati, qui neceſſe habent regi alieno conſilio. Verum *ſaltem in hoc ſibi ipſis conſulere ſciunt, ut aliorum requirant conſilia, & diſcernant conſilia bona a malis*.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Quamquam *docilitas*, quæ inter partes prudentiam integrantes annumeratur, utilis ſit ad quamlibet intellectualem virtutem, præcipue tamen, ut docet S. Doctor 2. 2. q. 49. art. 3. *ad prudentiam pertinet*: " Quia „ prudentia conſiſtit circa particularia operabilia, in quibus cum ſint quaſi infinitæ „ diverſitates, non poſſunt ab uno homine „ ſufficienter conſiderari, nec per modicum „ tempus, nec per temporis diuturnitatem. „ Unde in his, quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, „ & præcipue ex ſenibus, qui ſanum intellectum adepti ſunt circa fines operabilium. „ Unde Prov. 1. dicitur, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*: & Eccleſiaſt. 6. *In multitudine* „ *Presbyterorum* [ideſt ſeniorum] *prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere*. Hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis ſit bene diſciplinæ ſuſceptivus ".

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Ut conſilium, quod primus eſt prudentiæ actus, rectum ſit, duo requiruntur, nimirum quod homo bonum ſibi finem in conſiliando præſtituat: & vias idoneas ad finem conſequendum adinveniat. Alterutrum ſi deſinit, ſemper conſilium malum eſt: quemadmodum etiam in ſpeculativis, bona ratiocinatio non eſt, ſive aliquis falſum concludat, ſive etiam verum concludat ex falſis: adeoque utrumque prædictorum eſt contra rationem prudentiæ, ut conſiliativa eſt.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Licet prudentia, ſive acquiſita, ſive infuſa ſit, dirigat hominem in inquiſitione *conſilii* ſecundum ea, quæ ratio comprehendere valet: quia tamen humana ratio non poteſt comprehendere ſingularia contingentia, quæ occurrere poſſunt; inde oritur, quod, ut habetur Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ ſint, & incertæ providentiæ noſtræ*: atque adeo indiget homo in inquiſitione conſilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit, quod efficitur maxime *per donum conſilii*, quo homo dirigitur a Spiritu Sancto, quaſi conſilio ab ipſo accepto: ſicut etiam in humanis rebus, qui ſibi ipſis minime ſufficiunt in inquiſitione conſilii, ſapientiores conſulunt, ac juxta lumen ab iiſdem acceptum operantur.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Imprudentia ſemper peccatum eſt, aliquando quidem mortale, aliquando vero ſolum veniale: quod apte exponitur a S. Thoma q. 53. art. 1. ubi obſervat, imprudentiam dupliciter ſumi poſſe, *privative* ſcilicet, & *contrarie*: " *Privative* quidem imprudentia dicitur, in quantum aliquis caret prudentia, quam quis nactus eſt, & debet habere

„ bere . Et ſecundum hoc imprudentia eſt „ peccatum ratione negligentiæ, qua quis non „ adhibet ſtudium ad prudentiam habendam. „ *Contrarie* vero accipitur imprudentia, ſecun„ dum quod ratio contrario modo movetur, „ vel agit prudentiæ : puta ſi recta ratio pru„ dentiæ agit conſiliando ; imprudens conſi„ lium ſpernit: & ſic de aliis , quæ in actu „ prudentiæ conſideranda ſunt . Et hoc mo„ do imprudentia eſt peccatum ſecundum ra„ tionem propriam prudentiæ . Non enim „ poteſt hoc contingere , quod homo contra „ prudentiam agat , niſi divertens a regulis , „ quibus ratio prudentiæ rectificatur . Unde, „ *ſi hoc contingat per averſionem a regulis di„ vinis , eſt peccatum mortale*, puta cum quis „ quaſi contemnens , & repudians divina do„ cumenta , præcipitanter agit . *Si vero præ„ ter eas agat abſque contemptu, & abſque de„ trimento eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſa„ lutis, eſt peccatum veniale* .

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. In hoc præſertim diſtinguitur ignorantia ab imprudentia quoad rationem peccati , quod utrique attribuitur , aut attribui poteſt , quod *ignorantia* , quæ opponitur ſcientiæ , ſi ſpectetur ſecundum ſe , non eſt mortale peccatum , niſi ratione vel negligentiæ præcedentis , vel effectus ſubſequentis : adeoque non computatur niſi inter generales cauſas peccati . At vero *imprudentia* ſecundum propriam rationem importat vitium morale: & ideo habet id , per quod inter ſpecialia peccata numeretur .

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM .

XVII. Vitium , quod actui præcipuo prudentiæ opponitur , nempe *imperio* , eſt *inconſtantia* , *quæ receſſum quemdam importat a bono propoſito definito* , ut docet S. Præceptor loc. laud. *art.* 5. ubi etiam rationem affert : quia " Hujuſmodi receſſus principium quidem „ habet a vi appetitiva : non enim aliquis „ recedit a priori bono propoſito , niſi prop„ ter aliquid , quod ſibi inordinate placet : „ ſed iſte receſſus non conſummatur , niſi „ per defectum rationis , quæ fallitur in hoc, „ quod repudiat id , quod recte acceptaverat. „ Et quia cum poſſit reſiſtere impulſui paſſio„ num , ſi non reſiſtat , hoc eſt ex debilita„ te ipſius , quæ non tenet ſe firmiter in bo„ no propoſito concepto ; ideo inconſtantia, „ quantum ad ſui conſummationem , perti„ net ad defectum rationis . Sicut autem „ omnis rectitudo *rationis practicæ* pertinet „ aliqualiter ad prudentiam ; ita omnis de„ fectus ejuſdem pertinet ad imprudentiam... „ Et ſicut *præcipitatio eſt* ex defectu *circa ac„ tum conſilii* , & *inconſideratio* circa actum „ judicii ; ita inconſtantia *circa actum præcep„ ti* : ex hoc enim dicitur aliquis eſſe incon„ ſtans , quod ratio deficit in *præcipiendo* ea, „ quæ ſunt *conſiliata* , & *judicata* " .

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM .

XVIII. Sicut ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 47. art. 9. ad prudentiam pertinet *ſollicitudo* , quæ in hoc conſiſtit , quod aliquis *ex quadam ſolertia animi velox ſit ad proſequendum ea , quæ ſunt agenda* ; ita prudentiæ adverſatur negligentia , quæ vitium eſt ſollicitudini directe oppoſitum . *Negligens* ſiquidem ut habetur ex S. Iſidoro lib. 10. Etymolog. *dicitur quaſi nec eligens* , ſive deficit in interiori actu , ad quem ſpectat *electio* . Electio autem recta eorum , quæ ſunt ad finem , præcipuum eſt prudentiæ munus . Unde oportet , quod ad vitium prudentiæ oppoſitum negligentia pertineat . An vero ſpeciale peccatum ſit , illudque mortale , aut veniale , infra conſtabit .

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. *Prudentiam carnis* , prout eam vocat Apoſtolus ad Rom. 8. veræ prudentiæ contrariam eſſe , ex dictis patet . Duobus articulis 1. & 2. q. 55. de ea diſſerit Doctor An-

Digitized by Google

gelicus, ut legitimam ejus notionem manifeſtet. Et primo quidem articulo probat, eam eſſe peccatum, Deoque proinde inimicam: quia *prudentia carnis proprie dicitur*, ſecundum quod aliquis bona carnis habet *ut ultimum finem ſuæ vitæ*; & hoc ſenſu peccatum eſt: per hoc enim homo deordinatur circa ultimum finem, qui in bonis corporeis non conſiſtit. Sed quale peccatum ſit diſtinctius exponit *art.* 2. his verbis: " Si prudentia carnis accipiatur ſecundum abſolutam „ prudentiæ rationem, ita ſcilicet,quod in cura carnis conſtituatur ultimus finis totius „ vitæ, ſic eſt peccatum mortale ". Atque hujuſmodi ſunt, de quibus ait Apoſtolus, *quorum Deus venter eſt*, quia ſcilicet tanta cura, ac ſolicitudine, quæ carnis, ac corporis ſunt, exquirunt, ut ad ea tanquam ad finem cætera referant. „ Si vero, ſubjicit S. „ Doctor, prudentia carnis accipiatur ſecundum rationem particularis prudentiæ, ſic „ *prudentia carnis* eſt peccatum veniale. Contingit enim quandoque, quod aliquis inordinate afficitur ad aliquid delectabile carnis „ (puta ad cibum), abſque hoc, quod „ avertatur a Deo per peccatum mortale: „ unde non conſtituit finem totius vitæ in „ delectatione carnis. Et ſic adhibere ſtudium „ ad hanc delectationem conſequendam, eſt „ peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis ". Hæc autem *prudentia carnis* non limitatur ad ſolas carnales delectationes, ſed etiam ad alia ſtudia rerum temporalium, in quibus ſimiliter inordinatio poteſt eſſe mortalis, aut venialis.

Consectarium Vigesimum.

XX. *Ad prudentiam carnis*, quæ *mors eſt*, & eſt *inimica Deo*, merito refert eximius vir P. Thyrſus Gonzalez *Diſſ.* 3. Fund. Th. Mor. praxim illorum, qui in conflictu opinionis probabilioris ac tutæ eligendam putant opinionem probabilem. Quid enim, ut fuſe ille perſequitur, vera prudentia eſt juxta Ariſtotelem? Non aliud, niſi *habitus agendi vera cum ratione circa ea, quæ ſunt homini bona, atque mala*. At quænam prudentia *vera cum ratione* homini tutiorem ſententiam veroſimiliorem eſſe cognoſcenti ſuggerere poteſt, oppoſitam minus tutam, minus etiam veriſimilem tutiori, ac veroſimiliori præferre. Non alia profecto, niſi *prudentia carnis*, quæ temporalia bona pluris facit, quam curam, & obſervantiam divinæ legis.

Si præterea quæramus ab Angelico Doctore, quodnam ſit prudentiæ munus? Reſpondebit 2. 2. *q.* 49. *art.* 7. *ad prudentiam præcipue pertinere recte ordinare aliquem in finem: quod quidem recte non fit, niſi & finis bonus ſit, & id, quod ordinatur ad finem, ſit etiam bonum, & conveniens fini*. Rectam ergo appetitionem finis prudentia ſupponit, ejuſque exinde eſt, *recte ea ordinare*, quæ ad finem obtinendum conferunt. Quare Ariſtot. Eth. 2. ait: *Bonitas intellectus practici eſt verum conforme appetitui recto*: ibi vero, ut exponit Angelicus 1. 2. *q.* 58. *art.* 3. *ad* 2. Philoſophus ſermonem habet de intellectu practico, quatenus eſt *conſiliativus* circa ea, quæ ad finem referri poſſunt. Sic enim perficitur a prudentia. Cæterum & in iis, quæ ordinantur ad finem, recta ratio non eſt, niſi fuerit appetitioni finis recti conformis.

Unde ergo delectus minus tutæ opinionis præ tutiore, & probabiliore? Quem ſibi finem præſtituit, qui probabiliori minus probabilem præfert, manifeſto violandæ divinæ legis periculo ſe committens? Haud ſane ex charitate, quæ cæteras virtutes movet, aut ex peculiari cujuſpiam virtutis ſtudio hujuſmodi delectu oriri poteſt, quum a recti finis appetitione, & honeſto virtutis amore alienum ſit in proximum divinæ legis violandæ diſcrimen ſe ſe conjicere. Sincere ne ſtudere Medicum ægroti ſanitati dixeris, qui pharmacum adhibet minus ad illum ſanandum idoneum? Quidpiam aliud ille ſibi plane præſtituit, qui patefacit ægri ſalutem ſibi non admodum cordi eſſe. Si

Digitized by Google

Si velit itaque Probabiliſta verum ingenue fateri, nil aliud reſpondere poteſt, niſi ſe deligere opinionem minus tutam, quam & minus probabilem novit, quod ſit illa temporarii alicujus boni, quod appetit, aſſecutioni accommodata, ſive aſſecutio hæc per legem liceat, ſive non. Hoc autem *prudentia* illa *carnis* eſt, quam Apoſtolus improbat, *Deoque inimicam* declarat; nec aliud ut ſummum afferri valet diſcrimen, niſi quod illa apertiores cum Deo inimicitias gerit, hæc autem occultas, & obtectas Probabiliſmi involucris. Hæc ferme ex laudato ſummo viro Generali totius Societatis Thyrſo Gonzalez.

CAPUT III.

De inquirenda veritate in judiciis de rebus agendis, ut Ratio *recta ſit regula humanorum actuum.*

D O C T R I N A.

I. *S. Bernardi ſententia de veritatis neceſſitate in rerum electione.*

II. *Differentia, veritatis ſpeculativæ, & practicæ.*

III. *Practica veritas non eſt inventu impoſſibilis, aut valde difficilis.*

IV. *Præceptum eſt in divinis Scripturis propoſitum inquirendæ veritatis in actionibus moralibus.*

V. *Idem præceptum Patrum Eccleſiæ traditione comprobatum.*

VI. *Ratio Theologica præceptum idem confirmat.*

VII. *Quænam & quanta adhiberi debeat cura, ac diligentia pro invenienda veritate, diſquiritur.*

VIII. *Quædam præmittitur egregia doctrina P. Michaelis de Elizalda.*

IX. *Regula generalis: Ea cura adhibenda eſt in inquiſitione veritatis, quæ adhiberi conſuevit in negotiis gravior bus.*

X. *Quo major, & urgentior eſt obligatio aliquid faciendi, eo major, ac urgentior eſt obligatio veritatem inquirendi.*

XI. *Quænam comprehendat inquirendæ veritatis obligatio.*

XII. *Neceſſe non eſt ad prudenter agendum, ut omnis penitus ejecta ſit deceptionis trepidatio.*

I. CELEBRIS, & pervulgata eſt S. Bernardi ſententia lib. *de diſpenſ. & præcept.* expendentis illud Chriſti oraculum apud Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit*; &, quo ſenſu accipiendum ſit, ita explicantis: " Ut interior oculus ſit ſimplex, „ duo arbitror eſſe illi neceſſaria charitatem „ in intentione, & *in electione veritatem*. „ Nam ſi bonum quidem diligat, ſed bonum „ non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed „ non ſecundum ſcientiam. Et neſcio que„ madmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit „ cum falſitate ſimplicitas ". Quibus verbis ſignificat, ad veram actionum noſtrarum bonitatem ſatis non eſſe, ut *humana Ratio* finem bonum intendat, ſed oportere, ut etiam verum medium ad ipſum ob ineundum eligat, ſive quod veritas inveniatur in actu, quo de bono, & malo judicamus.

II. Id vero ut clarius intelligamus, animadvertendum eſt duplicem eſſe judicii veritatem, aliam *ſpeculativam*, & aliam *practicam*. Prima eſt conformitas judicii cum ipſamet re: unde judicium *verum* dicitur, cum exprimit rem, ſicuti eſt in ſeipſa. Altera conſiſtit in conformitate quidem judicii cum re, at non abſolute ſumpta, ſed prout ſubjecta, & conſona regulis morum, legi ſcilicet æternæ Dei, & rectæ rationi. Hanc utriuſque veritatis differentiam exponit S. Thomas 1. 2. q. 57. *art.* 1. *ad* 3. aliamque in eo ſitam docet, quod veritas *ſpeculativa* neceſſaria eſt, atque immobilis: *practica* autem veritas contingens, utpote quæ in contingentibus humanis actionibus verſatur, & quæritur, quæ mutato agentium ſtatu, variatiſque circumſtantiis rerum poſſunt eſſe conſo-

ſoræ, aut diſſonæ morum regulis. De hac itaque veritate in noſtris actionibus inquirenda ſermo nunc eſt, ut rectæ ſint, & honeſtæ, ſive regulis morum conſentaneæ, adeo ut bonæ ſint, ſi judicia noſtra iis conformentur, mala vero, ſi ab iiſdem diſſentiant.

III. Verum ne quis fortaſſe obtendat, ut obtendere nonnulli ſolent, hujuſmodi *practicam veritatem* in hoc miſerrimo ſtatu naturæ lapſæ, denſiſque ignorantiæ tenebris involuto, non eſſe inventu poſſibilem a pleriſque ſaltem hominibus, hæc in anteceſſum de medio ſubmovenda excuſatio eſt, atque probandum, nedum illam inveniri poſſe, ſed nec ejus inventionem eſſe difficilem homini, divinæ gratiæ viribus præſertim adjuto, quæ ipſi non deficit, niſi prius ipſe Deo adjuvanti deficiat. Primum, & quidem luculentiſſimum hujuſce rei teſtimonium habetur *Deuteronomii* C. 30. ex ore ipſius Dei prolatum his verbis: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire, & facere, quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valde, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum; & e contrario mortem, & malum, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus.*

Non minus luculenta ſunt, quæ leguntur Sapientiæ 6. *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit, ſapientia, & facile videtur ab iis, qui diligunt illam, & invenitur ab iis, qui quærunt illam. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim foribus ſuis inveniet. Cogitare ergo de illa ſenſus eſt conſummatus, & qui vigilaverit propter illam, cito ſecurus erit. Quoniam dignos ſeipſa circuit, & in viis ſe oſtendit illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.*

Eccleſiaſtici quoque C. 32. eadem aſſertio confirmatur: *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus, & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum, & juſtitias, quaſi lumen accendent.* Invenient, inquam, *judicium juſtum*, quo nempe juſte judicent de rebus agendis, & claro lumine Dei juſtitias, ac mandata diſcernant.

Quod ſi etiam concedamus aliqua ex his obſcura, & inventu difficilia fuiſſe in Teſtamento veteri, id certe aſſerere minime debemus Poſt adventum Chriſti Salvatoris, omniumque Magiſtri in mundum, de quo jam promiſerat Propheta Iſajas, quod homines *viſuri eſſent præceptorem ſuum, & audituri vocem poſt tergum monentis: hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Cui forte vaticinio alludens mulier illa Samaritana, quam refert S. Joannes *Cap.* 4. dicebat: *Scio, quod cum venerit* (Chriſtus) *annunciabit nobis omnia*; quæ ad ſalutem ſcilicet conſequendam neceſſaria ſunt. Demum, ut alia omittam, quid dubitationis ſupereſſe nobis poteſt de hac veritate poſt apertiſſimam illam promiſſionem ab ipſo Chriſto Domino nobis factam Matth. Cap. 7. *Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur?* In quem locum ita ſcribit S. Joannes Chryſoſtomus hom. 18. *Omnis, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit &c. quidquid deſideratis invenire, quærite, & invenietis, quidquid clauſum vobis videtur* (obſcurum, & intellectu difficile) *pulſate, & aperietur vobis, gratia vos proſequente: petite precibus die ac nocte orantes.*

Huic

Digitized by Google

Huic etiam ſoffragatur evidens ratio . *Deus enim impoſſibilia non jubet*, quod dogma fidei eſt ab Eccleſia jam definitum . Impoſſibilia autem juberet, ſi nobis obſervanda impoſuiſſet præcepta ſua , dum , quæ vere præcepta ſunt , & a nobis adimplenda , invenire minime poſſemus : neque enim poſſibile eſt , ut adimpleamus , quæ non cognoſcimus , & cognoſcere nequaquam poſſumus . Quare argumenta , quæ ſtatim allaturi ſumus , ut probemus , præceptum nobis impoſitum fuiſſe inquirendæ veritatis in judiciis noſtris de bono , & malo , ut illud proſequamur , iſtud autem vitemus , probant etiam eamdem nos poſſe attingere , & invenire . Neque enim alterum ſine altero fas eſt intelligere .

IV. Præceptum itaque eſſe in Divinis Scripturis propoſitum , quo adſtringimur , & urgemur ad veritatem inquirendam in judiciis noſtris de bono , & malo morali , innumera ſunt , quæ convincunt , oracula tum veteris , tum novi teſtamenti . Et in veteri quidem . *Deuter.* 17. Judæorum populo præcipitur , ut in rebus *difficilibus* , & *ambiguis* recurrat ad eos , qui *indicaturi ſint judicii veritatem* , *& docuerint juxta legem Dei* . Studium quoque, cultumque veritatis eidem populo proponit Samuel *lib.* 1. *Reg.* & Tobias filio ſuo C. 14. libri ſuo nomine inſcripti . Et *Zach.* 8. ipſe Deus ita jubet : *Hæc dicit Dominus exercituum* , *veritatem tantum* , *& pacem diligite* . Malach. C. 2. de homine recte ambulante in via Domini dicitur , quod *lex veritatis fuerit in ore ejus* . Et Iſajæ probi omnes vocantur *Gens juſta cuſtodiens veritatem* . Apertiſſimum etiam eſt monitum illud Eccleſiaſtici C. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te* : *& ante omnem actum conſilium ſtabile* . Sed nullibi præceptum hocce luculentius ſe prodit , quam in toto pſalmo omnium prolixiore 118. ubi vix unus verſiculus eſt , in quo ſtudium , ac ſollicitudo quærendæ veritatis divinæ legis , ne aliquis obrepat error in ejus cognitione , mira profecto expreſſionum varietate præcipitur , & inculcatur . Legatur attentius pſalmus ille, & conſtabit evidenter arctiſſimam obligationem nobis impoſitam eſſe quærendi legem Dei , & mandatorum ejus veritatem , ne ab ea in actionibus noſtris unquam deflectamus. Jubet , ut eam *diſcamus* , *intelligamus* , *conſideremus* , *penetremus* , Jubet legem *meditari*, *perſecutari* , *nunquam ejus oblivíſci* , *ante oculos tenere* , *ſenſum illius inveſtigare* , *& exquirere mandata* : *judicia* , *juſtitias* , *vias* , *verba* , *ſermones* , *eloquia* &c. Unum illum expreſſe proferre ſufficiat verſiculum : *Mandaſti*, Domine , *juſtitiam teſtimonia tua* , *& veritatem tuam nimis* ; qui plane alteri præcedenti reſpondet : *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis* ; ſive impenſo ſtudio , diligentia , atque ſolicitudine , ut & veritatem mandatorum Dei agnoſcamus , & agnitam cuſtodiamus .

Paria habentur in novo Teſtamento ex ore præſertim Apoſtoli Pauli . Nam *ad Epheſ. C.* 5 primum ille monet fideles . *Ut ambulent ut filii lucis* : *fructus enim lucis eſt in omni bonitate* , *& juſtitia* , *& veritate* , *probantes* , *quid ſit beneplacitum Dei* , ſive voluntas nobis per legem expreſſa . Deinde ſubdit ; *Videte itaque* , *fratres* , *quomodo caute ambuletis* , *non quaſi inſipientes* , *ſed ut ſapientes &c. Et nolite fieri imprudentes* , *ſed intelligentes* , *quæ ſit voluntas Dei* , practicæ cujuſque veritatis regula . Ad Philippenſes etiam ſcribens commendat illis C. 4. *Ut cogitent quæcunque ſunt vera* , practica videlicet , *quæcunque pudica* , *quæcunque juſta* , *quæcunque ſancta* &c. Item ad Theſſal. *Omnia probate* : *quod bonum eſt* , *tenete* : *ab omni ſpecie malè abſtinete vos* . Numquid fortaſſe , inquiet aliquis , hæc eſſe mera conſilia , non autem præcepta ? Apage abſurdum , & inane commentum .

V. Præceptum idem inquirendæ veritatis in rebus moralibus , ut judicia noſtra legi æternæ Dei , cæteriſque morum regulis con-

for-

formia ſint , tradunt Eccleſiæ Patres , quorum aliqua proferre lubet teſtimonia . Hoc in primis docet S. Joannes Chryſoſt. *hom.* 13. *in Epiſt.* 2. *ad Corinth.* ubi moralem ſenſum Apoſtoli exponens ſic ait : *Vulgi opinionibus ne circumferamur , ſed res ipſas expendamus* (num ſcilicet cum veritate conſonent) . *Nefas eſt enim , cum de pecuniis agitur , aliis fidem non habere , ſed numero , & calculo id committere : cum autem de rebus* (mores ſpectantibus) *judicandum eſt , in aliorum opiniones temere , ac veluti obtorto collo trahi* , prætermiſſo examine divinæ legis, quæ practicas efficit rerum veritates . Hujuſce veritatis inquirendæ neglectum vituperat Chryſoſtomus idem , ſive , quicunque ſit , Author operis imperfecti in Matth. *hom.* 44. inquiens : *Si veſtimenta empturus gyras unum negotiatorem , & alterum , & ubi meliores veſtes inveneris , & pretio viliori , ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores , & inquirere , ubi ſincera veritas Chriſti venundetur* , & quomodo non oportet Doctores ſibi unam præfigere in conſulendo , ac docendo populum veritatem ?

Gemina ſunt , quæ habentur apud SS. Gregorium Nazianzenum , & Baſilium Magnum. Ille in *Tract.* 27. ſcribit : *Pleriſque ſecus videtur , inquiens . Quid vero mea intereſt , qui rei veritatem magis curo , immo ſolum euro ?* Alter vero in fine *Enarrat. in Cap.* 8. *Iſajæ* ait : *Qui perquirit nunc accurate veritatem , ejuſque inventionem parturit , perſpicue aliquando contuebitur faciem Dei,* hoc eſt æternam conſequetur ſalutem . Quid ergo inferendum ? Qui accurate veritatem non perquirit , ac inventam non ſequitur , ab æterna ſalute procul dubio excidet , ac æternum damnabitur .

Plura in locis pluribus differit in hanc rem S. Eccleſiæ Doctor Auguſtinus . Lib *cont. Mendac.* ac Conſentium *cap.* 15. admonet : *Negari non poteſt , quod S. David Deo dixit:* Lex tua veritas . Ex quo infert , *juſtum eſſe non poſſe , quod eſt contra veritatem* . Hanc autem legem , hanc veritatem juxta ipſum *tota vigilantia quærit vera prudentia* , ut legi conformes ſint , quas dirigit , actiones , neque ullus ſubrepat in judicando practicus error. *Quid illa virtus,* inquit lib. 19. de Civit. Dei C. 4. *quæ prudentia dicitur ? Nonne tota vigilantia ſua bona diſcernit a malis , ut in illis appetendis , iſtiſque vitandis nullus error obrepat ?* Hinc *lib.* 22. *C.* 23. juſtorum labores in hac vita deſcribit , quibus adverſus varia , & peccandi pericula militant , eoſdemque nobis exhibet *vigiliis continuis excubantes, ne opinio veriſimilis fallat , ne decipiat ſermo verſutus , ne ſe tenebra alicujus erroris offundant , ne quod bonum eſt , malum , aut quod eſt malum , bonum eſſe credatur* . Quid , amabo, neceſſe foret juſtis hominibus ſemet tot curis, atque laboribus conficere pro invenienda veritate , & errore vitando niſi periculum violandi legem , & incurrendi culpam curam Deo pertimeſcerent ?

Non minus diſerta ſunt , quæ de hoc eodem argumento habet S. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. C. 6. *In ipſis bonis operibus poſiti* pii , integræque vitæ homines *trepidant , ac ne in eiſdem occulto aliquo errore Deo diſpliceant , continuis lamentis vacant* . Et lib. 1. in Ezech. hom. 7. *Corpora animalium idcirco plena oculis deſcribuntur : quia Sanctorum actio ab omni parte circumſpecta eſt , bona diſiderabiliter providens, mala ſolerter cavens . Et hoc eſt laborioſius , ubi Sanctorum mens vehementer invigilat , ne ſe ante illorum oculos mala ſub bonorum ſpecie abſcondant* .

Horum , aliorumque Eccleſiæ Patrum, quibus accenſendus eſt S. Bernardus , cujus teſtimonium ab initio dedimus , agmen claudat S. Thomas Aquinas , qui Patrum omnium ſenſum ſua doctrina complexus eſt , tum tota quæſt. 47. & ſequentibus 22. ubi de prudentia omnibus hominibus neceſſaria agit ad inveniendam veritatem , ſive conformitatem noſtrorum actuum cum regulis morum , de-

cla-

claramque ſollicitudinem, circumſpectionem, aliaſque dotes, queis pollere debet: tum *q.* 60. ejuſdem *ſecundæ partis art.* 6. *ad* 2. ubi diſtinguit judicium, quod fertur de rebus, a judicio, quo de hominibus, ſive de ipſorum actionibus judicamus, docetque: *Aliud eſt judicare de rebus, & aliud de hominibus. In judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet, qualitercunque judicemus de ipſa: ſed attenditur ibi ſolum bonum judicantis, ſi vere judicet, vel malum, ſi falſe. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet, ſecundum quod ſunt*: quatenus nempe vel conſonant, vel diſſonant morum regulæ. Id evidentius ſignificat, *quodl.* 9. *q.* 7. *art.* 15. graviſſima illa, & ab omnibus, præſertim Doctoribus, ſedulo perpendenda ſententia: *Dicendum, quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe* Veritas *habeatur, periculoſe determinatur*. Quibus verbis ſolam veritatem debere ſibi præfigere prudentem hominem, in quam unice tendat, nitidiſſime docere, aut potius tanquam exploratum ſupponere, nemo non intelligit.

VI. Eadem quoque aſſertio noſtra evidenti Theologica ratione comprobatur. Nemo namque ſalutem aſſequi poteſt, niſi mandatorum Dei obſervantia juxta illud Chriſti Domini: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Ut autem mandata Dei ſive ab ipſo immediate, ſive mediante lege humana nobis injuncta ſervemus, præcedere cognitio debet, qua ea cognoſcamus, quam comparare minime poſſumus, niſi cura, ac diligentia eadem inquiramus, ut ipſi conformemus opera noſtra, in quo conſiſtit veritas illa practica, de qua loquimur. Igitur eam inveſtigare, ut ejus notitiam aſſequamur, neceſſe eſt ad ſalutem: quod paucioribus exponit Doctor eximius Franciſcus Suarez *T.* 5. *in* 3. *p. d.* 1. dicens: *In debito faciendi intrinſece includitur obligatio ſciendi: quia nullus poteſt ſuas obligationes implere, niſi ipſas cognoſcat.*

Quid quod vel ipſi Probabiliſtæ ſplendidiſſimam hanc doctrinam penitus inficiari auſi non ſunt, tametſi eam poſtea pluribus offuciis involvere conentur? Audiatur poſtremus Probabiliſmi defenſor P. Bovius, qui *pag.* 71. Operis ſui ita ſcribit, textu ejuſdem ex italico in latinum ſermonem converſo: „ In „ moralibus jubemur ſtudioſe veritatem ex„ quirere: notiſſimum quippe naturæ ſcitum „ eſt, debere omnes, quæ ſui ſunt muneris, „ noſſe, reos alioquin futuros, ſi illa non „ impleant . . . . Scitum, inquam, in ſyn„ dereſi inſitum, cujus hæc eſt graviſſima „ ratio, jam nullius uſus, & roboris fore „ leges, ſi nullius eſſet culpæ reus, qui eas „ violat, eo quod illas ignorat: ignorat au„ tem, qui ſcire neglexit, aut operam non „ dedit, ut ſciret. “

VII. At quænam, & quanta debet eſſe, inquiet aliquis, cura, ac diligentia a nobis impendenda in inveſtigatione veritatum moralium, uti impoſitæ nobis obligationi fiat ſatis, nec culpæ rei efficiamur coram Deo? Hic enim vero, ingenue fateor, aqua mihi non parum hæret, neque ſane quæſtionem exacte definiri ab ullo mortalium poſſe arbitror, cum hoc maxime pendeat a circumſtantiis pluribus loci, temporis, rerum, & perſonarum, quæ ſæpiſſime latent. Interim tamen aliqua dicere non omittam, quæ lucem non exiguam huic quæſtioni quadantenus dirimendæ præſtare poterunt.

VIII. Itaque in primis animadverto, hanc quæſtionem de diligentia adhibenda in inquiſitione veritatis, ſive conformitatis actionum noſtrarum ad legem Dei, eamdem prorſus eſſe, ac illam, in qua quæritur de cura, ac ſtudio, quod adhibere oportet pro æterna ſalute adipiſcenda: propterea, quæ de hac quæſtione dicuntur, de altera quoque dicenda ſunt. Quid ergo de cura pro adipiſcenda ſalute docent Patres, docentque Autho-

ſea , qui eorum mentem ſecuti ſunt ? Au-
diamus celebrem , ac piiſſimum Theologum
P. Michaelem de Elizalda *p. 1. de recta doc-
trina morum lib. 3. §. 3.* de re hac ita diſ-
ſerentem . " In univerſali , inquit , certum
„ eſt nos teneri ad ſtudium aliquod ſalutis
„ noſtræ , ad curam , & ſolicitudinem , &
„ affectum demum aliquem æternorum : quod
„ probandum non eſt , & negat nemo . Hoc
„ autem ſtudium , hanc curam , & ſolicitudi-
„ nem taxare certa , & nobis perceptibili, &
„ quoad nos nota , & determinata menſura,
„ forte eſt impoſſibile : quia forte oportuit
„ nos de hoc ipſo eſſe ſolicitos tam humili-
„ tatis , quam ſancti timoris Dei cauſa, ut-
„ que magis in ipſo ſpem noſtram omnem
„ collocemus , nec ex illis ſimus , *qui in ſe
„ confidebant* , quorum unus juſtitiæ ſuæ cer-
„ tus dicebat : *jejuno bis in ſabbato &c.* Da-
„ to deinde nobis eam menſuram eſſe notiſ-
„ ſimam , contingit mox alia incertitudo ,
„ an expleverimus menſuram , an remiſſiores
„ extiterimus .

„ Rurſus Authores omnes requirunt diligen-
„ tiam aliquam pro invenienda veritate mo-
„ rali . Quantitatem hujus diligentiæ certa ,
„ & infallibili menſura taxare , quæ ſit no-
„ bis nota , & infallibilis , ita ut jurare poſ-
„ ſimus : *tantum requiritur , & non plus* , eſt ,
„ credo , impoſſibile . Rurſus certi eſſe non
„ poſſumus , nos ſegniores non extitiſſe . Au-
„ thores alii expreſſe requirunt orationem ,
„ nec illius neceſſitas videtur negari poſſe ,
„ cum tam facile , & obvium id ſit ex ſacra
„ authoritate . Alii requiſiverunt præterea
„ purgationem conſcientiæ , & animæ . Ani-
„ ma enim non munda facile fallitur . Ete-
„ nim ex experientia uniuſcujuſque , & om-
„ nium , & ex Philoſophia , & ex ſacra au-
„ thoritate conſtat innegabiliter , ſecundum
„ diverſam animæ noſtræ diſpoſitionem , &
„ habitus , & affectus , & paſſiones diverſa
„ nobis apparere objecta , ac incredibiliter
„ mutari faciem rerum omnium . Forte quia
„ non quantum debeo , in caritate affectus
„ ſum , & defectus ejus objecta materialia
„ caritatis pertinentia ad proximum , non ta-
„ men mihi diſſonant v. g. in detractione, &
„ forte ex eo defectu , quod eſt grave , vide-
„ tur leve : & ſic in obedientia , in pauper-
„ tate , in juſtitia , & in cæteris . Similiter
„ etiam eſt in docendo , & ſpeculando : forte
„ ex elatione, ex defectu propriæ cognitionis,
„ quia majora viribus audeo , quia ſanctos li-
„ bros non conſulo , quia Deum non oro ,
„ quia conſcientiam non mundo .

„ Quicunque ergo has omnes cauſas in-
„ certitudinis conſideraverit , fateatur neceſſe
„ eſt , impoſſibile eſſe , quod ſemper , in ſin-
„ gulis noſtris actibus totali certitudine , ac
„ infallibili dictamine conſcientiæ agnoſca-
„ mus : *Ego docendo , vel hoc operando non
„ pecco* . Nam ad hanc certitudinem neceſſe
„ eſt in ſtudio ſalutis , ac in ſolicitudine æ-
„ ternorum nihil a me omiſſum : in diligen-
„ tia quærendi veritatem , in orando Deo ,
„ in mundando corde prætermiſſum fuiſſe
„ nihil .... Faciamus ergo alium ſyllogiſmum:
„ *Omnis exiſtimans ſe in aliquo actu ſuo non pecca-
„ re non peccat : ego exiſtimo, me in hoc actu non
„ peccare : ergo ego in hoc actu non pecco*. Ma-
„ jor illa cum diſtinctione eſt vera : ſine di-
„ ſtinctione eſt falſa ; & non ſolum non eſt
„ evidens , & certa , ſed clare falſa . Diſtinc-
„ tio eſt iſta : *Omnis exiſtimans ſe in ali-
„ quo ſuo actu non peccare , non peccat , ſi ni-
„ hil prætermiſit eorum , quæ debuit* , eſt ve-
„ ra propoſitio : *ſi aliquid prætermiſit* , eſt fal-
„ ſa propoſitio . Nunc ad minorem : *Ego
„ exiſtimo , me in hoc actu eliciendo non pecca-
„ re* , diſtinguo : *& certus ſum ſemper , &
„ in omnibus , nihil a me prætermiſſum eorum,
„ quæ debui* , nego : *& certus non ſum ; pro-
„ babile tamen judicium facere poſſum , ſi vere
„ diligens ſum in cura animæ , ut ſunt multi* ,
„ concedo . Quare concluſio ſolum erit pro-
„ babilis , ſaltem loquendo de omni , &
„ ſemper , & ſtudioſis ſalutis ſuæ . Veritas
„ harum diſtinctionum conſtat ex dictis " .

ſ 2 3

Ha-

Hactenus ille.

IX. Ex hac doctrina Elizaldæ, licet forte haud ſatis clare, & parum feliciter expoſita, colligamus regulam generalem in materia, qua de agimus nimirum: quamvis certa menſura definiri nequeat diligentiæ, ac ſtudii adhibenda, ſicut in negotio æternæ noſtræ ſalutis, ſic, quod ex illo ſequitur, in inquirenda veritate in judiciis noſtris practicis, nihilominus probabiliter deſignari valet, generatim dicendo, *eam curam, illudque ſtudium in utraque impendendum eſſe, quod rei gravitas expoſcit, quodque adhibere ſolent homines cordati, ac prudentes in rebus magni momenti*. Quis enim ita deſipiat, ut minorem curam, ſtudiumque requirat pro æterna felicitate adipiſcenda, mediiſque ad hoc neceſſariis inveſtigandis, quam pro rebus temporalibus comparandis, quæ ſi cum illis conferantur, vix, ac ne vix quidem ullam æſtimationem merentur? Hæc itaque ſit prima generalis regula pro definienda, utcunque poteſt, diligentia in inquiſitione practicarum veritatum.

X. Altera huic ſubjecta ita conſtitui poteſt, nempe, *Ubi major fuerit, atque urgentior obligatio aliquid faciendi, ſive illa ex materiæ gravioris qualitate, ſive ex circumſtantiis, aliove ex capite oriatur; eo quoque major, atque urgentior eſt obligatio inquirendi, ſciendique veritatem moralem, ſive pravitatem, aut honeſtatem propriam objecti ipſius legis, aut voluntatis Dei, ut illud vel fugiendo, vel amplectendo ſuam quis voluntatem, atque actionem moralem conformet cum lege, ſive voluntate Divina*. Sic enim ſe gerere ſolent prudentes homines, ut quo majoris ponderis, ac momenti negotium eſt, de quo deliberatur, eo majorem, exactioremque curam impendant, ne in eo fallantur, aut errorem committant. Hinc in regula juris *C. 3. de elect. in 6.* dicitur: *Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum*. Quare cum maxime de rebus agitur, ex quibus conſequi ſolet plurimorum bonum, aut detrimentum, magis quiſque ſatagere debet, majoremque conatum inſumere, ut notitiam legis exquirat, ac judicium ſuum veritati conformet, ita exigente ipſius rei gravitate.

XI. At præterea addendum cenſeo, quod quamquam enitendum nobis ſit, ut in actionibus noſtris veritatem, ſeu conformitatem cum regula prima, lege ſcilicet, aut voluntate Dei, aſſequamur; haud tamen ex præcepto requiritur, ut hæc diligentia extraordinaria ſit, modumque agendi humanum excedat. Neque tamen exiſtimandum eſt, menſuram diligentiæ noſtræ adhibendæ intra terminos ſtudii, & induſtriæ humanæ contineri (quamvis hanc etiam adhibere oporteat); ſed extendi quoque ad eam media, quibus a providentia divina conſtitutum eſt, ut veritatem in actibus noſtris inveniamus, nempe acceſſum ad Deum ſapientiæ, ac totius veritatis fontem, orationis ſtudium, cuſtodiam cordis noſtri, ac id genus alia, de quibus ſubinde ſermonem habituri ſumus.

XII. Verumtamen his etiam adhibitis mediis ad inquirendam veritatem, fieri moraliter poſſe non credimus ut certi ſimus certitudine abſoluta, atque perfecta de judiciorum noſtrorum aſſecuta veritate, ſive conformitate cum lege divina. Sed neque certitudinem hanc putamus eſſe neceſſariam, cum ſufficiat omnino judicium prudens, vereque probabile, quod *certum* vocari ſolet pro conditione materiæ moralis, ſive *certitudine morali*, quæ non omnem penitus amolitur deceptionis timorem, ſed tamen ſufficit, ut ipſum ſuperemus, & operemur citra omnem temeritatem, quamquam non abſque aliqua animi trepidatione. Unde & Sanctiſſimus Job, licet nihil prætermitteret, ut legem Dei cognoſceret, atque exacte impleret, dicebat: *Verebar omnia opera mea*: Et juſti homines, de quibus in ſupra relato textu loquitur S. Greg. Magnus, *in ipſis bonis operibus trepidant, & ne in eiſdem occulto aliquo*

Digitized by Google

errore Deo diſplicent, *continuis lamentis vacant*. Verum agere cum tali trepidatione nedum nulla temeritas eſt, ſed etiam prudentia maxima, nobis a Deo, ac Sanctis omnibus ſummis ubique laudibus commendata : dummodo ſimul judicemus actu prudenter, rationeque vere probabili nos reipſa non decipi, quamvis abſolute contingere poſſit, ut decipiamur. Ita, Deum oro, obteſtorque, ſemper mihi operari contingat, dum fuero in hujus ſæculi caliginoſa nocte, *donec dies eluceſcat*, *& lucifer oriatur* ille beatiſſimus, qui in plena me ſecuritate conſtituat.

CAPUT IV.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *Delirium eſt Scepticorum, & Pyrrhonicorum veritatem moralem inveniri minime poſſe contendentium.*

II. *Sola veritas regula eſt in actibus humanis electionis recta.*

III. *Abſurditatis plena eſt, quam P. Carolus Caſnedi habet, ad Christum Jeſum allocutio de hoc argumento.*

IV. *Qui modernum Probabiliſmum veluti ſuarum actionum regulam conſectantur, diſcipuli* Magiſtri veritatis *vocari minime poſſunt.*

V. *Ut bona reapſe ſint actiones noſtræ, neceſſe eſt, quod cum æterna Dei lege conformentur.*

VI. *Ex hoc falſitatis convincitur plurium Confeſſariorum, & Christianorum praxis.*

VII. *Diligentia in inquirenda veritate morali non id ſolum complectitur, quod viribus naturalis facultatis præſtare poſſumus, ſed etiam quod viribus divinæ gratiæ.*

VIII. *Tres hominum claſſes diſtinguuntur, qui ex propria culpa veritatem non inveniunt.*

IX. *Si ea, quæ præſtare oportet, exequamur, veritatem moraliter inveniemus.*

X. *Ex confeſſione ſapientiorum Probabiliſtarum ſequitur, teneri nos ad opiniones veriſimiliores amplectendas.*

XI. *A veritate longe recedunt, qui ſententiam, quam falſam judicant, ob authoritatem aliorum ſequuntur.*

XII. *Secura minime eſt regula reſolvendi conſcientiæ caſus, ac dirigendi actiones hominum per ſolam probabilitatem opinionum.*

XIII. *Nullum ſtudium, & curam veritatis ſe habere produnt, qui ad conſulentium voluntatem contrarias opiniones accommodant.*

XIV. *Non minus veritatem ſe cordi non habere oſtendunt, qui plures Doctores conſulunt, ut aliquem ad placitum loquentem inveniant.*

XV. *Monſtroſa cenſenda eſt doctrina Tamburini, aliorumque docentium modo unam, modo aliam in eadem re amplecti nos poſſe opinionem.*

XVI. *Quæcumque ſit actionis materia, ſolliciti debemus eſſe de veritate acquirenda.*

XVII. *Major tamen de eadem cura ſit oportet, dum majoris momenti materia eſt.*

XVIII. *At non exigitur, ut hæc extraordinaria ſit, & præter communem agendi modum.*

XIX. *Prudentia in his maxime neceſſaria eſt.*

XX. *Vana, & fallaciſſima eſt certitudo, & ſecuritas, quam in agendo promittunt nuperi Probabiliſtæ.*

Consectarium Primum.

I. TANQUAM delirium explodendum eſt Scepticorum, & Pyrrhonicorum etiam ætatis noſtræ placitum, qui nec in ſpeculativis, nec in practicis, ſive moralibus certo inveniri poſſe veritatem blaterant. Quid enim, ut de practicis duntaxat loquamur, requiritur ad habendam omnimodam veritatis certitudinem? Nonne certiſſima eſſe, quæ ab Authore naturæ impreſſa in ratione noſtra fuere, univerſalia moralitatis principia intimo quodam ſenſu percipimus? Nonne quaſdam ſaltem concluſiones morales ex iis principiis legitime deductas perſpicue cognoſci-

Digitized by Google

ſcimus? Nec ipſos Pyrrhonicos de hoc, quod ore proferunt, commento perſuaſos eſſe crediderim. Sed neque adeo inventu difficilis moralis veritas exiſtimanda eſt, ut nonniſi ſummo labore, & extraordinario ſtudio illam invenire valeamus, ut alii dixerunt. Hoc ita redarguit S. Clemens, ſive Auctor *Recognitionum*, quæ ipſi adſcribuntur, lib. 3. *Quid putas, quod in terram defoſſam abſconderit Deus veritatem, & montes ei ſuperpoſuerit, ut ab his, qui in profundum tantum fodere valeant, tantummodo inveniri poſſit? Non ita eſt.* Hi profecto, qui ſic opinantur, haud *ſentiunt de Domino in bonitate*, & apertam injuriam irrogant providentiæ Dei, neque divinis fidem habent promiſſionibus, toties in ſacra Scriptura iteratis, quas jam commemoravimus.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Sola veritas poteſt eſſe regula rectæ electionis in humanis actibus, quæ præcipuum eſt prudentiæ virtutis officium. Conſectarium hocce tam verum eſt, quam verum eſt, legem æternam eſſe primam regulam, primamque menſuram cujuſque moralis honeſtatis. Quare baſilice falluntur, qui contendunt, non ſolam veritatem, ſed etiam probabilitatem ab ipſa veritate præciſam, & abſtractam poſitivam regulam eſſe bonitatis moralis. Ratio evidens eſt, quia lex æterna Dei, quæ, nemine diſſentiente, eſt prima, & univerſalis bonitatis moralis regula, eſt lex *veritatis*, non falſitatis, non probabilitatis; *Lex tua veritas: Omnia mandata tua veritas* &c. ajebat Propheta Regius. Hæc veritas in hac tenebrarum valle haud ſemper perſpicua, & aperta a nobis conſpicitur, ſed eam attingimus interdum quidem medio certo, & evidenti: ſæpius vero ſolum probabili, & ſubobſcuro. Veritas ergo, vel evidenter, & certo, vel probabiliter, & obſcure cognita, operationis humanæ ſemper regula eſt. Hinc, ſi certa veritas lateat; ſequi equidem licite poſſumus opinionem nedum *probabiliſſimam*, ſed etiam *vere probabilem*: ſed tamen, ſi veritati conſona non ſit, operatio ab illa directa apparenter quidem bona erit; bona tamen nunquam erit in ſeipſa, utpote deficiens a regula, & menſura totius bonitatis.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Quamobrem a vero prorſus abhorret, & abſurditatis plena eſt ea, quam ad Chriſtum Jeſum habet, ſententia, in dedicatione Operis ſui, P. Carolus Antonius Caſnedi: „Cum magiſter veritatis ſis, adeo humanæ condeſcendis inſcitiæ, ut in tuo veritatis tribunali error inculpatus *ipſam coæquet veritatem*. Eum enim non accuſas, ſed excuſas, non plectis, ſed præmiatis: ipſam tuam legem habendo pro non lege: & tuam non legem habendo pro lege: *ſi lex, ut non lex, & non lex, ut lex* invincibiliter proponatur". Nil magis abſonum, & veritati ipſi diſſentaneum ſcribi potuit, ex quo intolerabilia profluunt inconvenientia, quæ jam plures Authores profeſſi ſunt. Huic Authori adeo diſplicet doctrina noſtra, ſolam veritatem, ſeu conformitatem cum lege Dei, bonitatis regulam ſtatuens, ut *Sectarios* appellare non vereatur *Antiprobabiliſtas*, iiſque nomenclaturam *Veriſtarum* adſcribat *T. 2. diſp. 11. ſect. 11. n.* 316. Quo tamen nomine jure, ac merito gloriari poſſumus, cum Deus ipſe *veritas* ſit, adeoque *Veriſtarum* caput.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Atque hinc etiam ſequitur, non eſſe reapſe diſcipulos veritatis, ſive Magiſtri illius, *qui verax eſt, & viam Dei in veritate docet*, qui modernum probabiliſmum veluti regulam humanarum actionum conſectantur. Quid enim ſibi licere putant? Haud plane ſolam veritatem aut certo, aut ſaltem veroſimilius ſibi perſpectam ſequi: ſed probabilitatem æque indifferentem ad veritatem, & falſitatem, „

ſive.

Digitized by Google

ſive in conflictu duarum opinionum vel æque probabilem, vel etiam minus probabilem, ac tutam, quod perinde eſt aut æque falſam, ac veram, aut magis ipſis falſam, quam veram amplecti. Nam quomodo diſcipuli *Magiſtri veritatis*, *& qui viam Dei in veritate docent*, dici valent, qui nihil, aut adeo parum veritatem curant, ut eidem præfetant, quod minus veritati conforme ipſis videtur, & illud eligant, quod magis a veritate diſſentaneum judicant? Neque enim judicare aliter poſſunt, qui opinionem ipſis minus veriſimilem amplectuntur, dum ſequi reſpuunt probabiliorem, conformioremque veritati, ſive primæ regulæ, quæ nonniſi vera nobis quærenda, & ſequenda proponit.

Consectarium quintum.

V. Veritas, ſive conformitas actionum noſtrarum cum æterna Dei lege neceſſaria omnino eſt, ut bonæ reapſe ſint, ac honeſtæ. Ut autem licitæ ſint, ſive ad culpam nobis non imputentur, dum ea conformitas deeſt, requiritur, ac ſufficit, ut præmiſſa debita diligentia ad inveniendam veritatem, ſive conformitatem operis cum divina lege, ratio quidpiam proponat ut licitum. Quoniam ſi abſque ſufficienti veritatis examine, ratio judicium concipiat de operis honeſtate, tametſi reapſe foret legi æternæ conforme, non ideo peccatum vitaret; hæc namque conformitas eſſet caſualis potius, ac fortuita, non ex conſilio rationis inventa. Idque ſatis conſtat, ſi cogitemus intellectum noſtrum natura ſua defectibilem eſſe, & errori obnoxium non modo dum judicat aliquid eſſe probabiliter verum, ſed etiam quando aliquid ut certum apprehendit, ſibique tale perſuadet. Ut igitur judicium noſtrum ſit recta regula ſecundaria moralis actus, quem elicimus, cum indefectibilitatem deſumere nequeat ab intellectu noſtro defectibili, & fallibili, neceſſe eſt, ut ratio ſerio, ac diligenter inveſtiget conformitatem actus cum æterna lege, quæ indefectilis, & infallibilis eſt. Si ergo debitam hanc in agendo diligentiam adhibeat, & conformitatem inveniat operis ſui cum lege; bonus erit actus ex omni parte, & æternæ vitæ meritorius. Quod ſi poſt diligentem hanc inveſtigationem contingat, opus, quod bonum putatur, eſſe nihilominus æternæ legi difforme; malus quidem, peccatumque erit actus in ſe, at non imputabilis ad culpam.

Consectarium Sextum.

VI. Ex hoc conſequitur, falſam & erroneam eſſe doctrinam, & praxim ſive Confeſſariorum, ſive Chriſtianorum, qui nunquam peccare exiſtimant eos, qui dictamine ſuo opus, aut actionem conformem eſſe Divinæ legi judicant, hoc ipſo, quod non formident de errore, ſibique perſuadeant rectum eſſe, quod operantur: cum decipi facile poſſint in judiciis ſuis interdum errore culpabili ob debitam diligentiam prætermiſſam in inquirenda veritate; interdum ſine culpa, ſi eam reipſa non prætermiſerint. Neque enim ſufficiunt dictamina quæcumque noſtra ad eam conformitatem habendam in operibus noſtris, ſi hæc æternæ legi conformia revera non ſint.

Consectarium Septimum.

VII. Diligentia in inquirendis veritatibus moralibus non id tantum complectitur, quod viribus facultatis naturalis præſtare poſſumus, ſed etiam quod viribus gratiæ divinæ. Ut ut enim concedamus, rationem noſtram, ſive intellectum ſibi relictum opus aliquod morale ordinis naturalis poſſe cognoſcere; eas tamen omnes veritates, quæ ad æternam ſalutem obtinendam neceſſariæ ſunt, nonniſi adjutus gratia Divina attingere valet, ut jam ex Theologorum doctrina in tractatu *de neceſſit. gratiæ* exploratum ſuppono. Si igitur gratiæ auxilium requiritur, ut veritates omnes agnoſcamus, quæ ad ſalutem neceſſariæ

ſunt,

ſunt, neque illis fas eſt agnoſcere abſque Dei adjutorio; hoc adjutorium quæramus, & comparemus oportet, ut ſtudium, ac diligentia inveniendæ veritatis ea complectatur, quæ nedum naturæ viribus, ſed & quæ viribus gratiæ conſequi poſſumus, quod & infra manifeſtius fiet. Hinc antiqui ſuperbi Philoſophi, qui ſolis naturæ viribus confiſi veritatem inquiſiverunt, *evanuerunt*, ut inquit Apoſtolus *in cogitationibus ſuis*, ac dicentes *ſe eſſe ſapientes*, qui nempe ex ſemetipſis omnia ſatis haberent, quibus veritates agnoſcerent, *ſtulti facti ſunt*, ſive in errores turpiſſimos corruerunt.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Tres hominum claſſes inter ipſos Chriſtianos diſtinguendæ ſunt cum S. Auguſtino, qui practicas veritates ad ſalutem neceſſarias non inveniunt ex propria ipſorum culpa: unde propterea inexcuſabiles ſunt coram Deo, dum in errores, ac deceptiones prolabuntur; eorum videl. qui aut veritatem ſtudio debito non inveſtigant, aut illam ſe noviſſe nimia confidentia arbitrantur, aut nec ſe ſcire exiſtimant, nec ullatenus quærere curant. *Tria ſunt*, inquit S. Doctor lib. de utilit. credendi c. XI. *hominum genera, improbanda profecto, ac deteſtanda, ideſt eorum, qui ſe ſcire arbitrantur, quod neſciunt. Alterum eorum, qui ſentiunt quidem ſe neſcire, ſed non ita quærunt, ut invenire poſſint. Tertium eorum, qui neque ſe ſcire exiſtimant, nec quærere volunt.* Hi poſtremi eo gravioris culpæ rei ſunt, quo a veritate noſcenda ſunt remotiores.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ne illuſorias dicamus eſſe (quod plane aſſerere nefas] promiſſiones divinas, quibus in Sacris Scripturis paſſim Deus nobis promittit veram lucem, veram ſcientiam, verum intellectum, quo legem ſuam exacte adimplendam cognoſcere poſſimus, ſi diligenter illam quæramus, ſi oremus, ſi pulſemus, ſi cætera, quæ a nobis requiruntur, fideliter exequamur; pro certo tenere debemus, Deum nobis minime defuturum in iis, quorum cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt. Quid enim luculentius polliceri nobis poterat Deus, aut quibus clarioribus verbis fidem ſuam obſtringere, quam his, quæ adducta jam ſunt capite ſuperiore, & quæ recolere ſæpe debemus, ne inter umbras, tenebraſque hujus caliginoſi ſæculi animo deficiamus? Cum enim impoſſibile ſit, ut fallat nos Deus verbis inanibus, firmiter credamus, ac ſperemus neceſſe eſt, fieri nunquam moraliter poſſe, ut legem Dei, ſeu veritatem nobis neceſſariam ad honeſte, prudenterque operandum, recto, & ſincero corde quæſitam, non inveniamus. Huc animum advertere deberent quidam ex Probabiliſtis, quibus familiare proloquium eſt, legem Dei, ſive veritatem moralem, gravis etiam quandoque momenti, ut plurimum inveniri non poſſe, quamvis diligenter quæſitam. Falſum omnino putandum eſt hoc proloquium. Etenim ſi verum illud eſſet, vel nihil penitus ſignificarent allata Scripturarum teſtimonia, vel Deus ipſe, quod abſit opinari, mentitus nobis eſſet; neque enim eorum verba aliter explicari valent.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Quum & ipſi Probabiliſtæ ſapientiores conſentiant, nos ſequi teneri veritatem, ſive conformitatem cum lege Dei, dum in ali[illegible] ſententia morali eam clare conſpicimus; inferendum plane eſt, eam quoque ipſos ſequi debere, dum veritas haud clare quidem nobis apparet, ac certe, ſed tamen illam veriſimilius cognoſcimus. Nam, ſi clara legis notitia, ipſis fatentibus, implendæ legis obligationem imponit: ergo pro gradu notitiæ gradus erit obligationis: ergo dum probabilius apparet legem exiſtere, quæ obligationem imponit, ſervandæ legis debitum ne-

ceſ.

ceſſatio conſequitur. Hoc modo argumentum ſolum attigiſſe ſufficiat, de illo uberius infra fortaſſe dicturi. Interim vero quid de illo ſcripſerit celebris Probabiliſta P. Fezparza, ipſa vi veritatis nimium apertæ coactus, audiamus. “ Supereſt, inquit *in Append. Operis ſui n.* 42. ut omnes unanimi conſenſu enitamur, quantum poſſumus, ad veritatem, „ & ea circa rem quamlibet teneatur ſententia, quæ vera eſſe convincetur, aut omnibus hinc inde conſideratis *videbitur ad veritatem propius accedere*, ea vero *rejiciatur, ac reprobetur*, quæ falſa convincitur, *aut ad falſitatem potiſſimum vergere videbitur*: ita enim fiet, ut veritatem facientes in charitate creſcamus.

Consectarium Undecimum.

XI. A veritate longiſſime recedunt, eamque ſe minime curare convincuntur omnes ii Theologi quorum ſeriem contexit, ſequiturque ſententiam P. Laeroixius lib. 1. de conſc. n. 375. ubi quærit: *An licitum ſit operari ſecundum opinionem aliorum, quam tamen operans judicat reipſa eſſe falſam*; & *n.* 377. ita reſpondet: „ Si quis judicet, opinionem „ aliquam eſſe probabilem (ob authoritatem ſcilicet Theologorum, qui eam docent], *quamvis videatur eſſe falſa*, ideoque ſpectatis principiis directis uſus illius videatur eſſe illicitus, ſi tamen de hoc certus non ſit; valde probabile eſt, quod ex principiis reflexis poſſit ſibi formare prudens dictamen, & ſecundum eam opinionem operari dicendo: *Judico quidem opinionem illorum eſſe falſam; quia tamen hoc mihi incertum eſt, & authores me ſapientiores, qui opinionem poſſunt reddere certo probabilem, dicunt illam eſſe veram: ego quoad hanc opinionem me accommodabo illis, & interea præſcindam a directa opinione*. Ita tenent Azorius, Leſſius, Vaſquez, Valentia, Salas, Bonacina, Sotus, Bannez, „ Serarius, Bardi, Tannerus, Sanchez n. 14. „ aliique plures, & graviſſimi Authores &c.“ Quis quæſo prudens, & cordatus aſſeret unquam, ita ſe gerentem amare, & quærere veritatem, dum opinionem illi præfert, quam judicat eſſe falſam?

Consectarium Duodecimum.

XII. Falſa, & admodum, ut mitius loquar, periculoſa dicenda eſt regula, quæ traditur a Probabiliſtis, reſolvendi caſus, ac dirigendi actiones hominum per ſolam *probabilitatem* opinionum. Hos enim nunquam veritatem diligere apertiſſime convincuntur, quidquid verbis aliter exprimant; eoſque inter alios ita convincit Elias Dupinius *de verit. c.* 6. “ Ad penitus evertendum Probabiliſtarum ſyſtema ſatis eſt, quod eos interrogem: *Veritatem num diligitis, an odiſtis?* „ Reſpondebunt plane, illam abs ſe, & quidem ex animo diligi: neque enim video, „ quid aliud reſpondere ipſi valeant. Quod ſi „ ita reſpondeant, eos ſic urgeo: *Quid eſt veriſimilitudo?* Veritatis ſpecies, profecto reponent: idque nobis eſt veriſimile, quod verum nobis videtur, etſi verum eſſe, certo non conſtet. Inſto: *Vera ne vobis opinio eſſe poteſt*, dum vobis conſtat, majorem in ea, quæ illi opponitur, veri ſpeciem ineſſe? Neutiquam ſane: una ſiquidem eſt veritas: multæ autem veriſimilitudines, ſibique non raro mutuo oppoſitæ. „ Tunc vero ſapiens, & ſincerus veritatis amator in eam ſolum declinabit partem, „ quæ majorem veriſimilitudinem præfert, „ aut quam prudenter credit ad eam, quam exquirit, optatque, veritatem propius accedere. Vos igitur minus veriſimilem conſectantes, a vobis ipſi diſceditis, palamque proditis, verbis veritatem a vobis diligi, non reipſa “. Hæc ille, qui dignitatis, cujus extus incertus ſit, appetentem in exemplum proponit, quam amicus monet, etſi probabiliter eam obtinere hoc ma-

Digitized by Google

medio, aut ratione poſſit, probabilius tamen aſſecuturum, ſi aliam ineat viam, quam ipſe ſuggerit, quod & Candidato ipſi perſuaſum eſt: Nonne hic aut excors eſſet, aut dignitatem nihil pendere cenſendus foret, ſi viam iniret, quam ipſe novit minus ad eam obtinendam idoneam, imo quæ probabilius obeſſe poteſt, ne illam obtineat? Idem omnino de Probabiliſta dicendum, qui ſe veritatem diligere, & exoptare gloriatur, & tamen, probabiliore opinione poſthabita, minus probabili ſe committit. Quod ex hac P. Ghetii juxta Probabiliſtarum ſyſtema loquentis confeſſione adhuc evidentius pateſcit, dum ait p. 33. *Ad Probabiliſtarum ſententiam conſtabiliendam nihil refert, an affirmari directo poſſit, minus probabilem opinionem veram eſſe. Satis namque eſt affirmari poſſe eſſe illam vere probabilem.*

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Nullum quoque inveniendi, ac docendi veritatem ſtudium ſe habere, manifeſte produnt ii Authores, qui licitum eſſe tradunt Theologo in rebus ad conſcientiam attinentibus interrogato pro ſuo arbitratu reſponſum ad hanc, vel ad oppoſitam opinionem attemperare, ſi ambæ probabiles ſint, aut credantur. Audiamus, quid de re hac doceant aliqui inter Probabiliſtas celebriores: neque enim fieri poteſt, ut ſapiens, ac pius lector modum hunc dirigendi conſcientias hominum, ſtatim ac audierit, non exhorreſcat. P. Thomas Sanchez, qui Princeps Moralium Theologorum habetur, *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 19. hoc infert ex ſyſtemate ſuo probabiliſtico:
„ Quarto deducitur, licite quoque viros do-
„ ctos poſſe *contra propriam opinionem* aliis
„ conſulere, ſequendo alienam, quam pro-
„ babilem eſſe putant. Sic Vaſquez, Salas,
„ Sayrus &c. Imo & ipſis Confeſſariis hoc li-
„ cet: quia ſi ipſiſmet licet hanc opinionem
„ ſequi, cur non licebit eam aliis conſule-
„ re? . . . . *Imo prudenter facient quandoque*
„ *minus probabilem opinionem conſulendo*, quan-
„ do probabiliorem difficilem fore pœnitenti,
„ vel conſilium petenti prudenter judicave-
„ rint: quia ſic infirmitati eorum proſpiciunt,
„ & peccandi periculum in eis cavent. Qua-
„ re poterunt iti, *modo juxta unam*, *modo*
„ *juxta contrariam opinionem conſulere*: quam-
„ vis melius ſit ſemper juxta eamdem, &
„ maxime in ſcriptis, *ne varii deprehendan-*
„ *tur* . . . . Ita Vaſquez " &c.

Laymanus eamdem doctrinam ita proponit *lib.* 1. *Tract.* 1. *c.* 5. " Arbitror nihil a ra-
„ tione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſi-
„ gnificet conſulenti opinionem a quibuſdam
„ viris doctis tanquam probabilem defendi,
„ quam proinde ſequi ipſi liceat, quamvis
„ idem Doctor hanc ſententiam *ſpeculative*
„ *falſam eſſe ſibi certo perſuadeat*, ut proin-
„ de ipſemet in praxi eam ſequi non poſſit:
„ quum enim conſulens in re dubia jus ha-
„ beat ſe conformandi opinioni, quæ a qui-
„ buſdam viris doctis defenditur, nihil ob-
„ ſtante, quod aliqui contradicant, & *ſpe-*
„ *culative ſententiam judicent improbabilem*;
„ hoc ipſum jus conſulenti Doctor indicare
„ non prohibetur. Atque hinc exiſtit, quod
„ vir doctus ſecundum *oppoſitas* probabiles
„ ſententias diverſis oppoſita conſilia dare poſ-
„ ſit, ſervata tamen diſcretione, & pruden-
„ tia ". Omitto P. de Rhodes, Cardenam,
„ Tamburinum, alioſque plures ab iis lauda-
„ tos, qui idem ſentiunt, eodemque modo
„ loquuntur. Hæccine praxis conſulendi op-

poſitas opiniones ex amore docendi veritatem proficiſci unquam poteſt? Quis vel Indoctus id ſibi ſuadeat?

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Non minus abſurda eſt, & cum veritatis ſtudio pugnat alia P. Vivæ, aliorumque ſententia, quam ille *in prop.* 27. ab Alex. VII. damnatam ſic exponit: " Hinc fit
„ poſſe aliquem conſulere plures Doctores, do-
„ nec inveniat aliquem, qui ab obligatione,

Digitized by Google

,, v. g. reſtituendi , vel jejunandi illum ex-
,, cuſet , ut docent Sanchez *lib.* 1. *cap.* 9.
,, Palaus , Zumel , & alii non pauci apud
,, Machado &c. Ratio eſt , quia unicuique
,, licitum eſt ſuo jure uti , & per licitum , &
,, honeſtum medium , quale eſt Authores
,, conſulere ad favorabilem opinionem inve-
,, niendam ". Animadvertendum unice jubet,
*Id ita præſtandum eſſe. ut authoritas Doctoris
faventis libertati tanti ſit ponderis , quanti de-
bet eſſe authoritas unius Authoris , ut poſſit
reddere opinionem probabilem adverſus commu-
nem aliorum opinionem* ; nimirum ſi Doctor
interrogatus pro opinione favente libertati ,
aut cupiditati conſulentis , afferat vel San-
cheſium , vel Vaſqueſium , vel Azotium, vel
alium ex his Doctoribus , qui apud Probabi-
liſtas tanquam *claſſici* reputantur , tunc opi-
nio conſulenti favorabilis reddetur *probabilis
adverſus* etiam *communem aliorum opinionem.*
At quis ita ſe gerens in inquiſitione Docto-
rum ſibi veritatem , & non potius expletio-
nem ſuæ cupiditatis inveſtigat ?

Consectarium decimumquintum.

XV. Nedum veritati aperte repugnans, ſed
etiam admodum monſtroſa cenſenda eſt do-
ctrina Tamburini , Lacroixii , aliorumque ,
qui ſentiunt integrum eſſe unicuique in opi-
nionum delectu judicium pro ſuo ſolo arbi-
tratu , & commodo mutare , ac ſequi modo
unam , modo alteram , prout ſibi placuerit .
Hanc doctrinam ita proponit Tamburinus
lib. 1. *in Decal.* c. 3. §. 3. ubi quærit , *an
liceat modo unam , modo alteram ſententiam
in eadem materia ſequi* . Quam quæſtionem
priuſquam ſolvat , tribus exemplis declarat ,
inquiens : " Probabile eſt hoc vectigal *injuſtè*
,, eſſe impoſitum : Probabile item eſt , eſſe
,, impoſitum *juſtè* . Poſſum ne ego hodie ;
,, qui ſum Exactor regius vectigalium , exi-
,, gere hujuſmodi vectigal , ſequendo opinio-
,, nem aſſerentem , *illud eſſe impoſitum juſtè*,
,, atque adeo licere mihi ſine injuſtitia illud
,, exigere ; & cras , imo etiam *hodie* , quia
,, ſum mercator , illud occulte defraudare ,
,, ſequendo opinionem aſſerentem *illud a ju-
,, ſtitia deficere* ? . . . . Probabile rurſus eſt,
,, ablationem famæ pecunia compenſari : Poſ-
,, ſum ne ego hodie infamatus velle ab in-
,, famante compenſationem in pecunia : &
,, cras , imo hodie ego infamans alium, nol-
,, le famam proximi a me ablatam compen-
,, ſare pecunia ? Probabile item eſt reo lice-
,, re æquivocare in judicio , cauſa ſemiple-
,, na : probabile non licere . Poſſum ne ego
,, reus æquivocare : cras vero creatus Judex
,, cogere reum , ut non æquivocet ? Hæc, &
,, innumerabilia ejuſdem generis hic in con-
,, troverſiam vocantur " .

Porro quæſtionem ſic expoſitam dirimit n.
5. ſubdens : " Aſſero poſſe fieri ejuſmodi *va-
,, riationem* , *prout libet* , in caſibus relatis
,, &c. tum in ſimilibus , modo unam , aut
,, alteram limitationem præ oculis habeas .
,, Ita De Lugo , aliique . Ratio efficax (eam
,, ſane *efficacem* Probabiliſtarum principia
,, conſtituunt) hujus aſſertionis eſt : quia in
,, noſtra libertate eſt , ſequi quamcumque
,, opinionem *practice probabilem* : ſiquidem
,, eam ſequendo ſemper prudenter humano
,, more , ut ſupra ſæpe dictum eſt , opera-
,, bitur " . Bone Deus ! Qui fieri poteſt , ut
prudenter operetur , qui ita ſe gerendo veri-
tatem certo non curat , quam unice ſpectat ,
& quærit vera prudentia ?

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Quæcunque ſit actionis , circa
quam verſamur , materia , ſive magni ſcili-
cet , ſive exigui momenti , ſive Deum imme-
diate , ſive mediate tantum reſpiciat , ſive
immineat , ſive non immineat ex noſtra ac-
tione proximò malum ſpirituale , vel tem-
porale , divinam ſemper veritatem inquirere
oportet , ut actio eidem conformis ſit ; alio-
quin non honeſte , ſed turpiter , & inhoneſte
operamur . Unde regula proxima , & imme-
diata , ſeu rationis noſtræ judicium, quo pro-
xi-

xime ad agendum dirigimur, eadem formaliter eſt, & quoad ſubſtantiam in omni materia.

Consectarium Decimumſeptimum.

XVII. Quoniam vero ipſe rerum ordo, & natura poſtulat, ut ea, quæ graviora ſunt, magis etiam æſtimemus, idcirco juxta ipſorum majorem, minoremve gravitatem, major, minorve cura ad veritatem inveniendam a divina ipſa voluntate a nobis exigitur. Sic e. g. cum ex irrita Sacramentorum adminiſtratione plura, & illa quidem graviſſima mala contingere ſoleant, ideo ſtudium diligentius eſt adhibendum, ut ea valide conferantur, aut adminiſtrentur. Sic cum ex bello illato graviſſima oriantur incommoda, & damna innumera populorum, maximo ſtudio curare Principes debent, ne illud inferant abſque ſufficienti certitudine juſtitiæ ipſius, gravibuſque rationibus ad illud permoventibus. Atque ita de aliis ſimilibus.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Hæc tamen diligentia etiam in rebus gravioris momenti, neceſſe non eſt, ut extraordinaria ſit, & præter uſitatum a viris prudentibus agendi modum. Quod ut clarius ſiat, illud eſt obſervandum, obligationem vitandi aliquod periculum ſupponere poteſtatem in homine ad hoc præſtandum, ut omnibus perſpectum eſt. Ut autem aliquis præcavere minime teneatur periculum quantumvis magnum, & abſolute quidem poſſibile, ſed raro admodum occurrens, non eſt neceſſaria *impotentia phyſica*, ſed ſufficit *impotentia moralis*, quæ tunc extare cenſetur, quoties ad rarum hoc periculum evitandum neceſſaria forent media difficillima, aſperrima, extraordinaria, atque adeo in hiſce mediis exequendis vita noſtra anxia continenter evaderet, perplexa nimiaque ſollicitudine premeretur. Porro *moralis hæc impotentia* non conſiſtit in aliquo indiviſibili, ſed latitudinem admittit juxta rerum diverſitatem, & circumſtantias. Ut id aliquo exemplo declaremus, nemo neſcit deceptionem contingere poſſe, & aliquando, licet raro admodum, contigiſſe in materia, in qua Euchariſtiæ Sacramentum conficiendum eſt: & tamen ad hoc periculum prudentum judicio nonniſi communis, & ordinaria diligentia adhibetur, nec extraordinaria requiritur. Poſſet quidem Sacerdos uti ſtudio extraordinario, ſeipſo nempe hoſtias conficere, vinum ex uvis ipſe exprimere, ampullas propriis manibus præparare &c. ut omne vitaret deceptionis periculum. Verum quia extraordinaria hæc diligentia nimiam ingereret ſollicitudinem, & animi anxietatem, ac perpetua moleſtia vitam prægravaret; ideo juxta prudentum, piorumque exiſtimationem hoc inducit *moralem impotentiam* ad præcavendum hujuſmodi periculum, quamquam graviſſimum, fruſtrationis Sacramenti, ſacrificii, & idololatriæ: adeoque non eſt neceſſe talem extraordinariam diligentiam adhibere, niſi forte de ipſa qualitate materiæ prudens aliquod dubium occurreret. Quod de hoc, idem dicas de aliis exemplis, quæ poſſent afferri.

Consectarium Decimumnonum.

XIX. Ut igitur quæ de obligatione inquirendæ veritatis in actibus noſtris dicta ſunt, paucis colligamus, illud præ oculis habendum eſt, veræ prudentiæ munus eſſe, ut veritatem inveniat, circumſpicere undique, & mature conſiderare omnes, & ſingulas objecti circumſtantias, ut actioni eliciendæ juxta illas omnes debitum modum, menſuramque præſcribat; ut ſi actionis objectum, ſive materia majoris ponderis, ac momenti ſit, vel quia malum imminens ex oppoſito errore gravius abſolute eſt, vel quia majus affert operanti damnum, vel quia univerſalius eſt, & ad plures ſe extendit, vel ex alio quocunque capite; tunc diligentia quærenda veritatis, neceſſario adhibenda ex ipſius prudentiæ directione ad errorem imminentem præ-

Digitized by Google

præcavendum, major eſſe oportebit, & exactior cum debita ad ipſum rei momentum proportione: unde etiam neceſſum erit, ut dictamen proxime directivum actionis firmius, certiuſque ſit, minorique periculo deceptionis obnoxium?

Consectarium Vigesimum.

XX. Tanquam vana, & fallaciſſima habenda eſt certitudo, ac ſecuritas in agendo, quam pollicentur nuperi Probabilittæ (quos *Reflexiſtas* vocant), non quidem ex inventa veritate, ſed ex principiis ab ipſis excogitatis. Docent ipſi nimirum certum omnino unumquemque eſſe debere, ſe non delinquere, & ita certum, ut ſi grave peccatum, dum quidpiam agit, vel leviter timuerit, graviter eo ipſo delinquat. Sed unde quæſo certitudo tanta in tot, tantiſque errorum periculis, ac ignorantiæ tenebris? Non aliunde profecto, ſi ipſos audimus, quam a ſententia conſcientiæ tuæ ipſius, ac proprii tui judicii dictamine, quo ſcilicet apud te judicas judicio certo, ac determinato te honeſte agere, quidquid ſit de veritate, aut conformitate opinionis tuæ cum æterna Dei lege. Nam tametſi contingat, hanc opinionem vel minus, vel æque, ac aliam probabilem, eſſe reipſa falſam, & contra legem, ſeu voluntatem Dei; ignorantia tamen, inquiunt, veritatis invincibilis eſt, teque eximit ab omni timore haud recte agendi: quidquid enim ſit de violatione legis, quæ veriſimilius ex tua actione conſequitur; actio, ſubdunt, non poteſt non eſſe honeſta, adeoque nihil de illa penitus formidandum, imo nec formidare licite vales, ſi operari de facto velis. Vide, quæſo te, quo proceſſerit Recentiorum benignitas, & plane incredibilis confidentia, dum ſpondent ſecuritatem conſcientiæ iiſmet ipſis; qui ſequentes opiniones minus tutas, minuſque probabiles, reipſa agunt contra conſcientiam!

R E F L E X I O.

Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum, & juſtitias quaſi lumen accendent, verba ſunt Eccleſiaſtici *Cap.* 32. inveniet ſcilicet lucem illam veritatis, atque juſtitiæ, qua de moralibus rebus, & actionibus juſte, & recte judicamus, & ſine qua *ambulamus in tenebris, & umbra mortis*. Utique beniġniſſimus Deus ſapientiæ lumen nobis promittit, ut diſcernere poſſimus, quæ recta ſunt, ſuæque voluntati conformia; ſed ſi pavidi, & humiles corde ſemper fuerimus, ſi ſpem quidem, & omnem fiduciam noſtram in ipſo collocemus, ſed conjunctam cum vera miſeriæ noſtræ, atque ignorantiæ cognitione; adeoque cum ſancto pavore, & humili timore, cum quo ſalutem noſtram nos operari debere monet Apoſtolus Petrus. Si enim hic abſit, jam ſpes, & fiducia vera non eſt, ſed vana præſumptio, & perverſa ſuperbia temeritate, ac ſtultitia plena, quæ non lumen, & auxilium Dei, ſed terribilem potius indignationem, & maledictionem promeretur. Promiſſiones quippe Dei quibus tota ſpes noſtra innititur, factæ ſunt ab ipſo ad humiles duntaxat, & parvulos, ac trementes ſermones ſuos, ut ſacræ litteræ innumeris in locis atteſtantur. Hinc inter alia Jeremiæ C. 17. dicitur: *Benedictus vir, qui confidit in Domino*, & non in ſe ipſo, aut viribus ſuis, *& erit Dominus fiducia ejus*. Quam vero putas eſſe *benedictionem*, qua Deus pavidos, & humiles benedicit? Illam profecto, de qua Pſalmiſta ait: *Benedictionem dabit Legiſlator*. Hæc autem benedictio quid boni conferat, egregie exponit S. Bernardus *Tract. de Grad. Humil. Cap.* 1. inquiens: *Benedictionem dabit Legiſlator: quia, qui legem dedit, dabit & benedictionem: hoc eſt, qui juſſit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis vero eſt hic Legiſlator, niſi dulcis, & rectus Dominus, qui legem dedit delinquentibus in via? In via quippe delinquunt*, qui

Digitized by Google

qui veritatem derelinquunt. Sed numquid, vel ſic a dulci Domino derelinquuntur? Minime. *Ipſis ergo dulcis, & rectus Dominus legem dat viam humilitatis, per quam redeant ad agnitionem veritatis. Dat occaſionem recuperandæ ſalutis, quia dulcis: non tamen abſque diſciplina legis, quia rectus eſt.*

Hoc timore, & ſalutari humilitate moralem veritatem inveniemus, ea præſertim media adhibendo, de quibus ſtatim dicturi ſumus. Procul igitur abeant ii, qui paſſim repetunt ipſam veritatem per ſe non eſſe inventu poſſibilem: & ideo *Probabilitatem* regulam honeſtatis præfigunt, ex æquo, aut potius complectentem errores, dummodo probabiles ſint: cum quo tamen conciliant imperterritam, & omni prorſus timore vacuam conſcientiæ noſtræ ſecuritatem & pacem. Nos autem potius optemus, & amplectamur pacem Domini ajentis: *Veritatem tantum, & pacem diligite: pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Eis vero, qui viam adeo diſſimilem, & contrariam docere nos volunt, reponamus cum eodem Bernardo in Declam. circa finem: *Sine cauſa contendunt: non eis magis, quam Chriſto credimus, nec omnino acquieſcimus mendacem eum facere, qui promiſit:* tu rurum humilis eſto, & procul dubio veritatem invenies: *Nam procul dubio, qui dedit legem, dabit & benedictionem, hoc eſt, qui juſſit humilitatem, perducet ad veritatem.*

CAPUT V.

De via, ac mediis inveniendi moralis veritates, quibus dirigendæ ſunt humanæ actiones.

DOCTRINA.

I. *Pulchra S. Auguſtini ſententia quoad inventionem veritatis.*

II. *Primum medium pro invenienda practica veritate, ſedula conſideratio, & inquiſitio divinæ legis.*

III. *Non pertinet ad ſolos viros Religioſos, ſed etiam ad ſecularem vitam agentes.*

IV. *Medium alterum inveniendæ veritatis paſſionum, & affectuum dominantium compreſſio.*

V. *Voluptas carnalis maxime perturbat judicium de veritate.*

VI. *Tertium inveniendæ veritatis medium eſt cultus virtutum moralium. Elegans de hac re S. Thomæ doctrina.*

VII. *Studium orationis medium apprime neceſſarium ad veritatem inveniendam.*

VIII. *Hoc medium non eſt ſolius conſilii, aut convenientiæ, ſed neceſſitatis, & obligationis.*

IX. *Poſtremum medium pro veritate cognoſcenda, recurſus ad ſapientes, & peritos legum.*

X. *Quinam tanquam veri ſapientes dicendi ſint, a quibus tuto conſilium petere valeamus.*

I. MAGNUS Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus *lib. de quantit. animæ Cap.* 14. hæc habet præſtantiſſima verba de veritate, quam debemus inquirere, ut legi divinæ, divinæque voluntati conformentur actiones noſtræ, ac noxios æternæ ſaluti errores præcaveamus. *Fieri non poteſt*, inquit, *quadam Providentia divina, ut religioſis animis ſeipſos, & Deum ſuum, ideſt* VERITATEM, *pie, caſte, ac diligenter quærentibus, inveniendi facultas deſit.* Hæc ſententia nititur promiſſioni a Deo factæ in locis pluribus Divinæ Scripturæ, quæ jam ſupra deſcripſimus, ac in poſtremis verbis digito veluti oſtendit S. Doctor vias omnes, ac media, quæ neceſſaria ſunt ad veritatem *pie, caſte, ac diligenter* inquirendam, & inveniendam, ne ad culpam nobis imputentur errores, ac deceptiones, in quas ſæpe in agendo prolabimur. Hæc autem media ad quinque præcipua capita revocari facile poſſunt, quæ hic paulo fuſius exponemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Primum medium detegendæ veritatis moralis, ſedula conſideratio divinæ legis.

II. Primum medium a nobis omnino adhibendum, ut actiones noſtras ad veritatis amuſſim dirigamus, eſt diſtincta, quam ſtudio, ac diligentia comparare fas eſt, notitia legis æternæ, a qua omnis in actus noſtros bonitas profluit, tamquam a ſuprema regula cujuſcumque bonitatis. Hanc legem æternam, tameſi in hac vita mortali cognoſcere minime poſſimus, prout in ſeipſa eſt; *Omnis tamen creatura rationalis*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 93. art. 2. *ipſam cognoſcit, ſecundum aliquam ejus irradiationem vel majorem, vel minorem. Omnis enim cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ eſt veritas incommutabilis, ut Auguſtinus dicit* in lib. de vera Relig. *Veritatem autem omnes cognoſcunt ad minus quantum ad principia communia legis naturalis.* Hoc itaque pacto innoteſcit nobis lex æterna, quoad ea quidem, quæ juris naturæ ſunt, per dictamina practica rectæ rationis cordibus noſtris digito Dei impreſſa: quoad ea vero, quæ ad divinum jus poſitivum attinent, per utriuſque Teſtamenti veteris, ac novi documenta litteris conſignata.

Hanc itaque legem ſerio perpendere, & continenter meditari opus eſt, ut juxta illam dirigamus opera noſtra, & ab erroribus morum caveamus: neque enim ſatis eſt cognoſcere principia practica, niſi ea recte applicemus ad ſingulares actus; neque ea recte applicare poſſumus, niſi eadem oculis noſtris continuo obverſentur. Atque hoc eſt, quod præſtiterunt, ac præſtant Sancti quique homines, qui Divinæ voluntati obſequi, ac ſempiternam ſalutem adipiſci ſincero animo ſatagunt. Horum omnium ore loquitur, & omnium ignita vota exprimit S. Propheta David, dum in Pſalmo 118. ait: *In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. .... In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos. ..... Teſtimonia tua meditatio mea, & conſilium meum juſtificationes tuæ. ..... Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. .... Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt:* & alia id genus plura.

III. Sunt quidem non pauci ex iis potiſſimum, qui ſæcularem vitam agunt, qui ab hoc onere, quod cæteroquin diligentibus Deum leve eſt, meditandi, atque ſcrutandi divinam legem ſolutos ſe putant ob negotia, curaſque hujus mundi, quibus implicantur, adeoque meditationem hujuſmodi ablegant ad Religioſorum clauſtra, ad eoſque, qui rebus temporalibus expediti ſolitariam vitam traducunt. Sed numquid excuſatio hæc, quam prætexere ſæpe ſolent, illos a culpa coram majeſtate Divina liberabit? Si David tot curis, ac negotiis florentiſſimi regni diſtentus, tota die nihilominus legem Dei meditabatur, ac ne a viis ejus, atque voluntate deflecteret, tanto ſtudio undique circumſpiciebat; quis ab eadem lege ſedulo conſideranda jure, ac merito ſe poterit excuſare? Hoc effugium, quo ſe plurimi recipiunt, jam præcluſerunt Eccleſiæ Patres, maximeque Joannes Chryſoſtomus, & Baſilius, quorum alibi teſtimonia attigimus. Satis modo ſit judicium afferre graviſſimum Patrum Concilii Aquiſgranenſis anno 816. ſub Ludovico Pio Galliarum Rege, & Imperatore celebrati, qui primum ſub oculos ponunt præcepta Dei in Sacris Evangeliis, & Epiſtolis D. Pauli declarata, & confirmata, eorumque deinde accuratam conſiderationem communem faciunt, ac neceſſariam nedum Religioſis, ac ſolitariam vitam agentibus, ſed etiam cæteris omnibus, qui Chriſtianam legem amplexi ſunt, & Chriſtianorum nomine gloriantur; ac tandem concludunt: Hæc ſunt in Sacris Litteris prophetica, evangelica, & apoſtolica

Digitized by Google

ca documenta, quibus *infatigabiliter, atque inexcuſabiliter devotio famulari debet Chriſtiana*. Hæc ſunt, quæ ſi ſerio, ac attente ſcrutabimur, practicas veritates in iis, quæ agenda ſunt, perſpectas habebimus, & errores ſaluti admodum perniciofos vitabimus.

Hinc ſapienter obſervat S. Thomas 2. 2. *q.* 18. *art.* 2. in ipſamet lege veteri tradita a Deo fuiſſe præcepta, quæ pertinent ad ſcientiam, & intellectum, ſive cognitionem moralium veritatum, verbis illius, quæ leguntur Deuteronomii C. 6. ibi enim, inquit, tria poſita ſunt: *Primo quidem acceptio ſcientiæ, vel intellectus per doctrinam, & diſciplinam, cum dicitur*: Erunt verba mea, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo: *deinde uſus ſcientiæ, vel intellectus eſt meditatio eorum, quæ quis ſcit, vel intelligit. Et quantum ad hoc ſubditur*: Et meditaberis ſedens in domo tua &c. Tertio: *conſervatio autem fit per memoriam; & quantum ad hoc ſubditur*: Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos &c. *Per quæ omnia jugem memoriam mandatorum Dei ſignificat: ea enim, quæ continuo ſenſibus noſtris occurrunt &c. e memoria noſtra excidere non poſſunt. Unde & Deuteronomii IV. manifeſtius dicitur*: Ne obliviſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. *Et hæc*, ſubdit S. Præceptor, *abundantius in novo Teſtamento tam in doctrina Evangelica, quam Apoſtolica*, *mandata leguntur; mandata*, inquam, non mera conſilia a ſolis Monachis obſervanda.

§. II.

Medium alterum inveniendæ veritatis practicæ compreſſio paſſionum, atrumque prædominantium affectuum.

IV. Medium hocce neceſſarium valde eſt, ne judicia noſtra facile corrumpantur, ac perventantur in ſingularibus agibilibus, quorum directio in finem humanæ rationi convenientem maxime ad prudentiam pertinet, cujus proprium officium eſt prima, & univerſalia legis dictata recte applicare ad particulares actiones, ut jam dictum eſt. Amores namque, qui verſari poſſunt, ac ſolent in corde hominum, bonorum delectabilium, propriæ utilitatis, ac æſtimationis, vel ſui ipſius, vel ſuæ familiæ, aliæque occultæ affectiones, ſæpe ſine ſtrepitu in animo vigentes, id efficiunt frequentius, ut tenebras mentibus noſtris offundant, a veritate judicium abducant, nobiſque tanquam bona, & convenientia proponant, quæ vere prava ſunt, & æternæ legi Dei diſſentanea. Vulgata eſt, jamque in axioma abiit ea Philoſophi ſententia: *Qualis unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei*: cui conſonat altera: *Unuſquiſque judicat, prout animo affectus eſt*.

Hujuſce veritatis nobilis, & præclara in primis expoſitio eſt, quam habet S. Thomas 1. 2. *q.* 9. *art.* 2. ubi ait: ,, Id, quod ,, apprehenditur ſub ratione boni, & con- ,, venientis, movet voluntatem per modum ,, objecti. Quod autem aliquid videatur ,, bonum, & conveniens, ex duobus con- ,, tingit, ſcilicet ex conditione ejus, quod ,, proponitur, & ejus, cui proponitur. Con- ,, veniens enim ſecundum relationem dici- ,, tur: unde ex utroque extremorum depen- ,, det: & inde eſt, quod guſtus diverſimode ,, diſpoſitus non eodem modo accipit aliquid ,, ut conveniens. Unde Philoſ. dicit. in 3. ,, Ethicor. *Qualis unuſquiſque eſt, talis finis* ,, *videtur ei*. Manifeſtum eſt autem, quod ,, ſecundum paſſionem appetitus ſenſitivi mu- ,, tatur homo ad aliquam diſpoſitionem. ,, Unde ſecundum quod homo eſt in paſſio- ,, ne aliqua, videtur ſibi aliquid conveniens, ,, quod non videtur ei extra paſſionem exi- ,, ſtenti: Sicut irato videtur bonum, quod ,, non videtur quieto".

Atque hinc evidens fit neceſſitas comprimendi affectiones noſtras inordinatas, ut veritа-

ritatem, & conformitatem cum lege Dei in actionibus noſtris inveniamus, & culpabiles errores devitemus. Qui enim fieri poteſt, ut practicas veritates deprehendant ii, qui cor geſtant cupiditatibus plenum, turbidiſque aguntur paſſionum motibus? Num vires præceptorum Evangelii recte intelligent, ac ſequentur, qui ſeipſos impotenter amant, qui naturæ imbecilli, atque corruptæ plus nimio indulgere ſatagunt, qui proprias commoditates unice quærunt, qui carnem, & ſanguinem tantummodo ſapiunt, qui popularem famam pro ſe, ſuiſque aucupari impenſe ſtudent, qui pecunias depereunt, & avaritiæ ſerviunt? Nonne oportet, ut omnes ii, atque alii cæteri, qui pravis affectibus etiam occultioribus ſe illudi ſinunt, a veritatis, legiſque divinæ ſemitis longe recedant, & in frequentes deceptiones præcipites ruant?

V. At quamquam nulla ſit inordinata affectio animi, quæ judicia noſtra non perturbet, & veritatis, quam ſequi tenemur, aſſecutionem non impediat; nulla tamen eſt, quæ ab ea inquirenda, & invenienda mentem potentius avocet, quam voluptas carnalis. Hoc declarat, probatque Doctor Angelicus 2. 2. tum *q.* 15. *art.* 3. tum 53. *art.* 6. „ Primo loco hæc habet: Vitia carnalia, „ ſcilicet gulæ, & luxuriæ conſiſtunt, circa „ delectationes tactus, ciborum ſcilicet, „ & venereorum, quæ ſunt vehementiſſimæ „ inter omnes corporales delectationes. Et „ ideo per hæc vitia intentio hominis ma„ xime applicatur ad corporalia, & per „ conſequens debilitatur operatio hominis cir„ ca intelligibilia: magis autem per luxu„ riam, quam per gulam, quanto delecta„ tiones venereorum ſunt vehementiores, „ quam ciborum. Et ideo ex luxuria oritur „ cæcitas mentis, quæ quaſi totaliter ſpiri„ tualium bonorum cognitionem excludit: ex „ gula autem hebetudo ſenſus, quæ reddit „ hominem debilem circa hujuſmodi intelli„ gibilia “.

Luculentius loco altero de eodem argumento diſſerit. Nam prius quinque articulis oſtendit, quænam ſint vitia, quæ opponuntur *Prudentiæ*, quam ſæpe diximus veritatem practicam quærere, atque eligere in humanis actionibus, eaque vitia recenſens, docet primum eſſe *imprudentiam*, quam ſpeciale peccatum eſſe definit; deinde *præcipitationem* in conſiliis, & judiciis noſtris, quam eſſe peccatum ſtatuit ſub imprudentia contentum; tertio loco *inconſiderationem* enumerat, & quarto *inconſtantiam*, quæ iisdem vitia eſſe ſub eadem imprudentia comprehenſa decernit. Quibus conſtitutis *art.* 6. demum inquirit: *Utrum prædicta vitia oriantur ex luxuria?* Cui quæſtioni affirmative reſpondet, non quod cenſeat ipſe non oriri etiam ex pravis aliis animi affectionibus, ſed quod ex luxuriæ vitio præ cæteris maxime oriantur. Quod probat tum auctoritate S. Gregorii Magni in *lib.* 31. *Moral.* diſerte aſſerentis, tum hac ratione ex morali philoſophia deprompta: „ Sicut, inquit, Philoſophus dicit, in lib. 6. „ Ethic. *Delectatio maxime corrumpit æſti„ mationem prudentiæ*, & præcipue delecta„ tio, quæ eſt in venereis, quæ totam ani„ mam abſorbet, & trahit ad ſenſibilem „ delectationem. Perfectio autem pruden„ tiæ, & cujuslibet intellectualis virtutis „ conſiſtit in abſtractione a ſenſibilibus. „ Unde cum prædicta vitia pertineant ad de„ fectum prudentiæ, & rationis practicæ, ſi„ cut habitum eſt; ſequitur, quod ex luxu„ ria maxime oriantur “. Hinc in *Reſp. ad* 1. quamquam lubens concedat, *invidiam, & iram*, & ſimiliter turbidas alias perturbationes animi, *cauſare inconſtantiam, pertrahendo rationem ad aliud*; ſubdit tamen: *Sed luxuria cauſat inconſtantiam totaliter extinguendo judicium rationis. Unde Philoſ. dicit in 7. Ethic. quod incontinens ira audit quidem rationem, ſed non perfecte: incontinens autem concupiſcentia totaliter eam non audit*..

§. *III.*

§. III.

Tertium inveniendæ practicæ veritatis medium, cultus virtutum moralium.

VI. Affine prorſus præcedenti eſt tertium hoc, quod proponimus, medium pro inveniendæ in noſtris actibus practica veritate, ſive conformitate cum lege divina. Virtutes quippe morales cor noſtrum ab bonum ordinant, motus effrænis concupiſcentiæ comprimunt, cæteraſque cupiditates in officio continent, ne in noxios errores nos pertrahant. Hinc D. Thomas 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. ait: „ Cum Prudentia ſit recta ratio agibilium, procedit ipſa, ſicut ex principiis, ex finibus agibilium, ad quos aliquis recte ſe habet per virtutes morales. Unde ſicut ſcientia ſpeculativa non poteſt haberi ſine intellectu principiorum, ita nec prudentia ſine virtutibus moralibus ".

Sed nihil difertius in hac rem proferri valet, quam quæ docet idem S. Doctor *ead. part. q.* 58. *art.* 5. ubi tradit, virtutes quidem intellectuales, veluti fidem, eſſe poſſe ſine morali virtute; ſed prudentiam, quæ practicas virtutes ſpectat actionum noſtratum, abſque virtute morali nullatenus poſſe conſiſtere: idque hae eleganti non minus, quam ſolida ratione confirmat, inquiens: „ Prudentia eſt *recta ratio agibilium*: non autem ſolum *in univerſali*, ſed etiam *in particulari*. Recta autem ratio præexigit principia, ex quibus ratio procedit. Oportet autem, rationem circa particularia procedere non ſolum ex principiis univerſalibus, ſed etiam ex principiis particularibus. Circa principia quidem univerſalia agibilium homo recte ſe habet per naturalem intellectum principiorum, per quem homo cognoſcit, quod nullum malum eſt agendum, vel etiam per aliquam ſcientiam practicam. Sed hoc non ſufficit ad ratiocinandum circa particularia ..... Et ideo ſicut homo diſponitur ad bene ſe habendum circa univerſalia principia per intellectum naturalem, vel per habitum ſcientiæ; ita ad hoc, quod recte ſe habeat circa principia particularia agibilium, quæ ſunt fines, oportet, quod perficiatur per aliquos habitus, ſecundum quos fiat quodammodo homini connaturale recte judicare de fine. Et hoc fit per virtutem moralem: virtuoſus enim recte judicat de fine virtutis ..... Et ideo ad rectam rationem agibilium, quæ eſt prudentia, requiritur, quod homo habeat virtutem moralem ". Hæc ille luculentiſſime.

Hinc experientia compertum eſt, eos, qui per virtutes bene animo comparati ſunt, rariſſime falli in judicio de rectitudine ſuorum actuum: quin immo regulis præditos eſſe certiſſimis, quibus bonum a malo diſcernant, caveantque, *ne opinio veriſimilis fallat*, *ne decipiat ſermo verſutus*, *ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant*, *ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur*, ut inquit S. Auguſtinus: Contra vero, qui virtutibus deſtituti ſunt, in errores etiam turpiſſimos frequenter præcipites agi, quin lumen veritatis vel ante oculos ſuos effulgentis aſpiciant.

§. IV.

Quartum medium inveniendæ veritatis orationis ſtudium.

VII. Sunt nonnulli, qui Theologos Chriſtianæ Moralis ſtudioſos, vereque ſapientes, pene dixerim, irrident, aut ſaltem veluti pro *Rigoriſtis* habent, atque contemnunt, dum ab ipſis audiunt neceſſarium eſſe *ſtudium orationis* ad inveniendam veritatem, ne in errores cum ſalutis noſtræ diſcrimine incidamus, ſolam humanam induſtriam, ac dili-

Digitized by Google

diligentiam ad eos præcavendos ſatis eſſe putantes: atque medium hoc, quod illi proponunt ut neceſſarium veritati, ac ſaluti conſequendæ, vel ſupererogationis ipſi arbitrantur, vel ad extraordinaria amandant, cujus adeo adhibendi nulla ſit obligatio. Hi plane, meo quidem judicio, non confutatione, ſed commiſeratione digni ſunt, quos in tanta ignoratione verſari cernimus, ut ne quidem noverint, quid ipſis neceſſe ſit ad ſalutem, in hoc præſertim ſtatu naturæ lapſæ, ſpiſſiſque errorum tenebris circumſeptæ. Profecto quis non videt, orationis ſtudium non conſilii, non ſupererogationis opus eſſe, non extraordinarium medium, & humanum agendi modum excedens, ſed plane ordinarium, & a Providentia divina conſtitutum hominibus pro cavendis periculis, & erroribus in rebus moralibus [quod proinde tenemur exequi] dum Scripturas, & Patres legit, dum propriam imbecillitatem attente conſiderat, quæ *ſine Dei lumine*, ut pie ait S. Thomas, ad lumen veritatis pertingere nequit?

Atque equidem clementiſſimus Deus in Scripturis ſuis, ut jam diximus, promittit nobis veram ſapientiam, verum intellectum, veram lucem, qua voluntatem ſuam, & legem accurate implendam cognoſcere poſſimus: ſed ſi diligenter illam quæramus, ſi oremus, ſi pulſemus, ſi humiles ſimus, ſi recto corde ad ipſum accedamus; hanc enim promiſſioni ſuæ conditionem appoſuit, ut liquet in Sancto Evangelio, & confirmat Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſt. c. 1. dicens: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Hinc illa continua ſuſpiria, precesque Sanctiſſimi Regis David: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: .... Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. .... Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. .... Viam juſtificationum tuarum inſtrue me. ..... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, & alia ſexcenta. Hinc illa Salomonis ad Deum obſecratio: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii, & legum.* Hinc etiam piiſſimi Joſaphat Regis Juda populum alloquentis *lib. 2. Paralip. c. 20.* humilis proteſtatio: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hæc ſane non medium quoddam extraordinarium *orationem* denotant, aut ex mero conſilio duntaxat adhibendum pro aſſequenda in noſtris actibus veritate.

VIII. At ne quis adhuc pertendere pergat, hæc aliaque Virorum Sanctorum exempla imitari quidem congruum eſſe, non autem neceſſarium ad ſalutem, audiat quæſo, quod in duobus Conciliis ab univerſa jam Eccleſia approbatis definitum fuerit adverſum Pelagianos. Concilium Milevitanum C. 4. hæc inter alia ſtatuit: *Utrumque donum Dei eſt & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ut ædificante caritate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt:* Qui docet hominem ſcientiam; *ita etiam ſcriptum eſt*: Caritas ex Deo eſt. Et totum hoc dogma negantes anathemate percellit. Paria habet Concilium Arauſicanum II. *Can.* 22. his verbis: *De his, quæ hominum propria ſunt, nemo habet de ſuo niſi mendacium. Si quis autem habet homo veritatem, atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire.* Ex quibus colligere pronum eſt, utrumque donum Dei eſſe *& cognoſcere veritatem*, ſive conformitatem actuum noſtrorum cum lege Dei, & *diligere*, atque *perficere* id, quod cognoſcimus, ut ad æternam ſalutem perveniamus. Quod ſi utrumque Dei donum eſt, illud certe, ex ordine præſtituto a Divina Providentia, non obtinebimus, niſi mediante oratione juxta illud: *Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.*

Atque hæc eſt Theologia, quam Deus ipſe nos

Digitized by Google

nos docuit tum laudatis modo verbis, tum aliis plurimis, pro erroribus practicis in noſtris actionibus evitandis; Theologia, inquam, licet admodum cognitu neceſſaria ſit, vix, ac ne vix quidem advertunt, ac tradunt vulgares Caſuiſtæ; neque enim de hoc ſaluberrimo orationis medio ad hunc finem moralis veritatis inveniendæ mentionem reperire eſt in eorum libris: ſatis quippe habent, ad culpam omnem ignorantiæ, ac deceptionis declinandam, diligentiam ſolis viribus noſtris adhibitam, quam etiam multum extenuant. Hic eſt ſpiritus Catholicæ Eccleſiæ, qui evidentem ſe prodit in precibus continuis, atque ferventibus, quibus in Sacra Liturgia divinum implorat lumen, & auxilium, noſque omnes implorare docet pro dirigendis actionibus noſtris in viam juſtitiæ, ac veritatis, quarum ſpecimen aliquod exhibere non abs re futurum arbitror. En quædam inter alias: „ *Vota*, quæſumus, „ Domine, ſupplicantis populi cæleſti pie- „ tate proſequere, ut *quæ agenda ſunt*, *vide-* „ *ant*, & ad implenda, quæ viderint, con- „ valeſcant. .... Mentes noſtras *lumine tuæ* „ *claritatis* illuſtra, ut *videre poſſimus, quæ* „ *agenda ſunt*, & quæ recta ſunt, agere va- „ leamus. ..... Deus, a quo bona cuncta „ procedunt, largire ſupplicibus tuis, *ut co-* „ *gitemus*, *te inſpirante*, *quæ recta ſunt*, & „ te gubernante, eadem faciamus. .... Deus „ a quo ſancta deſideria, *& recta conſilia*, „ *& juſta ſunt opera*, da ſervis tuis &c. .... „ *Largire nobis*, *quæſumus*, *Domine ſemper* „ *ſpiritum cogitandi*, *quæ recta ſunt*, propi- „ tius & agendi, ut qui ſine te eſſe non „ poſſumus, ſecundum te vivere valeamus „; aliæque id genus plurimæ, quæ paſſim occurrunt. Ex quibus, & ex aliis hanc animadverſionem intulit S. Joannes Chryſoſt. *lib. 1. de orand. Deo*, quæ magnopere orationis neceſſitatem adſtruit ad errores practicos devitandos: *Cum video*, inquit, *quempiam non amantem orationis ſtudium*, *neque hujus rei ſervida*, *diligentique cura teneri*, *continuo mihi palam eſt*, *eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere &c.*

§. V.

Medium quintum, *ac poſtremum inveniendæ veritatis*, *recurſus ad ſapientes*, *& peritos*.

IX. Quanquam Deus primus, ac principalis Magiſter omnium ſit, qui veritatem nos edocet, ad quem proinde confugere in dubiis noſtris præ cæteris oporteat; quia tamen nos immediate non vult ſemper illuminare per ſemetipſum, ſicut Paulum, quem ad ſe converterat, inſtruendum miſit ad Ananiam: ita ſapientum hominum miniſterio, ſicut de fidei, ita & de legis ſuæ veritate frequentius illuminat. Quapropter inter partes, ſive affectiones prudentiæ etiam *docilitatem* accenſet S. Thomas, qua prudentum judicium exploramus, ab iiſque conſilium petimus, quid in dubiis præſertim caſibus agendum nobis ſit. Ut enim ait 2. 2. *q. 49. art. 3.* „ Prudentia conſiſtit circa par- „ ticularia operabilia, in quibus, cum ſint „ quaſi infinitæ diverſitates, non poſſunt „ ab uno homine ſufficienter omnia conſide- „ rari: nec per modicum tempus, ſed per „ temporis diuturnitatem. Unde in his, „ quæ ad prudentiam pertinent, maxime „ indiget homo ab alio erudiri, & præcipue „ ex ſenibus, qui ſanum intellectum adep- „ ti ſunt circa fines operabilium. Unde „ Philoſ. dicit in 6. Ethic. *Oportet attendere* „ *expertorum*, *& ſeniorum*, *& prudentium in-* „ *dem onſtrabilibus enuntiationibus*, *& opinionibus*, „ *non minus*, *quam demonſtrationibus. Propter ex-* „ *perientiam enim vident principia*. Hoc autem „ pertinet ad docilitatem, ut aliquis ſit be- „ ne diſciplinæ ſuſceptivus. Et ideo con- „ venienter docilitas ponitur pars pruden- „ tiæ „.

X. At enim vero quinam vere *Sapientes* dicendi

Digitized by Google

dicendi ſunt, a quibus in dubiis noſtris, aut ignorantiis circa bonum, & malum, lumen exquirere poſſumus, ac debemus? Ego ſane a cenſu Sapientum rejiciendos puto, qui paſſim, ac mutuo diſſident, ſecumque pugnant in rebus etiam non levis momenti, ſoliſque opinionibus inter ſe oppoſitis totam Moralem definiunt. Quis enim Sapientes dixerit illos, qui, quod proprium ſapientiæ eſt, nempe veritas, ſe ignorare ſatis oſtendunt, dum non certis doctrinis, ſed incertis, & problematicis de actionibus hominum ut plurimum deliberant? Lege Dianam, lege Eſcobarium, lege Tamburinum, lege Lacroixium, ſimileſque alios. Quid in iis offendes, niſi perpetem Authorum invicem digladiantium ſeriem, ex quibus quid reapſe lex divina præcipiat, aut vetet, non elicias, ſed meram probabilium, ut vocant, contrariarum opinionum conflictationem, quæ certe minime nos dirigere queunt in viam veritatis, & ſalutis? Hi propterea haud habendi ſunt tanquam *Sapientes*, nec ab iis, plerumque ſaltem, quærenda eſt veritas divinæ legis, licet *Doctores claſſici*, *& omni exceptione majores* nominari ſoleant. Quinam igitur *Sapientes* jure dicendi erunt, adeoque conſulendi, eorumque judicio acquieſcendum, ut dubia, quæ occurrunt, in rebus moralibus tuto reſolvantur? Nemo mihi culpæ verterit ſi dixero eos eſſe, qui magiſtrum veritatis Chriſtum Dominum in Evangeliis, ac præcipue in ſermone habito *in monte* apud Matthæum docentem auſcultant: qui Pauli, aliorumque Apoſtolorum epiſtolas legunt, alique ipſorum doctrinas menti infigunt: qui libros Sanctorum Patrum, ſacroſque Canones præ manibus habent: qui viros in Eccleſia ſanctitate præfulgentes ſibi ad imitandum proponunt: qui viam ſalutis æternæ, quæ Chriſti teſtimonio *arcta eſt*, *& anguſta*, *& quam pauci inveniunt*, & ipſi calcant, & ab aliis calcandam monent: qui demum non quid probabile, ſed quid verum ſit, divinæque voluntati conforme, unice inquirunt, ac cæteris inquirendum denunciant. Hos ego vere ſapientes exiſtimo, quos conſulere, & a quibus legis doctrinam addiſcere debeant rudiores, minuſque eruditi in rebus moralibus, caſibuſque conſcientiæ obſcuris, & ambiguis. Alios vero parum curandos arbitror, quamvis *Sapientes*, ac *Doctores* vulgo appellentur, qui via oppoſita incedunt, & *a veritate auditum avertunt*, ad meras autem probabilitates, & fabulas convertuntur: qui moribus hominum morales doctrinas accommodant: qui opiniones ſibimetipſi falſas tuto ſequendas proponunt, dummodo probabilitatis fuco illitas: qui humanis cupiditatibus, & affectibus adblandiuntur: qui viam cæli dilatant: qui, ut verbis Prophetæ utar, *placentia* hominibus *loquuntur*, *videntque errores*, ac diſſimulant, ne, ut ipſi putant, conſcientias nimium aggravent: qui demum ex eorum numero ſunt, quos deſcribit, ac redarguit Magnum Eccleſiæ Florentinæ, & Chriſtianæ Decus S. Antoninus *in Summa* p. 2. tit. 4. c. 5. inquiens: *Vadunt in adinventionibus ſuis animarum Rectores*, *adinveniendo novas vias ultra conſuetas ad regendum populum*, *ſive ut extorqueant a ſubditis ſubſtantias*, *quod pertinet ad cupiditatem*, *ſive ut laudentur ab hominibus de morum regimine*, *tanquam ſapientiores antiquis*, *recedendo ſine cauſa a ſemitis eorum*, *contra illud Proverb.* Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. *Vadunt Doctores in adinventionibus ſuis*, *qui non ſequuntur dicta Sanctorum*, *ſed opiniones novas*, *ſubtiles*, *& curioſas*, *non utiles*, *ad pruriendum auribus*: *Et*, *ſi Juriſtæ ſunt non aſpiciunt ad intentionem legis*, *& æquitatem*, *ſed ad deſtruendum antiquorum ſententias*. Ab his *falſis Prophetis* juxta præceptum Domini cavere debemus. Unde S. Thomas loc. cit. art. 7. & 8. *docilitati* duas alias adjungit prudentiæ partes *circumſpectionem* ſcilicet, & *cautionem*, quibus inter alia prudens homo & conſiderat, a quibus conſilium accipit, & cavet ab iis, per

Digitized by Google

per quæ in malum induci poteſt ſub ſpecie boni.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *In iis, quæ quiſque agit, tenetur advertere, num opus divinæ legi conforme ſit.*

II. *In quo vitium præcipitationis in agendo conſiſtat.*

III. *Quodnam inter præcipitationem, & temeritatem in agendo diſcrimen verſetur.*

IV. *Niſi homo paſſiones comprimat, & in officio contineat, reus eſt errorum, ac deceptionum, quas incurrit in agendo.*

V. *Eo circumſpectius ſe gerere in judicando quiſque debet, quo vehementior fuerit paſſionis motus.*

VI. *Sicut non ſine auxilio divino aſſentiri poſſumus fidei veritatibus; ita nec ſine eodem morum veritates cognoſcere.*

VII. *Ex hoc neceſſitas oritur orationis, qua lucem ad veritates morales cognoſcendas impetremus.*

VIII. *Oratione præſertim indigent Magiſtri, ac Doctores, qui doctrinas morales aliis tradunt.*

IX. *Si Doctor veritatem certo non agnoſcat, eam ſaltem ſententiam docere tenetur, quæ probabilior viſa fuerit. Laxæ quorumdam Auctorum opiniones rejectæ.*

X. *A quibus cavere debeat, qui Doctores conſulit pro divinæ legis agnoſcenda veritate.*

XI. *Spes inventæ veritatis, adhibitis etiam mediis ad eam inveniendam, ſemper cum ſalutari timore conjuncta ſit, oportet.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. TENENTUR omnes ſub præcepto in iis, quæ agunt, ſedulo advertere, & conſiderare, num opus, quod peragunt, divinæ legi conforme ſit, nec ne: neque enim ſine conſideratione recte de rebus judicare poſſumus: rectum autem judicium maxime neceſſarium eſt, ut ea, quæ agimus, conformia ſint divinæ legi, ſeu veritati. Hinc Proverb. 4. dicitur: *Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*: & Pſalmiſta Regius de æterna ſalute ſua metuens ajebat: *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periiſſem in humilitate mea.*

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Præcipitatio in agendis vitium, & peccatum eſt ſub imprudentia contentum. Vitium hocce in quo conſiſtat, ejuſque pravitatem pulcherrime declarat, & probat S. Thomas 2. 2. *q.* 53. *art.* 2, inquiens: „ Præ-
„ cipitatio in actibus animæ metaphorice
„ dicitur, ſecundum ſimilitudinem a corpo-
„ rali motu acceptam. Dicitur autem præci-
„ pitari ſecundum corporalem motum, quod
„ a ſuperiori in ima pervenit, ſecundum im-
„ petum quemdam proprii motus, vel alicu-
„ jus impellentis, non ordinate deſcenden-
„ do per gradus. *Summum* autem animæ eſt
„ ipſa *ratio*: *imum* autem eſt *operatio* per
„ corpus exercita: *gradus* autem medii, per
„ quos oportet ordinate deſcendere, ſunt *me-*
„ *moria* præteritorum, *intelligentia* præſen-
„ tium, *ſolertia* in conſiderandis futuris, *ra-*
„ *tiocinatio* conferens unum alteri, *docilitas*,
„ per quam aliquis acquieſcit ſententiis majo-
„ rum: per quos quidem gradus aliquis or-
„ dinate deſcendit recte conſiliando. Si quis
„ autem feratur ad agendum per impetum
„ voluntatis, vel paſſionis, pertranſitis hu-
„ juſmodi gradibus, erit *præcipitatio*. Cum
„ ergo inordinatio conſilii ad imprudentiam
„ pertineat, manifeſtum eſt, quod *vitium*
„ *præcipitationis ſub imprudentia continetur*".

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Exinde vero fluit diſcrimen inter *præcipitationem*, & *temeritatem*, quæ pariter vitium eſt prudentiæ oppoſitum, & impedit in

Digitized by Google

in noſtris actibus veritatis conſecutionem . Hoc non minus pulchre idem S. Præceptor declarat *in reſp. ad 2.* ejuſdem articuli animadvertens , *illa dici fieri* temere , *quæ ratione non reguntur : quod quidem* , ait , *poteſt contingere dupliciter : uno modo ex impetu voluntatis , vel paſſionis : alio modo ex contemptu regulæ dirigentis: & hoc proprie importat* temeritas . *Unde videtur ex ea radice ſuperbiæ provenire , quæ refugit ſubeſſe regulæ alienæ* . Præcipitatio *autem ſe habet ad utrumque. Unde* temeritas *ſub præcipitatione continetur : quamvis præcipitatio magis reſpiciat primum* . Ex hoc vero , quod ob temeritatem refugiat homo in agendo ſubeſſe regulæ ſive divinæ , ſive humanæ , clarum eſt ipſam quoque vitium eſſe , atque peccatum , & adverſari veritati , quam ſequi tenemur in noſtris actionibus .

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quum paſſiones , aut inordinatæ quæcunque affectiones , ſive circa ſpiritualia ſive circa materialia objecta verſentur , judicium rationis perverrant , mentemque obnubilent , ne veritatem videat , & contempletur , deque rebus moralibus recte dijudicet; ideo neceſſe eſt , ut homo eaſdem comprimat, & in officio contineat , teus alioquin futurus errorum omnium , ac deceptionum , in quas incurrit , & devitare vix , ac ne vix quidem poteſt : *Manifeſtum eſt* enim , docet S. Thomas p. 2. q. 77. art. 1. *quod paſſionem appetitus ſenſitivi ſequitur imaginationis apprehenſio , & judicium æſtimativæ , ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur judicium guſtus . Unde videmus , quod homines in aliqua paſſione exiſtentes non facile imaginationem avertunt ab iis circa quæ afficiuntur* : adeoque corrumpatur, oportet judicium rationis de rebus , & veritatem moralem non attingat . Hinc illud ab initio uſque mundi præceptum cuicunque homini impoſitum eſt : *Sub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illius* .

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Specialiter tamen attendere opus eſt, ne in judicando a veritate aberremus , dum in corde noſtro obſtrepentem perſentimus internæ alicujus paſſionis motum , ratione cujus voluntas noſtra valde afficitur ad aliquod objectum , ad ipſumque amplectendum vehementer attrahitur . Tunc enim maturius , ac majori cum circumſpectione procedendum eſt , nec facile fidendum judicio noſtro , licet admodum probabile , quin immo probabilius, & etiam certum , & evidens nobis appareat. Unde ſapienter admonet S. Bernardus lib. de Grad. Hum. *Amor* , ſicut *& odium* , *veritatis judicium neſcit* : adeoque ab eorum præjudiciis cavere nobis diligenter debemus ; eoque major circumſpectio , & accuratior diligentia adhibenda eſt , ad objecti , in quod propendemus , naturam , & qualitatem cognoſcendam , quo vehementior fuerit paſſionis motus , intenſiorve erga illud propenſio . Imo ſatius tunc erit , ſi operans ſatis velit, ſibi conſulere , vel ſequi omnino partem tutiorem ; vel , ſi res moram patitur , definitam actionis determinationem ſuſpendere , donec paſſionis æſtus deferveat, & conquieſcat, plenoque lumine , & imperio ſuo ratio potiatur . Quapropter S. Auguſtinus præcipuum hoc de veritate , maxime morali , invenienda , vel non invenienda negotium , in cordis vel munditiem , vel immunditiem perpetuo refert . Nam , ut ait in Pſalmum 30. Conc. 1. *Veritas ubique præſens eſt , ſi cordis oculus ad eam pateat* .

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Quoniam , ut ait Conventus Eccleſiæ Gallicanæ habitus anno 1700. *Eccleſia Catholica ſemper intellexit , Religionem Chriſtianam fide , & moribus conſtare ; dogmatum autem tum fidei , tum morum eumdem eſſe fontem ac bene vivendi regulam ad ipſum fidei caput pertinere* ; colligere neceſſe eſt , ſicut fine an-

Digitized by Google

auxilio Dei nos cognoſcere minime poſſumus, aut aſſentiri fidei dogmatibus, ita non ſine eodem auxilio divino morum regulas, & veritates practicas nobis fas eſſe certo cognoſcere: eadem quippe militat ratio, ſi præſertim de moralibus veritatibus ſermo ſit, quæ proſtant in Evangeliis, aliiſque ſacris libris, quibus Deus locutus nobis eſt, & conſilia voluntatis ſuæ manifeſta fecit.

Consectarium Septimum.

VII. Hinc autem neceſſitas conſurgit orationis, qua impetremus a Deo rectam moralium veritatum cognitionem, quam ille ex ordinaria ſuæ providentiæ lege nonniſi orantibus impartitur. Quæ fuſius ſupra dicta ſunt, affatim hanc neceſſitatem confirmant: adeoque obligationi ſuæ deſunt & Chriſtiani, medium hocce prætermittentes in rebus præſertim implexis, ac difficilibus, in quibus diverſæ hinc, atque inde circumferuntur opiniones: & illi Theologi, qui de hoc argumento inveniendæ veritatis, ac depellendæ ignorantiæ differentes, nullam de hoc ſaluberrimo, & neceſſario medio mentionem faciunt, quaſi tota res iſthæc ad ſolum humanum ſtudium, ac induſtriam pertineret; in quos proinde illud merito regerere poſſumus Chriſti Domini apud Matth. C. 22. *Erratis neſcientes ſcripturas*, quæ tam impenſe, tam efficaciter ſtudium nobis orationis commendat, *neque virtutem Dei*, ſive auxilium, ac lumen cognoſcendi, quæ recta ſunt, quod ex hoc fonte in nos derivatur.

Consctarium octavum.

VIII. Sed in hoc magis culpandi ſunt Doctores illi, qui vel in libris, vel in cathedris morales doctrinas tradentes, nullam curam gerunt, ut ſe orationis præſidio muniant pro adipiſcenda, ac docenda legis veritate; ſuoque unice ingenio freti difficiliores quæſtiones morales reſolvunt, ſæpius *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, ut de quibuſdam temporis ſui *legis Doctoribus* ſcribit Apoſtolus 1. *ad Timoth.* C. 1. Humana quidem diligentia in veris morum doctrinis dignoſcendis prætereunda ab ipſis non eſt, quemadmodum neque alia, quæ adnotavimus, media: Sed Dei lucem implorare maxime debent, ut ſolam veritatem attingant, ac diſcipulis, & auditoribus eamdem tradant, & ad imitationem ſibi præfigere egregium S. Thomæ exemplum, qui, licet eſſet excellenti, ac pene divino ingenio præditus, nunquam ad ſcribendum, aut docendum ſemet applicabat, niſi poſt orationem, plane metuens, ne ſalutari medio hoc prætermiſſo in errorem incideret, *non ſine periculo animæ ſuæ, & aliorum laqueo*, prout Initio *opuſculi* 73. legimus.

Consectarium nonum.

IX. Ex his porro deducere opportet, teneri Theologos, & Magiſtros docere in rebus præſertim moralibus veritatem, dum eam certo cognoſcunt. Quod ſi eam certo minime noverint, tenentur eam ſaltem tradere ſententiam, quæ probabilior, atque adeo veritati proximior ipſis videtur. Unde tanquam abſurdæ, & valde periculoſæ reputandæ ſunt ſequentes Theologorum quorumdam opinationes; Tamburini, qui *nb.* 1. *c.* 3. §. 4. de Doctore ſcribit: *Docere poteſt probabiles opiniones, prætermiſſis probabilioribus, modo non prævideatur ſcandalum aliquod exoriturum: quia ſic jam ſe prudenter gerit, ſiquidem probabilem bene gerendi viam auditoribus oſtendit*. Item P. de Rhodes, qui *diſp.* 2. *de act. hum. q.* 2. *ſect.* 3. hæc habet: *Non peccabit mortaliter, qui docet ſententiam minus probabilem, ea relicta, quam judicat probabiliorem. Imo verius judico, quod ille ne venialiter quidem peccat: licet enim cuilibet ſequi ſententiam probabilem: & ſane imponeretur alioqui onus nimis grave Præceptoribus*. Eamdem amplectitur, atque ita exponit P. Caſtropalaus *diſp.* 2. *de Conſc.* punct. 3. n. 6.

Doc-

Digitized by Google

Doctores, ſeu Rectores alicujus Cathedræ non tenentur docere, quæ ſibi probabiliora videntur .... ſufficit, ſi quæ probabilia videntur, doceant: & ita tenet Salas diſp. 10. ſect. 6. n. 69 & Thomas Sanchez lib. 1. in Decal. Quamvis dicat eſſe veniale, ſi nulla ratione excuſante doceat, quæ ſibi probabilia ſunt, relictis probabilioribus. At credo, nullum eſſe peccatum: quia ſemper eſt ratio excuſans, ſcilicet grave jugum, quod Lectoribus imponeretur. Hujuſmodi opiniones adeo laxæ ſunt, prout ex dictis ſatis conſtat, ut confutatione non egeant, ipſique inter doctiores Probabiliſtæ eas frequentius rejiciunt, veluti falſas, & improbabiles, tametſi minus cohærenter ad ſyſtema, quod adoptarunt.

Consectarium Decimum.

X. Qui ad Theologos, ac Sapientes recurrunt pro enodandis difficultatibus, quæ ſæpe occurrunt in rebus moralibus, & addiſcenda divinæ legis veritate, eos in primis deſerere debent, qui vere ſapientes non ſunt: neque enim omnes, qui hoc nomine deprædicari ſolent, veri ſapientes, ut jam diximus, vocandi ſunt, iique præſertim, qui non aliquando, ac raro, ſed paſſim inter ſe diſſident, ſolíſque opinionibus, quas *probabiles* appellant, moralem diſciplinam tradunt, uti inter alios plurimos præcipui ſunt Eſcobarius, Diana, & Lacroixius, qui non de veritate, ſed de probabilitate doctrinarum unice ſolliciti, plures, ac plures ſententias probabiles, ut putant, congerunt, ac lectoribus proponunt, ut eam, quæ ſibi gratior viſa fuerit, amplectantur, nulla habita de ejuſdem cum divina lege conformitate ratione. Horum libri ab iis, qui veritatem ſimplici corde quærunt, ut quærere tenentur, vel non legendi omnino, vel nonniſi cum magna cautela legendi ſunt pro dubiis conſcientiæ reſolvendis: in iis quippe certum eſt ex oraculo Summi Pontificis Alexandri VII. occurrere *plures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, quæ partim antiquatæ iterum ſuſcitatæ fuerunt, partim noviter prodiere, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina: & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela.* Sola hæc Summi Pontificis teſtificatio nonne ſatis futura eſſet, ut ſummam ad horum ſtudium cautionem omnes adhibeant, eoſque minime conſulant, qui eorum doctrinis imbuuntur, iiſque aliorum conſcientias informant, ac dirigunt? Hæ namque *opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativæ, & animarum perniciem inferentes* plane exſtant in Probabiliſtarum libris, eorumque uſus novo illo opinandi modo, Probabiliſmo videlicet, facilis redditur, atque expeditus. Hos ergo vitare debet, qui animæ ſuæ curam gerit, adeoque aſſequendæ veritati divinæ legis ex animo ſtudet, ad eoſque ſe convertere, qui alia via in conſcientiæ caſibus decidendis procedunt, atque ita quæ vera ſunt, & divinæ legi conformia, ſequuntur, ac tradunt, ut de unoquoque jure illud dici queat Malachiæ C. 2. *Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus ... Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Consectarium Undecimum.

XI. Quanquam media propoſita pro veritate in rebus moralibus invenienda, ſi ea fideliter, attenteque a nobis adhibeantur, ſolidum præbeant fundamentum ſperandi, ipſam nos inveniſſe; nihilóminus ſemper ſalutari timori locus eſt, ſemperque metuendum de rectitudine noſtrarum actionum, quemadmodum continenter timuerunt, ac timent Sancti Dei viri, qui nihil omiſerunt,

aut

Digitized by Google

aut omittunt, ut divinæ voluntati ſua opera omnia conforment. Hunc tamen timorem prudentem, ſanctumque appellamus, non quaſi tunc, dum actu operamur, aliquod in nobis ſit motivum ſufficiens ad prudenter credendum, quod decipiamur: hoc etenim in ſententia noſtra minime cohæret cum judicio abſoluto, vereque probabili, in rebus haud plane evidentibus, de rectitudine noſtræ operationis quale omnino requiritur ad honeſte operandum: ſed ideo, quia motivum noſtri judicii, licet a nobis verum abſolute judicetur, cognoſcimus tamen illud natura ſua abſolute eſſe fallibile, quodque ex ſe non repugnet actu conjungi cum ejuſdem judicii falſitate. Id vero ſufficit ad fundandum timorem vere prudentem, maximeque laudabilem, ne forte nobis actu contingat, quod videmus poſſe contingere (præſertim cum ignoremus, an media, ut debuimus, adhibuerimus ad veritatem agnoſcendam): quamvis quod minime de facto contingat, probabiliter judicemus; & ideo adverſum hunc timorem non temere, ſed prudenter agamus: dicamuſque equidem cum Sancto Jobo, *Verebar omnia opera mea*; & ſimul cum Propheta Regali, *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo*.

R E F L E X I O.

Quinque vias aperuimus ad inveniendam veritatem moralem aptiſſimas, imo plane neceſſarias: ſed nunc profari liceat mihi cum Apoſtolo Paulo *Epiſt. 1. ad Corinth. C. 12. Et adhuc excellentiorem viam omnibus demonſtro*, quæ illas complectitur, cæteriſque compendioſior eſt. Quænam via hæc? Utique illa, quam deſignat Apoſtolus eodem loco, ſcilicet *charitas*; charitas inquam, quæ *diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*, ſive jam inhabitantem in nobis, ſive nos auxilio gratiæ ſuæ adjuvantem, ut tandem inhabitet. *Loquutus eſt ad nos ſermo* Dei (inquit S. Pater Auguſtinus lib. de diſcip. Chriſt.) *accipite diſciplinam*, ſeu veritatis agnitionem, *in domo diſciplinæ ..... Quid hic dicitur? Præcepta multa ſunt in lege, quibus ipſa bona vita continetur, imperatur, & diſcitur .... Tamen Deus propter eos, qui ſe poſſent excuſare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non poſſunt facile intelligere, voluit, ſicut ſcriptum eſt, conſummare, & breviare verbum ſuper terram .... Quid eſt verbum conſummans, & brevians?* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum, ſicut te ipſum: in his duobus præceptis univerſa lex pendet, & Prophetæ. *Ecce quid dicitur in domo diſciplinæ: dilige Deum tanquam Deum; proximum, ſicut te ipſum. Non enim invenis parem Deo, ut poſſit tibi dici: dilige Deum, ſicut diligis illum. De proximo inventa eſt tibi regula: quia inventus eſt proximo tuo par tu ipſe* &c. Lex ergo univerſa ad duo hæc præcepta redacta eſt, dilectionis nempe Dei, & proximi: immo ſubdit Auguſtinus, ad unum ſolum præceptum amoris proximi, ſi proximum diligamus, quomodo noſmetipſos diligimus. Nam ſi nos recte diligimus, non poſſumus non diligere Deum, ſine quo beati eſſe nequimus. Si autem ignis charitatis ardet in corde, lux veritatis ſplendere debet in mente, adeoque charitas plana, & compendioſa via eſt ad inveniendam veritatem.

At quomodo, inquies, charitas nos veritatem divinæ legis edocet, ad eamve perducit? Non una, ſed multiplici ratione. Primo namque, quia, ut ſcite obſervat S. Thomas pluribus in locis, *Dilectio Dei, ad quam dilectio proximi ordinatur, finis eſt omnium præceptorum, In operabilibus autem, in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principii*. Sicut ergo, qui perfecte cognoſcit principium, cognoſcit concluſiones

Digitized by Google

omnes in ipſo contineas, ita qui perfecte poſſidet charitatem, cognoſcit præcepta omnia, quæ in ipſa continentur. Id manifeſtius erit, ſi conſideremus officium charitatis eſſe purgare nos ab omni culpa, atque adeo etiam ab omni errore, & ab ignorantia eorum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt: quod ſine clara veritatis luce noſtræ menti affuſa præſtare nequit.

Modus alter, quo nos charitas inſtruit, in hoc conſiſtit, quod ipſa animum noſtrum rectum efficit *erga ſe*, *erga Deum*, *erga proximum*. Loco namque primi principii omnibus eſt effatum illud: *Qualis quiſque eſt*, *talis finis videtur ei*, *& ea*, *quæ ſunt ad finem*. Quemadmodum ergo ſpeculum pro objectorum diverſitate varia refert objecta; ita animus noſter pro affectionum diverſitate varia format judicia. Porro charitas purum animum facit, atque rectum *in ſe*, *in Deum*, *& in proximum*; adeoque apprime idoneum ipſum conſtituit ad noſcendas veritates practicas, quæ hujuſmodi objecta reſpiciunt, circa quæ præcepta omnia moralia verſantur.

Tertio modo charitas veritatem nos docet, quatenus reformat falſa hominum judicia de facilitate, & difficultate, poſſibilitate, & impoſſibilitate mandatorum Dei. Nihil frequentius in cujuſque profeſſionis hominibus audire eſt, quam hoc, vel illud eſſe *impoſſibile*, adeoque nullam eſſe obſervandi obligationem: quoniam ad id, quod impoſſibile eſt, nemo per legem adſtringitur. Judicia hæc falſa non aliunde originem trahunt, quam ex defectu charitatis in corde regnantis. Eadem quippe præcepta, quæ his difficilia, aut etiam impoſſibilia videntur; aliis contra facilia ſunt; iis ſcilicet, qui non mundum, & ea, quæ in mundo ſunt, ſed Deum ex toto corde diligunt, clamantque cum Regio Vate: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum*, *& topazion*. Ex hac namque dilectione Dei, & mandatorum ipſius nedum impoſſibilitatem, ſed nec etiam difficultatem in his obſervandis experiuntur, quin potius *dulciora* ipſis videntur *ſuper mel*, *& favum*. Charitas itaque ita diſponit animum, ut facilia reputet, quæ mundi amatoribus videntur impoſſibilia, corrigitque de his falſa hominum judicia.

Denique charitas ideo nobis veritates morales oſtendere dicenda eſt, quia nos impellit, & urget ad ea media accurate adhibenda, quæ producta a nobis ſunt, ac neceſſaria declaravimus pro inveniendis divinis præceptis, recteque de his judicando, nimirum ſedulam æternæ Dei legis conſiderationem, paſſionum dominantium compreſſionem, cultum moralium virtutum, orationis ſtudium, & in audiendis piorum, doctiorumque conſiliis docilitatem. Ardeat igitur in cordibus noſtris divina charitas: diligamus Deum ex toto corde, & ex omnibus viribus noſtris, & proximum, ſicut noſmetipſos: & tunc inveniemus veritatem illam tantopere in ſacris libris nobis commendatam; & hæc ſalutaris *veritas liberabit nos* ab omni deceptione, & errore, quem incurrunt ſæpiſſime in hoc exilio miſeri mortales charitate deſtituti, in ruinam, & perditionem animarum ſuarum.

CAPUT VII.

De ignorantia, *& errore vincibili*, *& invincibili*.

D O C T R I N A.

I. *Præloquium*.

II. *Definitio*, *ac diviſio ignorantiæ*.

III. *Admittere oportet aliquam ignorantiam*, *quæ ſit vel peccatum*, *vel cauſa peccati*. *Argumenta in hanc rem S. Bernardi*.

IV. *Doctrina*, *ac principia ſolidiſſima S. Thomæ de ignorantia vincibili*, *& invincibili*, *ſive culpabili*, *& inculpata proponuntur*.

V. *Dari poteſt ignorantia invincibilis*, *& culpa expers de his*, *quæ ſpectant jus poſiti-*

vum

vum divinum, & humanum, licet vero admittenda ſit inter Chriſtianos.

VI. *De facto dari poſſe ignorantiam invincibilem negandum minime eſt.*

VII. *Si abſolute, & generatim loquamur, nunquam invincibilis eſt ignorantia regularum, ſive praeceptorum juris naturæ. Explicatur aſſertio.*

VIII. *Argumenta, quæ aſſertionem probant, ex Scripturis, ac SS. Patribus producta.*

IX. *Eadem aſſertio efficacibus rationibus comprobata.*

X *Reſponſio ad præcipuum adverſariorum argumentum.*

XI. *Ignorantia a gravi ſaltem culpa immunis quibuſdam in caſibus, qui ad jus naturæ referuntur, admittenda videtur. Modus primus hoc explicandi.*

XII. *Alter explicandi modus, nimirum in quibuſdam caſibus ignorantiam non eſſe* juris, *ſed* facti.

XIII. *Tertius explicandi modus, quod nempe ignorantia caſuum jus naturæ ſpectantium haud ſit graviter, ſed interdum ſolum leviter culpabilis.*

XIV. *Quæcunque ignorantia juris ſive naturalis, ſive poſitivi, aut etiam* facti, *vincibilis, & culpabilis eſt, dum ſuſpicio, vel dubium adeſt de actionis, aut omiſſionis pravitate.*

I. JAM vero parata via eſt, ut arbitror ſane, atque expedita ad celebrem, & inter Theologos vexatiſſimam quæſtionem dirimendam de ignorantia, & errore vincibili, & invincibili; ſive culpabili, aut inculpabili. Et ex præmiſſis quidem illud ſponte ſua conſequi videtur, quod, ſi ea media, de quibus hactenus locuti ſumus, vere, ac ſincero ſtudio adhibita ſint ad veritatem in noſtris deliberatis actionibus inveniendam, depellendamque ignorantiam, & errorem, neque tamen aut veritas inventa, aut ignorantia depulſa ſit, hæc *invincibilis*, adeoque culpæ expers dicenda tunc erit: *vincibilis* vero, & culpæ labe infecta, ſi media eadem fuerint prætermiſſa.

Verum cum quæſtio iſthæc maximi momenti ſit, pluresque in ipſa implicentur difficultates haud levi manu tractandæ, ac plures etiam circa ipſam a junioribus Theologis inventæ fuerint, ac propugnatæ opiniones plane laxæ, abſurdæ, & ferme incredibiles, quæ magnum animabus detrimentum inferunt; præſtat de ea late, & copioſe diſſerere, & veritatem, ſi fieri quidem a me poteſt, in apertam lucem proferre, fulgentiſſima Scripturarum, ac Sanctorum Patrum, maximeque D. Thomæ propoſita doctrina. Ut autem clarius in tam neceſſaria controverſia procedamus, in aliquot paragraphos rem totam partiemur. Unde ſit

§. I.

Definitio, ac diviſio ignorantiæ.

II. Ignorantia, prout ea modo ſumitur communiter definiri ſolet *privatio cognitionis debitæ*: quæ definitio, ſi recte intelligatur, optima eſt, & ignorantiæ naturam apte exponit. In primis *privatio* dicitur, qua voce a *neſcientia* diſtinguitur; aliud namque eſt *neſcire*, aliud *ignorare* preſſe ſumptum. *Neſcientia* enim meram importat cognitionis carentiam, aut negationem: ignorantia autem eſt *privatio cognitionis*, non rerum quarumcunque, ſed earum tantum, quas *ſcire poſſumus, ac tenemur*. *Ignorantia*, inquit Doctor Angelicus p. 2. q. 76. art. 2. *in hoc a neſcientia differt, quod neſcientia dicit ſimplicem ſcientiæ negationem. Unde cuicunque deeſt aliquarum rerum ſcientia, poteſt dici neſcire illas, ſecundum quem modum Dionyſius in Angelis neſcientiam ponit. Ignorantia vero importat ſcientiæ privationem: dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet, ſine quorum ſcientia*

Digitized by Google

tia non poteſt debitum actum recte exercere .... Quædam vero ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur, ſicut theoremata Geometriæ &c.

Ab *errore* etiam ignorantia preſſe dicta diſtinguitur. Nam *error*, ut docet S. Thomas de *malo* q. 3. art. 7. eſt *approbare falſa*: *unde addit actum quemdam ſuper ignorantiam. Poteſt enim eſſe ignorantia ſine hoc, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat; & tunc eſt ignorans, & non errans. Sed quando jam falſam ſententiam fert de his, quæ neſcit, tunc proprie dicitur errans.* At nos in præſenti tum de ignorantia, tum de errore loquimur, qui appellari ſolet a Theologis *ignorantia pravæ diſpoſitionis*, cum prima *puræ privationis* dicatur.

Quod ad diviſiones ignorantiæ ſpectat, celebris in primis eſt, quæ a S. Thoma traditur 1. 2. q. 6. art. 8. in *antecedentem*, *concomitantem*, & *conſequentem*, quas ita luculenter exponit: „ Sciendum, quod ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis. Uno modo *concomitanter*: alio modo *conſequenter*: tertio modo *antecedenter*. *Concomitanter* quidem (ſe habet ad actum voluntatis), quando ignorantia eſt de eo, quod agitur; tamen etiamſi ſciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat, ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum, & ignoratum, ſicut cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſ. dicit, quia non cauſat aliquid, quod ſit repugnans voluntati: ſed facit non voluntarium: quia non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt “.

„ *Conſequenter* autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt *voluntaria*. Et hoc contingit dupliciter, ſecundum duos modos voluntarii ſupra poſitos. Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam: ſicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud Jobi 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Et hæc dicitur *ignorantia affectata*. Alio modo dicitur ignorantia *voluntaria* ejus, quod quis *poteſt ſcire*, & *debet*. Sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, ut ſupra dictum eſt. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet, quæ eſt *ignorantia malæ electionis*, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens: ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Et ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, *voluntaria* dicitur, quaſi per negligentiam proveniens. Cum autem ipſa ignorantia ſit *voluntaria* aliquo iſtorum modorum, *non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium*. Cauſat tamen ſecundum quid involuntarium, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet, ſcientia præſente “.

„ *Antecedenter* autem ſe habet ad voluntarium ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet: ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret: puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, quæ interficit tranſeuntem. Et talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter “. Hæc omnia diligenter notanda ſunt ob ea, quæ poſtmodum a nobis dicentur.

Porro in hac S. Thomæ doctrina alia ignorantiæ diviſio continetur, nempe in *affectatam*, & *craſſam*, ſive *ſupinam*, eaſque ad *conſequentem* revocat, quæ ab ipſo ſatis dilucide explicatæ ſunt. Illud ſolum advertendum cenſeo, *craſſam*, & *ſupinam* ignorantiam di-

ei.

Digitized by Google

ei debere relative ad res ipſas, quæ ignorari poſſunt. Sæpe namque occurrit, aut occurrere poteſt ut *craſſa* vel *ſupina* dicenda ſit, licet ſtudium aliquod, vel diligentia ad eam effugandam adhibita fuerit; non tamen ea, quæ requiritur pro rei qualitate, aut negotii magnitutudine. Quemadmodum enim ſupra dictum eſt, rerum quarumdam conditio, & indoles [pura deliberatio de bello inferendo] expoſcit, propter graviſſimas, quæ ex ipſis oriuntur, conſecutiones, ut major, & exquiſitior adhibeatur diligentia ad earum juſtitiam, aut veritatem dignoſcendam, quæ non exigitur in rebus exigui momenti: ita ſi ea non adhibeatur, licet aliqua non prætermittatur, ignorantia veritatis *craſſa*, aut *ſupina*, cenſenda erit, prout conſentiunt graviores quique Theologi.

Alia ignorantiæ diviſio ex rebus, quæ ignorantur, deprompta, eſt in ignorantiam *juris*, & *facti*, cui aliqui etiam addunt *pœnæ*, ſcilicet qua non cognoſcitur pœna a lege lata: ſed hæc ad priorem ignorantiam, nempe *juris*, reducitur. Hæc ignorantia *juris* tum eſt, cum lex, aut præceptum ignoratur; v. gr. de fornicatione non committenda, aut diebus feſtis obſervandis. Ignorantia *facti* legis cognitionem admittit, ſed factum ignorat, puta ſuam non eſſe mulierem, cum qua rem habet, aut hunc diem eſſe feſtivum. Et quoniam lex, & jus ſunt univerſalia, facta autem particularia, & in ſingulari, antiqui Theologi ignorantiam *juris* vocabant *univerſalem*: *facti* autem *particularem*, ſive particularium, & ſingularium.

Dividitur etiam ignorantia in eam, quæ *propter ſe prohibetur*, & *quæ prohibetur propter aliud*. Illa ſpectat ea, quæ ad intellectum pertinent, quæ Deus ſcire nos jubet, ut ignorantia ſui ipſius, myſteriorum fidei &c. Iſta, quæ prohibetur *propter aliud*, propter ea ſcilicet, quæ propria ſunt aliarum potentiarum opera, nempe quæ vel exequi, vel omittere tenemur, ut ignorantia, & error de debito ſolvendo, de reſtituendo, de non occidendo &c.

Denique celebrior, & frequentior eſt ignorantiæ diviſio in *vincibilem*, & *invincibilem*. Hæc, ut ex ipſo nomine liquet, eſt illa, quæ ſtudio, ac diligentia vinci, ac ſuperari abſolute non poteſt. *Vincibilis* e contra, quæ ſtudio, ac diligentia vinci poteſt. Hæc, ſi de rebus ſit ad legem, aut conſcientiam pertinentibus, dicitur etiam *culpabilis*, ſi diligentia debita ad eam depellendam omittitur. Altera vero *inculpabilis* eſt; quia nullus ad id, quod præſtare nequit, obſtringitur. Hinc hujuſmodi ignorantia eadem cum illa eſt, quæ a S. Thoma dicitur *antecedens*: alia vero *conſequens*, & *voluntaria* ab ipſo appellatur. De hac duplici ignorantia plura infra dicenda a nobis ſunt. Interim generalem aſſertionem de ignorantia conſtituo, quæ ab omnibus admittitur, aut certe admittenda eſt.

§. II.

Ignorantiam aliquam admittere oportet, quæ vel peccatum ſit, vel ſaltem cauſa peccati.

III Aſſertionem hanc ita propoſitam nemo Theologorum negat, immo fide certam eſſe non dubito. Profecto nec ipſi benigiores Theologi id inficiantur, quin potius diſerte profitentur. Nam Valentia *in* 1. 2. *diſp.* 6. *q.* 1. ait: *Quod ad ignorantiam attinet, ex fide certum eſt, eam aliquo tandem modo eſſe quandoque cauſam peccati*: idque probat Scripturæ textibus. Thomas Sanchez hoc etiam docet *lib.* 1. *in Decal. c.* 17. inquiens: *Immo eſſe aliquam ignorantiam non prorſus a culpa excuſantem, ſed illam minuentem eſt de fide*: additque *omnes fateri concluſionem iſtam*; quam pariter Vaſquez tradit omnibus eſſe compertam.

Profecto adverſa doctrina fuit unus ex erroribus, quos in Pelagio, & Pelagianis damnarunt Eccleſiæ Patres. Nam S. Auguſtinus

lib.

lib. *de geſtis Pelagii* n. 42. ſcribit, docuiſſe Pelagium, *oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato: quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*. S. quoque Hieronymus *in Dial. Cont. Pelag.* hanc *Critobuli*, ut cum Sacris Literis pugnantem propoſitionem refellit, *Rogo, quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Nonne ſimilia plane docent nuperi plures Theolog.? At vero non ita docuit, ac docet S. Mater Eccleſia, quæ Pelagium errorem hunc ejurare coegit in Concilio Dioſpolitano iis ipſis terminis conceptum, quos modo adduximus ex Sancto Auguſtino. Eadem cum his tradunt cæteri Eccleſiæ Patres, Gregorius Magnus l. 25. c. 16. in Job, Gregorius Theolog. Orat. 1. S. Baſilius in Reg. brev. 58. Iſidorus lib. 2. ſentent. c. 17. Theodoretus in Cat. S. Thomas, aliique.

Errorem hunc, licet in Pelagio damnatum, poſt aliquot ſæcula in lucem iterum eduxit Abaelardus, eumque confutavit acriter S. Bernardus *Epiſt. 77. ad Hugonem de S. Victore*, cujus textum, licet aliquanto prolixum, reſcribere lubet: ſiquidem argumenta Scripturarum præcipua continet, quibus hujuſmodi error, quem rurſus complexi ſunt plures Theologi, penitus conteritur. Sic itaque ſcribit „ S. Pater: „ Is forſitan, qui aſſerit, non „ poſſe peccari per ignorantiam, nunquam „ pro ſuis ignorantiis deprecatur, ſed potius „ Prophetam irridet deprecantem, & dicen„ tem: *Delicta juventutis meæ & ignorantias* „ *meas ne memineris*. Forſitan reprehendit „ Deum exigentem pro peccatis ignorantiæ „ ſatisfactionem. Loquitur enim in Levitico „ ad Moyſem dicens: *Anima ſi peccave*„ *rit per ignorantiam, feceritque unum ex his,* „ *quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea* „ *intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arie*„ *tem immaculatum de gregibus Sacerdoti jux*„ *ta menſuram, æſtimationemque peccati*. „ Et rurſum: *Qui orabit pro eo, quod neſciens* „ *fecerit, & dimittetur ei, qui per errorem* „ *deliquit in Dominum* “.

„ Si igitur nunquam peccatum eſt, cur dic„ tum eſt in epiſtola ad Hebræos: *Quia in* „ *ſecundo tabernaculo ſemel in anno ſolus Pon*„ *tifex intraret, non ſine ſanguine, quem* „ *offeret pro ſui, & populi ignorantia* “?

„ Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non „ ergo peccavit Saulus, quod perſecutus eſt „ Eccleſiam Dei: quoniam quidem ignorans „ hoc fecit, manens in incredulitate. Bene „ itaque faciebat, quod erat blaſphemus, „ & perſecutor, & contumelioſus, quod „ erat ſpirans minarum, & cædis in diſci„ pulos Domini: in hoc ipſo quippe abun„ danter æmulator exiſtens paternarum tra„ ditionum. Non ergo debuit dicere: *Mi*„ *ſericordiam conſecutus ſum*, ſed mercedem „ recepi: quippe quem ignorantia a peccato „ reddebat immunem, inſuper & æmulatio „ remunerabilem indicabat. Si, inquam, „ ignorantia nunquam peccatur, quid ergo „ cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum? „ Quandoquidem non ſolum malum eſſe ne„ ſcierunt interficere illos, ſed inſuper quo„ que in faciendo arbitrati ſunt obſequium „ ſe præſtare Deo “.

„ Sed & fruſtra in cruce Salvator oravit „ pro ſuis perſecutoribus, quippe *neſcientibus* „ (ipſo teſte) *quid facerent*, & ita nequic„ quam peccantibus. Neque enim fas eſt „ ullatenus ſuſpicari, mentitum eſſe Domi„ num Jeſum aperte perhibentem eos *ignora*„ *re, quid facerent*: etſi de Apoſtolo dubitet „ quis, quod carnem ſuam æmulans, ſicut „ homo mentiri potuerit, ubi ait: *Si enim* „ *cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ cru*„ *cifixiſſent*. Numquid non ex hoc ſatis ap„ paret, in quantis jaceat ignorantiæ tene„ bris, qui ignorat peccari poſſe per igno„ rantiam “? Hactenus S. Bernardus. Videant etiam, ſubdam ego, quam enormiter

Digitized by Google

ter a via veritatis aberrent, & fidei teſtimoniis adverſentur, qui licet *peccari poſſe per ignorantiam* verbo affirment, reipſa tamen negant, dum docent *nullum eſſe peccatum, quod non eſt contra conſcientiam*, ſive *dum non eſt actualis ad malitiam attentio*. Verum de hoc poſtea.

§. III.

Doctrina, ac principia quædam a S. Thoma tradita de ignorantia vincibili, & invincibili, ſive culpabili, & inculpabili.

IV. Quoniam vero quæcunque ab Eccleſiæ Patribus de hoc tam neceſſario argumento *Ignorantiæ* juxta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ tradita ſunt, S. Thomas ſuis in operibus complexus eſt; placet potiora, quæ de ipſo ſcripſit, uno veluti ſub aſpectu proponere; facem namque luculentiſſimam accendunt ad veritatem certo cognoſcendam, & præſentem quæſtionem ſolide reſolvendam. In primis itaque capitalis doctrinæ ſuæ textus eſt, quem habet in *Cap. 1. Epiſt. ad Rom.* ubi ad illa Apoſtoli verba de pluribus ex antiquis Philoſophis, & Gentilibus, *Ita ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis* &c. „ Conſiderandum, inquit „ *lect. 7.* quod tunc ignorantia aliquem ex„ cuſat, quando ſic præcedit, & cauſat cul„ pam, quod non cauſatur a culpa &c. *Si* „ *vero ignorantia cauſetur a culpa, non po*„ *teſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare.* “

„ Primo igitur, pergit S. Thomas, propo„ nit (S. Paulus), quod intendit dicens, id, „ quod eſt Dei, notum eſt eis, ut ſint inex„ cuſabiles, ideſt, ut per ignorantiam excu„ ſari non poſſint. Probat, quod dixerat, „ & primo oſtendit, quod prima eorum cul„ pa ex ignorantia non proceſſit: ſecundo, „ quod ex hac culpa eſt ignorantia ſubſecu„ ta, *ſed evanuerunt* &c. Quod autem pri„ ma eorum culpa ex ignorantia non proceſ„ ſit, oſtenditur per hoc, quod Dei cogni„ tionem habentes ea non ſunt uſi ad bo„ num. Dupliciter autem Deum cognove„ runt &c. Secundo cognoverunt eum, ut „ bonorum omnium cauſam: unde ei in „ omnibus gratiarum actio debebatur, quam „ tamen ipſi non impendebant, ſed potius „ ingenio ſuo, & virtuti ſuæ bona omnia „ adſcribebant. Unde ſubdit: *Gratias non* „ *egerunt* &c. “

„ Deinde cum dicit, *ſed evanuerunt*, oſten„ dit, quod eis ex culpa eſt ignorantia ſub„ ſecuta. Et primo ponit intentum &c. Se„ cundo ponit ignorantiam ſubſecutam di„ cens, *& obſcuratum eſt* &c. ideſt, factum „ eſt cor eorum inſipiens, hoc eſt lumine ſa„ pientiæ privatum, per quam homo vere „ Deum cognoſcit. Sicut enim, qui oculos „ corporales a Sole materiali avertit, obſcu„ ritatem corporalem incurrit; ita ille, qui „ a Deo avertitur, de ſe ipſo præſumens, „ & non de Deo ſpiritualiter obſcuratur &c. „ Et de his habetur ad Epheſ. 4. *Gentes am*„ *bulant in vanitate ſenſus ſui obſcuratum haben*„ *tes intellectum ſuum*“. Hæc ille.

Ex his habemus generale, & capitale illud principium doctrinæ S. Thomæ, quod *ignorantia, quæ cauſatur a culpa*, & ipſa in ſe peccatum ſit, *& non poſſit ſubſequentem culpam excuſare*, in quam nempe ratione illius incurrimus. Quo ex principio plures, eæque certiſſimæ conſequentiæ facile colliguntur: & ipſe S. Doctor eas colligit, quæ Gentiles ſpectabant, de quibus eo loco ſermonem habet Apoſtolus, ſcilicet quod dum illi oculos a Deo averterunt, *privati ſunt lumine ſapientiæ, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & veritatem Dei in injuſtitia detinentes*, haud cognoverunt turpiſſima illa peccata, quæ fuſe ibidem commemorat Apoſtolus, & ipſis ad damnationem imputat, dum ait: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.* Dum ergo ex noſtra culpa (perſonali nimirum,

de-

de qua clarum eſt loqui S. Doctorem) ignorantur aliqua, quæ *ſcire poſſumus*, *ac tenemur*, nunquam coram Deo a peccato excuſamur.

At vero quænam eſt hæc culpa juxta S. Doctorem, ob quam non excuſantur a peccato pravæ noſtræ actiones, aut omiſſiones, quas ignorantes incurrimus? Non una plane, ſed multiplex, ſicut ſupra dictum eſt de via, & mediis inveniendi veritatem in rebus moralibus. Et ſane in Commentario textus Apoſtoli culpas duas ſatis luculenter indigitat, nempe *defectum acceſſus ad Deum*, qui præſertim fit per orationem; & paſſiones, pravoſque affectus animi, quos in officio continere debemus: quam culpam etiam deſignat 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. dum diſtinguens ignorantiam *conſequentem*, quam *culpabilem* declarat, *ignorantiam malæ electionis* cauſari docet *vel ex paſſione, vel ex habitu*, pravo ſcilicet; quod etiam aliis in locis repetit, ac præcipue 2. 2. *q.* 15. *art.* 1. ubi *de principio intelligibili* loquens, per quod homo cognoſcere poteſt, quæ ſibi agenda ſunt, ait, *Hominem non intendere* huic principio *per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione illius mens avertitur, ſecundum illud Pſal.* 57. Supercecidit ignis, *ſcilicet concupiſcentiæ*, & non viderunt ſolem. Quam ignorantiam, aut cæcitatem definit eſſe peccatum, & peccati cauſam.

Sed & duas alias culpas memorat S. Doctor, ob quas ignorantia ad peccatum nobis imputatur, nempe defectum *recurſus ad ſapientes* in iis, quæ ignoramus, dum ſcire tenemur, ut conſtat ex art. 3. q. 49. 2. 2. ac *diligentiæ noſtræ* in inquirenda veritate, ſive conformitate actionum noſtrarum cum lege; de quo defectu, ſive negligentia plura diſſerit tota quæſtione 54. Et quidem art. 1. ſpeciale peccatum eſſe ſtatuit: inquiens: *Negligentia importat defectum debitæ ſolicitudinis. Omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati, Unde manifeſtum eſt, quod negligentia habet rationem peccati*: quod ſpeciale eſſe probat ex eo, quod cum *ſolicitudo ſit quidam ſpecialis actus rationis, conſequens eſt, quod negligentia, quæ importat ſolicitudinis defectum, ſit ſpeciale peccatum*. Oſtendit deinde art. 3. peccatum hoc aliquando eſſe *mortale*, aliquando ſolum *veniale* his verbis: „ Negligentia provenit ex quadam remiſſione „ voluntatis, per quam contingit, quod ratio non ſolicitatur [ſive non eſt ſolicita], „ ut percipiat ea, quæ debet, vel eo modo, „ quo debet. Poteſt ergo contingere, quod „ negligentia ſit peccatum mortale. Uno „ modo ex parte ejus, quod prætermittitur „ per negligentiam: quod quidem, ſi ſit de „ neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive cir„ cumſtantia, *erit peccatum mortale* ... Alioquin ſi negligentia conſiſtat in prætermiſ„ ſione alicujus actus, vel circumſtantiæ, „ quæ non ſit de neceſſitate ſalutis, nec hoc „ fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu „ fervoris, qui impeditur interdum per ali„ quod veniale peccatum, tunc negligentia „ non eſt mortale peccatum, ſed veniale “.

Ex quibus omnibus evidens eſt juxta tutiſſimam S. Thomæ doctrinam, Eccleſiæ fidei omnino concordem, non unam eſſe culpam, qua peccaminoſa efficitur, & ad reatum imputabilis ignorantia earum rerum, quas ſcire poſſumus, ac tenemur (humanæ ſcilicet diligentiæ omiſſione, quam duntaxat admittere ſolent moderni Theologi); ſed plane multiplicem, eaſque omnes, quas ſupra expoſuimus de viis inveniendæ moralis veritatis differentes; adeoque ex quacunque, earum proveniat, ſemper culpabilis judicanda eſt hominum ignorantia.

Ea porro, quæ ſcire homo tenetur, indicantur a S. Doctore tum pluribus aliis in locis, tum præſertim 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. ubi inquirit: *An ignorantia ſit peccatum*, & ita reſpondet: „ Ignorantia importat ſcientiæ „ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcien„ tia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Ho„ rum

Digitized by Google

„ rum autem quædam aliquis ſcire tenetur;
„ illa ſcilicet , ſine quorum ſcientia *non po-*
„ *teſt debitam actum recte exercere* . Unde
„ omnes tenentur ſcire communiter ea , quæ
„ ſunt fidei , & univerſalia juris præcepta :
„ ſinguli autem ea , quæ ad eorum ſta-
„ tum , vel officium ſpectant . Quædam
„ vero ſunt , quæ , etſi aliquis natus eſt
„ ſcire , non tamen ea ſcire tenetur , ſi-
„ cut theoremata Geometriæ , & contin-
„ genila particularia . Manifeſtum eſt autem,
„ quod quicunque negligit habere , vel face-
„ re id , quod tenetur habere , & facere ,
„ peccat peccato omiſſionis . Unde propter
„ negligentiam ignorantia eorum , quæ quis
„ ſcire tenetur , eſt peccatum , non autem
„ imputatur homini ad negligentiam , ſi ne-
„ ſciat ea , que ſcire non poteſt " . Hic S. Doctor , ut conſtat ex ipſo articuli titulo, de iis præcipue loquitur , quæ tenemur ſcire *propter ſe* , ſicut ſunt *myſteria fidei* , *univerſalia juris* , ſive , ut ait q. 3. de malo art. 7. *præcepta Decalogi* , & ea , quæ pertinent ad ſtatum , & officium cujuslibet , v. g. Parochi , Epiſcopi , Religioſi , Judicis &c. adeoque ignorantia horum ratione negligentiæ per ſe ipſam peccatum eſt , ac ſpecialiter in confeſſione exprimendum . Sed alia ſunt, quæ ſcire debemus propter actum , quem ponere , aut omittere tenemur , de quibus præcedenti articulo locutus eſt , ut *hoc* , *vel illud eſſe faciendum* , *vel omittendum* : & tunc cognitio, aut ſcientia , cum præcipiatur propter aliud, ideo ignorantia horum non eſt peccatum diverſum ab eo , quod agitur , vel omittitur, e. c. ignorantia de contractus uſurarii pravitate peccatum non eſt ab ipſa uſura , quæ committitur , diſtinctum , atque adeo nec ſpecialiter in confeſſione aperiendum . His conſtitutis ad dirimendam de vincibilili , & invincibili ignorantia quoad ea objecta , de de quibus fieri quæſtio poteſt , ac ſolet , controverſiam accedo .

§. IV.

Ignorantia invincibilis , & inculpata dari poteſt de iis quæ ſpectant jus poſitivum ſive divinum, ſive humanum. & facta etiam peculiaria juris naturæ : facile tamen admittenda non eſt .

V. Quoad legem divinam poſitivam attinet, compertum facile eſt , & apud Theologos exploratum , invincibiliter , & inculpate eam ignorari poſſe . Quoniam cum hæ a libera Dei voluntate pendeat , niſi voce , aut ſcripto homini nota fiat , illam cognoſcere minime poteſt : *Quomodo* enim , inquiebat Apoſtolus ad Rom. 10. *credent ei , quem non audierunt ? Quomodo autem audient ſine prædicante ?* Cum igitur invincibilis omnino hæc ignorantia eſſe queat ; a peccato excuſandi ſunt , qui ea laborant . Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. admittit infidelitatem mere *negativam* , ſeu peccati expertem in iis, qui nihil audierunt de fide , in iiſque non habere docet *rationem peccati* , *ſed magis pœnæ* : adeoque *damnandos* equidem *eſſe propter alia peccata , quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem propter infidelitatis peccatum* .

Quod ſi juris divini poſitivi haberi poteſt invincibilis ignorantia , multo magis juris humani ſive Eccleſiaſtici , ſive civilis , cujus præcepta nonniſi eos obſtringere valent , quibus facta promulgatio eſt , aut alio modo ad ipſorum notitiam pervenere . Idemque dicas de ignorantia *facti* , quam S. Thomas vocat *ignorantiam alicujus circumſtantiæ* , quæ *juris* cognitionem ſupponit , ut cum aliquis adhibita debita diligentia projicit ſagittam , putans ſe occidere feram , & hominem caſu occidit in nemore latentem : neque enim homo cognoſcere poteſt facta omnia ſingularia , & contingentia . Unde excuſantur a culpa ebrietas Noe , qui vini efficaciam minime

Digitized by Google

noverat, & concubitus Jacobi cum Lia, quam innoxie putabat eſſe Rachelem uxorem ſuam, aliaque ſimilia.

At quamquam hæc vera ſint, haud facile tamen in his ignorantia invincibilis, & inculpata admittenda eſt, ut admittere ſolent nonnulli Caſuiſtæ, qui rectam de ignorantia invincibili ideam minime habere videntur. Nam fere ſemper, aut ſaltem frequenter horum ignorantia ex aliqua culpa, quæ ipſius cauſa eſt, proficiſcitur, ac præſertim ex negligentia ſciendi ea, quæ quiſque ſcire tenetur, & ad ſtatum, aut officium ſuum pertinent. Nam in primis quod ſpectat myſteria, aut præcepta Religionis Chriſtianæ, quis eam admittat in Chriſtianis in ſinu Eccleſiæ Catholicæ degentibus, ubi lumen Evangelicæ veritatis undique reſplendet, totque media ſuppetunt ad depellendam ignorantiam tum dogmatum fidei, tum præceptorum, quæ in ipſa traduntur? Profecto ſi quæ in aliquibus ignorantia deprehenditur, ut ſi quis ignoret myſteria potiſſimum ad ſalutem neceſſaria, ſi neſcit Sacramenta, quæ ad gratiam aut veniam peccatorum obtinendam inſtituta ſunt, aut diſpoſitiones, ad ea utiliter recipienda omnino requiſitas, aliaque, quæ Chriſtus præcepit omnibus diſcipulis ſuis, & in Eccleſia ubique prædicantur; id negligentiæ ſuæ deputandum eſt: aliter quippe ſe gerit in negotiis ſuis temporalibus ad corporis incolumitatem, & commodum pertinentibus, in quibus curam, ac diligentiam nunquam habere prætermittit. Quare cum ea ignorantia ex propria cujuſque culpa cauſetur, invincibilis nullo pacto dicenda eſt, ſed vincibilis, atque culpabilis.

Idem, ſervata proportione, aſſerendum de legibus humanis tum Eccleſiaſticis, tum Civilibus, quarum invincibiles ignorantiæ adeo frequentes non ſunt, ut plures arbitrantur. Nam vel omnibus communes ſunt, ut quæ dicuntur *præcepta Eccleſiæ* Chriſtianis omnibus propoſita, & nonnullæ leges civiles; vel ad ſtatum, & officium peculiare quorumdam generum perſonarum attinent: & has addiſcere quiſque tenetur, eaſque callere ſub peccato. Quapropter ſi quis eas ignoret, id ex negligentia culpabili plerumque oritur, quæ ignorantiam inde ſubſecutam excuſare non valet, ſicut nec ipſos actus, aut omiſſiones, quæ ex illa conſequi ſolent.

VI. Denique nec ignorantiam *facti* facile judicandam eſſe *invincibilem*, & culpa carentem, ex eo patet, quod & ipſa pariter ex negligentia frequenter proveniat, ſive omiſſione illius diligentiæ, quam adhibere oportet, quæque eo potior eſſe debet, quo graviora ſunt facta. Quare qui in plateam *ex. g.* ſagittam jaculantur, aut e tecto lapidem projiciunt, haud facile excuſantur a culpa ſive homicidii, ſive percuſſionis; quia non eam ſæpius diligentiam adhibent, quæ adhibenda foret. Hac in re ſuper illam Juris regulam 13. *Ignorantia facti, non juris excuſat*, obſervant communiter Interpretes *factorum*, quæ publica ſunt, & notoria, *ſcientiam, non ignorantiam præſumi*: eorum e contra, quæ occulte fiunt, *ignorantiam præſumi, niſi ſcientia probetur*. Limitant tamen regulam ad ea facta, quæ vi proprii officii ſcrutari nemo tenetur. Et hoc quidem quoad *forum externum*. Sed quoad forum conſcientiæ regula generalis certa præſcribi nequit ob varias, multaſque circumſtantias. Illud ſolum probabiliter dici poteſt, ignorantiam eorum, quæ raro contingunt, eſſe communiter *invincibilem*; eorum autem, quæ frequenter eveniunt, quæque ad nos, quatenus aut homines, aut Chriſtiani, aut in aliquo ſtatu, vel officio conſtituti ſumus, referuntur, plerumque ignorantiam eſſe *vincibilem*, & *culpa infectam*. Noemi ignorantia, ut aliquo exemplo id explicem, qua ſe inebriavit, *invincibilis* fuit; ſiquidem nec in ſe, nec in alio vini virtutem prius expertus erat: atque pari ratione ſi quis aſſuetus potare vinum etiam abundanter, quin unquam ſe

Digitized by Google

ſe inebriari expertus ſit, ſi caſu bibendo inebrietur, *invincibilis* hujus ignorantia cenſenda eſt: *vincibilis* contra, ſi ebrietatem jam expertus iterum ad potandum intemperanter accedat. Similiter ignorantia Jacobi cum Lia ſibi fraudulenter ſuppoſita concumbentis, invincibilis exiſtimatur: adeoque ſi per ſimilem fraudem, quin de ea ſuſpicetur, alicui mulier alia, quam ſua, ſupponeretur, invincibilis quoque hujus ignorantia putanda eſſet. Eodem modo dicendum videtur de aliis factorum ignorantiis, in quibus nullum eſt principium, quo ignorantia vinci, aut ſuperari queat, ut de cognitione occaſionum peccandi, de oblivione in divini Officii recitatione, aut de aliquo peccato in confeſſione aperiendo. Hæc *facta*, cum ad proprium cujuſque ſtatum, aut profeſſionem pertineant, ſi raro in his occurrant obliviones, & ignorantiæ, *invincibiles* credi poſſunt; *vincibiles* autem, ſi frequenter, niſi peculiaris aliqua ratio obſiſtat. Cæterum in his præcipue hominum diſpoſitio attendenda eſt. Si enim ii deſidioſi ſint, & in rebus, quæ ad animam ſpectant, parum ſoliciti, dum in hiſce factis errant, vincibilis ſæpius habenda eorum ignorantia eſt: ſecus vero ſi diligentes fuerint, & undique a malo caventes, ne quidpiam agant, quod mali ſpeciem aliquam præferat. Sed de potiſſima, eaque difficillima quæſtione, quæ *jus naturale* ſpectat, tandem aliquid ſtatuamus, quod nobis certius videtur, ſalvo tamen meliore judicio.

§. V.

Abſolute, & generatim loquendo nulla admitti debet ignorantia vere invincibilis, & inculpata juris naturæ, ſive præceptorum ejuſdem.

VII. Antequam aſſertionem hanc declarem, ac probem, illud præmitto, tenendum omnino eſſe, ſi daretur hujuſmodi *invincibilis* ignorantia, eam excuſare a peccato, Id conſtat ex decreto Alexandri VIII. hanc propoſitionem inter alias damnante: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* Et reapſe ſi ignorantia ſupponitur *invincibilis*, ut Author Theſis ſuppoſuit, ea penitus, ac ſimpliciter involuntaria eſt, & nulla culpa noſtra inducta: unde ſicut impotentia prorſus invincibilis, & involuntaria excuſat a peccato, ita & ignorantia invincibilis. *Quis peccat*, inquit Auguſtinus lib. 3. de lib. Arb. c. 18. *in eo, quod cavere nullo modo poteſt? Hoc breviſſimum tene, quæcumque eſt iſta cauſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur. An tanta fallacia eſt* [ſive ignorantia], *ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt.*

Quiſnam porro fuerit damnatæ propoſitionis Author, plane me latet. Illud unum hic obiter animadverti velim, non eſſe credendos hanc docuiſſe propoſitionem antiquiores quoſdam Theologos, Gregorium Ariminenſem, Adrianum, poſtea Summum Pontificem, & Clariſſ. Eſtium, qui ſimilia quidem verba adhibuerunt, ſed ſenſu plane diverſo. Etenim *invincibilem* eam dixere ignorantiam, quæ ſpectatis ſolis naturalibus viribus intellectus noſtri, vinci non poteſt, ſed tamen vinci poſſe aſſenſerunt viribus gratiæ, ſine qua, uti docent Theologi in tractatu *de gratia*, ſicut voluntas humana operari non poteſt omne morale bonum, ita neque omne morale verum intelligere. Hoc proinde in ſenſu ſolum damnata illa propoſitio eſt, quod in hoc ſtatu lapſæ naturæ non excuſetur a peccato ignorantia, quæ non ſolum naturæ viribus, ſed nullo alio penitus modo vinci poteſt; quia aliqui ſatis eſſe putabant, ignorantiam voluntariam fuiſſe in Adamo: atque hoc ſenſu propoſitionem intelligit Steyartius *Aphor. n. 7.* inquiens: *Cum dicitur ignorantia juris naturæ eſſe invincibilis, ſenſus non eſt poſſe illam ſemper vinci ſolo ſtudio, & inquiſitione intellectus: ſed alii modi* vin-

vincendi ſunt , per ſtudium quoque voluntatis, quo & cor noſtrum expurgemus ab affectibus pravis , & oremus Deum , ut illuminet tenebras noſtras , vel ſaltem liberet nos ab occaſione impingendi in legem ſuam . Atque ita non eſt vocanda *invincibilis* , ſeu quæ vinci non poſſit ignorantia juris naturæ : *Illud enim , quod poſſumus cum auxilio divino , non eſt nobis omnino impoſſibile* , ut docet S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. *ad* 2.

His itaque præmiſſis aſſertionem a me poſitam ita expono , ut nempe nulla dari queat juris naturæ , quæ vere *invincibilis* ſit , ignorantia , nedum quoad principia illa univerſaliſſima , quæ in omnium animis impreſſit naturæ humanæ conditor Deus, quæ jam ſupra memoravimus de jure naturæ differentes, & de quibus nullum eſt inter Theologos diſſidium ; verum etiam Legum omnium , & præceptorum , quæ ex illis inferuntur , & continentur in præceptis Decalogi , licet omnia non exprimantur , quemadmodum & caſuum omnium , qui in ipſis comprehenduntur , cognoſcique ab homine haud difficulter poſſunt , adhibitis mediis illis , quæ ad cognoſcendam veritatem in rebus moralibus neceſſaria declaravimus : Ex. Cauſ. aliquis ſe ab adulterio , vel a fornicatione abſtinet , quia a lege , quam novit , prohibentur ; quædam tamen ſibi licita facit puritati contraria , quæ ignorat in esdem lege comprehendi . Alter odio habet inimicos , aut etiam de ipſis vindictam aliquam ſumit, quoniam hæc dilectionis proximi præcepto vetari minime ſibi perſuadet . Falſum equidem teſtimonium alter non profert , ſed a mendaciis ſibi non cavet , quæ neſcit in eodem præcepto contineri , quod falſum teſtimonium vetat : atque ita ſexcenta alia exempla , quæ paſſim occurrunt . De his omnibus poſita aſſertio accipienda eſt . Neque enim in præſenti diſputare volumus de caſibus quibuſdam admodum implexis , obſcuris, & abſtruſioribus , in quibus vel peritiores ipſi , vereque ſapientes haud conſentiunt inter ſeſe , de quibus poſtea nonnulla dicemus, quæ veriſimiliora videbuntur .

VIII. Aſſertio ita ſaltem , ut a nobis proponitur , defenditur tum ab antiquis Theologis , quorum princeps eſt S. Thomas , de quo poſtea , Alberto Magno , S. Bonaventura , S. Antonino , Hugone a S. Victore , Alexandro Alenſi , Guillelmo Pariſienſi , Durando , Adriano , Gerſonio , Cajetano , Alphonſo a Caſtro , aliiſque , tum etiam a recentioribus Vaſqueſio , Heſſelio , Eſtio , Comitulo , Elizalda , Steyartio , Contenſonio , Jacobo a S. Dominico , Natali Alexandro , Jacobo ab Aſſumptione , Cardinali Noriſio , Huygenio , Gennetto , pluribuſque aliis, quorum loca , atque ſententias , ſi res poſceret, afferrem . Ea autem probatur in primis auctoritate divinæ Scripturæ . Nam præter textus ſupra indicatos ex adducto S. Bernardi teſtimonio , Lucæ C. 12. habemus v. 47. &c. *Servus , qui cognovit voluntatem Domini ſui* , ſive per legem naturalem , ſive per Evangelicam , quæ illius præcepta confirmat , ac declarat , manifeſtatam , *& non fecit ſecundum voluntatem ejus , vapulabit multis : qui autem non cognovit , & fecit digna plagis , vapulabit paucis* ; hoc eſt , mitius quidem punietur , punietur tamen . Non hic certe loquitur Chriſtus de ignorantia *affectata* , quæ ſcientiæ æquivalet , nec minori animadverſione digna eſt , ſed de ignorantia ſimpliciter tali , orta nimirum ex voluntario defectu mediorum , quæ pro cognoſcenda voluntate divina adhiberi debuerant , nec adhibita ſunt . Hinc S. Auguſtinus *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 3. *n.* 5. nihil habere docet, unde excuſari ſe poſſe putent , eos , qui divina non ignorant mandata : at non ideo , qui illa ignorant , a pœna omnino erunt immunes . Quod S. Doctor comprobat alio Scripturæ loco , nempe ad Rom. 2. *Quicunque ſine lege peccaverunt , ſine lege peribunt , & quicunque in lege peccaverunt , per legem judi-*

judicabuntur . Loquitur hic Apoſtolus de lege ſcripta , præſertim moralia præcepta continente , quæ Judæis data fuit , non Gentilibus . Quicunque ergo ſine hac *lege peccaverunt* , & aliquid etiam per ignorantiam egerunt adverſus moralia præcepta , *ſine lege peribunt* ; *cum enim* , ut ſubdit Apoſtolus, *gentes* , *quæ legem non habent* , *naturaliter ea*, *quæ legis ſunt* , *faciunt* , aut facere queunt , ductum rationis ſequentes , *ejuſmodi legem non habentes* , *ipſi ſibi ſunt lex* , ſive in ſe ipſis illam cognoſcere poſſunt , ſi diligentiam adhibeant ; ſiquidem *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum* , ſi bene advertant , ut poſſunt , ac tenentur , nec obicem lumini opponant . Reliqua Scripturarum loca prætereo .

§. VI.

Aſſertio eadem comprobatur ex Eccleſiæ Patribus .

Infinitus eſſem , ſi omnia proferre vellem Sanctorum Eccleſiæ Patrum loca , qui eamdem doctrinam tradunt . Propterea aliqua ſolum producam , cætera indigitabo . Origenes in primis de lege naturæ ſermonem habens *lib. 1. contra Celſum* ait : *Introducentes juſtum Dei judicium exploderentur cum ipſis peccatorum pœnis , niſi communis omnium ſenſus præſumptionem de morali diſciplina haberet inſitam . Quapropter non eſt mirandum , Deum eorum , quæ per Prophetas , & Servatorem docuit , ſemina indidiſſe omnium mortalium animis , ut in divino judicio ſit inexcuſabilis habens mandatum legis ſcriptum in corde ſuo* , ex quo , niſi obſtarent voluntariæ ignorantiæ tenebræ , perſpicere poſſet morales veritates ad vitam ſuam probe componendam .

S. Hieronymus *adv. Pelag.* nedum refutat ſententiam ſupra relatam Chriſtobuli negantis ignorantiæ peccata , ſed ipſa quoque contra legem naturalem peracta ita damnat , ut nec concubitum quidem Loth cum filiabus ſuis , licet in ebrietate , & ex ignorantia *facti* commiſſum, a culpa excuſet, adeoque longiſſime abfuit ab iis peccatis excuſandis , quæ contra legem naturalem ex juris ignorantia fiunt .

S. Ambroſius *epiſt. 41. ad Iren.* hæc habet: „ Eſſe legem naturalem in cordibus noſtris „ etiam Apoſtolus docet , qui ſcribit : quia „ plerumque & gentes ea quæ legis ſunt, fa„ ciunt , & cum legem non legerint , opus „ tamen legis habent ſcriptum in cordibus „ ſuis .... Itaque cum ſemper pateat Do„ mino , tum maxime in die Judicii mani„ feſtabitur , quando occulta cordis in exa„ men venient , quæ putabantur latere . „ Quorum tamen proditio (ſive manifeſta„ tio) occultorum ſibi nequaquam noceret , „ ſi lex naturalis ineſſet pectoribus humanis " ideſt ſi lex naturalis ita præſens menti eſſet , ut homines animum ad illam intenderent , ipſique conformarentur .

S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. ſentent. C. 17. *Nemo ſe de ignorantia excuſet : quia Deus non ſolum eos judicat , qui a cognitione ſua ſe avertunt , ſed etiam illos , qui neſcierunt* ; & cap. 27. *Sæpe , quæ apud hominum judicium bona apparent , apud examen diligentiſſimi , & acutiſſimi Judicis reproba deteguntur : ideoque omnis Sanctus veretur , ne forte bonum , quod agit , pro aliqua animi intentione , in oculis Dei reprobum ſit* .

Pluribus in locis hanc tradit veritatem S. Auguſtinus . Pauca quædam accipe . *Epiſt.* 47. *n.* 4. ſcribit : *Si quis bonum putaverit eſſe , quod malum eſt , hoc putans utique peccat; & ea ſunt peccata ignorantiæ , quando quiſque bene fieri putat , quod male fit* . Lib. 1. op. imperf. c. 105. : „ De quo genere malorum „ Deus rogatur, ubi dicitur: *Delicta juventu*„ *tis , & ignorantiæ meæ ne memineris Do*„ *mine* . Quod genus peccatorum , ſi „ non imputaret Deus juſtus , non ea ſi„ bi dimitti poſceret homo fidelis " . Lib. 1. „ ad

Digitized by Google

„ ad Bonif. Peccata fiunt ſive in concupi-
„ ſcientiæ conſenſionibus, cum ab eo, quod
„ libet, vincitur, quod placet, ſive cum
„ per ignorantiam malum quaſi bonum
„ placet ".

Lib. 3. de lib. arb. c. 19. nedum S. Pater ignorantiam eſſe culpabilem aſſerit, ſed cauſam etiam aperit, cur culpa non vacet. Reſpondens namque ad quæſtionem hominum adverſus Deum dicentium: *Si Adam, & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate* (juris plane naturalis), *& difficultatis cruciatibus naſceremur?* ita reponit: „ Quibus breviter reſpondetur, ut
„ quieſcant, & adverſus Deum murmurare
„ deſinant. Recte enim fortaſſe quererentur,
„ ſi erroris, & libidinis nullus hominum vic-
„ tor exiſteret. Cum vero ubique ſit præ-
„ ſens, qui multis modis per creaturam ſibi
„ Domino ſervientem averſum vocet, doceat
„ credentem, diligentem exhortetur, conan-
„ tem adjuvet, exaudiat deprecantem; non
„ tibi deputatur ad culpam, quod invitus
„ ignoras, ſed quod negligis quærere, quod
„ ignoras ..... Iſta tua propria peccata ſunt:
„ nulli enim hominum ablatum eſt ſcire uti-
„ liter quærere, quod inutiliter ignorat,
„ & humiliter confitendam eſſe imbecillicita-
„ tem ut quærenti, & confitenti ille ſubve-
„ niat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec
„ laborat ".

Et cap. 20. „ Anima noſtra facultatem ha-
„ bet, ut adjuvante Creatore ſe ipſam ex-
„ colat, & pro ſtudio poſſit omnea acquire-
„ re, & capere virtutes, per quas & a dif-
„ ficultate cruciante, & ab ignorantia cæcan-
„ te liberetur .... Quod ſi agere noluerit, pec-
„ cati rea jure tenebitur, tanquam quæ non
„ bene uſa ſit facultate quam accepit. Quam-
„ quam enim in ignorantia, & difficultate
„ nata ſit (ob originale peccatum) non ta-
„ men ad permanendum in eo, quod nata
„ eſt, aliqua neceſſitate comprimitur. Quan-
„ doquidem in ipſa ignorantia & difficulta-
„ te liberam voluntatem petendi, & quæ-
„ rendi, & conandi non abſtulit, daturus
„ petentibus, demonſtraturus quærentibus,
„ pulſantibus aperiturus. Hanc proinde igno-
„ rantiam, & difficultatem ſtudioſis, & be-
„ nevolis evincendam ad coronam gloriæ va-
„ lere Deus præſtat: negligentibus autem &c.
„ non ipſam ignorantiam, in qua homo na-
„ tus eſt &c. pro crimine objicit, ſed quia
„ potius in ea permanere, quam ſtudio quæ-
„ rendi, atque diſcendi ad veritatem perveni-
„ re voluerunt ".

Hæc omnia Auguſtini verba ſerio meditanda ſunt ab omnibus, ac præſertim ab adverſariis, qui in præſenti controverſia aliam ſententiam conſectantur. Ex iis namque clariſſime primum elucet, nullam a S. Doctore admitti ignorantiam invincibilem, & inculpatam legum, aut præceptorum juris naturæ; de hoc quippe loquitur. In iis deinde media indicantur, quæ adhibere debemus ad hanc ignorantiam depellendam: tum demum, ſi ea adhibere omittimus, reos nos eſſe peccati; quoniam hujuſmodi omiſſio voluntaria nobis eſt, non ſola voluntate Adami peccantis, prout quidam dixere, quos Eccleſia damnavit, ſed propria, ac perſonali noſtra voluntate: ſiquidem ea facere nos ipſi negligimus, quæ facere poſſumus, atque debemus, ut veritatem aſſequamur, & errores caveamus.

Prætermiſſis brevitatis gratia S. Proſperi *ſent. 309. & in reſpon. ad dub. 8. Genuen.* S. Fulgentii *lib. 1. de verit. Prædeſt.* S. Gregorii Magni *lib. 1. Moral. c. 2.* S. Bernardi *l. de præc. & diſp. c.* 18. Innocentii III. Summi Pontificis Cap. *Per tuas de Sim.* aliorumque teſtimoniis, aliqua tantum S. Thomæ, qui cæterorum Patrum doctrinam complectitur, in medium profero, & illa quidem luculentiſſima. Primum eſt illud ex *quodlib.* 8. *art.* 13. depromtum, ubi docet: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem; ut cum ali-*

quis

Digitized by Google

quis fornicatur .... *Illud autem , quod agitur contra legem , ſemper eſt malum , nec excuſatur per hoc , quod eſt ſecundum conſcientiam* . Et *opuſc*. 7. *de decem Præcept*. „ Lex naturæ nihil aliud eſt, niſi lumen intellectus inſitum nobis a Deo , per quod cognoſcimus , quid agendum , & quid vitandum. Hoc lumen , & hanc legem dedit Deus homini in creatione . Sed multi credunt excuſari per ignorantiam , ſi hanc legem non obſervant . Sed contra eos dicit Propheta in Pſalm. *Multi dicunt , quis oſtendit nobis bona* ? quaſi ignorent , quid ſit operandum . Sed ipſe ibidem reſpondet : *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui , Domine* ; lumen ſcilicet, intellectus , per quod nota ſunt nobis agenda &c. "

In Summa vero Theologica perpetuus eſt S. Thomas in hac docenda veritate , ac præſertim 1. 2. *q*. 6. *art*. 8. *& quæſt*. 76. *art*. 3. *& q*. 94. *art*. 6. quibus in locis loqui S. Doctorem de lege , & jure naturali , non autem de divino poſitivo , vel humano , exploratum eſt ex eo , quod ibi agat de humanis actibus , & differat de principiis vitæ moralis omnibus hominibus notis , & ab ipſo Ariſtotele traditis . At præter illa etiam 2. 2. *q*. 15. *art*. 1. hæc habet clariſſima verba : „ Principium viſionis intellectualis eſt aliquid intelligibile principium , per quod homo intelligit alia : cui quidem principio mens hominis poteſt intendere , vel non intendere : & quod ei non intendat , contingit dupliciter : quandoque quidem quod habet voluntatem ſponte ſe avertentem a conſideratione talis principii , ſecundum illud Pſalm. 55. *Noluit intelligere , ut bene ageret* . Alio modo *per occupationem mentis circa alia , quæ magis diligit* , quibus *ab inſpectione* hujus principii *mens avertitur*, ſecundum illud Pſalm. 57. *Supercecidit ignis*, ſcilicet concupiſcentiæ , *& non viderunt ſolem* . Et utroque modo cæcitas mentis (ſive ignorantia) peccatum eſt " .

§. VII.

Eadem veritas confirmatur ratione .

IX. Ratio , cui poſita a nobis aſſertio nititur , jam inſinuata eſt in authoritatibus allatis SS. Patrum , ac præſertim SS. Auguſtini , & Thomæ , qui eam ſæpe tradit ; ſed præcipue 1. 2. *q*. 94. *art*. 6. ubi ſic ait : „ Ad legem naturalem pertinent, primo quidem quædam principia communiſſima, quæ ſunt omnibus nota : ſecundario autem quædam ſecundaria præcepta magis propria , quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis . Quantum ergo ad illa principia communia , lex naturalis nullo modo poteſt a cordibus hominum deleri in univerſali . Deletur tamen in particulari operabili ſecundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile , *propter concupiſcentiam* , vel *aliquam aliam paſſionem* , ut ſupra dictum eſt [q. 77. art. 2.] . Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria , poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter *malas perſuaſiones* (eo modo , quo etiam in ſpeculativis errores contingunt circa concluſiones neceſſarias) , vel etiam *propter pravas conſuetudines , & habitus corruptos* : ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata , vel etiam vitia contra naturam , ut etiam Apoſt. dicit Rom. 1.".

Ex hac ſplendidiſſima doctrina fundamentalis ratio colligitur poſitionis noſtræ . Diſtinguit S. Doctor præcepta univerſalia juris naturalis a præceptis particularibus , quæ ex iis derivantur , quibus præcepta omnia ad jus naturæ pertinentia comprehendit : neque enim in S. Thomæ doctrina invenire eſt tertiam aliam diſtinctionem horum præceptorum . De primis itaque præceptis communibus docet , ea deleri non poſſe de cordibus hominum *in univerſali* . Conſentit tamen ea deleri *in particulari operabili* , ſive in particularibus ope-

ratio.

Digitized by Google

rationibus, quæ ab homine fiunt: ſed quomodo ita delentur? *Secundum quod*, inquit, *ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile*, ſive ad particulares hominis *actiones*, ſcilicet *propter concupiſcentiam, vel aliquam aliam paſſionem*, aut anticipata judicia &c.

Quoad vero præcepta ſecundaria juris naturæ, concedit ea *poſſe deleri de cordibus hominum*, adeo ut non amplius credant homines peccata eſſe, quæ reapſe peccata ſunt, ac juri naturæ contraria, in quo ignorantia proprie conſiſtit. Sed ex quo capite hæc oritur? *Propter malas perſuaſiones*, ait S. Thomas, vel etiam *propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos*, quæ ſane principia culpa non vacant. Cum igitur ex generali, ac ſolidiſſima illa S. Thomæ doctrina jam tradita, *ignorantia, quæ cauſatur ex culpa, non poſſit ſubſequentem culpam excuſare*, perſpicuum eſt, ea, quæ ex tali ignorantia fiunt, juri naturæ contraria, a peccato excuſari neutiquam poſſe. Quod etiam liquidius conſtat in exemplis ibi a S. Doctore productis, illorum ſcilicet, qui *propter malas perſuaſiones*, vel *etiam propter pravas conſuetudines, latrocinia, & vitia contra naturam* peccata eſſe non reputabant. Quis enim hos ea peragentes a peccato excuſandos putet? Sive igitur error contingat in applicatione *principiorum communium* ad particulares actiones, ſive ex ignorantia procedat præceptorum, quæ ex ipſis derivantur, cum ſemper cauſa culpabilis ſit, nullo modo inculpata dicenda eſt ignorantia inde ſubſecuta, neque ſunt a peccato immunia, quæ fiunt contra præcepta naturalia.

Atque exinde facile eniteſcit diſcrimen inter præcepta juris naturæ, & juris poſitivi, ſive divini, ſive humani. Cum enim hæc unice pendeant ex libera voluntate ſive Dei, ſive hominum, nullum in nobis principium eſt, unde ea cognoſcamus, niſi per promulgationem externam nobis manifeſta fiant, ut apparet in præceptis Circumciſionis, & Baptiſmi, quorum alterum Hebræos olim obſtringebat, alterum modo Chriſtianos obſtringit: nullam enim hujuſmodi præcepta habent cum animo noſtro connexionem, nec, quacunque diligentia adhibita, etiam in emundandis cordibus noſtris ab omni culpa, paſſione, aut prava conſuetudine, ea nobis comperta fieri poſſunt, niſi extrinſecus manifeſtentur, atque adeo abſque culpa ea ignorare poſſumus. Non ita vero res ſe habet relate ad præcepta legis naturæ, quæ inſcripta, & ſignata a Deo eſt in corde noſtro, adeoque intime nobis præſens, ut ſi ejus lumen, quod noſtris ſemper oculis obverſatur, attendamus, aut ubi eam ex aliqua culpa noſtra non apponimus, eam haud difficulter prævidere poſſumus, & ad ejus amuſſim judicia noſtra dirigere, ne a veritate deflectant. *Non ideo*, inquit S. Aug. tract. 10. in Joan. *cogitent ſtulta corda, quaſi abſentem eſſe lucem, quia eam videre non poſſunt: ipſi enim propter peccata tenebræ ſunt, quomodo poſitus in Sole cæcus; præſens eſt illi Sol, ſed ipſe Soli eſt abſens*. Hoc autem de legibus ſive humanis, ſive divinis poſitivis dici nequit; ſiquidem nullum extat in nobis veſtigium, lumen nullum, quo eas detegere poſſimus, ſed extrinſecus tota earum cognitio deſumitur.

Ut hoc clarius intelligatur, ponamus hominem infidelem, qui ex una parte Judæum cernat poſitivæ divinæ legis præcepta obſervantem, ex altera Chriſtianum ſuæ Religionis juſſa adimplentem. Si interrogetur, quid de utroque ſentiat, an laude, aut vituperatione dignus ſibi videatur? Nihil ille plane reſpondebit: caret enim omni lumine, unde rectum judicium efformet. At vero ſi homo eidem occurrat rectus, pudicus, fidelis, juſtus, a mendacio, & fraude alienus, qui neminem lædit, ſed omnibus benefacere ſtudet &c. ſtatim ipſum probat, atque commendat; reprobat autem, & averſatur,

Digitized by Google

ſatut , ſi mendacem obſervet , ſuperbum , crudelem &c. Unde hoc quæſo ? Non alia de cauſa , niſi quod lumen illi connaturale , & intimum ejus mentem illuſtrat , regitque judicia ſua , ut ita ſentiat : quod certe minime contingit in caſu priore , in quo lumen ipſi deficit omnino , nec niſi cæco quodam modo ferre judicium poteſt . Hæc ſi attente perpendantur , facile perſpiciemus etiam diſcrimen inter ignorantiam *juris naturalis* , *&* *facti* . Nam neque lumen ullum in nobis eſt, ut cognoſcere poſſimus facta omnia particularia , & contingentia , quæ infinita plane ſunt, & cognitionem noſtram excedunt. Quare in iis , adhibita etiam debita diligentia , obrepere nonnuquam error poteſt , qui invincibilis omnino ſit , adeoque nobis ad culpam non imputetur .

Præter hoc argumentum alia duo adjicere lubet : ac primum quidem hoc eſt . Non eſt ſimpliciter dicenda invincibilis ea ignorantia, quæ tametſi vinci nequeat ſolis naturæ viribus , vinci tamen poteſt viribus gratiæ . Sed abſolute , & generaliter loquendo ignorantia præceptorum ad jus naturæ pertinentium , ſaltem viribus gratiæ , quæ homini , niſi impedimentum objiciat,non deeſt,vinci ac ſuperari poteſt : igitur non eſt ſimpliciter dicenda invincibilis , adeoque nec culpæ expers. Propoſitio *major* evincitur authoritate tum D. Thomæ , tum S. Auguſtini , ut alios Patres prætercam . Nam S. Thomas 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. *ad primum* hæc habet diſertiſſime : *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ ; ſic ad multa tenetur homo , ad quæ non poteſt ſine gratia .... Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ : quod auxilium quibuſcunque divinitus datur , miſericorditer datur; quibus autem non datur , ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati* . Et. 1. 2. q. 109. art. 4. ad. 2. *Illud , quod poſſumus cum auxilio divino , non eſt nobis omnino impoſſibile.* Sanctus vero Auguſtinus *lib.* 2. *de peccat. Mer. & Rem.* C. 17. ſcribit : *Ut innoteſcat , quod latebat , & ſuave fiat , quod non delectabat , gratia Dei eſt , quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur , in ipſis cauſa eſt , non in Deo* . *Minor* autem propoſitio certa eſt , nec probatione eget . Clariſſima namque ſunt divina oracula , quæ eam confirmant, promittuntque nobis cognitionem veritatis, ſive legis divinæ , dummodo id , quod in nobis eſt ad hujuſmodi gratiam percipiendam faciamus , animum ſcilicet noſtrum ab inordinato creaturarum amore purgemus , eam recto , ac ſincero corde inquiramus , ac humillimis precibus poſtulemus , ut ex textibus jam alibi adductis *Proverbiorum* , ac *Sapientiæ* comperriſſimum eſt , & ex illa Chriſti promiſſione : *Petite , & accipietis ; quærite &c.* in quem locum Author *Quæſt.* quæ S. Juſtino tribuuntur , alios Eccleſiæ Patres ſecutus ait q. 3. *Quod fieri nequeat , quin veritatem inveniat , qui toto eam corde , Dei implorata gratia , pro virili ſua quærat , teſtatur Dominus dicens : quiſquis petit , accipit; & qui quærit , invenit ; & pulſanti aperietur.* Ex quibus , aliiſque Scripturæ textibus , quemadmodum & ex perpetua Eccleſiæ traditione , celebre illud in Sacro Concilio Tridentino decretum editum eſt : *Deus impoſſibilia non jubet , ſed jubendo monet & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis , & adjuvat , ut poſſis* . Quibus verbis nos inſtruit nedum cum adjutorio divinæ gratiæ poſſe nos obſervare præcepta Dei , ſed etiam ea cognoſcere: poſſibilitas ſiquidem executionis a cognitione pendet , parique paſſu incedunt executionis poſſibilitas , & legis notitia ; neque enim lex obſervari poteſt , ſi impoſſibilis ſit ejus cognitio . Cum igitur hoc ſalutari ſaltem medio divinæ gratiæ nobis oblatæ vincere , ac ſuperare poſſimus ignorantiam mandatorum Dei , hæc *invincibilis* nequaquam dicenda eſt; atque adeo , ſi eam non vincamus , ex culpa noſtra oritur , *quæ culpam inde ſubſequentem nullatenus excuſare poteſt* .

Hanc rationem refert , ac primum probat

Vir Clariſſimus Thyrſus Gonzalez in *Fu. Diſſert.* 1. c. 5. aſſerens : „ Non ſolius humanæ diligentiæ , & induſtriæ eſſe , ſed gratiæ Dei , qua innoteſcit , quod latebat, ſicut ſuave ſit , quod non delectabat . Ratio autem eſt , quia , ut Theologi omnes ſuo loco docent , homo ex ſolis naturæ viribus , præſertim in hoc ſtatu naturæ lapſæ , ſine ſpeciali Dei auxilio non ſufficit ad cognoſcendum omne verum morale etiam ad ipſam naturæ legem ſpectans, ſicut nec ſufficit ſibi ſine ſpeciali Dei adjutorio ad eam legem ſervandam " . Minus tamen poſtea eidem firma viſa eſt hujuſmodi ratio , eo quod nimium probare cenſuit, ſcilicet nedum præcepta juris naturæ haud poſſe invincibiliter ignorari , ſed nec etiam juris poſitivi ſive divini , ſive humani , immo nec *facti* errorem excuſari poſſe a peccato : quoniam cum divino lumine , & adjutorio ignorantiæ hujuſmodi vinci a nobis poſſunt . Sed latum eſt inter has ignorantias diſcrimen . Lex quippe naturalis innata ipſi homini eſt , naturæque innocenti debita ejus cognitio , eique ſimul ac homo rationis compos evadit , ſubjectus ſit , eamque implere tenetur . Quapropter Deus facienti, quod in ſe eſt , non denegat gratiam , qua ea cognoſcat , quæ vi legis naturæ cognoſcere debet . *Factorum* vero cognitio non eſt debita naturæ humanæ , nec homini innocenti : adeoque pro hac aſſequenda Deus non tenetur conferre gratiam , nec ad hanc conferendam ulla ſe promiſſione obligavit . Quod vero attinet legem mere poſitivam divinam , & humanam , hujus objectum non eſt per ſe malum , ſed indifferens , ſolumque malum efficitur præcepto extrinſecus adveniente . Quapropter ignorantia ejuſmodi legis omnem objecti malitiam penitus abſcondit , ipſumque in nativa ſua indifferentia relinquit . Sic qui ignorat vetitam eſſe aliqua die carnis comeſtionem , quamquam velit carnes comedere , non ideo vult aliquid, quod natura ſua malum ſit , ſed quod abſolute indifferens eſt . Contra vero , qui vult objectum naturali lege prohibitum , licet directe malitiam nolit , quia tamen vult objectum , quod natura ſua malum eſt , conſequenter vult , ſaltem indirecte , malitiam illi objecto neceſſario conjunctam . Quoniam ejuſmodi objecti ignorantia non aufert ab illo malitiam , quæ *formalis* , non *materialis* dicenda eſt . Cum enim cognitio ejuſdem humanæ naturæ debita ſit , ſi homo propria perſonali culpa non appoſuiſſet obicem , Deus gratiam contuliſſet ad eam ſuperandam . Hoc autem locum non habet in ignorantia ſive *poſitivi juris*, ſive *factorum*: quamquam enim hæc abſolute per gratiam Dei poſſit auferri , culpa tamen hominis non eſt, quod non auferatur : ſiquidem Deus eam gratiam conferre non vult præter ordinarium Providentiæ ſuæ curſum : qui profecto talis non eſt , ut homines illuminet de illis omnibus veritatibus , quæ vel facta , vel leges divinas , maximeque humanas reſpiciunt : nam alioquin ferme continua deberet patrare miracula . Unum tamen hic obſervari velim , quod licet legem poſitivam divinam ignorare invincibiliter poſſit homo infidelis , ſi tamen de iis myſteriis ſermo ſit , quorum cognitio ad obtinendam ſalutem æternam ſimpliciter neceſſaria eſt , poſito quod obicem divinæ gratiæ non opponat , peccando contra præcepta naturalia , *certiſſime tenendum eſt* , docet S. Thomas , quod Deus ipſum de illis illuminabit ſive per Angelum , ſive per fidei præconem , ſive per internam illuſtrationem ; de quo alibi .

Alterum vero in hoc ſitum eſt , quod fide certum tenendum ſit , dari peccata ignorantiæ etiam non affectatæ , quæ a peccato non excuſant . Id namque tum Sacræ Litteræ clare enuntiant , tum Sancti Patres communi conſenſione defendunt adverſus Pelagium, & Pelagianos , ut §. 2. dictum eſt . Nulla porro ſunt ignorantiæ peccata , quæ minus

excuſari

excuſari valeant, quam quæ contra naturæ legem committuntur. Cum enim iſtius legis præcepta ſcripta ſint in cordibus noſtris, ut eſſent omnibus naturaliter nota, iiſque morales ſuas actiones dirigerent; ſi hæc invincibiliter, & innoxie ignorari poſſent, potiore certe ratione invincibiliter, & inculpate ignorarentur præcepta legis poſitivæ, & facta contingentia, atque adeo nulla reapſe eſſent ignorantiæ peccata. Argumentum hocce eo majores vires accipit, quod Pelagius, ut conſtat ex S. Auguſt. *lib. de nat. & grat. c. 17. n. 19.* nedum fatebatur, ignorantiam affectatam eſſe culpabilem; ſed etiam aliquam diligentiam adhibendam eſſe ad ignorantiæ culpam evitandam non abnuebat; ſed alia media neceſſaria non admittebat, quemadmodum nec plures ex recentioribus admittunt. Unde cum ignorantiam aliquam culpabilem ex fidei doctrina admittere oporteat, ea præſertim cenſenda eſt, quæ circa juris naturalis præcepta verſatur.

Confirmatur ex abſurdo graviſſimo, quod, poſita contraria ſententia, ſequeretur; admittendam nimirum eſſe ignorantiam invincibilem, & carentem culpa in iis ipſis præceptis, quæ ex principiis univerſalibus juris naturæ proxime fluunt, & in Decalogo continentur; adeoque excuſari a peccato poſſe graviſſima crimina, homicidia, adulteria, fornicationes, peccata contra naturam &c. quæ nec ipſi adverſarii ſaltem doctiores excuſare audent: quoniam nonnunquam contingit, ut, ſpectatis circumſtantiis, eorum malitia obſcura, cognituque difficilis fiat præſertim indoctis, & ſimplicioribus: quod nonnullis exemplis oſtendi poteſt. Sic excuſari poſſet a culpa homicidium, dum ſcilicet aliquis alium occidit, ne pudicitiæ mulieris inſidietur, ne rabie correptus alios perdat, ne amici vitæ, aut famæ, vel rebus detrimentum inferat &c. Sic a culpa immune adulterium ipſum exiſtimari poſſet, puta ſi mulier ſui copiam alteri faciat, ut maritum a morte liberet; qui caſus refertur a S. Auguſt. *lib. 1. de Serm. Dom. in monte Cap. 17.* vel id ferat Patriæ conſuetudo, ut in Romana Republica, eodem Auguſtino teſte, vel apud Græcos ex majorum, & Sapientum diſciplina, ut perhibet Tertullianus in Apolog. C. 39. Atque eadem de cauſa inculpatæ credendæ eſſent plures monſtroſæ turpitudines, aut peccata contra naturam, quæ licitæ reputabantur a Gentilibus, & licitæ etiam reputantur a quibuſdam inter Chriſtianos. Idem dicas de fornicationibus, de furtis, de mendaciis, quin & de ipſa idololatria, cujus pravitas comperta non eſt in iis regionibus, in quibus non communi-tantum conſuetudine invaluit tanquam pia, & religioſa; ſed & Principum edictis, & legibus præſcripta. Hæc, & alia multa conſequuntur ex adverſariorum ſententia; eadem quippe, qua moventur ad excuſandam ignorantiam in pluribus juris naturæ præceptis, ratio militat, ut has quoque criminoſas actiones excuſare teneantur.

§. VIII.

Reſponſio ad præcipuum adverſariorum argumentum.

X. Qui contra noſtram aſſertionem ſentiunt, hoc unicum ferme habent, quod opponant, argumentum, in quo potiſſimum cauſæ ſuæ præſidium collocant, depromptum ſcilicet ex multis opinionibus, in quibus nedum vulgares Doctores, ſed & ipſi Sancti Eccleſiæ Patres diſſident inter ſe, & in diverſas opiniones abeunt, quoad plura præcepta jus naturæ pertinentia. Porro, cum veræ omnes eſſe nequeant opiniones hujuſmodi, utpote contrariæ, erraſſe aliquos eorum neceſſe eſt, adeoque veritatem non attigiſſe dicendum erit, licet media omnia adhibuiſſe præſumendum ſit ad inveniendam veritatem. Id quod etiam invenire eſt in quorumdam ſanctorum actionibus minus rectis ex ignorantia peractis,

Ignorantia igitur eorum fuit invincibilis, & inculpata, ac proinde etiam de jure naturali hujuſmodi ignorantia admittenda eſt. Hoc argumentum exaggerant ſummopere adverſarii, eoque ſe triumphare de nobis poſſe blandiuntur.

At quamvis illud ego minime contemnendum putem, non arbitror tamen tanti ponderis eſſe, ut nos a ſententia conſtituta dimovere valeat. Itaque primum animadverto, falſo jactate adverſarios, plurimas eſſe quæſtiones, in quibus ſancti Eccleſiæ Patres, ſanctique viri diverſa ſentiunt, cum reapſe paucæ ſint, multoque pauciores, ſi ad eas limitentur, quæ jus naturale ſpectant. In iis namque nulla fere diſcordia deprehenditur, ſed concordia plerumque ſumma, ut jam a multis oſtenſum eſt. Deinde in paucis illis, queis diſſident inter ſe, magna cautione, metuque procedere ſolent, ut nempe quid ipſi ſentiant, exponant quidem vel tanquam certum, vel ut veriſimilius. At ſecuritatem non promittunt, immo admonent, ut ſibi quiſque caveat, certumque teneat, & incertum dimittat. Audiamus, quo pacto ſe gerant in his duo præcipui Eccleſiæ Patres in ſcribendo, atque docendo, quorum exemplum & ipſe miſerrimus peccator perſequi ſtudeo in his, quæ ſcribo, vel doceo; utinam exacte, & fideliter. S. Auguſtinus *lib. de Don. perſev. C.* 21. hæc admonet: „ Neminem velim ſic amplecti omnia mea, „ ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus „ me non errare perſpexerit. Nam propterea „ nunc facio libros, in quibus opuſcula mea „ retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in „ omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem". Et *Epiſt.* 7. *Plura fortaſſe, quam etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare, ſi poſſem.* Epiſt. quoque 250. ad Paulinum: *Ego in his quotidie me peccare fateor, & ignorare, quando, quove modo cuſtodiam id, quod ſcriptum eſt: peccantes coram omnibus argue. Quis in his omnibus tremor, mi Pauline, ſancte homo Dei? Quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus, de his eſſe dictum: timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ?*

Eodem modo ſe geſſit alter Eccleſiæ Doctor S. Thomas. Cum enim in *Supp. cm. q.* 6. *art.* 5. docuiſſet, peccatorem non teneri, etiam data opportunitate, ad confeſſionem ſtatim faciendam, ſed eam differre poſſe uſque ad tempus debitum, ſubjecit tamen, *periculoſum eſſe differre*. Et in quodl. ſæpe laudato principium illud inculcat omnibus: *Quoties de peccato mortali agitur, quæſtio periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſa habeatur.* Hinc, tametſi Sancti Dei in hac mortali via ignorantiæ tenebris obſita, *vigiliis continuis excubent*, ut jam diximus ex Auguſtino, *ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, aut ne quod bonum eſt, malum; quod malum eſt, bonum eſſe credatur*; nihilominus ſemper clamant cum Davide: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine*, & cum Salomone: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.*

Ad pleniorem argumenti ſolutionem proderit hic, paucis immutatis, recentis, piique Scriptoris afferre reſponſum, quod ferme omnia, quæ diximus, egregie complectitur. Si ad Scripturarum, inquit, & Sanctorum doctrinam argumentum ſerio expendatur, non ea, quam adverſarii exiſtimant, vi & evidentia fruitur. Ineluctabile hoc illi reputant his decepti præjudiciis: altero, quod piaculo ſibi vertant, perſuadere ſibi Sanctos Doctores, ut & alios viros ſanctitate eximios, vel leviter peccaſſe; altero, quod ſi illi peccaverunt, eorum culpa non potuit non eſſe gravis: quoniam gravis erat materia, circa quam eorum ignorantia verſabatur. Argumentationem iſtam Sancti ipſi Doctores in anteceſſum refellerunt. Et quod ad primum attinet, ipſi Sanctorum celebriores, ut David ex veteri,

Paulus

Digitized by Google

Paulus ex novo Teſtamento, pro repellendis ignorantiis Deum continenter orabant: hæc ignorantiæ crimina ſummopere verebantur, ut ex eorum teſtimoniis palam fit: In ſententias varias interdum abiere, etiam ſuper iis, quæ juris ſunt naturalis, & divini poſitivi. Eſto. Quid inde? ergo omnes non ſunt aſſecuti veritatem. Hoc illi ipſi faſſi ſunt: non tamen fuerunt ſuarum opinionum diverſitate aliis errandi occaſio: quoniam lectores admonent dari ignorantiæ peccata. Si omnem veritatem moralem aſſecuti Sancti fuiſſent, impeccabiles dicendi Sancti forent, quod nec adverſarii affirmant. Peccarunt ergo & Sancti. Nam ſepties in die cadit juſtus. Sed quænam genera peccatorum Sanctis prudenter tribuenda ſunt? Nonne leviora? Nonne minoris malitiæ, & contumaciæ? Quænam hæc? Sane peccata ignorantiæ, ſubreptionis, & infirmitatis, minuſque voluntaria. Alterutrum ergo fatendum, aut ſanctos Doctores, ſanctoſque viros communiter non peccaſſe, quod Sacræ Scripturæ repugnat: aut peccata commiſiſſe ignorantiæ, quæ, utpote minus libera, minuſque voluntaria, excuſantur, ſin minus a toto, ſaltem a tanto. Porro cum horum omnium SS. Doctores Chriſtianum populum admoneant, altiuſque inclament, periculoſe illas definiri quæſtiones, in quibus de peccato mortali diſputatur, niſi veritas expreſſe habeatur, nemini ſunt errandi occaſio: quamvis illorum aliqui aſſecuti veritatem non ſint. Immo cum doceant, ob occultas culpas, ob negligentiam, ob præjudicia, ob ſecretas alias minus rectas affectiones ſæpe veritatem non inveniri, omnem errandi occaſionem aliis abſtulerunt. Ecquis eſt, qui ex hoc non intelligat, argumentum, quod adverſarii invincibile putant, ſuam excipere, nec ſane non admodum fundatam, ac veriſimilem reſponſionem?

§. IX.

Quibuſdam in caſibus, qui ad jus naturæ aliquo modo referuntur, ignorantia invincibilis, & a culpa ſaltem gravi immunis admittenda videtur. Modi quidam afferuntur, queis hæc altera aſſertio ſuſtineri valet.

XI. Quamquam vero, quæ hactenus dicta ſunt, veriſſima judicem, nullamque admittendam putem invincibilem ignorantiam *de legibus*, aut *præceptis* juris naturalis, abſolute, & generatim conſideratis: ita namque ſatis aperte & Sacræ litteræ, & Eccleſiæ traditio nos docet, invicta ratio confirmat; nihiloſecius non ii ſumus, qui inficiari velimus, quoſdam eſſe caſus obſcuros, & implexos, de quibus præſertim diſſenſio eſt penes Sapientes, veraſque morum regulas conſectantes Theologos, qui invincibiliter, & abſque culpa ignorari aliquando valeant. Verum tota difficultas eſt in explicanda hac altera aſſertione, quæ priori jam conſtitutæ, totque præſidiis munitæ primo aſpectu videtur oppoſita. Tres ego explicandi modos referam; relicta cuilibet illum eligendi libertate, qui magis placuerit, aut viſus fuerit probabilior.

Primus explicandi modus.

Primus, qui nonnullis arridet, modus explicandi eſt, dari nimirum in quibuſdam caſibus ad jus naturæ pertinentibus ignorantiam invincibilem *ſpeculativam*, non autem *practicam*. Sentiunt ſcilicet, aliqua jus naturæ concernentia ignorari poſſe abſque culpa, quoties cognitio ignorantiæ oppoſita hic & nunc neceſſaria non eſt ad propriam directionem in agendis, vel omittendis. Sic enim Monialis ex. gr. abſque ulla culpa ignorat jura maritalia: ſic artifex, & ruſticus ſine peccato ignorant, quæ requiruntur ad officia Judicis, Presbyteri, Epiſcopi

copi

Digitized by Google

copi &c. & hanc ignorantiam *ſpeculativam* vocant. At nullam ignorantiam inculpatam agnoſcunt in iis, quæ proprium officium ſpectant; aut quoties ſcientia ignorantiæ oppoſita hic & nunc neceſſaria eſt ratione actus, qui exerceri debeat: ut ſi vel mulier, vel Religioſus, vel quivis alius contractum aliquem celebrare velit, aut aliud ſimile opus exequatur, licet ad ſuum munus non pertineat: & hanc, ſi occurrat, *practicam* ignorantiam appellant, quam ſemper peccaminoſam cenſent.

Sed revera modus iſte nihil habet amplius, quam quod cæteri docent de ignorantia vincibili, aut invincibili legis naturæ. Non enim abſolute neceſſe eſt, quod quilibet ſciat caſus omnes, qui ſub lege naturæ continentur: neque enim, ut in allatis exemplis, tenetur vel Monialis, vel ruſticus habere ſcientiam omnium illorum, quæ ſpectant Mercatores, Judices, Eccleſiaſticos, Parochos &c. juxta auream illam S. Thomæ doctrinam, quæ obligationem cognoſcendi determinat *ad univerſalia juris*, *ad præcepta communia*, *ad mores recte formandos*, & ad illa *quæ ſpectant peculiarem cujuſque ſtatum, & officium*. Unde hæc ſcire utique quiſque debet: alia vero ſcire non tenetur, niſi caſus occurrat, quo debeat illa exequi; ſive, ut ait idem S. Doctor, *ratione actus debiti*. Tunc enim, ſi ſit rite diſpoſitus, ſi obicem non apponat, Deus lumen gratiæ ſuæ non negabit, ut illud cognoſcat, quod neceſſarium eſt, ne legem Dei tranſgrediatur.

MODUS ALTER EXPLICANDI.

XII. Hic modus, qui pluribus placet, mihique admodum probabilis eſt, ita exponitur. Conſiderant Authores, qui illum defendunt, in caſibus non paucis difficilioribus, abſtruſis, & obſcuris circumſtantiis involutis, de quorum ſæpe malitia diſputatur penes accuratos, doctoſque Theologos, duo frequentius implicari, ſcilicet *jus*, & *factum*: unde quæſtiones, quæ de his fieri ſolent, *mixtæ* dicuntur ex *jure*, & *facto* ob eas, quæ ſæpiſſime ex eodem facto emergunt, difficultates. Quæſtionum ejuſmodi exempla nonnulla proponit Chriſtophorus a S. Joſeph in Tract. *de Regulis Morum part.* 2. *q.* 5. *art.* 11. cujus verba proferre lubet. „ Sit exemplum, inquit, in mutuo. Si dubium ſit, „ an ex mutuo abſolute poſſit accipi ali„ quid extra ſortem, ſolum dubium eſt „ *juris*: & ſic nequit dari in ejuſmodi ac„ ceptione *ignorantia invincibilis*: quia nul„ lus eſt, qui velit aliquid exigi ultra ſor„ tem: quia nullus adeſt titulus exigen„ di, nec valent plus centum, quæ dantur, „ quam centum, quæ accipiuntur. Cæterum „ alia dubia occurrunt circa mutuum, an „ ſit contractus uſurarius, vel non, v. „ gr. an ratione trium contractuum poſſit „ exigi aliquid ſupra ſortem, puta ratione „ lucri ceſſantis, aliis Authoribus negan„ tibus, aliis vero affirmantibus: ſed tali„ ter, ut qui affirmant, negent eſſe uſu„ ram, atque ajant dari titulum accipien„ di. Idem in illa quæſtione, an delic„ tum in uno loco publicum poſſit licite „ in alio loco, ubi ignoratur, manifeſtari? „ Plures negant, alii affirmant: ſed ideo „ hoc ita ſentiunt, quia hoc ipſo, quod „ delictum hic eſt publicum, de facto ami„ ſit jus circa famam propriam delinquens, „ & ideo dicunt non eſſe contra juſtitiam, „ nec contra charitatem delictum manifeſ„ tare. Idem eſt in materia temperantiæ, „ Nemo namque ignorat ex præcepto juris „ naturæ reſcindendas eſſe ſuperfluitates, & „ exceſſus (ſive etiam defectus) in potu, „ cibo, & in aliis ſenſuum oblectamentis: „ ſed in factis dignoſcendis, an exorbitent „ aut menſura, aut defectu, hoc opus, „ hic labor eſt. Et quia circa facta poteſt „ dari ignorantia invincibilis [ut omnes „ aſſentiuntur], ideo in prædictis quæſtio„ nibus facilius admitti poteſt eadem igno-

rans

„ rantia, non autem in pertinentibus ad „ ipſum jus naturale “.

Sic autem ſeſe magis explicant, qui ignorantiam invincibilem *facti* haberi poſſe ſentiunt in his caſibus difficilioribus, & abſtruſis. Nimirum, inquiunt: „ Jus naturale aliquid prohibens definitur: *Recta ratio cordibus noſtris a Deo inſcripta, docens aliquid illicitum*. Sic injuſtitia, ſeu inæqualitas in contractibus, quam recta ratio interdictam monet, jure naturali prohibetur. Porro hæc recta ratio, ſive hoc jus naturale injuſtitiam prohibens, ex ſe non deſignat ullos contractus particulares injuſtos: ſed cognoſcere, quinam in particulari juſti ſint, quinam injuſti, a circumſtantiis ipſorum pendet, quæ *ad factum*, non *ad jus* ſpectant. Idem contractus, qui cum una circumſtantia *facti* juſtus eſſet, ſine illa fit ſæpe injuſtus, & vice verſa. Id ergo cum pertineat ad *factum*, cognitio ſeu ignorantia injuſtitiæ particularis contractus *factum* ſimiliter ſpectat. Itaque, ſi contingat, ut quis aliquem contractum injuſtum neſciat; non continuo jus ignorare dicendus erit, ſed *facti* circumſtantiam, a qua injuſtitiæ cognitio pendet, quo *facti* errore fiet nonnunquam, ut is etiam, cui exploratiſſimum ſit illud jus naturale, quamcunque injuſtitiam prohibens, eam circumſtantiam, in qua injuſtitia ejus contractus ſita eſt, ipſumque proinde contractum injuſtum neſcit “. Ita ii qui uſurarium contractum invincibiliter exiſtimant juſtum, ſeu non uſurarium; non ideo errant, quod jus ignorent interdicens injuſtitiam, ob quam uſura jure naturali prohibetur: ſed eo in contractu non deprehendunt illam circumſtantiam, quæ injuſtitiam, aut inæqualitatem uſuræ continent, vel ſubindicet: quam ſi deprehendiſſent, ſtatim injuſtitia ejus contractus illuxiſſet.

Juxta itaque hunc dicendi modum in caſibus plurimis obſcurioribus, & involutis ignorantia invincibilis, ſi culpa negligentiæ deſit, admittenda eſt, non quidem de jure naturali ipſis immixto, ſed *de facto*; quod ſub controverſiam venit; juſque ipſum ſupponit, de quo diſputatio non eſt, neque innoxie ignorari valet. Unde quia in his caſibus naturale jus velatum manet, & abſconditum in ipſis actibus, etiamſi quandoque contingat error, excuſatur homo a peccato propter ignorantiam *facti*, in quo ſolum materialiter agit contra jus naturæ; ſicut in acceſſu Jacob ad Liam, qui materialiter, & phyſice fuit contra jus naturale. Hoc illuſtrari poteſt, ut mihi videtur, doctrina S. Thomæ quam habet 1. 2. q. 76. art. 2. his verbis: *Manifeſtum eſt, quod quicumque negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt. Unde horum ignorantia* (quam alibi ſæpe *ignorantiam circumſtantiæ actus* appellat) *invincibilis dicitur: quia ſtudio ſuperari non poteſt. Et propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum*. Ex hac porro doctrina confici poteſt hoc argumentum in favorem poſitæ ſententiæ. Quemadmodum eorum, quæ mera facta ſpectant, ignorantia invincibilis eſt, aut eſſe poteſt, quia nullo ſtudio, aut diligentia ſuperari valet, nempe adhibitis etiam mediis illis, quæ adhibere tenemur, quia facta omnia nec humano lumine nobis innoteſcunt, nec divino, quod Deus conferre in iis etiam caſibus, in quibus jus naturæ materialiter violatur, nulla ſe promiſſione obſtrinxit, ut patet in acceſſu Jacobi ad Liam: ita pariter dicendum videtur de factis illis, quibus jus ipſum naturæ immixtum eſt; neque enim diſpar videtur de utriſque ratio. Igitur cum in poteſtate noſtra non ſit hujuſmodi ignorantiam repel-

repellere ea invincibilis & inculpata dicenda erit.

TERTIUS EXPLICANDI MODUS.

XIII. Modus iſte, quem jam innuimus paragrapho præcedente, in eo poſitus eſt, quod non omnis ignorantia juris naturalis, licet aliquo modo vincibilis, & culpabilis, damnanda ſit peccati mortalis, ſed nonnunquam leve, & veniale peccatum ſit. Hoc autem non eo tantum ſenſu intelligi debet, eum objectum ignorantiæ, ſive id, quod ex ignorantia committitur, ſit ex ſe leve peccatum: de hoc ſiquidem nulla eſt dubitandi ratio; ſed etiam cum objectum ex natura ſua grave peccatum eſt. Et quidem ignorantiam generatim loquendo diminuere peccati malitiam aperta eſt S. Thomæ doctrina 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. ubi cum dixiſſet; *Quia omne peccatum eſt voluntarium, in tantum ignorantia poteſt diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium &c.* ſubjungit: *Illa igitur ſola ignorantia poteſt peccatum minuere, quæ eſt cauſa peccati, & tamen totaliter a peccato non excuſat. Contingit autem quandoque .... quod ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non eſt directe voluntaria, ſed indirecte, vel per accidens: puta cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur eum eſſe ignorantem: vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo ſequitur eum inebriari, & diſcretione carere. Et talis ignorantia diminuit voluntarium, & per conſequens peccatum.*

Equidem in hoc textu S. Thomas non exprimit, ignorantiam, de qua loquitur, ita diminuere peccatum, ut de mortali, quod eſſet, veniale fieri queat. Sed tamen hoc ſatis diſerte videtur aſſerere 2. 2. *q.* 54. ubi ſtatuit ignorantiam peccatum eſſe *ratione negligentiæ*: & ſubinde *art.* 3. docet, quod ſi negligentia oriatur *ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed veniale*; adeoque & ignorantia inde conſecuta. Quod etiam comprobari poteſt ex alia communi doctrina ſæpe a S. Doctore tradita, quæ affirmat, *concupiſcentiæ motus*, qui ex genere ſuo lethalia peccata ſunt, *ex imperfectione* tamen *actus*, ut ait, ſive cum præveniunt perfectum uſum rationis, venialia duntaxat reputari. Si ergo in indaganda veritate negligentia vel curerendi, vel orandi, vel cuſtodiendi cor ſuum ab affectionibus minus rectis, gravis non ſit, ut plerumque gravis eſt in iis, qui vitam ſolutiorem agunt, ſed *levis*, ſive orta ex aliquo *tepore*, ex aliqua incuria in implorando divino lumine, ex aliqua paſſione animi minus compreſſa, uno verbo ex aliquo levi defectu, qui ſæpe invenitur etiam in ſanctis viris, non eſt ignorantia, quæ inde ſuboritur, exiſtimanda gravis, aut lethalis culpa, ſed inter ea peccata computanda videtur, de quibus, ut cum Auguſtino loquar, quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Hinc Auguſtinus idem ſermonem habens de errore, in quem lapſus eſt S. Cyprianus in ea concertatione, quam habuit cum S. Stephano Papa circa Baptiſmum, vocat illum lib. 1. de bapt. c. 19. *nævum in candore ſanctæ animæ, quem charitatis ubera contegebant.* Atque hæc eſt tentatio illa humana, cui in hujus vitæ tenebricoſo carcere obnoxiæ ſunt, ut Sanctus ipſe Doctor obſervat *lib.* 12. *de civit. Dei*, etiam animæ perfectiores, quæ Deo in omnibus placere ſatagunt, ut nempe *fallantur in aliquo per ignorantiam temporalium*; quoniam, ut declarat Author libri *de Vita Contemp.* qui ſub ejus nomine circumfertur: *Ex eo, quod necdum ita eſt eorum vita perfecta prudentia, ſicut in illa vita erit, ubi perfecte viventibus nullus error obrepere omnino poterit: etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus acquieſcunt, non voluntate depravati, ſed humano errore, ut homines lapſi, nec adhuc tota prudentia, ac ſapientiæ perceptione perfecti. ſicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare jam poterunt.*

Doc-

Digitized by Google

Doctrinam hanc, quæ recto ſenſu intellecta certa aut fere certa mihi eſt, roborare amplius lubet duobus exemplis. Primum refert S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialog.* de Paſcaſio quodam Apoſtolicæ Sedis Diacono, *miræ*, ut inquit, *ſanctitatis viro, eleemoſynarum maximis operibus vacante, cultore pauperum, & contemptore ſui*. Iſte in illa contentione, quæ exarſit, pro Cathedra Romanæ Eccleſiæ inter Symmachum, & Laurentium, neſcio quo judicio ductus, certe falſo, *Laurentii* partibus conſtanter hæſit adverſus *Symmachum*, quamvis iſte concorditer poſtea ad Pontificatum electus fuerit, in quo erravit procul dubio, &, ſi ſolum objectum erroris, aut ignorantiæ ſpectemus, in re de ſe gravi, quinimo graviſſima, cum de Schiſmate Eccleſiæ ageretur. Quapropter ob illum pœna plexus eſt, ut S. Germano Epiſcopo Capuano ipſe notum fecit: quis tamen utpote vir ſanctiſſimus, bona fide in ea re ſe geſſit, *& non malitia, ſed ignorantiæ errore*, & quidem haud graviter culpabili, *peccavit, purgari poſt mortem a peccato potuit*; ſive ita deliquit, ut non jam ſempiterno, ſed temporario tantum igne puniri mereretur.

Exemplum alterum me legiſſe recordor apud gravem Authorem de quodam eximiæ ſanctitatis viro ex Ordine Fratrum Cappucinorum, & miraculis in vita, & poſt mortem patratis illuſtri, qui poſt ſex ab obitu menſes Confratri ſuo apparuit, ac in Purgatorio adhuc detineri teſtatus eſt, ob errorem propter inadvertentiam commiſſum in re quadam non exigui momenti, damnandus alioquin ad inferni ſupplicia, niſi bona fides, ac ſimplicitas interceſſiſſet. His itaque, aliiſque, quæ afferri poſſent, exemplis edocemur, non omnem negligentiam, ex qua error, aut ignorantia proficiſcitur, etiam in re gravi, grave ſemper eſſe peccatum, ſed quandoque leve, ac veniale. Ex quo magis firmatur reſponſio ſuperius adducta ad præcipuum argumentum, illorum, qui ignorantiam invincibilem, & inculpatam admittendam eſſe contendunt in præceptis juris naturæ.

§. X.

Quæcumque ignorantia ſive juris naturalis, ſive poſitivi, ſive facti, vincibilis eſt, & culpabilis, dum adeſt ſuſpicio, vel dubium de actionis, vel omiſſionis pravitate.

XIV. Evidens ex dictis prorſus eſt aſſertio iſthæc: quoniam ipſis fatentibus Probabiliſtis ſaltem æquioribus, ea ſola *ignorantia invincibilis dici poteſt, quoties, qui agit, nullum habet principium* vincendi errorem ſuum. Porro qui ſuſpicatur, multoque magis, qui dubius hæret de honeſtate ſuæ actionis, aut omiſſionis, ſive ad jus naturale, ſive ad poſitivum humanum, & divinum; ſive etiam ad factum, quod peccato ſubeſſe poſſit, pertinentis, jam principium habet vincendi ſuum errorem. Nam poteſt diligenter inquirere veritatem, affectiones animi ſui perſcrutari, conſulere viros doctos, ſapienteſque, Deique lumen implorare, quæ media ſunt inveniendæ veritatis, quæ niſi prætermittat, ex ordinario Divinæ providentiæ ordine illam inveniet. Neque enim, ut ex Sancto Auguſtino dictum eſt, *fieri poteſt quadam divina providentia, ut religioſis animis ſeipſos, & Deum ſuum quærentibus, ideſt veritatem pie, caſte, & diligenter quærentibus, inveniendi facultas deſit*. Unde ſi hæc aliquis non perficiat, dum in ſuſpicione, vel dubio prudenti eſt de actionis, aut omiſſionis honeſtate, jam officio, ac debito ſuo deficit, adeoque ſuus error, aut ignorantia invincibilis non eſt, nec a peccato excuſat etiam lethali, ſi gravis materia peccati, juxta ſolemne illud, & inconcuſſum S. Thomæ principium: *Ignorantia, quæ cau-*

ſatur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam excuſare.

Quod ſi poſt adhibita media ad veritatem indagandam ſupeſit adhuc ſuſpicio prudens, aut dubitatio de pravitate actionis, tunc recta ratio præſcribit, amplectendam eſſe tutiorem partem, in qua peccandi periculum non eſt. *Quid enim in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittimus?* inquit S. Auguſtinus, & cum Auguſtino cæteri quique Eccleſiæ Patres: immo ante hos notarunt Sapientiores Gentilium, quorum nomine celebrem illam Tullius ſententiam edixit: *Rectè præcipiunt, qui fieri vetant, quod dubites æquum ſit, vel iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ*. Nec plura de hoc modo edisſero: quoniam alibi fuſius comprobanda hæc veritas eſt.

Verum hic nobis obſtrepunt Probabiliſſimi moderni ſectatores, contenduntque, manente etiam ſuſpicione, aut dubitatione prudenti, adhuc ignorantiam legis eſſe *invincibilem*, quæcunque lex ſit, ſive naturalis, ſive divina poſitiva, aut humana. Monſtro id plane ſimile mihi videtur, ac videbitur quibuſcunque cordatis hominibus. Qui enim fieri poteſt, ut ignoret, & quidem *invincibiliter*, legem, dum prudenter ſuſpicatur, aut dubitat, eam adeſſe, quæ actionem aut præcipiat, aut vetet? aut quis unquam ex melioribus Patribus, aut Theologis talem ſibi notionem confinxit ignorantiæ *invincibilis*? Ignorantia nonne *privatio cognitionis* eſt? Quomodo igitur cognitione privatus dicendus eſt qui prudentem habet ſuſpicionem, aut dubium de legis præcipientis, aut vetantis exiſtentia?

Utique, adverſarii reſpondent: nam, tametſi, qui ſuſpicatur, aut dubitat, legis habeat cognitionem, cognitionem tamen legis ſolummodo habet *probabilem*, non autem *evidentem, & certam*. Verum quid, amabo, refert carere hunc certa, & evidenti legis cognitione, ut dici queat laborare ignorantia invincibili, dum non caret cognitione fundata, ac prudenti? Cum hujuſmodi cognitione conciliari ne poteſt *invincibilis ignorantia*, quæ abſolute *privatio cognitionis* eſt? Cæcutiens homo, qui cognitionem ſolum probabilem habet ruendi in foveam, ſi hanc potius, quam aliam viam inſequatur, dicetur ne unquam periculi ſui ignorantia teneri *invincibili*, quia illud certo, & clare non perſpicit? Venator, qui debita diligentia adhibita, dubitat num fera, vel homo ſit, in quem ſagittam projicit, excuſabitur ne in humano judicio, ſi illum occidat, prætextu ignorantiæ *invincibilis*?

Quid plura hic modo congeram ad hoc paradoxum vere incredibile exſufflandum, quod tamen modérni Probabiliſmi fundamentum eſt? Satis ſit animadverſio doctiſſimi recentis Scriptoris, quam habet *in Reg. Act. Mor. c. 4. §. 5.* „ Probabiliſtæ, inquit, „ *invincibilem* probant hujuſmodi ignorantiam: „ quia ille (qui ſuſpicatur, aut dubitat, „ num lex ſit) veritatem *certam* invincibiliter ignorare dicitur, qui poſt diligens ſtudium veritatem certo invenire non potuit. „ At ſi non potuit *certam* veritatem invenire, & ideirco certæ veritatis ignoratio illi eſt plane invincibilis, num *error*, quo opinioni falſæ adnæſit, æque invincibilis ſuit? Nonne, ignorata licet veritate omnino certa, potuit aſſenſum hunc falſum adhibere, atque ſuſpendere? Nonne contrariæ opinionis argumenta, gravia, & probabilia, quæ prudentes homines movere poſſunt, ac debent, ad aſſenſum cohibendum ſatis prudenter movebant? „ Nonne, ſi hoc ille feciſſet, uti poterat, abſtinuiſſet ab errore approbando, & ita errorem viciſſet? Quomodo ergo hic certo *invincibiliter* errare dicitur? Num invincibilis ignorantia certæ veritatis excuſationem parit errori, quantumvis *vincibi-*

„ *li*

„ *li ?* An vero , quia *certæ* veritatis ignora-
„ tio invincibilis eſt , nihil praxim offendit
„ error *vincibilis* ? Immo error practice mul-
„ to magis offendit : neque enim mera *cer-*
„ *tæ* veritatis ignoratio , quæ per ſe ad ope-
„ randum non dirigit ; ſed error , quo licere
„ opinamur , quod revera non licet , eſt ac-
„ tionis cauſa : ideo namque in caſu agit ho-
„ mo , quia opinatur , & errat , non quia
„ veritatem mere ignorat , ut conſideranti
„ patebit : ac propterea ad praxis culpam
„ ſatis eſt errorem eſſe vincibilem : quippe
„ qui ſolus culpæ practicæ cauſam affert .
„ Nec ſolum in culpa eſt ignorare verita-
„ tem , ſi per diligentiam poſſit inveniri :
„ ſed criminoſum eſt etiam errorem recipe-
„ re , ſi potuit excludi : cum præſertim ve-
„ ritas practica proprie non ita violetur ſim-
„ plici alicujus veritatis ignoratione , quæ in
„ opus nihil influit ; uti violatur errore ,
„ quo quis inducitur ad operandum , id quod
„ legis veritas interdicit . " Hæc ille ſcite ,
& egregie .

CAPUT VIII.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ.

I. *In rebus moralibus error proprie dictus nunquam , aut fere nunquam ſine peccato eſt.*

II. *Præſumptionis reus eſt , qui de ignoratis ſententiam fert , ut qui opinionem minus probabilem probabiliori præfert .*

III. *Principia S. Thomæ ſemper habenda ſub oculos , ut cognoſcatur , quænam ignorantia invincibilis , quænam vincibilis , & culpabilis ſit .*

IV. *Ignorantia eorum , quæ ad ſalutem pertinent , vix admitti poteſt inter Chriſtianos .*

V. *Ea juris humani præcepta , quæ ad Communitatem ſpectant , aut etiam ad peculiaria hominum officia , vix abſque culpa ignorantur .*

VI. *Ignorantia* facti *invincibilis minime datur, ſi debita diligentia præmiſſa non ſit .*

VII. *P. Dominicus Viva D. Thomæ authoritate abutitur in adſtruenda invincibili ignorantia* latrocinii .

VIII. *Alia ejuſdem Authoris abuſio in conſtituendis præceptis : de quibus inculpatam ignorantiam poſſibilem admittit .*

IX. *Nimia , ac damnabilis quorumdam Caſuiſtarum libertas in dilatanda ignorantia invincibili præceptorum juris naturæ .*

X. *Abſurdiſſimæ conſecutiones , quas ex laxa de ignorantia invincibili doctrina Theologi plures eliciunt .*

XI. *Quid ex hac doctrina neceſſario conſequatur.*

XII. *Fallitur Lacroixius contendens , ſententiam negantem ignorantiam invincibilem juris naturæ fuiſſe damnatam .*

XIII. *Quam deplorabilis ſit plurium in hac re Confeſſariorum praxis .*

XIV. *Voluntarium & liberum* in cauſa *eſt peccatum , quod ex vincibili ignorantia committitur .*

XV. *Ignorantia juris naturæ , quam Probabiliſtæ invincibilem tradunt , reapſe vincibilis eſt .*

XVI. *Ignorantia vincibilis voluntaria eſt propria cujuſque voluntate : non ſola Adami voluntate .*

XVII. *Magno in periculo æternæ ſalutis verſantur , qui peccata ignorantiæ parum curant.*

XVIII. *Ignorantia inculpata non eſt in iis, qui cognoſcendæ veritati impedimentum opponunt .*

XIX. *Nec in illis etiam eſt admittenda, qui ſe præjudiciis , & paſſionibus abduci ſinunt.*

XX. *Inconſideratio , & temeritas in agendo culpabilem ignorantiam efficiunt .*

XXI. *Magna circumſpectione præbenda ſunt conſilia , ac reſolvendi caſus de juris præſertim naturæ præceptis .*

XXII. *Difficilis debet eſſe Confeſſarius in excuſandis ignorantiæ peccatis .*

Reflexio .

Consectarium primum.

I. CUM error in eo ab ignorantia differat, quod aſſenſus quidam ſit intellectus, quo falſitas pro veritate, aut veritas pro falſitate approbatur, idcirco in rebus moralibus nunquam, aut fere nunquam ſine peccato eſt. Ita D. Thomas q. 3. *de malo* art. 7. ubi ait: *Quando aliquis falſam ſententiam fert de iis, quæ neſcit, tunc proprie dicitur errare. Et, quia peccatum in actu conſiſtit, error manifeſte habet rationem peccati. Non enim eſt abſque præſumptione, quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat: & maxime in quibus periculum exiſtit*. Cum ſcilicet homo errat in iis, quæ ad conſcientiam, aut ſalutem animæ pertinent.

Consectarium Secundum.

II. Ex hac doctrina ſequitur præſumptionis reum eſſe, qui in conflictu duarum opinionum probabilium illam eligit, quæ libertati favet præ contraria favente legi; non enim hoc præſtare valet, quin ſententiam ferat, dum illam in praxi approbat, *de ignoratis, in quibus periculum exiſtit peccandi*, & facile eſt, ut falſam pro vera approbet. Neque dicas, eo in caſu ignorari etiam num vera ſit opinio contraria: neque enim tunc hanc amplectimur, quia veram judicamus, cum id pariter ignoremus: ſed quia in eo caſu judicium certiſſimum habemus de hac veritate, *in dubiis ſequendam eſſe partem tutiorem*, cui error ſubeſſe nequit.

Consectarium Tertium.

III. In hac de ignorantia vincibili, & invincibili quæſtione duo illa maxime ſub oculos habenda ſunt S. Thomæ capitalia, ac certiſſima principia, nempe illud, cujus non ſemel mentionem fecimus: *Ignorantia, quæ cauſatur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam excuſare*; alterum vero: *Qualibet ignorantia culpa non caret, quoties aliquid ſcire poſſumus, ac tenemur*. Ex quibus plura certa conſecutione facile deduci poſſunt, pluresque controverſiæ dirimi, quæ a Theologis de hoc argumento inſtitui ſolent. Atque ex priore quidem, præter alia, ſequitur, vincibiles, & culpabiles fuiſſe, atque eſſe ignorantias omnes, & errores Gentilium de cultu Idolorum, de fornicatione, de immunditiis, aliiſque innumeris peccatis, quæ ignorantes committebant, aut committunt, quemadmodum etiam Chriſtianorum, qui aliqua ex iis ſæpe ignorant, aut illa etiam, quæ ſpectant ad jus poſitivum tum divinum, tum humanum. Unde de hujuſmodi ignorantiis, & erroribus, an culpabiles ſint, nec ne, juxta illud principium ferendum judicium eſt. Ex altero vero colligitur, nunquam eſſe ignorantiam culpabilem, ſi vel aliquid ſcire minime tenamur, vel ſcire abſolute non poſſimus, etiam adhibitis mediis ad inveniendam veritatem; vincibilem vero, atque culpabilem dicendam eſſe, dum poſita ſciendi obligatione, media prætermittimus, queis cognitionem veritatis aſſequi valemus. Quæ ſequentibus conſectariis manifeſtiora fient.

Consectarium quartum.

IV. Ignorantia invincibilis juris poſitivi, maximeque eorum præceptorum, quæ neceſſario credenda ſunt, vel publice in Eccleſia prædicantur, communiter admittenda non eſt inter Chriſtianos. Nam illucente undique Chriſtianæ Fidei doctrina, ex culpa ſemper, aut plerumque ſaltem, oritur hujuſmodi ignorantia, quod ſcilicet ex negligentia ea non didicerint, nec curam ad ea addiſcenda adhibuerint, quam adhibere conſueſcunt in negotiis ſuis temporalibus.

Consectarium quintum.

V. Eadem ratione haud facile admitti debet ignorantia invincibilis, & inculpata de præceptis juris poſitivi humani ſive Eccleſiaſtici

ſtici, ſive Civilis, maximeque in iis, quæ pertinent ad ſtatum, vel officium cujuſcunque peculiare: quæ ſcire omnes tenentur, ut rite, ac recte munere ſuo quiſque fungatur, propriæque obligationi ſatisfaciat. Nam ex incuria, & negligentia talis ignorantia proficiſcitur, aut etiam ex præſumptione, qua aliquis officium aſſumit, cujus omnibus obligationibus cognoſcendis par non eſt ob intelligentiæ defectum.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. In factis, quæ legem concernunt, ne ignorantia vincibilis ſit, ea cura, & diligentia adhibenda eſt, quæ adhibetur a viris prudentibus in rebus ſuis juxta negotii qualitatem. Hinc qui cæmentum, aut lapides e tecto projicit, niſi antea admoneat tranſeuntes, aut clamet, a culpa non excuſatur, ſi aliquem eorum occidat, aut percutiat. Similiter non excuſatur, qui vini ad ſe inebriandum vim expertus, nihilominus illud liberius bibit: atque ita in cæteris aliis, quæ in dies occurrere ſolent.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Fœde abutitur authoritate S. Thomæ P. Dominicus Viva, dum in propoſitionem II. ab Alexandro VIII. damnatam adſtruens dari poſſe ignorantiam Invincibilem, & inculpatam da pravitate *latrocinii*, vocat in patrocinium ſententiæ ſuæ S. Doctorem 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. dicentem, *Apud Germanos latrocinium olim reputatum non fuiſſe iniquum, cum tamen ſit expreſſe contra legem naturæ*. Ibi namque Angelicus loquitur de ignorantia, quæ oritur *ex depravata ratione*, *ex paſſione &c.* quæ profecto *ex culpa* eſt, adeoque nec ſubſequentem culpam excuſare poteſt.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Turpius etiam errat idem Author eodem loco, dum invincibilem juris naturæ ignorantiam non admittens, quod concluſiones immediatas, & clare deductas ex primis, & univerſalibus juris principiis, ab iis tamen excludit, appellatque *concluſiones mediatas*, *& non aperte deductas*, *ſed remotas* quædam etiam præcepta Decalogi, ut furtum, fornicationem, pollutionem, ultionem injuriarum &c. in quibus propterea ignorantiam invincibilem poſſibilem admittit. Qua in re non minus abutitur S. Thomæ doctrina. Ut enim probet hujuſmodi ignorantiam invincibilem in iis, aliiſque juris naturæ præceptis, affert *n.* 8. verba S. Doctoris, quæ habet *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. nempe: *Ignorantia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involuntarium, de ſe habet, quod excuſet a peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati*; & interim omittit, quæ ſequuntur eodem loco, ex quibus elucet, mentem ejus minime fuiſſe hanc ibi definire quæſtionem: immo ea tradit, quæ potius contrarium intentioni P. Vivæ liquido evincunt. Ibi namque ſcribit: „ Poteſt contingere (*quod aliquis non excuſetur* „ a peccato) ex parte ipſius ignorantis: „ quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt peccatum „ vel *directe*, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult „ neſcire aliqua, ut liberius peccet: vel *in-* „ *directe*, ſicut cum aliquis propter laborem, „ vel propter alias occupationes negligit ad- „ diſcere id, per quod a peccato retrahere- „ tur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis *ſcire* „ *tenetur*, *& poteſt*. Et ideo talis ignoran- „ tia *non totaliter excuſat a peccato* “. Itaque cum ea, quæ præcepta ſpectant juris naturæ, *ſcire poſſimus*, *ac teneamur*, adhibitis ad ſciendum mediis neceſſariis, ex culpa noſtra eſt, ſi neſciamus, quæ *culpam ſubſequentem*, ſaltem a toto, non excuſat.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Redarguenda prorſus eſt, quin & damnationi ſubjicenda videtur libertas nimia quorumdam Caſuiſtarum in dilatanda igno-

ran-

Digitized by Google

rantia invincibili, & inculpata relate ad præcepta juris naturalis. In primis, ut modo vidimus, P. Viva cum Vaſquez, Amico, & aliis extendit illam ad latrocinia, ad ſimplicem fornicationem, ad mendacium officioſum, ad uſuram, ad vindictam injuriarum, ad adulterium in aliquo ſaltem caſu: *Quin immo*, addit ille, *experientia ipſa docet, multos pueros, & rudes varia peccata adverſus legem naturæ committere abſque ulla apprehenſione peccati &c.* P. Carolus Antonius Caſnedi *T.* 2. *diſp.* 16. *ſect.* 2. audacter ſcribit: *Conſtans eſt Theologorum* (*Probabiliſtas* intellige) *doctrina apud P. Mojam* (Authorem toties ab Eccleſia damnatum ob nimiam laxitatem) *cum S. Thoma* [en nova intolerabilis calumnia] *dari invincibilem ignorantiam aliquorum præceptorum, non tantum ſupernaturalium circa credenda, ſed etiam naturalium circa præcepta Decalogi, nempe uſuræ, mendacii, fornicationis, quæ reſpectu eorum non ſunt peccata.* Horum cenſum amplius extendit nuperrimus alter ex Societate Author *Diſſertationis* adverſus Petrum Baller. ſcribens *c.* 1. *ſect.* 1. " Probatur (dati nempe ignorantiam de pluribus juris naturæ præceptis): quia ex mutuo uſuram, & lucrum exigere, proprias injurias ulciſci, plures uxores habere, repudiare uxorem legitimam, furari ad ſuccurrendum egenis, ſurripere aliquid inimico, *tyrannum occidere propria authoritate*, ad ſcortum accedere, mentiri propter ſalutem alterius, vel ob malum gravius cavendum, carnibus humanis veſci, metu mortis mali aliquid committere, ſororem in uxorem ducere, & alia hujuſmodi mala juri naturali contraria, licet, ex principiis per ſe notis deducantur; cum tamen non deducantur immediate, & clare, ſed mediate tantum, & per diſcurſus difficiles, & illationes multas, dubitari non poteſt, quin ad ea ſic deducenda opus ſit magna rationis intelligentia, qua multi carent *abſque culpa*. " Quo ratiocinio probare etiam poſſuiſſet, multos ex iis Gentilibus, quos tantopere damnat Apoſtolus, *abſque culpa* ignoraſſe omnes illas turpitudines, quas memorat *in epiſt. ad Rom. c.* 1. cauſari quippe eodem jure poterant, caruiſſe *magna illa rationis intelligentia*, qua opus erat ad eas deducendas ex principiis univerſalibus legis naturæ: adeoque inculpatam eſſe ignorantiam, qua laborabant.

Consectarium Decimum.

X. Abſurda exiſtimanda eſt, & graviſſimorum abſurdorum fœcundiſſima parens ſententia, quam eliciunt ex doctrina ſua defenſores ignorantiæ invincibilis juris præſertim naturalis, " teneri Confeſſarium *tacere*, ut tradit Joan. Marin, probabiliter exiſtimantem fore, ut ſua monita non proſint &c. etſi illud peccatum ſit *continuatum in detrimentum proximi*, ut ſi exerceat *uſuras*, laborans ignorantia invincibili, quia conſuluit alios: & videat Confeſſarius, ſe monendo nihil profuturum, ut reſtituat acquiſita, nec ut abſtineat in futurum, *tenetur tacere* propter eaſdem rationes ". Juxta igitur hunc Authorem nedum Confeſſarius *poteſt*, ſed etiam *tenetur* in eo caſu *tacere*, ac ſinere, ipſum interim abſolvendo ab aliis peccatis, ut in *continuatis* uſuris exercendis perſiſtat. Quid inſolentius dici poteſt?

Doctrinam hanc plane monſtroſam hauſit ille veroſimiliter ex P. Thoma Sanchez, qui Moralium Theologorum Princeps apud Probabiliſtas audit; & in hoc quidem ſenſu illorum Princeps habendus eſt, quod laxandæ, & corrumpendæ Chriſtianæ doctrinæ viam præ cæteris aperuerit. Ita igitur ſcribit *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 38. " Quamvis ignorantia illa ſit circa jus *divinum*, & *naturale*; ſi tamen probabiliter credat, conſilium non profuturum, tenetur non admonere: quando ea ignorantia invincibilis eſt &c. Idem dicendum, quamvis peccatum illud per ignorantiam invincibilem excuſatum, ſit

in

Digitized by Google

„ in detrimentum proximi ". Pro hac porro doctrina laudantur etiam P. Suarez, Laymanus, Eſcobarius, & alii, quos inter P. Gobat refert ſe conſuluiſſe doctos plures circa caſum inter nonnullos frequentiſſimum de peccato mollitiei, quod ex ignorantia, ut ille putat, invincibili haud cognoſcunt, ſibique illud licere arbitrantur, aitque, ſibi reſponſum communiter fuiſſe, relinquendos illos eſſe in propria ignorantia, ne ſi illuminentur, ex *materiali*, ut inquiunt, evadat *formale peccatum*, quod committunt. Ecquis doctrinam hanc non horreat?

Sed omnium plane in hac re laxitates congeſſiſſe, ac ſuperaſſe videtur P. Tamburinus, quas hic proferre placet, ut ab iis caveat prudens Lector, videatque maximam, quam in moralem Chriſtianam Probabiliſtæ invexere, corruptelam. *Lib.* itaque 3. *de Meth. Confeſſ. c.* 4. ſcribit: " Si ignorantia inculpabilis (quam ille in ſexcentis caſibus etiam juris naturalis admittit) quæcunque ſive *facti*, ſive *juris*, & ſive *juris divini*, ſive *humani* non eſt contra pœnitentem (ideſt, quando pœnitens non putat eſſe mortale, quod tale eſt): & nihil pœnitens interrogat de hoc Confeſſarium, diſtinguendum eſt. Si enim Confeſſarius prævidet, pœnitentem, ignorantia ablata, non difficulter relicturum id, quod reipſa peccatum eſt, tenetur ex Sanchez veritatem aperire. At ſi prævidet *non relicturum*, *potius taceat*, ne in majus damnum illum conjiciat.

„ Idem eſſe dicendum, quando quis eſt in *occaſione proxima*, & non ſperatur emendatio, docet Pellizzarius ". Sinet itaque Confeſſarius, pœnitentem non monitum in *proxima peccandi occaſione* permanere.

„ Hinc item ſi prævideat Confeſſor, pœnitentem non reſtituturum, ſi illi detegatur nullitas tituli, quem pro ſe adeſſe putat, non erit ex Sanchez *talis nullitas* illi a Confeſſario non interrogato *patefacienda*, quamvis ſit in præjudicium *tertii*, qui ſuo carebit, *tertii*, inquam, particularis: nam ſi eſſet in damnum publicum, quum tunc præponderare debeat bonum publicum bono privato pœnitentis, videtur aperienda.

„ Sed contra hunc ultimum quæſo te, ſi prævides pœnitentem non reſtiturum, quamvis item advertas *id eſſe in damnum publicum*, cur tu ſis *obligandus* ad admonendum? Quandoquidem prævides adhuc, tua accedente admonitione, illum *non fore reſtituturum*, atque adeo non eſſe amovendum damnum publicum? Certe fruſtra erit talis monitio, imo nocens ipſi admonito, bono autem publico nullatenus favens ".

„ Atque hæc omnia ex de Lugo etiam procedunt, quando Confeſſarius ſperaret, pœnitentem ſuſcepturum quidem admonitionem, ſed tamen advertit, remedium eſſe difficillimum, ut ſi ſcandalum, vel infamia notabilis ſequatur &c. Ita idem Lugo citans Suarez, & Sanchez. In hoc enim, vel ſimili caſu *ſatius eſt tacere*: quia majus eſt tale damnum, quam illa *materialis* violatio legis divinæ *ſine peccato* violatæ.

„ Unde etiam infertur, idem eſſe dicendum, quando pœnitens ſub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc *æquo animo recepturus*, & alia vice melius ſuſcepturum eſſe judicatur. Poterit enim prudens Confeſſarius relinquere illum in ſua *bona fide*, quæ a peccato excuſat (quænam, quæſo, eſſe poteſt *bona fides*, quæ a peccato excuſet hominem ita diſpoſitum?) & in tempus opportunius monitionem differre, ne ſcilicet *territus pœnitens a confeſſione ſe abſtineat*, majuſque detrimentum patiatur. Hoc *permaxime notetur pro Confeſſariis Mercatorum, & Principum* ". Atque ita Tamburinus, cæterique, quos laudat, Authores tot homines, qui in tali diſpoſitione animi verſantur, ut permanere velint in continuis pollutionibus, in rebus proximi ſui, & etiam

Rei-

Reipublicæ detinendis, aliiſque peccatis, a quibus ipſo jure naturæ abſtinere debent, abſolvendos putant, & ad Eucharisticam menſam admittendos; ſed proſequamur.

,, Tertia regula: ſi pœnitens, ſive quia ,, prudenter *dubitat*, ſive quia rationabili ,, ſcrupulo angitur, interroget Confeſſarium ,, de re aliqua &c. tunc Confeſſor veritatem ,, aperire omnino debet &c. Dixi *rationabili* ,, *ſcrupolo*: nam ſi ſit merus ſcrupulus, ideſt ,, ſine fundamento, quia is non tollit bonam ,, fidem, *poſſet tacere Confeſſarius*, ut explicat ,, Sanchez &c.

,, Petes, quid faciet Confeſſor, quando ne,, ſcit, aut dubitat, an ſua admonitio pro,, futura ſit pœnitenti, an damnum allatu,, ra? Reſp. tunc eſt comparanda utilitas, ,, quæ ſub dubio illo ſperatur, & damnum, ,, quod ſub dubio timetur; atque illud ſine ,, ſcrupulo fiat, quod magis in Domino ju,, dicabitur præponderare ": quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſemper ipſi tacendum eſſe, nam incerta eſt utilitas admonitionis, certum vero periculum, quod ex illa impendet, ut ſcilicet *formaliter* peccet, qui antea *materialiter*, adeoque non imputabiliter peccabat. Quo ultra provehi queat opinandi laxitas, prorſus ignoro.

Consectarium Undecimum.

XI. Quod ſi adeo protenditur ignorantia invincibilis nedum juris poſitivi, ſed etiam *naturalis*, neceſſario concedere debent adverſarii, eamdem invincibilem ignorantiam eſſe admittendam in ſupra centum illis propoſitionibus *laxis*, *ſcandaloſis*, *& piarum aurium offenſivis*, quas Catholica Eccleſia damnavit per Summos Pontifices Alexandrum VII., Innocentium XI., Benedictum XIV. & innumeros alios Epiſcopos: quod invicto hoc, ut mihi videtur, argumento demonſtro. Propoſitiones illas plane docuerunt recentiores Theologi, & il quidem ſæpe *graviores*, *& claſſici*, ut contendunt, proſtantque in ipſorum libris, ex quibus extractæ fuerunt. Alterum ergo fateantur oportet, aut hos Doctores bona fide eas docuiſſe, ac *ignorantia invincibili* ductos eas exiſtimaſſe veras, aut ſaltem probabiles, adeoque licitas in praxi: aut illas evulgaſſe contra conſcientiam ſuam, & illicitas eſſe putantes. Hoc certe nunquam afferere audebunt; alioquin non jam *pios*, ut prædicant, ſed ut impios, ac perditos homines habere cogerentur, utpote qui falſas, & ſcandaloſas doctrinas populis tradebant adverſus dictamen conſcientiæ propriæ. Primum ergo affirment neceſſum eſt. Tum vero ita argumentor. Si in iis, qui Doctores erant, dataque opera moralibus doctrinis callendis animum intendebant, ignorantiam *invincibilem* admittunt in evulgandis tot illis propoſitionibus laxis, atque damnatis; potiore ſane titulo eamdem compelluntur admittere de iiſdem doctrinis in vulgari, ac rudiore gente, qui Theologicis inſtitutionibus operam neque dant, neque dare utique pro ſua conditione poſſunt, adeoque a peccato excuſabuntur, dum aliquid committunt, quod juxta illas doctrinas præſtare valent: & in ea ignorantia Confeſſarii relinquere poterunt pœnitentes ſuos, ne peccatum, quod *materiale erat*, *formale ob admonitionem evadat*, prout ex Tamburino, aliiſque Authoribus paulo antea relatum eſt. Atque hinc conſideret prudens Lector, in quot abſurditatum portenta, deducat recentium Authorum *de invincibili ignorantia* doctrina. Neceſſario namque conſequitur, ut pauca quædam ex damnatis propoſitionibus exempla proferam, ut *invincibiliter ignorare* poſſit, *ſe teneri hominem amare Deum in principio, & in decurſu vitæ ſuæ moralis*: cujus oppoſita ſententia tanquam *hæretica* proſcripta eſt; aut aliquo tempore elicere *actum fidei*, *ſpei*, *& charitatis*: illicitum ſibi eſſe *cupere mortem Patris ob pinguem hæreditatem ſibi obventuram*; *procurare abortum*, *furari in gravi neceſſitate*, *fal-*

Digitized by Google

falſo crimine elidere, detrahentis authoritatem ſibi noxiam; occidere, qui alapam impingit, aut fuſte percutit: interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt damnum evitare, &c. uno verbo falſas illas omnes ſententias, quæ damnatæ fuerunt in Pontificum decretis.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Fallitur plane, fallitque Lectores ſuos P. Lacroixius, dum incredibili confidentia ſcribit *lib. 1. de leg. n. 726.* ſententiam negantem juris naturæ *invincibilem ignorantiam* Romæ confixam fuiſſe in articulis, quos defenderant quidam Theologi Lovanienſes. Vetitus quidem eſt libellus anonymus plures continens theſes, ut patet ex indice librorum prohibitorum, ſed non idcirco vetita quoque fuit illa ſententia; neque enim vola, aut veſtigium uſpiam apparet hujuſce prohibitionis. Quin immo, cum ſub Innocentio XI. anno 1677. ab Univerſitate Lovanienſi per ſuos Deputatos ſequens propoſitio oblata fuerit, quam judicio Sanctæ Sedis ſubjecit: *Opera non a legi naturali contraria, quæ ex ignorantia procedunt, a peccato plane excuſari nequeunt, ne favore quidem ullius veriſimilitudinis aut probabilitatis;* poſt maturum examen, omni cenſura immunis judicata eſt. Et ſane quis ſibi perſuadeat inter alios articulos hunc etiam comprehenſum fuiſſe, quem Theologi omnes antiqui tradiderant, ac poſtea etiam tot Theologi poſteriores tradidere, ut Cardinalis Noriſius, Marius Diana, Palancus, Steyartius, Lupus, Gonettus, aliique quam plures, & noviſſime anno 1762. Romæ propugnatus eſt in Theſibus, quæ Patri Generali Fratrum Minorum dedicatæ ſunt *poſit. 9.* his verbis concepta: *Non datur ignorantia invincibilis juris naturæ, quod attinet ad prima illius principia, & concluſiones ex iis proxime deducibiles. Quod autem ſpectat concluſiones magis remotas, & involutas, ſpeculative revera datur: practice vero minime:* quod perinde eſt, ac nunquam in praxi hujuſmodi ignorantiam eſſe inculpatam. Plura alia addere poſſem: ſed mittamus Caſuiſtam, qui Criticæ artis regulas prorſus ignorat, & de teſtium fide dijudicanda minime laborat, dum quidpiam laxo ſuo opinandi modo favere arbitratur.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Ex his autem colligi debet, dignam lacrymis eſſe plurium Caſuiſtarum deceptionem, & praxim: qui dum inaudiunt pœnitentes teſtati ſe nunquam vel levem notitiam habuiſſe alicujus criminis, aut de pravitate patrati operis, de qua ſi vel dubitaſſent, nunquam illud commiſiſſent; ſtatim eos innocentes judicant, utpote ignorantia penitus invincibili laborantes, quantumvis nefarium peccatum commiſſum fuerit, v. gr. mollities, ſacrilegium, aut aliud quidpiam ſimile: nec advertunt eorum, quam prætendunt, ignorantiam ex aliqua culpa proficiſci, ob quam minime a peccato excuſantur. Non enim ex eo, quod teſtentur ipſi, & quidem ſincere, nullam ſe habuiſſe de perpetrato crimine notitiam, inde colligendum ſtatim eſt, carere culpa ipſorum ignorantiam; cum teſtari minime certo poſſint, ſe ea media adhibuiſſe, quæ neceſſaria erant, ut veritatem agnoſcerent. Unde ex eorum teſtimonio illud equidem colligi valet, eos ignorantes peccaſſe, non autem ipſorum ignorantiam invincibilem fuiſſe, & culpæ expertem.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Peccatum, quod ex culpabili ignorantia committitur, voluntarium ſemper, ac liberum eſt in cauſa: quoniam procedit ex omiſſione eorum, quæ facere homo potuit, ac tenebatur, ut veritatem cognoſceret; revera enim eam cognoviſſet, ſi media

non prætermiſiſſet ad illam cognoſcendam neceſſaria : unde hæc ignorantia non eſt *antecedens* , quæ ſola excuſat a peccato , ſed *conſequens* , quæ non excuſat . *Ipſa ignorantia* , inquit S. Thomas loco ſupra citato , *eſt voluntaria vel directe* , *ſicut cum aliquid ſtudioſe vult neſcire aliqua* &c. *vel indirecte* , *ſicut cum aliquis negligit addiſcere id* , *per quod a peccato retraheretur* . *Talis enim negligentia facit* , *ignorantiam ipſam eſſe voluntariam* , *& peccatum* , *dummodo ſit eorum* , *quæ quis ſcire tenetur*), *& poteſt* . Poteſt autem quivis , ſaltem divina gratia adjutus , ſcire omnia , quæ ſcire tenetur , niſi ex culpa ipſius gratiæ lumen ſubtrahatur .

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Ignorantia juris , quam Probabiliſtæ *invincibilem* vocant , revera *vincibilis* , & *culpabilis* eſt : ac his nominibus *invincibilis* , & *vincibilis* plane abutuntur illi , non abſque gravi periculo ingentis animarum damni . Quid enim apud ipſos eſt *ignorantia invincibilis* ? *Carentia* , inquiunt , *omnis notitiæ tum juris naturalis* , *tum poſitivi* : aut ut eam deſcribit P. Antonius Terillus in Reg. Mor. q. 2. n. 138. & 140. *Ignorantia eſt invincibilis* , *quandocumque adhibita diligentia* , *malitia actionis certo* (num. 6.) *non innoteſcit* . *Quandocumque proinde probabile eſt* , *probabilitate certa* , [*licet minore*] *actionem non eſſe malam* , *nec prohibitam* , *licet prohibitam eſſe probabilius appareat* , ignorantia invincibilis eſt . Porro hanc ignorantiam , quam *invincibilem* jactant , *vincibilem* omnino eſſe , evidens eſt ex iis , quæ dicta ſunt . Quare ignorantia illa *invincibilis* , quam Probabiliſtæ obtrudunt , repudianda prorſus eſt , tanquam communi Sanctorum ſenſui , rectæque rationi penitus adverſa , quin immo damnanda videtur ab Eccleſiæ Prælatis ob perniencioſiſſima conſectaria , quæ ex ipſa uberrime fluunt . Si namque *invincibilis* ignorantia cenſetur , dum argumenta valde probabilia , quin & probabiliora adverſus illam conſpirant , jam , ut ſapienter ait *Charles* C. 25. de opin. delect. *Specie ignorantiæ invincibilis excuſanda forent idololatria* , *blaſphemia* , *parricidium* , *adulterium* , *& quodvis aliud crimen admiſſum ab homine argumentis quidem probabiliſſimis* , *& graviſſimis* , *ſed non omnino certis* , *cognoſcente id* , *quod facit* , *eſſe idololatriam*, *blaſphemiam* &c. *quod adeo abſurdum eſt* , *rationique naturali contrarium* , *ut qui hoc defenderet* , *a Magiſtratibus etiam politicis punitionem non evaderet* .

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Audiendi nullo modo ſunt , qui dixere , ſatis eſſe , ut voluntaria , & culpabilis ignorantia ſit , eam voluntariam fuiſſe in Adamo peccante . Hæc ſententia damnata fuit in Decreto Alexandri VIII. *prop.* 1. his verbis expreſſa : *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale* , *& demeritum ſufficit illa libertas* , *qua voluntarium* , *ac liberum fuit in cauſa ſua* , *peccato originali* , *& libertate Adami peccantis* . Et meritiſſime quidem : nam tametſi ignorantia , ſicut & concupiſcentia , ſit pœna peccati , ex originali culpa conſecuta ; ad *formale* tamen peccatum , ſive ad culpam nobis non imputatur , niſi voluntas quoque perſonalis cujuſque concurrat . Unde cum SS. Auguſtinus , & Thomas , cæterique Patres culpabilem eſſe docent ignorantiam , ſemper de culpa loquuntur propria cujuſcumque voluntate contracta : quod ſexcentis teſtimoniis comprobare poſſem , niſi res apud omnes nimium explorata foret , atque comperta . Illud ſolum Auguſtini teſtimonium recolatur , quod jam dedimus ex lib. 3. de lib. arb. *Negligentibus Deus non ipſam ignorantiam* , *in qua homo natus eſt &c. pro crimine objicit* : *ſed quia potius in ea permanere* , *quam ſtudio quærendi* , *atque diſcendi ad veritatem pervenire voluerunt* .

CON-

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Magno verſantur in ſalutis æternæ periculo, qui ignorantiæ peccata parum curant, nulloque propterea metu tenentur: cum de his non minus, ac de aliis, quæ ſcientes committimus, rationem reddituri ſimus in Divino Judicio. " Non de his, in„quit S. Joannes Chryſoſtomus *hom. 6. in* „ *c. 2. Matth.* tantummodo puniendi ſumus, „ quæ ſciendo peccamus: verum etiam pro „ illis, quæ ignorando committimus. *Ni*„*hil*, inquit Apoſtolus, *mihi conſcius ſum*, „ *ſed non in hoc juſtificatus ſum*. Et hoc di„cit ille, qui conſcientiam jugiter pondera„bat, quique maxima ſcientiæ luce reful„gebat. *Teſtimonium*, inquit, *illis perhibeo*, „ *qui æmulationem Dei habent*, *ſed non ſe*„*cundum ſcientiam*. Verumtamen eis ad pur„gationem non omnino ſufficit. Sed & Co„rinthiis ſcribens: *Timeo*, inquit, *ne ſicut* „ *ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua*, *ita cor*„*rumpantur ſenſus veſtri*, *& excidatis a ſim*„*plicitate*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu*; pro tan„tis igitur peccatis pœnas daturus, ſecurus „ tui ſedes, miſerabili riſu &c. " Hinc etiam S. Thomas, cum ſibi objeciſſet hoc Ambroſii effatum, *Graviſſime peccas*, *ſi ignoras*, reſpondet, quod *ignorans dicitur graviſſime peccare*, *non propter quantitatem peccati*, *ſed propter periculum*, *quia dum morbum non cognoſcit*, *medicinam non quærit*.

CONSECTARIUM DECIMUMOCTAVUM.

XVIII. Ignorantia invincibilis, & inculpata non eſt in iis, qui cognoſcendæ veritati voluntaria apponunt impedimenta, ſive ex parte intellectus, ſive ex parte voluntatis. Ex parte quidem intellectus, cum in rebus præſertim obſcuris ſtudere negligunt, aut ſapientes conſulere, vel inconſiderate, aut nimium de ſe præſumentes opiniones eligunt. Ex parte vero voluntatis, dum ex nimio, & inordinato ſui amore, non quæ vera ſunt, amplectuntur, ſed quæ commodiora, & genio ſuo magis indulgent, aut quæ in Sodalitio ſuo amplius in uſu, & praxi ſunt: unde ſæpe contingit, ut falſis opinionibus ita adhæreant, ut ne audire quidem velint eos, quibus in viam veritatis fortaſſe revocarentur. Ex qua animi inordinatione præterea fit, ut leviſſimæ rationes, quæ favent opinionibus, quas adoptarunt, robuſtiſſimæ ipſis videantur: argumenta vero contraria, licet nonnunquam decretoria, & invictiſſima, pro nihilo ducant, aut ne probabilia quidem judicent: quod certe vitium admodum commune eſt in nonnullis Societatibus, non ſine ingenti periculo damnationis illorum, qui iiſdem devincti ſunt.

CONSECTARIUM DECIMUMNONUM.

XIX. Invincibilis quoque, & inculpata ignorantia dicenda non eſt illorum, qui ſtudio Moralis Theologiæ operam navant cum falſis iis præjudiciis, quorum modo meminimus: vel eos libros legere, & conſulere abnuunt, a quibus lucem puræ veritatis haurirent, prætextu frivolæ illius, & calumnioſæ excuſationis, quod *Rigoriſtæ* ſint, nimiumque arctent viam cœli, quam ſpatioſam ipſi contendunt, & prædicant. Horum namque ignorantia etiam ſæpe affectata eſt, cum lucem ii refugiant, ne ſe aliter gerere compellantur in officio ſuo, ac ipſi vellent. Idemque de illis aſſerendum eſt, qui vel Concionatores, vel Confeſſarios vera quidem, ſed duriora docentes, audire detrectant, eoſque perquirunt, qui placentia loquuntur, quæ plerumque in perditionem adducunt.

CONSECTARIUM VIGESIMUM.

XX. Quamvis in rebus *facti invincibilis*, & inculpata dari queat ignorantia, ſicut & in præceptis poſitivis, inexcuſabiles tamen ſæpe ſunt, qui abſque debita *facti* informatione id agunt, quod ſine competente veritatis notitia agere periculoſum eſt. Quoniam in-

inconſideratio, aut temeritas in agendo, aut loquendo nunquam culpa vacat. Quare, ut factum valde frequens hiſce temporibus in exemplum adducam, culpabiles ſunt, & ſæpe quidem graviter, qui leviter aliis credendo, viros pios, & innocentes traducunt veluti hypocritas, novatores, hæreticos, Janſeniſtas &c. citra ullum examen præmiſſum, & propter ſolum quorumdam obtrectatorum ita aſſerentium teſtimonium, qui neſcio quibus doctrinis, certe falſis, innixi, quoſvis mollioribus ſuis opinionibus contradicentes, viros etiam ſapientiſſimos ita proſcindunt, & calumniantur, minime cogitantes terribile illud Apoſtoli dictum: *Maledici regnum Dei non poſſidebunt*.

Consectarium Vigesimumprimum.

XXI. Magna circumſpectione, & cautela procedere oportet in præbendis conſiliis, aut reſolvendis caſibus, qui præſertim naturale jus ſpectant: res enim periculi plena eſt, *niſi veritas expreſſa habeatur*, ut inquit S. Thomas, cum in ſola veritate ſecuritas haberi valeat. Enim vero manet ſemper, æternumque immota manebit illa ſententia ex ore veritatis prolata C. 6. Matth. *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. *Cæcus* eſt autem *quicunque errat*, inquit idem S. Thomas, *in quantum errat*, ſive in quantum ſequitur opinionem æternæ veritati contrariam, cum verum lumen, veritatem ſcilicet nequaquam cernat: adeoque in foveam uterque cadit, & qui falſitatem docet, & qui falſa docentem ſequitur. *Terret*, ſubdit egregie S. Auguſt. cum locum exponens, Chriſtus *non ſolum cæcum ducentem, ſed etiam & cæcum ſequentem: non enim cadit in foveam cæcus ducens, & non cadit ſequens; ſed cæcus cæcum ducens ambo in foveam cadunt. Væ ergo cæcis ducentibus, & cæcis ſequentibus!* In numero tamen horum ductorum accenſendi non ſunt, nec aliis ſpiritualis ſunt cauſa ruinæ, ſi ſimpliciter mentem ſuam exponant, aut ſignificent, quid ipſi ſentiant, quin velint ſe omnino reputari infallibiles, dum in rebus implexis, ac dubiis conſilia præbent.

Consectarium Vigesimumsecundum.

XXII. Difficile admodum Confeſſarius eorum excuſationes recipiat, juxta ea, quæ ſupra dicta ſunt, qui cum aliqua commiſerint adverſus legem, potiſſimum naturalem, prætextu ignorantiæ invincibilis ſe excuſare ſolent, dicentes nunquam dubitaſſe, quin ea ſe facere potuerint abſque peccato, nunquam prohibentem legem fuiſſe ſibi perſpectam &c. Cognoviſſent enim, ſi culpa ſua non interceſſiſſet, ſi dimiſſis implicationibus vanis, in lege Domini meditari fuiſſent, ſi mentis oculus a pravis affectibus expeditus, quæ conſcientiæ ſunt, attentius conſideraſſet, ſi uno verbo agnoſcendæ veritati impedimenta non appoſuiſſent. Quapropter, cum ex aliqua ſaltem culpa ignorantia eorum profluat, fruſtra ſe excuſant de ignorantia invincibili, & inculpata, quæ talis reipſe non eſt. Illud ſolum concedendum eſt, ignorantiam ipſorum, licet *non excuſet a tota, excuſare* tamen *a tanta*, ut ait S. Thomas: eo quod ignorantia vincibilis, ſi *affectata* non ſit, ſicut diminuit voluntarium, ita etiam peccatum, *Hoc veriſſimum eſt*, inquit S. Auguſtinus lib. 4. de Bapt. c. 5. *longe gravius eſſe peccatum ejus, qui ſciens, quam ejus, qui neſciens peccaverit*. Quod & Veritas ipſa, increata docet Lucæ c. 12. *Servus . . . . . qui non cognoverit voluntatem Domini, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis*. Unde & Confeſſarius cum his in pœnitentiis injungendis remiſſius ſe gerere debet.

REFLEXIO.

Quemadmodum ignorantiæ ſuccedit error, dum homo *de ignoratis ſententiam fert, & falſa approbat*; ita errori ſuccedere ſolet *mentis cæcitas*, quæ ſummum in hoc genere malum eſt, & malorum omnium, æternæque damna-

Digitized by Google

nationis principium, & origo. Quid ea ſit, & in quo conſiſtat, præſtat exponere, ut ab ea incurrenda, ſi quidquam nos movet ſempiternæ ſalutis cura, toto conatu, ac diligentia caveamus. Eam definit S. Thomas 2. 2. q. 15. *art.* 1. quod nempe *ſit privatio ejus, quod eſt principium mentalis, ſeu intellectualis viſionis*. Triplex autem *principium* aſſignat hujuſce intellectualis viſionis. Primum eſt *lumen animæ naturale*, quod licet per peccatum nunquam ab eadem auferatur, minuitur tamen, & obtunditur, ut docet 1. 2. q. 94. *art.* 6. Alterum eſt *lumen habituale* naturali lumini rationis ſuperadditum, quo quidem *lumine interdum anima privatur*: & in hac privatione proprie ſita eſt *mentis cæcitas*; quæ duo lumina, cum menti hæreant, *ſubjectiva* dici poſſunt. Tertium lumen, quod *objectivum* eſt, vocat Angelicus *principium intelligibile, quo intellectus alia intelligit; cui quidem principio intelligibili mens hominis poteſt intendere, vel non intendere. Et quod ei non intendat, contingit dupliciter: quandoque quidem ex hoc, quod habet voluntatem ſponte ſe avertentem a conſideratione talis principii, ſecundum illud Pſal.* 35. Noluit intelligere, ut bene ageret; *Alio modo per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione hujus principii mens avertitur .... Et utroque modo cæcitas mentis eſt peccatum*.

Hoc amplius explicari poteſt exemplo viſus corporei. Siquidem facultas videndi deficere poteſt vel ſubtractione luminis *ſubjectivi*, ſive virtutis videndi: vel quia objecta tenebris operta ſunt. Sic igitur cæcitas mentis contingit, vel cum ſubtrahitur lumen habituale *ex parte intellectus*, vel cum removetur principium intelligibile *ex parte objecti*. Hoc principium ex parte objecti removeri poteſt vel quoad ea, quæ fidem Chriſtianam, ſive Dei revelationem ſpectant, vel quoad mores, ſive illa, quæ ad morum regulam, aut directionem pertinent, vel etiam quoad utrumque, fidem ſcilicet, ac mores, ut in Gentilibus, & Infidelibus, qui hoc principio carentes in ſumma verſantur cæcitate. Hinc idem S. Doctor *art.* 2. ejuſd. quæſt. hanc cæcitatem mentis adequate deſcribens vocat eam *omnimodam privationem cognitionis ſpiritualium bonorum*, quibus dum homo caret, aliud ipſi non reſtat, niſi ſempiterna damnatio.

Hujuſmodi cæcitatem in Judæo populo graphice depingit Propheta Iſaias C. 29. dum ait: *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederit ſcienti litteras, dicent: lege iſtum; & reſpondebit: non poſſum; ſignatus eſt enim. Et dixit Dominus: eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo: cor autem ejus longe eſt a me: & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo, Peribit enim ſapientia a Sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur* &c. Quod & ſupra C. 6. Propheta clarioribus verbis expreſſerat dicens: *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſiones, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat*. Quem textum Evangeliſta Joannes ita refert de Judæis loquens: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos*.

Sed quomodo, inquiet aliquis, Deus *excæcare* dicitur, cum nonniſi bonorum author ſit, non malorum? Perſpicue id declarat S. Thomas. 1. 2. q. 79. *art.* 3. his verbis: *Excæcatio, & obduratio duo importat: quorum unum eſt, motus animi inhærentis malo, & averſi a divino lumine: & quantum ad hoc Deus non*

eſt

eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, & cor hominis non emolliatur ad recte vivendum. Et quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis. Privatus itaque fuit Hebræus populus divino lumine ob crimina, quæ commiſerat, ob affectiones pravas, quibus nimium temporalibus inhærebat, & ſpiritualia bona neglexerat, ideoque in eam terribilem cæcitatem incurrit, ut *videntes non viderent* ſigna, & portenta, quæ coram illis patrabat Chriſtus Dominus, & *audientes non intelligerent* viam, & præcepta ſalutis, quæ prædicabat.

Numquid vero hæc formidanda cæcitas propria fuit ſollus populi Hebræi, & non potius etiam in Chriſtiano populo ſæpiſſime illam deprehendimus, ac lugemus ob eaſdem criminoſas cauſas inductam? quod nempe plures nimio affectu adhærentes temporalibus bonis nonniſi terrena cogitent, nonniſi terrena depereant, nonniſi in terrenis occupentur, *quibus*, ut cum D. Thoma loquar, *ab inſpectione Divini luminis mens eorum avertitur.* Id in nonnullis ſui temporis Chriſtianis vehementer dolebat Apoſtolus Paulus, qui propriis concupiſcentiis explendis ſolum addicti, morum regulas, ac præcepta divina minime noverunt, & ipſum fidei lumen abjicientes in errores & infidelitatem prolapſi ſunt; *bonam conſcientiam repellentes erraverunt a fide*, ut in 1. *ad Timoth. c. 1.* & *cap. 6.* cum dixiſſet, *malorum omnium radicem eſſe cupiditatem*, ſubjicit; *quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Unum enim ex altero ſequitur, corruptio ſcilicet fidei ex morum corruptione. Quod autem tunc contigiſſe refert, c. 4. ſeuturum maxime prædixit in noviſſimis hiſce diebus, inquiens: *Spiritus manifeſte dicit: quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* En *omnimoda* illa *privatio cognitionis ſpiritualium bonorum*, in qua, D. Thoma teſte, perfecta *cæcitas mentis* conſiſtit, quæ in multis Chriſtianorum cernitur, ex utroque illo venenoſo fonte profecta, *voluntatis ſpontaneæ ſe avertentis a conſideratione* divinarum rerum, & *mentis ſeſe* unice *occupantis* in amore rerum temporalium, *quibus ab inſpectione divini luminis avertitur.* En malorum ſupremum, quod ipſi *bonam conſcientiam repellentes* tandem incurrunt, ut non amplius videant, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, adeoque *in foveam cadant perditionis æternæ.* Emundemus igitur conſcientias noſtras, affectus noſtros, & cupiditates rerum temporalium comprimamus, *inutilia* illa, *& nociva deſideria, quæ mergunt homines in interitum*, abjiciamus, totoque ſpiritu ad Deum cum Propheta clamemus: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, & a tenebris temporariæ cæcitatis in tenebras proruamus ſempiternas.

CAPUT IX.

De ignorantia actuali, ſive inconſideratione, aut inadvertantia.

DOCTRINA.

I. *Præſentis controverſiæ gravitas, & neceſſitas.*

II. *Sententia S. Thomæ, meliorumque Theologorum de advertentia, quæ ad peccandum ſufficit.*

III. *Amplior ejuſdem expoſitio facta a P. Gabriele Antoine.*

IV. *Proponitur de hac re Recentiorum ſententia, pluribus eorum in medium productis teſtimoniis.*

V. *Quæ neceſſario fluunt ex hac ſententia, & a Probabiliſtis plerumque approbantur, exponuntur.*

VI. *Firmiſſimis Scripturarum documentis eadem*

Digitized by Google

dem ſententia convellitur .

VII. *Ab errore Pelagianorum nihil diſtare oſtenditur* .

VIII. *Patrum ſententia adverſus eam indicatæ: ac plures cenſuræ, quibus ab Eccleſiæ Epiſcopis , & Univerſitatibus proſcripta eſt* .

IX. *S. Thomæ auctoritates , ac doctrinæ , quæ oppoſitam , & Catholicam ſententiam adſtruunt . Quidam a Vaſqueſio objectus textus expoſitus* .

X. *Abſurda omnino non ferenda , quæ ex Recentiorum ſententia deducuntur* .

XI. *Objectiones præcipuæ , quas ab Authoritate adverſarii depromunt , ſolutæ* .

XII. *Aliæ objectiones a ratione deſumptæ diluuntur* .

I. QUamquam multa de ignorantia dicta ſint , gravior tamen adhuc in hac re tractanda quæſtio ſupereſt , quæ jam diſcuſſæ ſubjecta eſt , eique implicatur , de *ignorantia* ſcilicet *actuali* , ſive de *inconſideratione* , quæ eſt privatio debitæ inſpectionis, & *inadvertentia* , quæ privatio eſt actualis attentionis ; & ſub eodem nomine *ignorantiæ actualis* comprehenduntur : Alia namque , de qua hactenus verba fecimus , *habitualis* potius eſt , tametſi ſimpliciter *ignorantia* dicatur , ſive *privatio cognitionis* . In hoc itaque præſens controverſia conſiſtit , num ſcilicet ad peccandum *formaliter*, ut inquiunt , ſive incurrendam culpam coram Deo , requiratur *cognitio actualis* , ſive *actualis advertentia* ad ipſum peccatum , quod prohibetur , aut ad omiſſionem actus,qui præcipitur . Quæ quidem quæſtio iiſdem, quæ poſuimus de ignorantia , principiis dirimenda eſt . Hanc porro maximi eſſe ponderis , ac momenti , nemo negare poteſt , qui vel obiter conſideret; ex ea pendere notitiam innumerabilium fere peccatorum , quæ & plures inter Chriſtianos ignorant , & plures etiam inter recentiores Theologos , & Confeſſarios , *inadvertentiæ* prætextu , a culpa excuſant. Frequenter quippe in his invenias qui dum inaudiunt a pœnitentibus , quos interrogant , ſe aut non cognoviſſe , aut non advertiſſe malitiam multorum criminum , quæ adverſus legem Dei commiſere , illos tanquam innocuos abs ſe dimittunt,quæ egerunt,vel parvi,vel nihil omnino pendentes , ac ſi ne peccata quidem forent, de quibus rationem reddere debeant apud Deum. Quod plane idem eſt , ac exiſtimare *inconſiderationem* , aut *inadvertentiam*, quæ vitia ſunt prudentiæ oppoſita , nec peccatum eſſe , nec cauſam peccati : quin immo ſibi perſuadent , eamdem actionem, quæ de ſe prava eſt , ſi ad bonum finem referatur , nedum non eſſe peccaminoſam , ſe bonam , & coram Deo meritoriam . Quapropter nemo ſanæ mentis non intelligit , quam ſit neceſſarium quæſtionem hanc quaquaverſum diſcutere , & veritatem , prælucente Sancti Thomæ doctrina , in bono lumine collocare . Itaque , ut clarius, ac diſtinctius rem perficiamus , etiam hoc caput in aliquot paragraphos dividemus , ordiemurque ab exponenda tum vera ſententia circa advertentiam , quæ ad peccandum ſufficit , aut requiritur , ac defendimus , tum alia , quam reprobamus .

§. I.

Proponitur ſententia S. Thomæ , ac meliorum Theologorum de advertentia , quæ ſufficit ad peccandum .

II. Peccatum omne debere eſſe voluntarium , ut coram Deo imputetur , concors eſt Theologorum doctrina , nemine diſſentiente . *Uſque adeo* , inquit S. Auguſt. lib. de ver. Relig. c. 14. *voluntarium eſt malum , ut nullo modo ſit peccatum , ſi non ſit voluntarium*; quod & pluries tradit S. Thomas, & nos amplius in loco trademus . Duo quoque ad voluntarium requiriri aſſentiuntur omnes , *cognitionem* ſcilicet , ſive *advertentiam intellectus* , *& conſenſum voluntatis* . De hoc poſtea

nunc

nunc de priore duntaxat. Porro juxta Angelicum Doctorem, ſicut *ignorantia*, ita *inadvertentia*, quam *ignorantiam actualem* diimus, eſt *voluntaria* dupliciter: *uno modo cum actus voluntatis fertur in ignorantiam*, ſive inadvertentiam: *ſicut cum aliquis ignorare*, aut non advertere *vult*, *vel ut excuſationem peccati habeat*, *vel ut non retrahatur a peccando*: *& hæc dicitur ignorantia*, aut inadvertentia *affectata*. *Alio modo dicitur ignorantia*, aut inadvertentia *voluntaria ejus, quod quis poteſt ſcire, ac debet. Sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, ac debet; quæ eſt ignorantia &c.* vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens: *ſive cum aliquis notitiam quam debet habere, non curat acquirere*, quod ex negligentia provenit. Cum autem ipſa *ignorontia*, aut inadvertentia *voluntaria eſt aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium.* Et hanc doctrinam, quam tradit r. 2. *q.* 6. *art.* 6. repetit in pluribus aliis locis, & præcipue *q.* 76. *art.* 3. ubi ait: „ Ipſa ignorantia
„ (ſive inadvettentia) eſt voluntaria vel *di-*
„ *recte* ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſci-
„ re aliqua, ut liberius peccet: vel *indi-*
„ *recte*, ſicut cum aliquis propter laborem,
„ vel propter alias occupationes negligit ad-
„ diſcere (ſive advertere) id, per quod a
„ peccato retraheretur. Talis enim negli-
„ gentia facit, ignotantiam (ſeu inadver-
„ tentiam) eſſe voluntariam, & peccatum “.

Duplex ergo *inadvertentia* diſtinguitur a S. Præceptore, & quidem utraque voluntaria, & mala, quæ idcirco, juxta ſolemne illud ejuſdem principium, *non poteſt ſubſequentem culpam excuſare*. Altera *directa*, de qua nullus dubitat eſſe peccatum: altera *indirecta*, quæ pariter culpabilis eſt in cauſa ſua, paſſione ſcilicet, habitu pravo, aut alia ſimili, quæ malitiam in ipſam refundit. Addunt alii inadvertentiam *interpretative* voluntariam: quæ in hoc conſiſtit, ut nempe poſitive quidem *volita* non ſit, ſed tamen juxta prudentum æſtimationem *volita* cenſetur, meritoque imputatur voluntati, eo quod non fecerit, vel non omiſerit, quod poterat, & tenebatur facere, vel omittere: unde hæc quoque culpabilis eſt. Nam, ut ait S. Thomas loco laudato art. 2. *Manifeſtum eſt, quod quicunque negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere peccat peccato omiſſionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.* Sed hæc *interpretativa* inadvertentia cum *indirecta* confunditur & ad eam revocatur.

III. Hæc eſt certiſſima S. Thomæ doctrina de advertentia, quæ ſufficit ad culpam contrahendam in pravis actibus, aut omiſſionibus, quam ſecuti ſunt omnes antiqui, & ſequuntur modo graviores Theolgi, eamque uberius explicare præſtat Patris Gabrielis Antoine verbis, qui *in Tract. de peccat. c.* 2. *q.* 4. primum ſtatuit, ac probat, *Poſſe eſſa peccatum mortale ſine advertentia actuali malitiæ*. Deinde, *ad mortale etiam ſecundum ſe imputabile, ſufficere advertentiam virtualem, & interpretativam malitiæ, aut periculi illius, in eo conſiſtentem, quod quis poſſit, ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, nec tamen advertat*. Tum vero, cum hoc probaſſet, ita notandum cenſet:
„ Equidem nihil eſt volitum, quin ſit præ-
„ cognitum: & voluntarium eſt id, quod
„ eſt a principio intrinſeco cum cognitione,
„ ſed cum cognitione vel actuali, vel virtua-
„ li & interpretativa. Nam ad voluntarium
„ indirectum, & interpretativum ſufficit *co-*
„ *gnitio virtualis, & interpretativa*. Item
„ cum actus moralis definitur actus, qui li-
„ bere fit, & cum advertentia ad regulam
„ morum, intelligi debet advertentia vel
„ actualis, vel virtualis, & interpretativa:
„ alioqui definitio mala eſt, cum non con-
„ veniat omni actui morali, nempe pec-

„ cato

„ caro commiſſo ex ignorantia , vel inadver-
„ tentia vincibili " .

„ Porro advertentia virtualis , & interpre-
„ tativa adeſt , cum quis poteſt , ac debet
„ advertere ad præceptum , ſeu obligationem,
„ vel malitiam actus , & tamen non adver-
„ tit . Poteſt autem advertere , quando ex
„ aliqua cognitione præſenti ejuſdem , vel
„ alterius objecti , aut circumſtantiæ , pru-
„ denter , ac circumſpective agendo , deve-
„ niret in cognitionem malitiæ , quam no-
„ vit habitu , ſed actu non advertit . Tunc
„ enim habet ſufficiens principium diſcurren-
„ di , & conſiderandi , an actus ſit licitus,
„ vel illicitus . Et , ſi hoc non cognoſcit, aut
„ conſiderat , male conſultat, & impruden-
„ ter agit : unde merito illi imputatur pec-
„ catum , quod inde ſequitur . Nam in omni
„ deliberatione humana primo conſiderandum
„ eſt utrum res liceat , nec ne , eodem enim
„ præcepto , quo tenemur vitare peccatum ,
„ & ſervare legem , tenemur adhibere ad-
„ vertentiam , & conſiderationem : cum ſine
„ ea lex obſervari nequeat " .

„ Hinc , pergit ille peregregie , in iis ,
„ quæ intrinſece mala ſunt , & contra le-
„ gem naturalem , *ad virtualem advertentiam*
„ malitiæ moralis habitualiter notæ ſuffi-
„ cit ut conſideretur ipſa actio ſecundum ſe,
„ ſeu ut quis recte advertat , quid agat. Nam
„ hoc ipſo facillime excitari poteſt actualis
„ cognitio malitiæ , utpote habentis cum
„ illa intrinſecam connexionem , ſi conſide-
„ rate, & ſine præcipitatione agatur , ut no-
„ tat Suarez . In his vero , quæ non ſunt
„ per ſe mala , ſed vetita ſolo jure poſiti-
„ vo , quamvis non ſemper ſufficiat conſide-
„ ratio ipſarum actionum ſecundum ſe , cum
„ non habeant intrinſecam connexionem cum
„ malitia , ſeu præcepto eas vetante ; tamen
„ ſi quis non laboret ulla ignorantia facti,
„ ſola objecti propoſitio ſimul cum cognitio-
„ ne habituali præcepti , regulariter ſufficit
„ ad excitandam cognitionem malitiæ , ſi
„ qua par eſt , conſideratione , & mora in
„ agendo procedatur . Poſſunt , & alia prin-
„ cipia deliberandi in talibus rebus occurre-
„ re , ut ſi quis non cogitans de die abſti-
„ nentiæ , videat alios veſci cibis quadrage-
„ ſimalibus : vel die feſto nihil cogitans de
„ Sacro , audiat feſtivum Campanarum pul-
„ ſum , aut videat populum , ad Templum
„ accurentem . Ex his enim , aut ſimili-
„ bus excitari poteſt cogitatio præcepti quæ
„ tamen ſi adhibita ſufficienti attentione ,
„ & conſideratione , non habeatur ; tunc
„ inadvertentia erit naturalis, & invincibilis,
„ qualis eſſe ſolet in timoratis , & ex cir-
„ cumſpectione agentibus ; in aliis autem
„ plerumque eſt vincibilis , & culpabilis .
„ Quod ſi malitia non ſit habitualiter nota,
„ tunc actus eſt culpabilis , ſi ignorantia
„ ſit vincibilis : quia hæc non excuſat a pec-
„ cato " . Hæc ille ſcite , & recte . Fateor tamen cum eodem , plenam advertentiam ad peccatum mortale eo ſenſu neceſſariam eſſe , ut homo ſit perfecte vigilans , ſuique compos ; itemque ut homo eo ſenſu aut *advertat* , aut *poſſit advertere* non ſolum id , quod agit , ſed etiam malitiam actionis .

Atque hoc plane in ſenſu intelligendi ſunt, ut etiam notat ille, quidam ex antiquis præſertim Theologis , dum dicunt , ad mortale peccatum requiri advertentiam malitiæ , vel ſuſpicionem , aut dubitationem de illa . Ut enim hoc cum veritate , & certiſſimis ipſorum , omniumque principiis conſentiat , debet intelligi vel de peccato directe volito , & de peccato malitiæ ex certa ſcientia : vel de advertentia malitiæ , ſive formali præſente, aut præcedente , ſive de virtuali , & interpretativa in ſpecie, vel in genere , in ſe , vel in cauſa . Quod idcirco obſervo , quia P. Lacroixius in ſuæ ſententiæ præſidium non eſt veritus vocare nedum S. Thomam , cujus authoritate mirum quam abutantur Probabiliſtæ ; ſed alios quoque graviſſimos Authores ,

S. Bonaventuram, Alenſem, Scotum, Sylveſtrum, Sotum, Bellarminum, alioſque.

§. II.

Exponitur ſententia recentium Theologorum, ſive Probabiliſtarum de conſideratione, & advertentia ad formaliter peccandum requiſita.

IV. Doctrina, quam expoſui, de conſideratione, & avertentia, quæ ad peccandum ſufficit, incorrupta permanſit in Eccleſia Dei uſque ad tempora invecti ſyſtematis probabiliſtici, quod, ſicut alias Moralis Chriſtianæ ſententias, ita & hanc graviſſimi momenti corrupit. *Multi Probabiliſtæ*, ſcribit P. Gonzalez in fund., *ad peccandum contra legem, advertentiam requirunt actualem ad malitiam, vel ad periculum malitiæ, ac proinde exiſtimant neminem poſſe peccare agendo contra legem, quin cognoſcat ſe peccare.* Qui tempore P. Gonzalez *multi* ſolum erant, nunc innumeri plane ſunt. Sed referam quorumdam duntaxat textus, ut innoteſcat, quo pacto novam ſuam doctrinam proponant: neque enim pius, ac prudens Lector poterit ſolo ejuſdem aſpectu non vehementer commoveri.

Primus, qui chorum omnium ducit, eſt P. Gabriel Vaſquez, cujus omnes ſententias *tutas* eſſe jactat Cardenas, & præſentem *optime tueri* deprædicat Sanchez. Hic *in* 1. 2. *diſp.* 107. argumento, quod ſibi objecerat, *nunquam* ſcilicet *peccatum aliquod committitur ſine expreſſa conſcientiæ reprehenſione*, ſic reſpondet: *Concedimus nunquam fieri peccatum ſine conſcientiæ reprehenſione ex parte cognitionis, quæ conſiſtit in cognitione mali, aut periculi: ſæpius tamen fieri peccatum ex parte voluntatis ſine illo timore, & cruciatu, quando videlicet quis ex prava conſuetudine peccans non terretur a peccato.*

Sequitur P. Sanchez Theologorum Moralium omnium, uti volunt, princeps, qui, cum *lib.* 1. *in Decal. c.* 16. eorum ſententiam retuliſſet, *virtualem*, & *interpretativam* attentionem, ſive advertentiam ad peccatum ſatis eſſe docentium, oppoſitum *n.* 21. ſtatuit inquiens: " Probabilius exiſtimo &c. quia nullum eſſe peccatum mortale in voluntatis conſenſu cenſeo, niſi cogitatio aliqua præceſſerit, & conſideratio expreſſa, quam actualem vocant, malitiæ moralis, vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, vel ſcrupulus. Itaque, ut quis peccet mortaliter, debet conſiderare, vel opus eſſe malum, vel ibi eſſe malitiæ periculum, vel dubium, vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere. Quod ſi nihil horum præceſſerit, inadvertentia, ſeu oblivio cenſentur omnino *naturalia*, & *invincibilia*: & ſic juxta hanc ſententiam *non ſatis eſt* cognitio illa *virtualis*, ſeu *interpretativa*, quam ſufficere ſententia dicebat *n. praeced.* relata.

N. 23. " Nec ſufficit ad mortale quævis conſideratio, & deliberatio *malitiæ objecti*, ſed debet eſſe plena &c. Quod ſi objicias *conſiderantem malitiam* non plena deliberatione habere principium plenius conſiderandi, nec evadere mortale, *ſi cum ea levi conſideratione rem mortalem admittat*. Reſpondet bene Vaſquez &c. negandum eſſe eam non plenam conſiderationem eſſe ſufficiens plenius conſiderandi principium &c. vel ſaltem ait illam plenam conſiderandi potentiam *levi* culpæ tribui, propter leve plenius conſiderandi principium &c.

,, Punctum difficultatis in eo verſatur, an juramenta hæc indeliberata ſint mortalia, quando procedunt ut a cauſa ex mala jurandi conſuetudine adhuc durante. Duplex eſt ſententia. Prior ait, ea eſſe lethalia &c. Poſterior ſententia, *cui tamquam probabiliori accedo*, ait, juramenta prolata ſine advertentia *formali*, & per ſe ſufficiente ad peccatum mortale (*plene* ſcilicet, ut antea docet) non eſſe in ſe novum, ac ſpecia-

,, ciale peccatum propter ſolam jurandi con-
,, ſuetudinem *qualiſcumque illa ſit , & non-*
,, *dum ſit retractata* , ſed totam malitiam
,, eſſe in ſua cauſa , atque ita , ut ſint pec-
,, cata lethalia , exigi talem advertentiam ,
,, qualis eſt neceſſaria in homine non ſic *ad*
,, *peccandum aſſueto* " . Hujus ſententiæ pa-
tronos falſo appellat S. Thomam , alioſque
,, multos : deinde addit : " Licet conveniens
,, ſit explicare [in confeſſione] juramenta
,, indeliberata &c. *at non eſt neceſſarium.* Hæc
,, docet Suarez &c. ubi hujus poſterioris par-
,, tis rationem non aſſignat . Sed ratio eſt :
,, quia etſi , quando actus externus eſt in ſe
,, volitus , & proinde in ſe peccatum , ſit
,, neceſſario exprimendus in confeſſione &c. at
,, quando opus externum non eſt in ſe volun-
,, tarium , ſed in ſola ſua cauſa , ſatis eſt
,, cauſam exprimere &c. An vero lata excom-
,, municatione in perjuriis etiam reſervatis
,, comprehendantur hæc perjuria indelibera-
,, ta , quæ ſunt voluntaria in ſola ſua cau-
,, ſa diximus eodem Cap. &c. ubi tenuimus ,
,, non comprehendi ſub ea excommunicatio-
,, ne , ſed illa ſolum , quæ proprie , & ſim-
,, pliciter talia dicuntur , quæ in ſeipſis ſunt
,, voluntaria " . Lib. 3. cap. 5. Paululum
immoratus ſum in referendis textibus hujus
Scriptoris , propter magnam , qua gaudet
apud Probabiliſtas, authoritatem , quem ideo
fere omnes ſequuntur . Alios afferamus .

P. Filliuclus magni nominis Author apud
Probabiliſtas , *Tract.* 21. *c.* 2. *n.* 376. hæc
habet : " Si neque in apprehenſione ſit ad-
,, vertentia , tunc operatio *ex ſe mala* excu-
,, ſabitur a peccato &c. Hoc pacto , quum
,, dicunt Doctores aliquem peccare , quando
,, advertit , vel debet advertere, intelligi de-
,, bet de advertentia, quæ ſupponit objectum
,, jam apprehenſum &c. Debet enim *ſemper*
,, *præcedere aliqua apprehenſio malitiæ* , *aut*
,, *prohibitionis* , vel alterius rei ſimilis , quæ
,, pertineat *ad genus moris* " . Et ibidem n.
318, " Nec refert , quod inadvertentia oria-
,, tur *ex prava conſuetudine* , *aut ex paſſione* .
,, Quia tam paſſio , quam prava conſuetudo
,, tollit *actualem* uſum rationis , qui *neceſſa-*
,, *rius* eſt ad peccandum mortaliter , ut plu-
,, ribus ponderat Suarez " . Vide quanti fa-
ciant hi Authores doctrinam S. Thomæ :
Ignorantia , quæ cauſatur ex culpa , non poteſt
ſubſequentem culpam excuſare : dum cæteroqui
illum ſe ſequi glorientur .

Laymanus Doctor apud illos *Claſſicos* , *lib.*
1. *tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. ſcribit : " Neceſſe
,, eſt , ut operans *actu advertat*, aut adver-
,, terit ad ejus [objecti] *malitiam* , aut pe-
,, riculum malitiæ &c. quum fieri non poſ-
,, ſit, ut voluntas in malum peccati con-
,, ſentiat , niſi intellectus illud cognoſcat " .
Et C. 3. " Colligitur , eum , qui ex invete-
,, rata conſuetudine , veluti quodam neceſſa-
,, rio impetu , rem malam agit, v. gr. ma-
,, teriales blaſphemias , aut perjuria effundit,
,, tunc non peccare , nec proprie blaſphema-
,, re " . Et *tract.* 3. *C.* 5. *n.* 13. " Idem ,
,, licet rarius , etiam locum in iis habere
,, poteſt , quæ per ſe mala ſunt , ut ſi ani-
,, ma *in vehementi paſſione* iræ , vel triſtitiæ
,, adeo abſorbeatur cogitatione *commodi* , *aut*
,, *utilitatis* , ut vel nihil omnino , vel valde
,, tenuiter attendat ad operis malitiam , ſeu
,, inhoneſtatem , quo caſu vel nullum , vel
,, ſolum imperfectum , ac veniale peccatum
,, erit . Quod arbitror interdum evenire iis ,
,, qui nimia triſtitia abſorpti ſibi ipſi necem
,, inferunt &c.

Eſcobar in princ. Theol. Mor. *Ex* 2. *C.* 6.
,, Cum Sanches aſſero non delinquere [igno-
,, rantem , aut ad turpis delectationis mali-
,, tiam non attendentem] : quia ad igno-
,, rantiam vincibilem , & peccaminoſam re-
,, quiritur ante conſenſum , præter obliga-
,, tionem advertendi *expreſſa aliqua cogitatio,*
,, *& conſideratio actualis malitiæ* , *aut peri-*
,, *culi* , vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio.

P. Georgius de Rhodes *diſp.* 1. *de peccatis*
qu. 3. *ſect.* 2. §. 3. " Quæcunque *actu* non

,, cogitat eſſe peccata, vel certe non dubitat, ,, *non ſunt ullo modo* peccata, licet antea ſciverit ,, peccata eſſe “. Paucis exponit Author iſte ſuam, aliorumque Probabiliſtarum de hoc argumento ſententiam. Qui etiam *diſp.* 2. *de act. hum. q.* 2. *ſect.* 2. loquens de excæcatis, & induratis ob aſſuetudinem peccandi ait; “ Sine *cognitione malitiæ* nemo excæca- ,, tus, & induratus peccat: quia ſcilicet co- ,, gnoſcunt quidem mala, quæ faciunt, ſed ,, non penetrant tamen, *quanta mala ſint*, ,, quæ propterea incurrunt “.

Nimius fortaſſe videri poſſum in congerendis textibus horum Theologorum. At veniam mihi dabit prudens Lector, ſi prætermiſſis innumeris aliis, unum etiam, aut alterum hic adjicio.

P. Lacroixius, qui poſt damnatas propoſitiones ſcripſit, & cæterorum laxitates in opere ſuo congeſſit, *tract. de pecc. n.* 16. hæc habet: *Certum eſt ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam* (n. 216. tò *aliquam* ſilet) *ad legem Dei, & ad malitiam objecti*. Quum vero pro hac ſententia laudet Vaſquez, Sanchez, alioſque, clatum eſt idem prorſus ſentire, ac illi ſentiunt. Hinc de obduratis, & obcæcatis ſermonem inſtituens: ,, Si ſuppo- ,, nas, inquit, adeſſe [*in his*] abſolutam ,, inadvertentiam, ita ut nullo modo cogi- ,, tetur de malitia hujus objecti, quamvis ,, ignorantia, vel incogitantia ſit *culpabilis*, ,, opus ex ea ſequens non habebit malitiam ,, ſpecialem, niſi præciſe illius negligentiæ, ,, vel neglectus ſciendi, vel advertendi, nec ,, erit imputabile ratione ſui &c. Ignoran- ,, tia ſiquidem ſive *vincibilis*, ſive *invinci-* ,, *bilis* facit æqualiter non cognoſci mali- ,, tiam: ergo etiam non contrahi &c. “. N. 23 *Si ſupponas, Sacerdotem nullam omnino habere cognitionem ſui ſtatus* [dum mœchatur, dum fornicatur, aut ſe polluit] *nego contrahi ſpecialem malitiam ſacrilegii*. Et n. 233. “ Ad peccatum mortale ſufficit co- ,, gnitio malitiæ objectivæ, quam quis vult ,, &c. Hæc autem malitia objectiva tunc ſuf- ,, ficienter cognoſcitur eſſe gravis, *quando* ,, *advertitur eſſe inductiva odii, vel inimicitiæ* ,, *Dei, aut pœnæ æternæ*. Item quando ope- ,, rans *quaſi horret*, & apprehendit ad eum ,, modum, quo ſolet alias materias graves, ,, *quando ſe ad eas reflectit* “. Ita P. Lacroixius, qui etiam aſſerit, quod *ita doceant om-* ,, *nes communiſſime*.

Agmen horum claudat recentiſſimus Author P. Matthæus Stoxius, qui aliorum ſententiam nitide exponit, dum eam ſequitur *lib.* 1. *p.* 5. *c.* 2. *art.* 1. *n.* 18. “ Ignorantia, ſeu ,, juris illa ſit, ſeu facti, excuſat ab omni ,, peccato, quantumvis alioqui opus, quod ,, fit, grave ſit, & Dei legi contrarium .... ,, Si male loquaris de altero, vel famæ alie- ,, næ detrahas, non eſt ſatis, *quod advertas*, ,, *te male de altero loqui, & nocere eidem*; ,, ſed *neceſſe*, ut hoc ipſum *repræſentetur* ,, *tibi formaliter, ut peccatum*, ſeu morale ,, malum contra legem vel Dei, vel rectæ ,, rationis. Sic cum bibendo ſenſim te *ine-* ,, brias, non eſt ſatis, quod advertas te bi- ,, bere &c. ſed neceſſe eſt, ut advertas *ratio-* ,, *nem peccati* in potu. Similiter ſi phanta- ,, ſia inhoneſtum quid volvat, aut potentiæ ,, externæ operentur, atque etiam in appe- ,, titu ſenſitivo delectatio excitetur; ipſe ta- ,, men intellectus non advertat aliquo modo ,, *malitiam*, vel *periculum ejus* in illo actu, ,, vacabit omni culpa, quantumvis longo tem- ,, pore durat, & *inconſideratio*, quoad excu- ,, ſandum a culpa, cenſebitur omnino natu- ,, ralis “. Et *n.* 23. ,, Nemo peccat morta- ,, liter, niſi qui *diſtincte, & determinate ad-* ,, *vertit malitiam gravem, ac mortalem, vel* ,, *periculum ejus*. Hinc qui ſolum advertit ,, *malitiam in genere, confuſe, & indetermina-* ,, *te*, non diſtinguens, an ſit mortalis, vel ,, venialis tantum, non peccat mortaliter, ,, etſi res *alioqui in ſe gravis ſit* “; laudatque pro hac ſententia inter alios Reginaldum, Tannerum, Breſſerum &c.

Præ-

Præterea N. 26. „ Non admittitur, inquit, peccatum mortale, niſi *adſit plena, & perfecta conſideratio, ſeu advertentia malitiæ gravis*: Si enim adſit advertentia ſemiplena tantum, & imperfecta, veniale tantum peccatum conſtitui poteſt, qualiſcumque demum ſit materia, *etiam ſecundum ſe graviſſima*: Bonac. n. 3. & alii. Si enim quælibet advertentia ſufficeret ad mortale, nimis ardua, & difficilis videretur ad cælum via, nec Chriſti jugum tam ſuave, ac leve diceretur „.

Et N. 29. „ Ad peccatum mortale *non ſufficit* ſcire, id graviter repugnare rationi; ſed requiritur, ut dum committitur, *ſciatur, ſive occurrat*, id eſſe gravem Dei offenſam. Leſſius &c. Lugo &c. Bellarm. &c. & alii. Ratio eſt, quia ſi homo *non cognoſcit Deum offendi*, & quidem *graviter*; tunc offenſa gravis *non eſt illi voluntaria*, neque malitia offenſæ formalis in ipſo actu reperietur: ergo non poterit illa ad culpam imputari. Quod ſi vero ratio offenſæ formalis Dei non reperitur in actu, non erit peccatum theologicum; ergo nec mortale, licet fiat cum advertentia, quod ſit contra naturam rationalem „.

§. III.

Indicantur ea, quæ neceſſario fluunt ex relata ſententia, & plerumque probantur ab Authoribus ejuſdem.

V. Ignoſcat, quæſo, mihi Lector, ſi adhuc ipſum detineo in exponendis relatis ſententiis Doctorum recentiorum, & afferendis iis, quæ ex ipſa neceſſario fluunt. Nam, ſi quid ſapio ego, nulla fortaſſe eſt in tota Theologia Morali perniciosior opinio, ſi præſertim eidem adjungatur ſyſtema Probabiliſticum, quod eam ad praxim innoxiam expeditiſſimam reddit: ac ulterius mos Authorum ſit, maxime Societatis Jeſu, ut cum ipſis exprobrantur horrendæ laxitates ex hujuſmodi ſententia provenientes, omnia audacter negent, ac ſi nihil omnino, quod rationi conſonum non ſit, docuiſſent, ut videre eſt in *Dialogis P. Danielis*. Quapropter eos falſitatis convincere neceſſe eſt, propriis Authorum verbis in medium prolatis. Poſt eos itaque textus, quos produximus quæ neceſſaria conſequentia ex iis profluunt, nec negare ipſi poſſunt, quin immo etiam ab iiſdem probantur, videamus.

Primum quod evidenter conſequitur, illud eſt: nullam eſſe ignorantiam, quæ veri nominis peccatum ſit ſive nulla eſſe ignorantiæ peccata: contra ac Scripturæ, & Patres diſerte tradunt, & Concilia adverſus Pelagianos definivere; quod ita evinco. Quid *ignorantiæ* nomine intelligunt, ſemperque intellexerunt omnes homines? nihil aliud plane, niſi quod *privatio ſit cognitionis*. Porro ſi ad peccandum requiritur advertentia, ſive cognitio actualis malitiæ objecti, *nec ſufficit virtualis*, & *indirecta*, ſive *interpretativa*, ut docet Sanchez, & cæteri cum ipſo, evidens eſt, nullam ignorantiam eſſe peccatum: contradictoria namque ſunt *cognitio actualis malitiæ*, & *privatio actualis ejuſdem*. Si qua ergo culpa juxta ipſos in hac re occurrat, tota quanta eſt ſe tenet ex parte *negligentiæ* ſciendi ſuam obligationem: & hæc quoque negligentia ſciendi culpabilis non eſt, niſi *actualiter* ejus malitia cogitetur: alioquin & ipſa invincibilis, & inculpata ab ipſis judicatur. Cæterum ſi loquamur de actibus, aut omiſſionibus, quæ procedunt ab ipſa ignorantia vincibili, nulla tam prava, tam deteſtabilis actio eſt, quæ peccatum *formale* ſit, ſive imputabile ad culpam. Nam hujuſmodi actiones fiunt ſine cogitatione actuali, ſeu advertentia malitiæ vel ad legem Dei prohibentem, aut ad ejuſdem Dei offenſam. Hoc conſtat evidenter ex verbis P. de Rhodes *de act. hum. diſp. 2. q. 2 ſect. 2.* „ Si quis cauſam ponit voluntarie, & libere alicujus peccati, *cujus non ad-*

Digitized by Google

„ *advertit malitiam , quando illud committit ;* „ is peccavit quidem , quando libere poſuit „ cauſam illam, cujus effectum prævidebat; non „ peccat autem, quando ſine advertentia mo- „ rali ponit illum effectum “ . Ita etiam Sanchez , qui citat Vaſquez , & ita quoque cæteri , qui conſequenter loquuntur .

Alterum , quod ex ea doctrina deducitur , eſt : nullum eſſe inconſiderationis , aut inadvertentiæ peccatum . Hoc quoque evidens eſt, & expreſſe docetur a P. Sanchez loc. cit. „ Cajetanus &c. exigere videtur , quod obli- „ vio illa cenſeatur *invincibilis* , ut excuſet . „ At juremerito id propoſitum nil refert , ut „ ea oblivio cenſeatur vere inculpabilis , do- „ cet bene Zumel : quippe ſolum attenden- „ dum eſt , an aliqua cogitatio operanti in „ mentem venerit eo tempore , quo præcep- „ tum impleri debebat : ſi enim ea non ve- „ niente in mentem juris , vel facti præcep- „ tum tranſgrediatur , eſt oblivio invincibi- „ lis , & excuſat “ . Id quoque confirmari poteſt ex P. de Rhodes *diſp. 2. de peccat. q. 1. ſect. 1.* ajenre : “ Nemo unquam obligari „ poteſt ad ſciendum , vel conſiderandum „ aliquid , niſi actu conſideret , ſe teneri ad „ illud conſiderandum . Unde advertentia „ illa virtualis , & interpretativa , quam fin- „ gunt Valentia &c. nunquam per ſe poteſt „ ſufficere ad peccatum . “

Tertio ſequitur , nulla abſolute eſſe peccata, quæ committit ebrius in ebrietate ſua , tametſi graviſſima , & enormia . Sanchez loc. cit. n. 46. tres opiniones recitat de his , & omnes judicat eſſe probabiles ; prima nempe, quod ea peccata eſſe cenſeantur non in ſe , ſed in ſua cauſa. Secunda, quod malitia eorum non ſit diſtincta a malitia ſuæ cauſæ , ſed dici peccata denominative, & imputabilitate extrinſeca . Tertia , quod ea non ſint peccata etiam denominatione extrinſeca , derivata malitia in ipſa ex voluntate præcedenti , *ſed eſſe ſolum* quoſdam voluntatis præcedentis effectus: ſubditque : *Inde infert Vaſquez , non eſſe neceſſarium exprimere in confeſſione ea peccata* ; ac demum concludit , *ſe cenſere tres has ſententias ſatis eſſe probabiles , & tuto amplecti poſſe* . Et n. 52. „ Dicendum ergo eſt , *etiamſi* „ *eventus ſoleant eſſe frequentes* ei , qui ine- „ briatur , ſi tamen tempore , quo inebriari „ voluit , non habuit prorſus ullam dubita- „ tionem , aut cogitationem de illis , nec in „ ſpecie , neque in genere , minime imputari „ culpæ : quia procedunt ex quadam inadver- „ tentia naturali , ac proinde nec in ſe , nec „ in ſua cauſa liberi ſunt “ . Eadem tradit Tamburinus Meth. Confeſs. lib. 2. c. 3.

Quarta conſequentia eſt , peccata , quæ ex habitu inveterato committuntur ſine actuali advertentia , aut reflexione malitiæ , non eſſe vera peccata , quæ oporteat in Confeſſione explicare , quæcunque ea ſint , ut juramenta , blaſphemiæ , imprecationes , impudicitiæ &c. Laymanus *lib. 1. tract. 2. c. 3.* id expreſſe docet : “ Qui *ex inveterata conſuetudine* , veluti quodam neceſſario impetu „ rem malam agit, v. g. materiales blaſphe- „ mias , aut perjuria effundit, tunc non pec- „ cate , nec proprie blaſphemare , aut peje- „ rare &c. “

Thomas Tamburinus *in Meth. Confeſs. loc. laud.* “ Qui &c. ex inveterara conſuetu- „ dine inadvertenter jurat falſum , licet vi- „ deatur obligari ad conſuetudinem confiten- „ dam , tamen communiter excuſarur . . . . „ Ratio eſt , quia communiter nemo adver- „ tit ad obligationem , quam habet illam „ conſuetudinem propter eam rationem ex- „ tirpandi , ne ſcilicet ſua conſuetudo ſit „ cauſa proxima materialis mali (ſeu non „ imputabilis ad culpam) , & conſequenter „ cum excuſetur a peccato , excuſabitur a „ confeſſione . . . . Unum noto , aliquan- „ do actus hujuſmodi inadvertenter factos „ non retinere ne malitiam quidem *mate-*

ria-

„ *rialem* &c. & tunc *nec ipſe actus*, *nec con-*
„ *ſuetuda eſt peccatum*, adeoque nec confeſ-
„ ſioni ſubdendum . . . Eodem modo dicen-
„ dum eſſe docent aliqui cum Sanchez in
„ *ſelectis ſuſe diſp.* 20. *a n.* 5. de blaſphemia,
„ hæreſi, & ſupradicto juramento &c. &
„ conſequenter ea inadvertenter facta *nec in*
„ *ſe*, *nec in cauſa* eſſe peccata, adeoque nec
„ neceſſario confitenda.

P. Sanchez ſupra relatus eamdem ſuſtinet doctrinam, *Juramenta* ſcilicet *prolata ſine advertentia formali non eſſe in ſe novum*, *ac proprium*, *& ſpeciale peccatum propter ſolam jurandi conſuetudinem*, *qualiſcunque illa ſit*, *& nondum ſit retractata*. *Licet autem conveniens ſit explicare in Confeſſione juramenta indeliberata* &c. *at non eſt neceſſarium*. *Hæc docet Suarez* &c. *quia etſi*, *quando actus externus eſt in ſe volitus*, *ac proinde in ſe peccatum*, *ſit neceſſario exprimendus in confeſſione* &c. *at quando opus externum non eſt in ſe voluntarium*, *ſed in ſola ſua cauſa*, *ſatis eſt cauſam exprimere*. Hinc ſubjicit hæc perjuria, aut blaſphemias &c. *non comprehendi ſub excommunicatione etiam reſervata*, ſi in ea lata fuerit.

P. Lacroixius loc. cit. " An illa, quæ ex
„ conſuetudine moraliter mala poſtea *inad-*
„ *vertenter* fiunt, ſint confitenda &c. *lib.*
„ 6. *n.* 973. ſi ſupponamus, quando iſta fiunt,
„ nullam prorſus adeſſe *advertentiam malitiæ*,
„ talia non habebunt *ullam novam malitiam*
„ formalem, uti conſtat ex dictis *lib.* 5. &c.
„ & conſequenter, cum iſta *in ſe non ſint*
„ *peccata* &c. ſed tantum effectus peccati,
„ ſecundum dicta n. 944. *non eſt obligatio iſta*
„ *confitendi*, Suarez, Sanchez, Amicus,
„ Dicaſt. Quod verum eſt ſecundum multos
„ cum Dicaſt. *licet conſuetudo illa non ſit re-*
„ *tractata*: tales enim v. g. blaſphemiæ non
„ ſunt voluntariæ &c. ". Quis tam perniciosas doctrinas æquo animo ferat? Siccine opinari, & Chriſtianos docere licet? *Etſi conſuetudo retractata non ſit*, ſed ſponte foveatur, abſunt a culpa blaſphemiæ, perjuria, fornicationes, aliaque indigna, quæ memorantur, quod ad eorum pravitatem *actu* animus non attendat? Prava ergo conſuetudine detenti, quum plerique eorum, quæ agunt, malitiam non conſiderent, rei peccati non erunt, nec turpia, & nefanda, quæ geſſerunt, aperire in confeſſione tenebuntur? Sed ad quintam neceſſariam conſequentiam progrediamur.

Hæc in eo ſita eſt, quod ea peccata, quæ perpetrantur in aliqua violenta paſſione abſque reflexione ad ipſorum malitiam, ab omni culpa ſaltem lethali immunia ſunt. *Hanc* ſane admittere debent ſententiæ relatæ Auctores, & reapſe admittit in primis P. Filliucius in textu ſupra allato, ubi ait: " Nec
„ refert, quod inadvertentia oriatur ex prava
„ conſuetudine aut *paſſione*: quia *tam paſſio*,
„ quam prava conſuetudo *tollit actualem uſum*
„ *rationis*, *qui neceſſarius eſt ad peccandum*
„ *mortaliter*, ut pluribus ponderat Suarez.

Laymanus quoque idem tradit, dum docet, quod, licet actualis inadvertentia frequentior ſit, dum agitur de præceptis juris poſitivi: tamen contingere etiam poteſt in iis actionibus, quæ ſuapte *natura pravæ ſunt*, ut cum anima *in paſſione vehementi vel ira*, *vel triſtitiæ &c. adeo abſorbetur cogitatione commoditatis*, *vel utilitatis*, *ut vel nihil omnino*, *vel valde tenuiter attendat ad operis malitiam*, *ſeu inhoneſtatem*, quo caſu vel nullum, vel *duntaxat imperfectum*, *& veniale peccatum erit*: id quod arbitratur interdum *evenire iis*, *qui nimia triſtitia abſorpti ſibi ipſis necem inferunt*. En quomodo eos ipſos nefarios homines, quos Eccleſia *Eccleſiaſtica ſepultura* privandos, judicavit, ad cælum novi Caſuiſtæ tranſmittant.

Prætereo Tamburinum, aliosque ejuſdem conſequentiæ fautores. Sed temperare me non poſſum, quin recitem teſtimonium P. Georgii de Rhodes, qui *diſp.* 2. *de act. hum.*

q. 2.

q. 2. *ſect.* 1. hæc habet: " Hoc judicium ,, imperfectum *contingere ſæpe poteſt* in ho- ,, mine ſanæ mentis, & non dormiente, vel ,, ob paſſionem aliquam involuntariam, & ,, vehementem, cujus violentia jndlcium ob- ,, tenebret, & diſtrahat, alioque abripiat, ,, vel ob ſtuporem aliquem mentis, qualem ,, in ruſticis ſæpe deprehendimus, vel prop- ,, ter attentiorem alterius alicujus rei cogi- ,, tationem, qua fiat, ut homo, licet non ,, ſtupidus vigilet, leviſſime tamen advertat ,, malum alterius cogitationis."

Sexto loco conſequitur, eum, qui credit, aut ſibi perſuadet, aliquid non eſſe vetitum, aut non prohiberi, niſi ſub levi, nunquam illud agendo committere ſaltem grave peccatum. Id exerte affirmat præter alios idem P. de Rhodes *diſp.* 2. *q.* 1. *ſect.* 1. dicens: ,, Reſpondeo certum eſſe, quod non pecca- ,, ret ruſticus, qui exiſtimans invincibiliter ,, peccatum eſſe interficere hoſtem, non au- ,, tem peccatum eſſe deſiderare interius il- ,, lum occidere, deſideraret tamen, & vellet ,, occidere. *Nemo enim peccat, niſi quando* ,, *judicat ſe peccare*. In iſto autem caſu ru- ,, ſticus deſiderando peccare, judicat ſe non ,, peccare: non ergo peccat. Quotieſcunque ,, igitur volo aliquid, quod novi eſſe pec- ,, catum, & contra præceptum, prout cadit ,, ſub voluntatem meam, pecco: ſi autem ,, novi quidem illud eſſe peccatum in ſe; ,, non novi autem peccatum eſſe, prout ca- ,, dit ſub voluntatem meam, non pecco, ,, neque facio cntra eharitatem divinam." Eadem habet Martinonus, eadem alii communiter.

Demum, ne alia perſequar, neceſſario fluit, meliorem eſſe præ cæteris conditionem illorum, qui propter conſummatam pravitatem ſuam a Deo deſerti, divinoque lumine privati, jam in illum abyſſum malorum omnium inciderunt, ut excæcati ſint, & obdurati in peccato; eo quod hujuſmodi aut nunquam, aut raro advertunt, aut cogitant de peccatis, quæ committunt. Quod ſolo teſtimonio Lacroixii, qui alios plures conſectatur, ego confirmo, ne ſim prolixior, qui loc. cit. ſcribit: ,, Si ſupponas adeſſe in *obduratis* & *excæcatis* ,, abſolutam inadvertentiam, ita ut nullo ,, modo *cogitetur de malitia* hujus objecti, ,, quamvis ignorantia, vel *incogitantia* ſit cul- ,, pabilis, opus ex ea ſequens *non habebit* ,, *malitiam* ſpecialem, niſi *præciſe illius negli-* ,, *gentiæ*, vel neglectus faciendi, vel adver- ,, tendi, nec erit imputabile *ratione ſui*, ſed ,, tantum ratione cauſæ, v. gr. ſi quis hic ,, & nunc abſolute, attamen *vincibiliter*, ,, ignorat *malitiam* mendacii peccat quidem ,, mentiendo, non autem contrahit *malitiam* ,, *ſpecialem mendacii*, ſed tantum negligen- ,, tiæ, vel neglectus in cognoſcenda, vel ad- ,, vertenda malitia (idem dicas de adulte- ,, rium, homicidium &c. committente, de ,, cujus *malitia* non cogitat, aut non adver- ,, tit). Ignorantia enim abſoluta, ſive ſit ,, vincibilis, ſive invincibilis, facit æquali- ,, ter non cognoſci malitiam: ergo etiam ,, non contrahi &c." Quod perinde eſt, ac dicere, hominem non cogitantem de malitia mendacii, adulterii, homicidii, perjurii nullam pro his culpam contrahere, adeoque nec pœnam pro iiſdem ſubiturum in Divino Judicio, ſolumque reum eſſe apud Deum *negligentiæ* in cognoſcenda, vel advertenda eorum malitia, ſi hæc *vincibilis* ſit, ſi vero *invincibilis*, ut eſſe poſſe præſumit, nec culpam contrahere, nec ulli pœnæ obnoxium eſſe coram Deo. Porro experentia certiſſima manifeſtat omnibus, plures, plureſque peccatores eſſe, qui conſuetudine mala, praviſque paſſionibus abrepti, maximeque *obdurati* & *excæcati*, aut nunquam, aut fere nunquam cogitant de malitia actionum, quas peragunt, aut de lege, quam violant, ſive de offenſa, quam Deo irrogant. Igitur nec peccant *formaliter* eas faciendo, nec pro iis pœnam aliquam in futura vita promerentur: ac proinde melior eſt ipſorum conditio, quam quo-

rum-

Digitized by Google

rumdam aliorum hominum cor ſuum cuſtodientium, qui ordinarie advertere ſolent malitiam pravarum actionum, quas vel fragilitate, vel paſſione seducti committunt.

Ut hanc evidentem conſequentiam, quæ decretoria plane eſt, quadantenus eludat Caſuiſtarum Apologiſta, *pag. 36.* fingit etiam, impiis in malitia conſummatis non deeſſe ſecretas quaſdam actuales cogitationes de pravitate actionum, quas peragunt, etiam eo tempore, quo a paſſionibus effrænatis potentius abripiuntur, quas tamen ipſi tunc non percipiunt. Alii dicunt ad quodcunque peccatum, quod impii committunt, ſemper præcedere motum aliquem conſcientiæ, qui illos ad attendendum inſtigat. Lacroixius eodem loco reſpondet: *Fatendum, corruptos, excæcatos, & paſſionatos, ordinarie ſaltem retinere cognitionem etiam ſpecialis malitiæ ſufficientem ad mortale.*

Sed hæ omnes reſponſiones vaniſſimæ ſunt, & ex libito mere confictæ. Nam experientia evidens eas falſitatis evidentis convincit, ſatiſque eſt appellare ſenſum hominum cordatorum, quorum nemo unus affirmabit, in tot hominibus impiis, quos deprehendere facile eſt, præſentem ſemper eſſe cognitionem, & advertentiam, dum actu peccant, vel ad malitiam operum, quæ agunt, vel ad legem, quam violant, vel ad offenſam Dei. Et certe ſi adeſſet hujuſmodi cogitatio, latere illos minime poſſet, aut nullo modo percipi, ut ait Caſuiſtarum Apologiſta: cum quælibet cogitatio interiorem ſui ſenſum afferat. Quoad Lacroixii vero reſponſum attinet: *ſi corrupti, excæcati, & paſſionati* ſolum *ordinarie retinent cognitionem etiam ſpecialis malitiæ ſufficientem ad mortale*, quandoque ergo, ipſo Lacroixio Authore, eam non retinent. Quid ergo? peccant ne tunc aut non peccant? Si peccant, etiam dum non advertunt pravorum operum ſuorum malitiam; ergo ad peccandum ſua illa advertentia minime neceſſaria eſt. Si vero non peccant, in abſurdiſſimam conſequentiam, quam deduximus, ipſe relabitur. Sed pudet tempus terere in tam chimerica reſponſione refellenda, quæ experimento, ut dixi, evidentiſſimo falſa deprehenditur.

§. IV.

Firmiſſimis Scripturarum documentis falſitas relata Caſuiſtarum ſententiæ evincitur.

VI. Nemo in primis negaverit, abſurdiſſimum eſſe excuſare a peccato Apoſtolorum perſecutores, qui certe prævia cognitione, aut advertentia malitiæ non illuſtrabantur, quin potius eos perſequendo obſequium Deo ſe præſtare putabant, ut ait ipſe Chriſtus Dominus diſcipulos alloquens: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Quomodo peccati ſui malitiam pervidebant, aut ſe aliquid agere, quod Deo diſpliceret, credebant, qui potius ſe eidem obſequium præſtare non dubitabant?

Nemo etiam vertere in dubium poteſt, peccaſſe Apoſtolum Paulum, & quidem graviter, dum perſequebatur Eccleſiam Dei: hoc enim & ipſe luculenter fatetur tum aliis in locis, tum 1. *ad Timoth.* 1. dum ait: *Fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus.* Quis autem dicat ſe cogitaſſe peccare, ac offendere conſcientiam propriam, & ipſum Deum, dum ſibi perſuaſum erat, aliquid agere, quod laude dignum foret, ac præmio, propterea quod *abundantius ſupra coætaneos ſuos æmulator exiſtere* ſibi videbatur *paternarum traditionum*, ut ipſe profitetur *ad Galat.* 5. inquiens: *Audiſtis converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*: non ergo ad pravitatem actionis attendebat.

3. Idem

3. Idem ex oratione facta a Chriſto Domino pro ſuis crucifixoribus colligitur. Lucæ enim cap. 23. dixit: *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt*. Cui concinit Apoſtolus: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Non itaque cognoverunt, quid facerent, dum Chriſtum tanquam ſeductorem, & malefactorem, dignumque morte turpiſſima crucis traducebant; & tamen graviſſime peccaſſe, eoſque Deicidii fuiſſe quis dubitet? Idque ex oratione pro ipſis a Chriſto facta ſatis aperte comprobatur. Et *vincibilem* quidem fuiſſe talem ignorantiam ultro fatemur. Sed nihilominus non ſola negligentia in cognoſcendo culpabilis fuit, ſed & ipſum nefarium opus perpetratum, ut omnes conſentiunt. Quid ergo præpoſtere effutit Lacroixius cum ſuis Doctoribus: *Quamvis ignorantia, vel incogitantia ſit culpabilis, opus ex ea ſequens non habet malitiam ſpecialem, niſi præciſe illius negligentiæ faciendi, vel advertendi, nec eſt imputabile ratione ſui, ſed tantum ratione cauſæ .... Ignorantia enim abſoluta, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis facit æqualiter non cognoſci malitiam: ergo etiam non contrahi?*

His Scripturæ textibus addendi ſunt alii, in quibus dicitur Deus aliquos *dimiſiſſe ingredi vias ſuas, tradidiſſe eos in deſideria cordis eorum* &c. & illi omnes, de quibus mentionem facit Apoſtolus Paulus *in Epiſt. ad Rom.* C. 1 quos certe peccaſſe, dum fœdiſſima delicta agebant, & quidem in ea ſpecie peccatorum, quæ ibi referuntur, dubitare nefas. Aſſerere autem tunc de actuum illorum malitia eos cogitaſſe, delirium ſomniantium eſt.

§. V.

Pelagianorum error dicendus, quam adverſarii defendunt, ſententia de advertentia malitiæ ad peccandum.

VII. Hæc aſſertio conſtat ex jam adducta a S. Hieronymo Critoboli Pelagiani doctrina. In hoc enim præcipuum ipſius virus poſitum erat, quod aſſereret non eſſe peccati reum, qui ſe peccaſſe neſciebat, aut pravitatem actionis ſuæ non advertebat. Doctrina hæc in Concilio Dioſpolitano, ſive Palæſtino proſcripta fuit his verbis concepta: *Oblivio, & ignorantia* (præcipue *actualis*) *non ſubjacent peccato: quoniam non eveniunt ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem*. Et Pelagius quidem apud S. Auguſtinum *de natur. & grat.* C. 17. minime negabat, *hominem pervigilare debere, ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam, qua id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet*. Solum ergo Pelagius negligentiam cognoſcendi culpabilem credidit, cujus vitandæ cogitatio aliqua præluxiſſet: a peccato autem excuſabat ea, quæ inde ſequebantur, flagitia, ſi mens ad illa non advertiſſet, dum commitebat. Hoc autem ipſum commentum eſt, quo cum Pelagio conveniunt, quicunque advertentiam actualem ad peccandum requirunt: innoxios quippe putant quoslibet actus, & effectus pravos, qui ſine hujuſmodi advertentia conſequuntur.

Id confirmari valet authoritate ejuſdem S. Doctoris, qui *lib.* 1. *Retract.* C. 9. ſibi objicit Pelagii, ſive Cæleſtii tritum illud argumentum: *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem: caveri igitur poteſt. Quo teſtimonio*, inquit, *in quodam libro ſuo Pelagius uſus eſt. Cui libro cum reſpondiſſem, titulum libri mei eſſe volui de nat. & grat.* Hoc idem Pelagii ſophiſma repetit paulo poſt recitata verba ipſa, quæ ſcripſerat *lib.* 3. *de lib. arb.* C. 18. inquiens: *Et lib. 3. cum dixiſſem illud, quod & Pelagius de meis opuſculis uſum fuiſſe commemoravi: quis enim, inquit, peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem: caveri igitur poteſt. Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam imputantur, & corrigenda judicantur, ſicut in Divinis authoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus*, Miſericordiam conſecu-

Digitized by Google

ſecutus ſum : quia ignorans feci. *Ait & Propheta* : Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Et tandem concludit citato lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque, quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens recte non facit, ammittat ſcire, quid rectum ſit, & qui recte facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit*. Legenda etiam, quæ habet C. 19.

§. VI.

Patres indicantur, qui erroneam ſententiam refutant; & cenſuræ referuntur, quibus eadem damnata eſt.

VIII. Brevitatis cauſa ſolum indicabo plures SS. Patrum textus, qui veram de ignorantia actuali, ſive inadvertentia Eccleſiæ doctrinam tradidere. S. Hieronymus in primis duobus integris libris, pluribus in medium productis Sacrarum Scripturarum oraculis, Chritoboli Pelagiani errorem refellit. S. Auguſtinus pluribus in locis, & præſertim in Confeſſionibus ſuis: & *in lib. de Spir. & lit. c. 36.* Illum inſectatur, præter ea loca, quæ prolata ſupra jam ſunt. Suffragantur S. Joan. Chryſoſt. hom. 6. in Cap. 11. Matth. S. Baſilius in Reg. Brevior. Reg. 58. S. Gregor. Magnus lib. 5. Moral. Cap. 16. &, ut cæteros mittam, S. Bernardus Abbas, qui Epiſt. 77. ad Hugonem de S. Vict. ſcribens contra Abailardum ſimilem errorem ſuſtinentem, poſt plura Scripturarum teſtimonia producta, tandem concludit, & omnibus conſtare aſſerit, *in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe per ignorantiam*, ſive inadvertentiam.

Adeo evidens eſt a nobis conſtituta veritas, ut oppoſitam ſententiam notare pluribus debere cenſuris crediderint celebres Univerſitates, & Epiſcoporum Conventus. Et in primis plerique Galliarum Epiſcopi, & Academia Pariſienſis propoſitionem hanc: *Nunquam peccatur, niſi prævia cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur*, declaravit *falſam eſſe, & viam aperire ad excuſandas excuſationes in peccatis*.

Clerus etiam Gallicanus anno 1700. congregatus hanc damnavit ſententiam: *Si peccatores conſummatæ malitiæ, cum blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hiſce actionibus non peccare*: quæ propoſitio pronunciata eſt *falſa, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpens, blaſphemias, aliaque peccata excuſans*.

Facultas Lovanienſis huic propoſitioni: *Ut actio voluntaria ſit, oportet, ut procedat ab homine, qui noſcit & percipit, quid boni, malive in ea ſit, &, antequam id intellectus animadverterit, actio neque bona eſt, neque mala*, hanc cenſuram inuſſit: *eſt contra communia Chriſtianæ Religionis præcepta, & innumera, etiam immaniſſima peccata excuſat cum pernicie animarum*.

Illuſtriſs. D. Quido de Seve de la Rochechouart hanc theſim: *Perfecta advertentia ex malitiæ conſideratione requiritur ad mortale*, proſcripſit *ut falſam, ſcandaloſam, ſaluti animarum pernicioſam, & maximis peccatoribus excuſationem ſuppeditare natam*.

Alia damnatio doctrinæ Caſuiſtarum propoſitæ facta eſt a Facultate Theologica Pariſienſi anno 1717. proſcribente ſequentes P. Georgelini propoſitiones: *Nullum eſt peccatum mortale in voluntatis conſenſu, niſi cogitatio aliqua præceſſerit, & conſideratio expreſſa malitiæ moralis, vel periculi, vel ſaltem aliqua expreſſa dubitatio, ſeu ſcrupulus . . . . . Peccatum perſonale debet eſſe libere volitum: at non poteſt eſſe libere volitum ſine aliqua cogitatione malitiæ moralis: quia talis cogitatio eſt principium deliberandi circa malitiam moralem: neque ad hanc deliberationem ſufficit cogitatio boni jucundi, aut utilis, quod ineſt rei, quam*

 homo

Digitized by Google

homo peccans proſequutur : cum commoditas , aut utilitas temporalis a bonitate , & malitia morali longe differant , & in diverſo genere conſtituantur . Propoſit. 31. *Ad peccatum requiritur aliqua conſideratio , ſeu advertentia etiam præſens ad malitiam moralem* . Harum propoſitionum cenſura hæc eſt : *Hæ propoſitiones temerariæ ſunt , ſcandaloſæ , pernicioſæ , & errorem peccati philoſophici pluries damnatum renovantes* .

Ab eadem quoque Univerſitate proſcriptæ ſunt duæ aliæ ſequentes : *Quamvis Vaſquez , & alii loquantur expreſſe de peccato mortali [cum ajunt , nullum eſſe peccatum mortale in voluntatis conſenſu , niſi aliqua cogitatio præceſſerit] ; prædicta tamen ratio , qua id probant , idipſum quoque de veniali evincit ...... Voluntas facti nihil facit ad peccatum , ſi deſit voluntas peccati* . Proſcriptio autem eſt hujuſmodi : *Hæ propoſitiones erroneæ ſunt ad excuſanda immania quæque ſcelera excogitatæ , atque etiam hæreticæ* .

§. VII.

Confutatur Caſuiſtarum ſententia de advertentia ad peccandum requiſita ex doctrina S. Thomæ .

IX. Mirari plane ſubit confidentiam P. Gabrielis Vaſquez , ſicut etiam Lacroixii , & aliorum , qui veriti non ſunt in favorem propriæ ſententiæ afferre S. Thomam . Adeo quippe longe abeſt hujus doctrina a vanis , & ſcandaloſis ipſorum placitis , ut eos potius quam apertæ falſitatis revincat . S. Thomas in primis præter adducta ſupra loca , 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 3. illud generale principium ſtatuit : *Eo modo requiritur ad voluntarium* [adeoque ad peccandum] *actus cognitionis , ſicut & actus voluntatis : ut ſcilicet ſit in poteſtate alicujus conſiderare , & velle , & agere : & tunc ſicut non velle , & non agere , cum tempus fuerit , eſt voluntarium ; ita etiam non conſiderare* . Si ergo ipſum non conſiderate , cum tempus urget conſiderandi , ut cum agere aliquid oportet , voluntarium eſt, quomodo ipſa non conſideratio , ſive incogitantia excuſabit a peccato ? Et *art.* 7. *ad* 3. „ In his , quæ per concupiſcentiam aguntur, „ non totaliter tollitur cognitio : quia non „ tollitur *poteſtas cognoſcendi* , ſed ſolum *con„ſideratio actualis in particulari agibili* . Et ta„ men hoc ipſum eſt *voluntarium* , ſecundum „ quod voluntarium dicitur , quod eſt in po„ teſtate voluntatis , ut non agere , & non „ velle ; ſimiliter autem & non conſiderare . „ Poteſt enim voluntas Paſſioni reſiſtere &c." . Licet ergo deſit *conſideratio actualis* , quia tamen conſiderare *in poteſtate* voluntatis eſt, ideo non conſiderare , cum oportet , voluntarium eſt , atque peccatum .

Hoc luculentiſſime confirmat S. Doctor 2. 2. *q.* 53. ubi agit de vitiis prudentiæ oppoſitis , & præſertim *art.* 4. ubi probans , Inconſiderationem eſſe peccatum ait : „ Defec„ tus recti judicii ad vitium inconſiderationis „ pertinet , prout ſcilicet , aliquis in recte ju„ dicando deficit ex hoc , quod contemnit , „ vel negligit attendere ea , ex quibus rec„ tum judicium procedit . Unde manifeſtum „ eſt, quod inconſideratio eſt peccatum " . Si inconſideratio ipſa , aut inadvertentia peccatum eſt : igitur peccatur ſine advertentia . Nam ſi vel ipſa omiſſio advertendi , dum rectum judicium fieri debet , culpabilis eſt , quis ſanæ mentis neceſſitatem actualiter advertendi ad peccandum adſtruat ? Legendus etiam eſt D. Th. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. ubi loquens de ignorantia , & inadvertentia , quæ culpabilis eſt , clare affirmat , eam tunc eſſe , *cum aliquis actu non conſiderat , quod conſiderare poteſt, & debet* . Plura alia ſilentio obvolvo .

At quid producit ex S. Doctore P. Vaſquez, ut ſententiæ ſuæ patronum faciat ? En D. Th. textus , quem refert *Diſp.* 107. *C.* 3. *ex* 1. 2. q. 88. art. 5. *Dicitur ira diuturna , & delectatio moroſa , propter approbationem rationis deliberantis* . Sed quis merito non ſuccen-

cen-

Digitized by Google

cenſeat his Authoribus, qui ad præſidium afflictæ cauſæ ſuæ tam inepta teſtimonia trahunt, iis relictis, quæ D. Thomæ mentem in pleno lumine collocant? In primis deliberantem quidem hominem in his affectibus, aut delectationibus S. Thomas eſſe debere ſtatuit: ſed cum juxta S. Præceptorem ratio deliberet vel *directe*, vel *indirecte*, ſive cum poteſt, ac tenetur deliberare, quo fundamento colligere poteſt P. Vaſquez ipſum loqui de deliberatione, & advertentia *directa*, & *actuali*, non autem de *indirecta*, ſive *virtuali*, & *interpretativa*? Sed præterea, cum hoc etiam argumento utatur P. Terillus *in Reg. Mor. p. 2. q.* 63. afferatque etiam S. Bonaventuram, alioſque veteres paſſim tradentes, inordinatos concupiſcentiæ motus non imputari ſaltem ad grave peccatum, niſi ratio actu advertat; obſervandum eſt, minime authores illos loqui de *advertentia ad malitiam*, ſed ad ſolum objectum, ſive delectationem, quæ cæteroqui prava eſt. Solum ergo requirunt, quod ratio cognoſcat, aut perpendat actum, qui eſt voluntatis objectum: cui ſi malitia ſit intrinſece annexa, hæc, ut *indirecte*, ſeu *interpretative* volita cenſeatur, ſufficit, quod in ipſum actum voluntas conſentiat, poſſitque, ac debeat ipſa malitia ab agente cognoſci. Tunc enim cognoſcitur *indirecte*, ſeu *interpretative*, ut manifeſte docet S. Thomas: & S. Bonaventura *in* 2. *diſ.* 24. paucis expreſſit dicens: *Qui in tali delectatione advertens periculum, vel debens advertere, voluntarie verſatur, exponit ſe diſcrimini, quando negligit repellere.*

§. VIII.

Abſurda prorſus non ferenda, quæ ex Adverſariorum ſententia proficiſcuntur.

X. Etſi, quas ſub oculos poſuimus, conſequentiæ ſupra derivatæ ex Adverſariorum doctrina tanquam immania abſurda reputanda ſint; quædam tamen ſubnectere præſtat, quæ propriore hoc vocabulo appellantur, eaque profecto ab homine Chriſtiano nequaquam ferenda. Et maximum quidem abſurdorum omnium eſt peccatum, quod *philoſophicum* vocant, a tota jam Eccleſia damnatum; quod neceſſario conſequitur ex allata doctrina. Sed, quia de hoc in *Tract. de peccatis* dicturi ſumus, ideo illud nunc in medio relinquo; aliaque perſequor.

Primum nempe, quod, excuſari penitus a peccato debeant omnes, quos in ſuis Epiſtolis arguit, atque condemnat Apoſtolus Paulus, dignaque æterna morte delicta commiſiſſe aſſerit *ad Epheſ.* 4. dum ait: *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum* &c. Et Cap. 5. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Et 1. ad Theſſal. 4. *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum* &c. Et ad Rom. 2. *Tribulatio, & anguſtia in omnem animum hominis operantis malum, Judæi primum, & Græci . . . . . Quicunque enim ſine lege peccaverunt ſine lege peribunt.* Hos ergo omnes æterna morte dignos propter recenſita flagitia declarat Apoſtolus, dum potius ſuppoſita recentiorum doctrina a culpa eſſent excuſandi, quoniam cum *obſcuratum haberent intellectum*, & in *cæcitatem cordis* incidiſſent, adeo ut & Deum ipſum *ignorarent*, haud plane cernebant ea mala, quæ committebant, nec de ipſorum pravitate ullatenus cogitabant. Quod procul dubio fateri coguntur Adverſarii, & reapſe fatentur. Unde P. Annatus, *Qui nullam*, ſcribit *de Deo, vel peccatis cogitationem habet, nullam habet hic gratiam actualem. Proinde actus præceptos tunc omittendo, vel prohibitos committendo, nullum peccatum committit: nec ſi damnetur, propter ea pecca-*

ta

ta damnari poteſt . Neque reponere adverſarii poſſunt , eos , de quibus Apoſtolus loquitur, aliosque ſimiles propter alia peccata , quæ cognoverunt , ſive propter culpæ negligentiæ actualem conſiderationem fuiſſe damnatos . Nam Apoſtolus expreſſe *dignos morte* ſempiterna Gentiles judicat propter ea , quæ commemorat , delicta , quæ ipſi in illa *cordis cæcitate* , & *intellectus obſcuritate* patrabant , adeoque minime tunc advertebant . Præterquamquod nec de ipſa advertendi obligatione , & negligentia tunc actu cogitabant , *ſine cujus actuali conſideratione* , inquit Laymanus , & cæteri cum ipſo , *negligentia* illa *non imputatur ad culpam*, nec imputari merito poteſt juxta eorumdem principia .

Aliud *abſurdum* hoc eſt , quod nempe omnes , qui aliquid , quod peccatum eſt , quodcunque ſit , etiam inter horribiliora , ſibi licere exiſtimant , illudque ſine ulla formidine peragunt , nullam culpam contrahant coram Deo . Si enim illud ſibi licitum putant , carentque omni peccandi formidine , jam non advertunt , neque ullam habent de peccato actualem cogitationem . Quapropter ab omni culpa immunes erunt tum infideles, tum hæretici plurimi , qui tantum abeſt , ut ſe veram Dei religionem contemnere , ac perſequi arbitrentur , ut potius gratum ſe Deo ſacrificium offerre judicent , dum ſacras imagines conculcant , Eccleſias diruunt , fideles immanibus ſuppliciis afficiunt , ut a cultu veri Dei avocent , & ad impias , & ſacrilegas ſuperſtitiones traducant . Numquid Nero , Caligula , Diocletianus , aliæque humani generis peſtes quidpiam ſe mali perpetrare actualiter conſiderabant , dum tam crudeliter in Chriſtianos ſæviebant ? Numquid Circumcelliones delinquere ſe cognoſcebant , dum pro Religione erroneo conſcientiæ judicio decepti ſe præcipites e rupibus agebant ? Quid plura ? ſi abſque actuali cogitatione de actionis *malitia* nullum ſcelus committitur , aut incurritur , jam unuſquiſque ſectæ ſuæ , quam profitetur, conſtanter hærens ab omni culpa liber eſt , & ſempiternam ſalutem conſequetur .

Tertium , & poſtremum *abſurdum* , ut alia taceam , in hoc conſiſtit , quod ſuperflua prorſus , & inutilis dicenda foret paterna Dei erga nos ſolicitudo , & charitatis divinæ infinita dilectio Filium ſuum unigenitum in hunc mundum mittentis , ut *doceret nos vias ſuas*, & *illuminaret ſedentes in tenebris* , *&* *umbra mortis* : quin ſuperflui quoque Apoſtolorum labores pro revocandis ab errore hominibus, & removendis falſis ſuperſtitionibus , in quibus miſerrime detinebantur , ſi Adverſariorum opinio vera eſſet . Ut quid enim Divini verbi Præcones in regiones adeo remotas proficiſci debuerant , ut gentes Chriſtianorum dogmatum luce , diſſipatis tenebris, illuſtrarentur, ſi ob ignorantiam , & inadvertentiam , in qua jacebant , nullatenus Deum offendebant, nec peccata mortalia , & æterna pœna digna committebant ? Quin immo in diſcrimen amittendæ ſalutis adducti fuiſſent documentis, & adhortationibus Apoſtolorum, qui illos ad cogitandum de Deo , de lege Divina , de malitia ſuorum operum excitarunt . Quod etiam de Concionatoribus , & Miſſionariis noſtri temporis dicendum eſt . Si enim ſine peccati labe ea peragunt infideles , quæ *formalia* flagitia non ſunt , ob ignorantiam , aut incogitantiam malitiæ ipſorum ; dimittantur ergo, nec doceantur de præceptis divinis , quæ , dum ipſi ignorant , nulli jam ſunt ſalutis eorum impedimento . Idem dicas de cæteris peccatoribus : nihil enim eſſet , cur Parentes de ſua , filiorumque ſalute ſoliciti ſeduiam in eorum inſtitutione operam adhiberent : nihil , cur Sacri Paſtores , & Concionatores verbum Dei , legemque Divinam accurate exponerent . Siquidem in ignorantia hujus divinæ legis ſecure viverent , abſque formidine illam culpabiliter violandi . Hoc ſane abſurdum incredibile pluribus facile videri poteſt , & tamen ſponte ſequitur ex adverſariorum doctrina . Neque illud , ſi conſequenter loqui

vo-

velint, ullatenus negare poſſunt; ſed neque reapſe negant. Quando quidem ipſi tradunt relinquendos eſſe abſque admonitione pœnitentes, qui in fœtidiſſimo mollitiei crimine verſantur, dum illud aut ignorant, aut non cogitant eſſe peccatum; *ne*, ut inquit Gobatus, qui ſe plures alios conſuluiſſe teſtatur, *peccatum, quod materiale*, ut ajunt, *tantum erat*, ex admonitione *evadat formale*: atque ita de injuſtitiis, aliiſque, quæ committunt, peccatis monendos non eſſe, dum fructus non ſperatur, docent Sanchez, Tamburinus, aliique communiter. Sicut ergo ob hanc cauſam omitti correctio poteſt ex ipſorum doctrina; ita in caſibus modo indi atis aſſerendum eſt. Nam & Gentiles raro ex prædicatione fructum percipiunt, & in ipſis Chriſtianis peccatis aſſuetis, de quorum malitia minime cogitant, majus eſſet, eos illuminando, præjudicium, quam profectus. Videant ergo, in quæ prorſus intoleranda, & omnino deteſtanda *abſurda* ſemet conjiciant, qui doctrinam ſectantur, ex qua eadem neceſſario fluunt.

§. IX.

Objectiones Adverſariorum ſolutæ.

XI. Aliqua jam in hujus controverſiæ tractatione, prout ſe occaſio tulit, præoccupavimus Adverſariorum argumenta. Alia quædam diluenda ſuperſunt, quæ ad duo capita revocantur, authoritatis nempe, & rationis. Et quoad authoritatem quidem attinet, primo objiciunt Chriſti verba ad Phariſæos directa Joan. C. 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. Et Cap. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* Et Pauli ad Rom. 5. *Uſque ad legem peccatum in mundo erat, peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.* Deinde opponunt illud Auguſtini *de lib. arb.* lib. 3. cap. 19. *Peccatum, quod proprie vocatur, libera voluntate ab ſciente committitur*. Et S. Thomæ *quod lib.* 3. *art.* 8. *Cum aliquis neſcit fornicationem eſſe peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, ſed non voluntarie facit peccatum.*

Oppido mirum eſt, Adverſarios frivola hæc, & ad intentum ſuum inepta teſtimonia proferre in conſpectu tot aliorum luce meridiana clariorum, quæ doctrinam eorumdem apertæ falſitatis convincunt. Primum textum ſolvit ipſe Auguſtinus tract. 44. in Joan. *Dixit eis Jeſus: ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum*. Si cæci eſſetis, *id eſt, ſi vos cæcos adverteretis, ſi vos cæcos diceretis, & ad medicum curreretis. Si ergo ita cæci eſſetis, non haberetis peccatum: quia veni ego auferre peccatum. Nunc ergo quia dicitis*, videmus, *peccatum veſtrum manet. Quare? quia dicendo*, videmus *medicum non quæritis, & in cæcitate veſtra remanetis*. Et certe quis unquam aſſerere poteſt, cæcitatem ipſam mentis, in qua illi erant, & per quam reluctabantur teſtimonio Chriſti tot ſignis confirmato, peccato caruiſſe? Alterum vero, quod objiciunt, nihil aliud probat, niſi dari poſſe *infidelitatem negativam*, ſive ignorantiam invincibilem myſteriorum fidei, ſicut, & juris humani, quam libenter admittimus in iis, quibus Evangelium Chriſti prædicatum non eſt. Si ergo Chriſtus Dominus in hunc mundum non veniſſet, totque miraculis doctrinam ſuam confirmaſſet, Judæi, quos tunc alloquebatur, peccatum infidelitatis non habuiſſent, quemadmodum neque peccatum hocce habent ii, quibus Chriſti Evangelium non eſt ſufficienter revelatum. De hac autem ignorantia modo quæſtio non eſt.

Ad textum Apoſtoli Auguſtinus idem reſpondet *in expoſit. quarumdam prop.* ex Epiſtola ad Rom. *prop.* 26. inquiens: *Quod autem ait*, uſque ad legem peccatum in mundo fuit, *intelligendum eſt, quouſque veniret gratia. Contra enim eos dictum eſt, qui arbitrantur, per legem auferri potuiſſe peccata. Dicit autem Apoſtolus, manifeſtata eſſe peccata per legem, non autem ablata, cum dicit*: peccatum autem non deputabatur, cum lex non eſſet. *Non*

enim

enim ait, non erat, *ſed* non deputabatur. *Neque eum lex data eſt, ablatum eſt, ſed deputari cœpit, ideſt apparere*. Tanta quippe erat mentium humanarum cæcitas, ut peccata ipſa contra naturam, & naturalem legem non dignoſcerentur. Unde lege a Deo data in Monte Sinai populo Hebræo, cœperunt *apparere* peccata, quæ prius ob ignorantiam vincibilem, & culpabilem vix dignoſcebantur.

Quoad textum Auguſtini ſpectat, adeo in hac re mens ejus perſpicua eſt, ut quibuſdam potius exceſſiſſe viſus ſit. Textus autem allatus nihil aliud evincit, niſi quod Catholici omnes docent, ſcilicet peccatum, ut proprie peccatum ſit, & imputetur ad culpam, fieri debere libera voluntate ab homine *ſciente*, ſeu ſcientia, & cognitione prædito: neque enim, qui cognitione carent, ut amentes, aut nullam rei cognitionem habent, proprie peccant, dum aliquid contra legem committunt. Sed an cognitio illa debeat eſſe *actualis*, an ſufficiat *virtualis*, & *indirecta*, ibi non definit S. Doctor, prout aliis in locis apertiſſime definivit juxta ea, quæ dicta ſunt. Unde nihil ex eo textu extundere poſſunt Adverſarii, quod ſibi faveat.

Sed nec quidquam elicere valent ex verbis D. Thomæ: eo namque loco ſolummodo vult S. Doctor, quod ille, qui voluntarie fornicatur, neſciens in eo ſe peccare, peccatum quidem non committat voluntario formali, & directo, ſed virtuali duntaxat, & indirecto, ſive interpretativo: neque enim ipſum a *formali* peccato excuſat; cum ibidem *art.* 10. expreſſe, dicat *ignorantiam juris non excuſare a peccato*: & 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad* 5. loquens de ipſa fornicatione, doceat culpabilem eſſe, qui peccati ſui conſcientiam non habet: *Quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum, puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale*. Quamvis igitur, qui fornicatur, neſciens fornicationem eſſe peccatum *directe* non cognoſcat peccatum, quod committit, cognoſcit tamen *indirecte*, quatenus *propter laborem*, ut ait ipſe S. Thomas, *vel propter paſſionem, aut alias occupationes* ignorat id, quod ſcire poteſt, ac deberet, eſſe peccatum.

XII. Præcipua tum Vaſquez, tum Terilli, tum aliorum, quæ a ratione promuntur, argumenta ſunt hæc, quæ congerit Lacroixius *lib.* 5. *n.* 16. his verbis: „ Rationes noſtræ, inquit, ſunt; 1. Nil volitum, quin præcognitum; ergo &c. Neque cognitio illa eſt in poteſtate voluntatis; alioquin ad volitionem illius præequireretur alia præcognitio, & ſic daretur proceſſus in infinitum. 2. Nemo peccat in eo, quod vitare nequit. Sed vitare non potuit id, quod non præcognoſcit; ergo &c. Confirmatur, ſi ego pecco, dum nullam habeo cognitionem legis prohibentis, pecco, dum mihi impoſſibile eſt vitare peccatum. Ergo *homini juſtificato, & volenti* &c. quæ eſt prima Janſenii propoſitio. 3. Si non prærequireretur cognitio malitiæ, ignorantia invincibilis non excuſaret a peccato: ſed excuſat: ergo. Unde a contrario ſic argumentor: Secundum Adverſarios ignorantia legis, & malitiæ poteſt dici invincibilis, & eſſe culpabilis, quamvis nulla adfuerit cognitio legis, vel malitiæ. Sed quando nulla adfuit cognitio legis, ignorantia eſt invincibilis. Ergo ignorantia invincibilis erit culpabilis. Confirmatur: Nam Adverſarii, ut fatetur Elizalda §. 9. non poſſunt oſtendere, quid plus adſit, quando talis ignorantia eſt, quam quando eſt invincibilis, ſi ad vincibilem nulla prærequiratur cognitio ".

Potiſſima hæc argumenta ex impuris Pelagianorum lacunis hauſta eſſe, nemo non intelligit, qui eorum meminerit, quæ ſupra ex SS. Hieronymo, & Auguſtino retulimus. Quid enim aliud objiciebant Critobolus Pelagianus, & Cœleſtius, quam quod objicit Lacroixius,

alii

Digitized by Google

aliique cum ipſo, & ab iis Patribus ſolutum jam fuit? Quare eorum reſponſionibus utentes, & obſervationibus, quæ factæ ſunt, reſpondemus breviter *ad* 1., verum quidem eſſe illud: *Nil volitum, quin præcognitum*. Sed hoc præcognitum poteſt eſſe *directe*, vel *indirecte*, ut loquitur S. Thomas; ſive, ut alii, vel *virtualiter*, & *interpretative*. Neque neceſſe eſt procedere in infinitum: quoniam omne ignorantiæ peccatum ortum ducit ex cognitione aut actuali, aut virtuali: neque enim requirimus præcognitionem actualem malitiæ, ſed ſufficit virtualis, aut in cauſa, in qua ſiſtimus proceſſum mentis.

Confirmatio autem nihil probat. Nam legis prohibentis poſſum, ac teneor habere cognitionem, quam ſi non habeam, ex culpa mea eſt, quam vitare valeo, ſi ea adhibeam, quæ ad illam vitandam neceſſaria ſunt. Quoniam vero hic obtruditur prima Janſenii propoſitio, *homini juſtificato, & volenti* &c. ideo ad majorem ineptæ hujus oppoſitionis confutationem quædam addere conſultum erit. Et quidem Concilium Tridentinum juxta Catholicam doctrinam ſtatuit: *Deus impoſſibilia non jubet*, propter quod Janſeniana propoſitio damnata eſt: *ſed jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*: ſi ergo hæc exequamur, procul dubio veritatem inveniemus, & ignorantiam legis depellemus. Quod ſi omittamus, ignorantia remanebit, & impotentes erimus ad eam averrendam. Verum hæc non abſoluta impotentia eſt, ſed ex ſuppoſitione profecta, quæ nullatenus excuſat: quod confirmare lubet auctoritate, & doctrina S. Thomæ, qui cum 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. ſibi objeciſſet tertio loco: „ Voluntas diſcordans a ratione errante eſt „ mala. Si ergo voluntas concordans ratio„ni erranti ſit etiam mala, videtur, quod „ omnis voluntas habentis rationem erran„tem ſit etiam mala: & ſic talis homo erit „ perplexus, & ex *neceſſitate* peccabit, quod „ eſt inconveniens.

Quid autem reſpondet S. Doctor huic argumento, quod eſt ipſa Adverſariorum objectio? “ Dicendum, inquit, quod ſicut in „ ſyllogiſticis, uno inconvenienti dato, ne„ceſſe eſt alia ſequi: ita in moralibus, uno „ inconvenienti poſito, *ex neceſſitate alia* „ *ſequuntur*: ſicut ſuppoſito, quod aliquis quæ„rat inanem gloriam, ſive propter inanem „ gloriam faciat, quod facere tenetur, ſive „ dimittat, ſemper peccabit. Nec tamen eſt „ perplexus [aut neceſſitatus]: quia poteſt „ intentionem malam dimittere. Et ſimili„ter ſuppoſito errore rationis, vel conſcien„tiæ, qui proceſſit ex ignorantia non ex„cuſante, neceſſe eſt, quod ſequatur malum „ in voluntate. Nec tamen eſt homo per„plexus [aut neceſſitatus]: quia poteſt ab „ errore recedere, cum ignorantia ſit vinci„bilis, & voluntaria “. Exemplum vero in *Sed contra* poſuerat in errore *Judæorum arbitrantium ſe obſequium præſtare Deo interficiendo diſcipulos ejus*. Eademque habet *in* 2. *diſt.* 39. *q.* 3. *art.* 2. Huc ergo tota revocatur S. Thomæ ſolutio, quod hæc neceſſitas, quam Adverſaril tantopere exaggerant, eſt *neceſſitas ex ſuppoſitione*, quæ etiam *conſequens* appellatur. Nec more Adverſatiorum differit: *hoc, aut illud ex ſuppoſitione ſequitur; ergo non peccatur*: ſed potius ait non eſſe inconveniens, quod aliquo poſito [puta negligentia, paſſione &c.] ex neceſſitate conſequatur peccatum, dummodo ſuppoſitio illa voluntaria, & libera ſit.

Eamdem doctrinam tradit etiam alter Eccleſiæ Doctor S. Bonaventura in 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *q.* 3. atque ad difficultatem multipliciter propoſitam reſpondet, in rebus Dei legi contrariis *Conſcientiam non ligare ad faciendum, ſed ligat ad errorem deponendum, pro eo, quod, cum talis conſcientia ſit erronea errore repugnante legi Dei, neceſſario, quan-*

Digitized by Google

diù manet , ponit hominem extra ſtatum ſalutis : & ideo neceſſe eſt eam deponere , quia ſive bona faciat , quod dictat , ſive ejus oppoſitum, mortaliter peccat . Si enim faciat , quod conſcientia dictat , & illud eſt contra legem Dei , & facere contra legem ſit mortale peccatum , abſque dubio mortaliter peccat; ſi vero facit oppoſitum ejus , quod conſcientia dictat , ipſa manente , adhuc peccat mortaliter . Ex quibus conſtat , utrumque Eccleſiæ Doctorem diverſo modo procedere , ac Adverſarii , qui , quoties audiunt contingere , quod aliquando neceſſario peccetur , facta etiam aliqua ſuppoſitione, ſtatim inardeſcunt, ac ita aſſerentes veluti Janſenianos traducunt . Sed reliqua Lacroixii argumenta perſequamur .

Tertia , quam ille proponit , objectio , non alio in ſenſu , ſi quidpiam exprimit, niſi in Pelagiano intelligi poteſt , ſicur conferenti propoſirionem Lacroixii cum doctrina Cæleſtii manifeſtum eſt . Reſpondemus ergo , quocunque tandem modo propoſitio explicetur , ignorantiam , quæcunque ea ſit , ſive *vincibilis* , ſive *invincibilis* , in ſuo conceptu eſſentiali eſſe *privationem cognitionis* . Si hæc cognitionis actualis privatio ſit omnino *antecedens* , & abſque culpa aliqua inducta , ignorantia invincibilis eſt , & a peccato excuſar . Si contra privatio cognitionis ſit *conſequens* , & volita in cauſa ob culpam ipſius hominis , vincibilis eſt , & a culpa nequaquam excuſar : ſed culpabilis ipſa eſt, & cauſa peccati . Rem totam in aperta luce conſtituit ſola illa toties repetita S. Thomæ ſententia: *Tunc ignorantia culpam excuſat , quando ſic praecedit , & cauſat culpam , quod non cauſatur a culpa . Si vero ignorantia cauſetur ex culpa , nec poteſt ſubſequentem culpam excuſare* . Et hæc ſufficiant pro his objectionibus ſolvendis : nam diſpendium operæ facerem , ſi in re manifeſta plura adijcienda putarem .

CAPUT X.

Consectaria Præcedentis Doctrinæ .

I. *Principium traditum a D. Thoma quoad ignorantiam habitualem, locum habet etiam quod actualem , ſiva inconſiderationem, ſive inadvertentiam* .

II. *Licet in ſanctis viris admitti quandoque valeat inadvertentia , quæ eos excuſet ſaltem a gravi peccato , in aliis tamen communiter admittenda non eſt* .

III. *Etiam in hominibus timoratæ cæteraqui conſcientiæ facile irrepunt inadvertentiæ graviter culpabiles ob præcipitationem in agendo* .

IV. *Dum agitur de actionibus intrinſece malis . ſufficit cognitio objecti , ut inadvertentia ad malitiam culpabilis ſit* .

V. *Non eodem modo loqui oportet de his, quæ mala tantum ſunt , quia probibita : in quibus inadvertentia culpabilis ex aliis principiis repetenda eſt* .

VI. *Ad peccatum lethale non requiritur plena , & perfecta actualis cognitio malitiæ objecti graviter peccaminoſi ; ſed ſatis eſt* virtualis .

VII. *Quoties homo in eo ſtatu eſt , ut de actione ſua deliberare non poſſit , vel non peccat , vel nonniſi venialiter peccat* ,

VIII. *Probabiliter in hoc caſu præſumi poteſt non adfuiſſe plenam deliberationem , ſi homo ſit rectæ conſcientiæ , & a peccato abhorrentis* .

IX. *P. Lacroixius fœde abutitur textu D. Thomæ ad ſententiam ſuam comprobandam* .

X. *Quoad ebriorum peccata attinet , pulchra, ac ſolida S. Thomæ doctrina* .

XI. *Quam longe abſit ab hac doctrina Caſuiſtarum ſententia . P. Tamburini , aliorumque exceſſus ſpecialiter notatus* .

XII. *Aliæ portentoſæ hujus , & aliorum in hoc genere laxitates exhibentur* .

XIII. *Inadvertentia malitiæ , quæ ex concupiſcen-*

Digitized by Google

ſcertia , aut ex paſſione oritur , ſemper culpabilis reputanda eſt .

XIV. *Multa quotidie perpetrantur peccata , quorum advertentiam , & ſenſum adimit affectus , qui in ipſa præcipitat .*

XV. *Blaſphemiæ, juramenta &c.* formalia *peccata dicenda ſunt in iis , qui ad exſcindendam pravam conſuetudinem ſerio non adlabarant .*

XVI. *Quare Clavium poteſtati ſunt ſubjicienda , ſive in Confeſſione explicanda .*

XVII. *Lugenda deceptio quorumdam Confeſſariorum , qui facile excuſationem recipiunt eorum , qui nullam ſe de peccatis , quæ commiſerunt , advertentiam habuiſſe teſtantur .*

Reflexio .

CONSECTARIUM PRIMUM .

I. NOn minus in ignorantia habituali earum rerum, quas ſcire tenemur, quam in *actuali* , ſive *oblivio* ea fit , ſive *inadvertentia* , aut *inconſideratio* , locum habere debet capitale illud principium doctrinæ S. Thomæ : *Ignorantia , quæ cauſatur ex culpa , non poteſt ſubſequentem culpam excuſare* . Quæcunque igitur ſit cauſa culpabilis inadvertentiæ , aut inconſiderationis , vel oblivionis in rebus , aut actionibus , quas advertere , & ſcire tenemur, ſive illa ſit defectus cuſtodiæ ſuper cor noſtrum , ſive aliqua paſſio , aut inordinata animi affectio , ſive habitus corruptus , aut inveteratus , ſive nimia evagatio mentis in rebus temporalibus , & humanæ cupiditati faventibus , ſive demum negligentia in conſiderandis iis , quæ agimus ; cum hæ cauſæ ſint culpabiles, inadvertentia , aut inconſideratio , quæ inde cauſatur , & pravi effectus , qui inde proveniunt, a culpa excuſari minime poſſunt , quantumvis homo non advertat *actu* , aut non cogitet de malitia ſuorum operum , aut oppoſitione eorumdem ad legem divinam .

CONSETCARIUM SECUNDUM .

II. Hinc vero colligere oportet , quod licet in ſanctis viris , & accurate perpendentibus opera ſua , ne in aliquo Deo diſpliceant, curamque ſedulam adhibentibus , ne error quiſpiam obrepat , excuſatio a peccato ſaltem gravi interdum admitti queat , ſi quando propter oblivionem , aut inadvertentiam in aliquod peccaminoſum opus erumpant : hæc tamen admittenda non eſt in illis , qui dediti ſunt nimio affectu ad res præſentes, qui nullam habent ſui cordis cuſtodiam , qui concupiſcentiis fovendis vacant , qui corruptos habitus corrigere , & abſcindere minime ſtudent , qui falſis , & ſine ratione conceptis præjudiciis ſe abduci ſinunt , unico verbo, qui eas cauſas removere non ſatagunt, unde plures , atque continuæ inadvertentiæ , & inconſiderationes contra legem Dei, ac proprias obligationes veluti facto agmine proficiſcuntur ; ſunt enim culpabiles in cauſa ſua.

CONSECTARIUM TERTIUM .

III. Inadvertentiæ culpabiles facile irrepunt etiam in hominibus cæteroquin timoratæ conſcientiæ , dum minus circumſpecte , minuſque conſiderate in ſuis vel operibus perficiendis , vel officiis obeundis, vel conſiliis præbendis ſe gerunt , ſed temere, ac præcipitanter agunt . Nam præcipitatio in agendis vitium ſemper eſt, quod non poteſt ſubſequentes inadvertentias , & culpas excuſare . In hoc autem vitium hocce conſiſtit , ut docet S. Th. 2. 2. q. 53. art. 3. *quod quis feratur ad agendum per impetum voluntatis , vel paſſionis , pertranſitis gradibus* , quibus ratio procedere debet in operibus ſuis , qui gradus , ut ipſe obſervat , *ſunt memoria præteritorum ; intelligentia præſentium , ſolertia in conſiderandis futuris eventibus , ratiocinatio conferens unum alteri , docilitas , per quam aliquis acquieſcit ſententiis majorum* . Eæ itaque inadvertentiæ , ſive incogitantiæ , aut obliviones ,

 quæ

quæ ex iis *perstranſitis gradiens* procedunt, culpa non carent, adeoque nec culpas excuſare poſſunt, quæ ſubſequi conſueverunt.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Quoties agitur de actionibus, quæ intrinſece malæ ſunt, aut contra legem naturalem, ut inadvertentia malitiæ ſit culpabilis, ſufficit, ut quis cognoſcat objectum actionis, quam peragit, tametſi nullam habeat ad pravitatem ipſius advertentiam. Cum enim malitia eidem intima ſit, ſi eam non cognoſcat, aut non advertat, ex culpa ſua oritur: ſiquidem cum recta ratio præſcribat, ut in omni deliberata electione primum conſiderare oporteat, an bona, vel mala ſit, turpis, aut honeſta, ſi homo pravitatem, aut malitiam non advertat, ex hoc procedit, quod præcipitanter, & imprudenter operetur. Si enim prudenter ageret, non poſſet non videre, aut non advertere malitiam cum ipſa actione neceſſario conjunctam. Proinde nonniſi ex culpa ſua eſt, quod non advertat, adeoque malitia indirecte, ſive interpretative voluntaria cenſeri debet.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Non eodem modo loqui oportet de iis, quæ intrinſece mala non ſunt, ſed quia duntaxat a legibus poſitivis vel præcipiuntur, vel prohibentur, in quibus, ſicut dari poteſt ignorantia *habitualis* invincibilis; ita quoque *actualis*, ſive inadvertentia, aut oblivio; neque enim in iſtis ſemper ſufficit cogitatio, aut advertentia objecti, aut actionum ſecundum ſe, quippe quæ, cum non habeant intrinſecam cum malitia connexionem, ex ſola earum etiam ſeria, & attenta conſideratione nulla excitatur in nobis cognitio malitiæ. Aliunde igitur inadvertentia culpabilis repetenda eſt, puta ex cognitione præcepti jam præhabita, atque comperta: hæc namque regolariter excitare facile poteſt cognitionem præcepti, aut malitiæ ex præcepto provenientis, ſi homo conſiderate ſe gerat in agendo. Sed & alia principia ſuppetunt, unde talis cognitio excitetur: quæ ſi forte non occurrant, tunc inadvertentia invincibilis, & inculpata exiſtimanda erit. Sic ut exemplo rem explicem, contingere poteſt, ut Sacerdos accuratus, ac diligens in recitando divino officio, ad quod ex Eccleſiæ præcepto tenetur, aliquando innoxie non meminerit, aut non advertat, ſe aliquam horam canonicam prætermiſiſſe: atque ita de aliis.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Falſa, & omnino repudianda doctrina eſt, quam plures Caſuiſtarum tradunt, ad peccatum *mortale* requiri plenam, & perfectam advertentiam *ad malitiam objecti*, vel actionis graviter peccaminoſæ: cum ex dictis ſufficiat vel ſola advertentia virtualis, aut indirecta, ſive interpretativa malitiæ, aut periculi illius, in eo poſita, quod quis poſſit, ac debeat malitiam advertere, vel ejus periculum, nec tamen advertat. Nam malitiam actus, ſi gravis ea ſit, merito illi imputatur, qui *debuit*, *ac potuit* illam advertere, & evitare actum, cui gravis malitia adnexa eſt. Tunc enim ſatis voluntaria, ac libera ſatis eſt, cum potuerit, ac debuerit ab eo vitari. Hoc præter alia ſupra jam animadverſa confirmari poteſt: quoniam peccatum mortale eſt libera tranſgreſſio præcepti graviter obligantis. Ad hujuſmodi autem tranſgreſſionem ſatis eſt advertentia virtualis & interpretativa. Talis quippe tranſgreſſio voluntaria, ac libera eſt, hoc ipſo quod poſita ſit ex defectu actualis advertentiæ, quæ potuit, ac debuit haberi: ita ſiquidem hæc tranſgreſſio poſita eſt, ut potuerit, ac debuerit non poni a voluntate. Ulterius advertentia *virtualis*, & *interpretativa* ea intelligitur, quæ quidem non habetur, ſed haberi poteſt, ac debet. Porro qui legem graviter obligantem tranſgreditur, quam potuit, ac debuit cognoſcere, perinde ſe habet moraliter, & in prudenti æſtimatione relate ad im-

Digitized by Google

imputabilitatem etiam mortalem, ac ſi eam actu cognoſceret: igitur non excuſatur etiam a mortali peccato. Quare audiendus nullo modo eſt P. Lacroixius, qui loco ſupracitato alios Probabiliſtas ſecutus, ſcribit: „ Ad peccatum „ mortale ſufficit cognitio malitiæ objectivæ, „ quam quis vult &c. *Hæc autem malitia ob-* „ *jectiva tunc ſufficienter* cognoſcitur *eſſe gra-* „ *vis, quando advertitur eſſe inductiva odii*, „ *vel inimicitiæ Dei, aut pœnæ æternæ*. Item „ quando operans *quaſi horet*, & apprehendit „ ad eum modum, quo ſolet alias materias „ graves, quando ſe ad eas reflectit “. Profecto ſi, ut quis graviter peccet, neceſſe eſt hominem conſiderare actus, quem eligit. pravitatem, ut inducentem odium Dei, & inimicitiam, aut inferentem reatum pœnæ ſempiternæ, ac quod peccator ipſe quodam *veluti horrore* percellatur; quem Infidelium, aut Chriſtianorum dabit Lacroixius, qui graviter peccet? Nonniſi plane admodum paucos, ac ferme nullos.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Non inde tamen inferre licet, nunquam hominem leviter peccare, cum advertentia in ipſum *objectum* actionis vel nulla eſt, vel adeo tenuis, ut *non poſſit* de ipſa malitia actionis deliberare, quemadmodum contingit in ſemidormientibus, aut non perfecte vigilantibus, ſi quidpiam agant, quod de ſe graviter repugnet divinæ legi. Hos namque excuſari ſaltem a gravi peccato *propter actus imperfectionem*, ut ait Sanctus Thomas, concors eſt Theologorum Catholicorum omnium ſententia, prout alibi dicemus: hi ſiquidem in eo ſtatu ſunt, ut non ſolum non advertant, ſed *neque advertere valeant* malitiam actuum ſuorum.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quoties aliquis timoratæ conſcientiæ dubitat *de imperfectione* ſui actus in advertendo objectum de ſe pravum, ſive num vigilans, an ſemidormiens fuerit, ſive ſui compos, an impos quidpiam fecerit, præſumi valde probabiliter poteſt de advertentia imperfecta, ſive de non plena deliberatione: quoniam hæc ordinarie loquendo hominem recte comparatum de ſuis actibus certiorem facit, & perfecte vigilans ſatis novit ſe vigilare, & ſui plene compos de hoc minime dubitat, niſi forte mora temporis interceſſerit, quæ oblivionem induxerit.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ex his colligi facile poteſt, quam turpiter P. Lacroixius pro ſua ſententia de neceſſitate advertentiæ actualis ad peccandum, laudans S. Thomam abutatur ſequenti ejus textu, quem habet 1. 2. q. 88. art. 2. *Ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, fit veniale, propter hoc ſcilicet, quod actus eſt imperfectus, ideſt non deliberatus ratione*. “ Certum „ autem eſt, ſubdit Lacroixius S. Thomam „ per deliberationem rationis intelligere ple- „ nam advertentiam, uti patebit legenti *q.* „ 74. *art.* 3. ad item *art.* 6. & *art.* 10.

Ut Lacroixii turpem S. Thomæ doctrinæ abuſum evidenter Lector deprehendat, ſatis eſt, ſi integrum ejus textum, quem ille detruncatum affert, legat. Poſt illa namque verba, *deliberatus ratione*, ſubdit immediate: *quæ eſt principium proprium mali actus, ſicut dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis*. Quibus S. Thomas excuſat a mortali *peccatum ex genere ſuo mortale* propter actum imperfectum, ſcilicet non deliberatum ratione: quia in actibus ſubitaneis nec fuit, nec potuit eſſe advertentia ad peccatum lethale ſufficiens. Quod clarius explicat *q.* 74. a Lacroixio citata, ubi *art.* 10. ſic ait: “ Quam- „ vis infidelitas ſit ex genere ſuo peccatum „ mortale, tamen ſubitus motus Infidelitatis „ eſt peccatum veniale: quia peccatum mor- „ tale non eſt, niſi contra legem Dei. Po- „ teſt autem aliquid horum, quæ pertinent ad

„ ad fidem , ſubito rationi occurrere ſub quadam alia ratione , antequam ſuper hoc conſulatur , vel *conſuli poſſit* ratio æterna , ideſt lex Dei , puta , cum quis reſurrectionem mortuorum ſubito apprehendit , ut impoſſibilem ſecundum naturam , & ſimul apprehendendo renititur , antequam tempus habeat deliberandi , quod hoc eſt nobis traditum , ut credendum ſecundum legem Divinam . Si vero poſt hanc deliberationem motus infidelitatis maneat , eſt peccatum *mortale* " . Vult ergo D. Thomas , tunc ſolum actum infidelitatis , idemque dicas de aliis actibus ſimilibus , excuſari a peccato , *antequam conſulatur* , *vel conſuli poſſit* æterna Dei lex , prout contingit in ſubitis motibus , qui rationem præveniunt. Perperam ergo confundit Lacroixius *ſubitos* motus , qui ex imperfectione actus excuſantur a culpa gravi , cum iis actionibus,quæ quidem non fiunt cum actuali cogitatione malitiæ , ſed tamen fiunt cum cognitione *indirecta* , & *virtuali* , qua pravi actus ſicuti debuerant , ita potuiſſent cognoſci , atque vitari .

Consectarium Decimum .

X. Quod ebrios attinet , ſi quis vel caſu , vel ex vini potentia ignorata ſine culpa , in ebrietatem incidat , ſicut omnes conſentiunt de ebrietate Noe ; nec ebrietas ipſa , nec mali , qui conſequuntur , effectus imputantur ad culpam : quoniam nec in ſe , nec in cauſa , ſive nec *directe* , nec *indirecte* voluntarii ſunt . Cæterum , ſi de iis loquamur , in quibus ignorantia culpabilis eſt , & effectus pravi ex ea ſequuturi , vel prævifi fuere , vel prævideri poterant ; en pulcherrima non minus , quam ſolida S. Thomæ doctrina, quam habet 1. 2. *q.* 21. *art.* 5. his verbis : " Eventus ſequens aut eſt præcogitatus, aut non . Si eſt præcogitatus , manifeſtum eſt , quod addit ad bonitatem , vel malitiam actus . Cum enim aliquis cogitat , quod ex opere ſuo multa mala poſſunt ſequi , nec propter hoc dimittit , ex hoc apparet voluntas ejus eſſe magis inordinata . Si autem eventus ſequens non ſit præcogitatus , tunc diſtinguendum eſt : quia ſi per ſe ſequitur ex tali actu , & ut in pluribus , ſecundum hoc eventus ſequens addit ad bonitatem , vel malitiam actus . Manifeſtum eſt enim meliorem eſſe ex ſuo genere , ex quo poſſunt plura bona ſequi : & pejorem , ex quo nata ſunt plura mala ſequi . Si vero per accidens , & in paucioribus , tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem , vel ad malitiam . Non enim datur judicium de re aliqua ſecundum illud , quod eſt per *accidens* , ſed ſolum ſecundum illud , quod eſt per ſe " . Hanc doctrinam hauſit S. Doctor ex D. Auguſtino , qui *lib.* 22. *contr. Fauſt. C.* 44. de Loth, qui in ebrietate inceſtum commiſit, ait : *Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit* : quia ſcilicet inceſtus ille nec præcogitatus fuit , nec præcogitari potuit . Hinc igitur qui voluntarie ſe inebriant, & in ebrietate conſtituti plura criminoſa committunt , puta blaſphemias , jurgia, rixas , bonorum ſuorum dilapidationem cum querelis conjugum , & filiorum damno &c. quæ conſequi frequentius ſolent , & ex aliis ebrietatibus conjicere , & prævidere facile poterant , rei ſunt horum omnium criminum , quæ in ebrietate perpetrant , licet ea tunc nec advertant , nec advertere queant .

Consectarium Undecimum .

XI. Ex hac S. Thomæ doctrina habes, unde de laxitatis, & falſitatis convincas opinionem Caſuiſtarum , qui juxta ſua fallacia principia excuſant , & excuſare adſtringuntur peccata in ebrietate voluntarie commiſſa, utpote quæ fiunt ſine advertentia actuali ad malitiam , & ad legem Dei . In hoc porro quantum exceſſerit P. Tamburinus cum aliis, quos laudat , audi ex ſequenti ejus propoſitio-

Digitized by Google

tione, quæ legitur *lib.* 2. *in Decal. c.* 5. §. 4. " Verba contra Deum in ebrietate &c.
„ vel ex inadvertentia orta ex inveterata con-
„ ſuetudine, blaſphemiæ nequaquam ſunt:
„ malitia enim blaſphemiæ, ſicut & perjurii,
„ & hæreſis, requirit procedere ab homine,
„ qui ratione utatur &c. Ita Vaſquez, Tur-
„ rianus apud Layman, aliique &c. Unum
„ nota, aliquando actus hujuſmodi inadver-
„ tenter factos non retinere ne malitiam
„ quidem *materialem* [quam tamen in hu-
„ juſmodi actibus ineſſe communiter alii Au-
„ thores concedunt, & ſolam *formalem* tol-
„ lunt] ſeu quam vocant objectivam; &
„ tunc nec ipſe actus, nec conſuetudo eſt
„ peccatum, adeoque non confeſſioni ſub-
„ dendum &c. Eodem modo dicendum eſſe
„ aliqui docent cum Joan. Sanchez de blaſ-
„ phemia, hæreſi, & ſupradicto juramento,
„ quod ſcilicet eſſentialiter requirant eſſe ab
„ utente ratione, & conſequenter ea inad-
„ vertenter facta, *neque in ſe*, *neque in cau-*
„ *ſa eſſe peccata*, adeoque non neceſſario con-
„ fitenda ". Huc uſque effrenata Tamburini, aliorumque opinandi licentia proceſſit.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Sed & alia plura habes, quæ reprobes, ac damnes tamquam omni execratione digniſſima tum in hoc, tum in aliis Authoribus, quos ille ſequitur. Nam loco citato hæc ſane portentoſa præmittit: " Qui *ex*
„ *inveterata conſuetudine* inadvertenter jurat,
„ licet videatur obligari ad conſuetudinem
„ confitendam, tamen communiter excuſa-
„ tur ". Cur vero? " Quia communiter
„ nemo advertit ad obligationem, quam ha-
„ bet, illam conſuetudinem propter eam ra-
„ tionem extirpandi, ne ſcilicet ſua con-
„ ſuetudo ſit cauſa proxima prædicti mali
„ materialis, & conſequenter *cum excuſatur*
„ *a peccato, excuſabitur a Confeſſione* ": Quum ergo, ut ex iis, quæ paulo ante ſcripſerat, colligitur, conſuetudini pejerandi addat & *blaſphemandi, occidendi, vulnerandi*, ſive etiam mœchandi, fornicandi, furandi, calumniandi &c. *ſi forte aliquis ex inveterata conſuetudine hæc inadvertenter committeret*, nonne neceſſario conſequitur, hominem projectæ conſcientiæ, multumque peccatis aſſuetum, cujuſque culpæ expertem eſſe in ſuis ſceleribus perpetrandis, atque adeo propter hæc non eſſe damnandum ad ſempiterna ſupplicia? Quis Chriſtianorum tam horribilia æquis auribus audiat, & non potius vehementer deteſtetur, & horreat?

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Semper voluntaria, atque culpabilis reputanda eſt ea inadvertentia malitiæ, quæ ex concupiſcentia oritur, aut paſſione, perturbante judicium mentis, alioque animum avocante, ne cogitet de malo, quod agit, aut ſui operis pravitate. Quoniam homo eam reprimere, & regulare tenetur, adeoque ex culpa cauſatur. Hinc S. Thomas, quamquam ignorantiam particularem admittat a peccato excuſantem de aliqua circumſtantia, quum quis ſcire non poteſt, etiam adhibita debita diligentia; negat tamen hujuſmodi eſſe ignorantiam, quæ ex paſſione procedit. *Ignorantia particularis*, inquit 1. 2. q. 77. art. 7. ad 2. *quæ totaliter excuſat eſt ignorantia circumſtantiæ, quam quidem quis ſcire non poteſt, debita diligentia adhibita. Sed paſſio cauſat ignorantiam juris in particulari, dum impedit applicationem communis ſcientiæ ad particularem actum: quam quidem paſſionem ratio repellere poteſt*, & repellere tenetur juxta Sacras Litteras, & Patrum doctrinam: quoniam hic eſt proprius effectus paſſionum, ut, ſi eas in officio non contineamus, rationis attentionem impediant, ne ea advertat, quæ advertenda ſunt, ut lex Dei non violetur. Ab hac doctrina quantum abeſt Laymani, de Rhodes, aliorumque docentium, *in vehementi paſſione iræ, vel triſtitiæ abſorptum cogitatione commoditatis*

tis , aut utilitatis , vel nullum , vel duntaxat imperfectum , ac veniale peccatum committere, etiamſi necem ſibi inferat !

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM .

XIV. Inexcuſabiles cenſendi ſunt ii omnes, „ in quibus (ut loquar cum Emin. D. Card. „ Bona *in princ. Vita Chriſt.* p. 1. §. 38.) „ affectus ingens ad peccatum , conſuetudo- „ que rationis debile lumen obſcurat , ip- „ ſamque conſcientiam ſuffocat , & ſopit, ne „ ullo peccati ſenſu tangantur [quin nec „ illud advertant) . Atque ita fit, ut multa „ quotidie perpetrentur , quorum ſenſum „ adimit affectus, qui in ipſa præcipitat, & „ notitiam eorum tollit ipſe uſus malus . „ Hoc videlicet habet infelix conſuetudo pec- „ candi , ut quanto amplius delinquit , eo „ magis mentis intultus obſcuretur " ; nec tamen ideo immunis a peccato , quia peccare aſſuetus peccati ſenſum amiſit , peccatique aſſuetudine ſenſum excæcavit . Manifeſtum quippe eſt , quod in hanc cæcitatem , atque inſenſibilitatem ſua culpa devenerit .

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Atque hinc etiam colligere oportet adverſus Authores, quorum ſupra textus recitavimus , ac præſertim P. Tamburinum , blaſphemias , maledictiones , juramenta, aliaque id genus crimina ad culpam imputari in divino judicio iis , qui in ea prolabuntur ex conſuetudine , aut culpabili iracundia, ad quorum emendationem ſerio non adlaborant, quamvis interim , dum in blaſphemias prorumpunt , ſive in maledictiones , aut perjuria , minime advertant ad horum malitiam . Tunc enim de iſtis judicandum eſt , quemadmodum de impudicitiis , de homicidiis , aliiſque criminibus, de quorum pravitate facilius cogitant , qui ea committunt .

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM .

XVI. Quod ſi ea omnia , licet ſine actuali advertentia commiſſa , vera , ac formalia peccata reputanda ſunt , perſpicuum eſt , ea poteſtati clavium in Pœnitentiæ Sacramento ſubjicenda eſſe . Ea quidem *in Confeſſione explicare conveniens* eſſe putat San hez cum aliis, ſed nullam neceſſitatem imponit , *etiamſi retractata non ſint* , nec ulla opera adhibita ad pravam conſuetudinem exſcindendam : ſed perperam , & contra conſcientiam ipſam , & praxim Chriſtianorum , qui ex intimo quodam ſenſu ad ea confitenda moventur , utpote vera peccata , quæ abſolutione Sacerdotis indigeant . Similiter ſi blaſphemia ab Epiſcopis reſervata fuerit , eam incurri etiam ab illo, qui nihil cogitat de malitia , dum in blaſphemiam erumpit , omnino dicendum eſt ; nec audiendi Caſuiſtæ , qui contra ſentiunt .

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM .

XVII. Lugenda prorſus eſt plurium Confeſſariorum deceptio , qui dum audiunt a pœnitentibus , ſe non advertiſſe ad malitiam plurium actuum ab ipſis commiſſorum contra legem Dei , aut de ea ne leviter quidem dubitaſſe ; quam ſi cognoviſſent , ab opere perpetrando dubio procul abſtinuiſſent , iis ſtatim acquieſcunt , atque inferunt, inadvertentiam illam fuiſſe invincibilem , culpæque expertem . Nec advertunt , ignorantiam , & inadvertentiam a culpa eorumdem perſonali originem trahere : quia nempe non advertebant , dum poterant , & tenebantur advertere . Teſtari quidem ſincere poſſunt , ſe nullam omnino notitiam , nullam dubitationem , ſuſpicionemve peccati habuiſſe, dum prava opera peragebant . Numquid vero teſtari poſſunt , nullam propriam culpam in cauſa fuiſſe , cur non adverterent , nullam paſſionem , nullum pravum habitum , præcipitationem , aut temeritatem in agendo nullam ? Minime gentium . Quapropter Confeſſarii , dum peccatores ita ſe excuſantes au-

Digitized by Google

audiunt, abjecta penitus fallaciſſima Theologorum, quos refutavimus, doctrina, nullam fidem habeant eorum teſtimoniis, eoſque arguant, atque corripiant, preſertim dum de peccatis agitur, quæ contra naturale jus commiſerunt, in quibus ſicut nulla ignorantia, ita nulla inadvertentia malitiæ invincibilis, & inculpata admittenda eſt.

R E F L E X I O.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus; prævalui adverſus eum. Quænam erat illa ignorantiæ caligo, a qua Rex David tam anxie poſtulabat, *illuminari oculos ſuos, ne unquam obdormiret in morte*, & adverſus eum *inimicus* humani generis *prævaleret*? Haud plane, quantum quidem arbitror, ignorantia habitualis præceptorum Dei: neque enim credibile eſt, hac ignorantia laboraſſe virum ſanctiſſimum, cujus mens plena luce perfuſa erat divinæ legis, quam aſſidue ſcrutabatur, & , ut ipſe ait, *meditabatur tota die*. Poſtulabat igitur a Deo, quemadmodum etiam animadvertunt Sacri Interpretes, vigilantiam, circumſpectionem, atque cautionem in ſuis operibus, ne forte per incuriam, & inconſiderationem in agendo culpabilem quidpiam contra Dei legem committeret, unde ſempiternam mortem incurreret, & gloriari poſſet inimicus, ſe *adverſus eum prævaluiſſe*.

Si hoc timore vir adeo ſanctus, accuratus, ac vigilans in conſiderandis omnibus ſuis actionibus, ut ad amuſſim legi conformarentur, magnopere concutiebatur; quid non timendum ab iis, qui inordinato amore ſui, & affectibus immoderatis tenentur, & obtenebrantur: qui vix legem Dei meditantur, aut de ſpiritualibus, ac divinis cogitant, ſolis temporalibus inhiantes: qui rerum præſentium tumultu continenter diſtracti, non conſiderant vias ſuas, neque, quid eligant, aut operentur, attendunt? Nonne conſequens eſt, ut in deceptiones plurimas, legiſque divinæ tranſgreſſiones inconſiderate, & inadvertenter incurrant, quæ a culpa excuſari minime valeant, atque ita obdormientes, ac neſcientes in æternam mortem præcipites ruant? Certe plurimos inter ipſos Chriſtianos damnari docent Eccleſiæ Patres propter ignorantias, & inconſiderationes culpabiles coram Divina Majeſtate. Quinam hi porro maxime ſunt? niſi qui ſine ullo remorſu conſcientiæ multa peragunt, aut omittunt, quæ non advertunt eſſe mala, dum poterant, ac tenebantur advertere; adeoque perperam de ſempiterna ſalute ſua ſibi adblandiuntur, prætextu inadvertentiæ, & incogitantiæ, quaſi ob hanc excuſabiles forent; cum tamen revera ſint inexcuſabiles, eo quod per culpam ſuam, ſcilicet vel nimium ad creaturas affectum, vel paſſiones minus compreſſas, vel per voluntarias in terrenis rebus mentis evagationes, hujuſmodi ſibi inadvertentias, & inconſiderationes in rebus ad conſcientiam, & animæ ſalutem pertinentibus ſibimetipſis adſciverint.

Appoſita de re hac eſt S. Auguſtini in Pſalm. 54. ad verſiculum illum: *Deſcendant in infernum viventes*, admonitio, nempe aliquos in infernum deſcendere *viventes*: quia ſciunt malum eſſe, quod faciunt: alios vero nonniſi *mortuos* in infernum deſcendere: quia, quod agunt, malum vel ignorant, vel non advertunt: in qua peccatorum ſuorum ignorantia frequenter manent uſque ad mortem. Similia habet S. Bernardus *ſerm. 2. de aſſumpt.* ubi obſervat, multos eſſe, qui ſeducunt ſemetipſos [dum ſibi blandiuntur de ſpecie pietatis, qua non carent]: qui tamen reapſe ſunt in ſtatu damnationis ob notabiles culpas, quas intus fovent, imprudenter quidem, & inadvertenter, ſed culpa ſua, utpote excæcati per nimiam mentis ſuæ diſſipationem, & inordinationem affectuum ſuorum. En verba Bernardi: „Hominem intuere (inquit), qui „ confeſſus eſt, & deſeruit manifeſta pecca„ ta præcedentia ad judicium, & nunc ſ las

„ manus movet ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus conſuetudine quadam, plane quaſi *vitula Ephraim docta diligere trituram*: exteriorum videlicet, quæ ad modicum valent, nec unum jota prætetit. Sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim ſervus eſt propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, alienus a charitate fraterna, adverſus proximum æſtuans livore, felle amaritudinis, & vindictæ; & mentitur iniquitas ſibi. Videas enim ſic palliatum hominem, ut ſeducat etiam ſemetipſum, non attendens vermem, qui interiora depaſcitur. Manet enim ſuperficies, & ſalva ſibi omnia arbitratur ". Laborandum itaque pro virili, ut hujus tam exitialis ignorantiæ tenebræ diſſipentur, fulgeatque lux veritatis in mentibus noſtris, quæ nobis oſtendat, quid rectum ſit coram Deo omni tempore in operibus noſtris, ſimulque cum Propheta & nos clamemus ad Dominum: *Illumina oculos meos, ne unquam* per negligentiam, per deſidiam, & inconſiderationem *obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus*, qui saluti noſtræ perpetim inſidiatur: *prævalui adverſus eum.*

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA.

DE CONSCIENTIA.

HUMANÆ RATIONI, *quæ proprie loquendo* Secundariæ Morum Regulæ *vim, & characterem obtinet juxta perpetuam S. Thomæ doctrinam, ſubjecta* Conſcientia *eſt, quam quidem Theologi frequentius cum ipſa* Ratione *confundunt propter affinitatem utriuſque maximam; ſed confundenda non eſt, cum reapſe ab ea diſtinguatur: quemadmodum eam ubique diſtinguit Sanctus Præceptor. De hac igitur agendum modo nobis eſt, non multis tamen: quoniam pleraque, quæ dicta ſunt hactenus, huc revocantur, potioreſque, quæ inſtitui poſſunt, quæſtiones, & difficultates eliquatæ jam ſunt. In nonnulla porro capita Diſſertationem hanc de more dividemus, primumque de notione, ac diviſione Conſcientiæ tractabimus: tum vero de Conſcientia* recta *&* erronea: *deinde* de certa, *atque* probabili, *ac demum de* ſcrupuloſa *diſſeremus*.

CAPUT I.

De notione Conſcientiæ, ejuſque diviſione.

DOCTRINA.

I. *Preſſe, & accurate loquendo* Conſcientiæ *nomen attribui non poteſt, niſi judicio cuidam mentis comparativo unius cum alio.*

II. *Huic notioni conſonat, quæ tradita eſt a S. Thoma, definitio* Conſcientiæ.

III. *Explicatur definitio* Conſcientiæ. *Hæc non eſt neque habitus, nec potentia; ſed quidam actus intellectus practici.*

IV. *Inſignis S. Thomæ textus, quo luculenter exponitur, quid ſit* applicatio ſcientiæ, *in qua Conſcientia conſiſtit.*

V. *Ex hac doctrina conciliantur quædam dicta SS. PP. de* Conſcientia.

VI. *Licet Conſcientia non ſit habitus ſed actus, præſupponit tamen habitum primorum principiorum, & prudentiæ.*

VII. *Multiplex aſſignatur diviſio* Conſcientiæ.

I. SI exacte, proprieque loquamur, *Conſcientiæ* nomen attribui nequaquam poſſet, niſi judicio cuidam intellectus, quod comparationem ſupponit actionis noſtræ cum certis quibuſdam regulis. Verum Theologi confundere aſſueti educationis præjudicia cum notionibus communibus Conſcientiæ nomen tribuere ſolent judicio mentis concepto ex opinionibus alte impreſſis in ipſa mente: unde profectæ ſunt plures diviſiones Conſcientiæ plerumque falſæ, aut ſaltem minus accuratæ. Siquidem Conſcientia *mala*, aut *erronea* &c. proprie dicta *ſcientia*, aut *Conſcientia* non eſt, ſed opinio falſa, & pernicioſa, quam mens noſtra minime comparavit cum infallibilibus veritatis regulis, quas Deus in nobis inſeruit, ut de vero, & falſo, de bono, & malo judicium ferre poſſemus. Nihilominus morem gerere Theologis opus eſt, eorumque conſectari loquendi modum.

II. Sed quoniam de Conſcientiæ notione Doctor Angelicus cæteris accuratius locutus eſt

Digitized by Google

tum *p.* 1. *q.* 79. *art.* 13. tum *in Diſp. q.* 17. *de Verit.* idcirco Conſcientiæ definitionem, quæ ex ipſo colligitur, quin & expreſſe traditur, primum conſtituo.

Conscientiæ Definitio.

Conſcientia nihil aliud eſt, quam applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum.

III. Hæc eſt definitio Conſcientiæ iiſdem omnino verbis tradita a S. Thoma loco laudato *de Verit. art.* 2. quam etiam ſatis aperte tradiderat *art.* 1. ubi illam exponit, ac declarat, oſtenditque non eſſe nec habitum quemdam, nec potentiam, ſed actum hiſce verbis: „ Nomen Conſcientiæ ſignificat *ap-„ plicationem* ſcientiæ ad aliquid; unde *con-„ ſcire* dicitur, quaſi ſimul ſcire. Quælibet „ autem ſcientia ad aliquid applicari poteſt. „ Unde Conſcientia non poteſt nominare „ aliquem habitum ſpecialem, vel aliquam „ potentiam: ſed nominat ipſum actum, qui „ eſt applicatio cujuſcunque notitiæ ad ali-„ quem actum particularem “. Et quidem eſſe non poſſe habitum quemdam probat ille pluribus, tum quia *nullus habitus rationis eſt de particularibus*, prout eſt Conſcientia: tum etiam quia ſi aliquis habitus foret, eſſet maxime *prudentia*: non autem prudentia eſt: quoniam prudentia *eſt recta ratio agibilium*, *nec reſpicit agibilia ſingularia: quia cum ſint infinita, non poteſt eorum eſſe ratio. Conſcientia autem reſpicit opera ſingularia*. Sed neque *potentia aliqua eſt*, idque tum *ex ipſa nominis ratione* patet, tum ex his, *quæ ſecundum communem uſum Conſcientiæ attribuuntur*, ut ait loco citato ex prima parte.

IV. Conſcientia igitur, cum ſit *applicatio alicujus notitiæ*, non poteſt conſiſtere, niſi in actu quodam noſtræ mentis. „ Applica-„ tur autem, ſubdit S. Thomas, aliqua no-„ titia ad aliquem actum dupliciter: uno mo-„ do ſecundum quod conſideratur, an actus „ ſit, vel fuerit: alio modo ſecundum quod „ conſideratur, an actus ſit rectus, vel non. „ Et ſecundum quidem primum modum ap-„ plicationis dicimur habere conſcientiam a-„ licujus actus, in quantum ſcimus illum actum „ eſſe factum, vel non factum ſicut eſt in communi uſu loquendi, quando dicitur, *hoc non eſſe „ factum de conſcientia mea*; id eſt, *neſcio* vel *neſci-„ vi*, an hoc factum ſit, vel fuerit. Et ſecun-„ dum hunc modum loquendi intelligitur, „ quod habetur Geneſ. 43. *Non eſt in con-„ ſcientiis noſtris, quis pecuniam poſuerit in „ ſaccis noſtris*: Et Eccleſiaſtes 7 *Scit con-„ ſcientia mea, quia tu crebro dixiſti aliis*. „ Et ſecundum hoc dicitur Conſcientia teſti-„ ficari aliquid. Rom. 9. *Teſtimonium mihi „ perhibente Conſcientia mea* “.

„ Secundum vero, ſequitur D. Thomas, „ alium modum applicationis, qua notitia „ applicatur ad actum, ut ſciatur, an actus „ ſit rectus, vel non, duplex eſt via: una, „ ſecundum quod per habitum ſcientiæ diri-„ gimur in aliquid faciendum, vel non fa-„ ciendum. Alio modo ſecundum quod ac-„ tus, poſtquam factus eſt, examinatur ad „ habitum ſcientiæ, an ſit rectus an non rec-„ tus. Et hæc duplex via in operativis di-„ diſtinguitur ſecundum duplicem viam, quæ „ eſt in ſpeculativis . . . . . ſecundum autem „ utrumque applicationis modum, nomine „ *Conſcientiæ* utimur: ſecundum enim quod „ applicatur ſcientia ad actum, ut dirigens „ ipſum, ſecundum hoc dicitur Conſcientia „ *inſtigare*, vel *inducere*, vel *ligare*. Secun-„ dum quod vero applicatur ſcientia ad ac-„ tum per modum examinationis eorum, „ quæ acta ſunt, ſic dicitur Conſcientia *ac-„ cuſare*, vel *remordere*, quando id, quod „ factum eſt, invenitur diſcordare a ſcientia, „ ad quam examinatur: *defendere* autem, „ vel *excuſare*, quando invenitur id, quod „ factum eſt, proceſſiſſe ſecundum formam „ ſcientiæ “. Hæc ille non minus ſubtiliter quam accurate.

V. Ex hac S. Præceptoris doctrina plura haben-

habentur, quæ legitimam Conſcientiæ notionem, ſive definitionem illuſtrant. Et primo quidem *Conſcientiæ* nomen multipliciter accipi poſſe juxta varia munia, quæ obtinet, & juxta quæ ſumitur in Scripturis, & Eccleſiæ Patribus. Hinc Conſcientia dicitur ab Origene in C. 2. ad Rom. *Spiritus corrector, & pædagogus animæ ſociatus, quo ſeparatur a malo, & adhæret bono*; ubi *ſpiritus* pro mente ponitur, quatenus Conſcientia eſt quoddam mentis dictamen. A S. Gregorio Nazianzeno *orat.* 15. vocatur *verum, & domeſticum tribunal*; quatenus ad Conſcientiam, prout actus eſt ſcientiæ morum, expenditur, an id, quod fit, aut factum eſt, rectum, vel pravum ſit: propterea a S. Joan. Chryſoſtomo additur: quod *hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eo quod divinum eſt*.

VI. Habes ſecundo, Conſcientiam non eſſe nec potentiam, nec habitum, licet præſupponat habitum primorum principiorum, ſive ſynderesim, & prudentiam; ſed actum qui importat ordinem ſcientiæ ad aliquid. Unde in poſita jam definitione dicitur, quod ſit *applicatio ſcientiæ*, quæ certe nonniſi quidam eſt actus mentis noſtræ in collatione poſitus. Diſtinguitur autem a cæteris mentis actibus, quia hæc applicatio ſcientiæ fit ad aliquem ſpecialem, ſive particularem actum. Unde ab aliis definitio Conſcientiæ ita concipitur, nimirum, *dictamen rationis noſtræ ex principiis generalibus ſynderesis concludens, quid hic & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis, agendum ſit, ut bonum, vel omittendum, ut malum*. Quod hoc practico ſyllogiſmo explicari poteſt: *Obediendum eſt Superioribus legitimis, ac legitime præcipientibus: ſed hic eſt Superior legitimus, & legitime præcipit; ergo huic in hoc, aut illo præcepto, quod imponit, obediendum eſt*. Prima propoſitio pertinet ad habitum primorum principiorum, ſive ſynderesim: altera prudentiam ſpectat: tertia, ſcilicet concluſio, ad Conſcientiam refertur; quatenus applicat ſcientiam principiorum, & prudentiam ad hunc peculiarem actum, ſcilicet obedientiæ erga legitimum ſuum Superiorem.

Habes demum tertio, datam definitionem complecti actus omnes, ſive officia, quæ Conſcientiæ attribuuntur, & in textu allato S. Thomæ indicata ſunt. Nam, ut clarius oſtendit ipſe *p.* 1. *q.* 79. *art.* 13. „ Dicitur „ Conſcientia *teſtificari*, *ligare*, vel *inſtigare*, vel etiam *accuſare*, vel etiam *remordere* ſive reprehendere. Et hæc omnia conſequuntur *applicationem alicujus noſtræ cognitionis*, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus. „ Quæ quidem applicatio fit tripliciter: uno „ modo ſecundum quod recognoſcimus, aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe. Et ſecundum hoc Conſcientia dicitur *teſtificari*. Alio „ modo applicatur, ſecundum quod per noſtram Conſcientiam judicamus, aliquid eſſe faciendum vel non faciendum. Et ſecundum hoc dicitur Conſcientia *ligare*, vel *inſtigare*. Tertio modo applicatur, ſecundum quod per Conſcientiam judicamus, „ quod aliquid, quod eſt factum, ſit bene „ factum, vel non bene factum. Et ſecundum hoc Conſcientia dicitur *excuſare*, „ vel *accuſare*, ſeu *remordere*. Patet autem, „ quod omnia hæc conſequuntur actualem „ applicationem ſcientiæ ad ea, quæ agimus".

Conſcientiæ Diviſio.

VII. Multiplex aſſignari ſolet *Conſcientiæ* diviſio juxta rationes diverſas, ſub quibus inſpicitur. Primo eam dividunt in *præcipientem*, quæ aliquid præſcribit faciendum, aut omittendum ſub præcepto: in *conſulentem*, quæ oſtendit, nullum eſſe de hac, aut illa re præceptum, ſed merum conſilium, quod exequi non tenemur: & in *permittentem*, quæ dictat duntaxat aliquid mere permiſſum eſſe, & nec præcipi, nec prohiberi.

Secundo ex parte objecti dividitur in *rectam*, ſive bonam, & veram: & *malam*, quæ etiam

Digitized by Google

tiam *falſa* & *erronea* dicitur. Conſcientia *recta*, ſive vera ea vocatur, quæ reapſe concordat cum ſuprema regula morum, lege ſcilicet æterna Dei, ſive quæ licitum, vel illicitum eſſe præſcribit, quod tale revera eſt. Non deſunt, qui diſtinguant *veram* Conſcientiam a *recta*: ſed mihi diſtinguenda non videtur, aut ſaltem nullius plane momenti diſtinctio eſt. Conſcientia *erronea* nuncupatur, quæ a lege æterna diſſentit, dictatque licitum, vel illicitum, quod vere licitum, aut illicitum non eſt. Hæc autem poteſt eſſe *invincibilis*, ſeu ex errore, qui deponi non potuit: & *vincibilis*, ſive ex errore, qui potuit, ac debuit expelli.

Ratione aſſenſus intellectus Conſcientia dividitur in *certam*, & *incertam*, *dubiam*, *probabilem*, *ſcrupuloſam*, & *laxam*. Ea *certa* appellatur, qua quis abſque ulla formidine judicat, ſibi aliquid agendum eſſe, vel non agendum: quæ formidinis privatio poteſt eſſe concepta vel prudenter, vel imprudenter. *Incerta* eſt, cujus aſſenſus intellectus nititur motivis hic & nunc fallibilibus; quæ ſi talia, ſint, ut excludant prudentem formidinem, conſcientia dicitur *probabilis*, ſecus *improbabilis*, aut *dubia*, ac perplexa, & ſuſpenſa, cum vel nulla ſunt pro utraque parte, vel æqualia utrinque judicandi fundamenta. Quod ſi tantum hæſitet ex levibus conjecturis ducta, vocatur *ſcrupoloſa*. *Lata* vero, vel *laxa*, cum mens exiguis nixa rationibus licitum ſibi putat eſſe, quod illicitum, ac malum deprehendi facile poteſt, aut cum grave peccatum ſit, pro levi habet, flocci que pendit.

CAPUT II.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Judicio ſolum certo & recto Conſcientiæ nomen proprie convenit.*

II. *Conſcientia mala abuſive tantum Conſcientia appellatur.*

III. *Hic contra Conſcientiam agit, qui falſum de re aliqua judicium format.*

IV. *Licet Conſcientia non ſit habitus, ſed actus, aliquo in ſenſu permanere dicitur in homine.*

V. *Quo ſenſu accipienda ſit ea Scripturæ locutio, qua Conſcientia* inquinata *vocatur.*

VI. *Conſcientiæ judicium recte a judiciis aliis practicis diſtinguitur, quod* practice practicum *dicatur*

Consectarium Primum.

I. EX eo, quod Conſcientia ſit applicatio ſcientiæ ad actum particularem, colligere oportet, Conſcientiæ preſſe dictæ nomen non convenire, niſi judicio *certo*, & *recto* mentis noſtræ. Nam ſcientia, quæ per illud judicium ad particularem actum applicatur, alia non eſt, niſi ſynderesis, ſive habitus primorum principiorum, quæ certiſſima, & infallibilia ſunt, eademque rectiſſima, quæ deficere minime poſſunt, adeoque ex illis nonniſi dictamen certum, ac rectum inferri valet dum bene applicantur.

Consectarium Secundum.

II. Conſcientia minus proprie, ac ſolum abuſive dicitur *mala*. Neque enim *applicatio* illa *ſcientiæ mala* unquam eſt, ſed ſemper bona. Minus item proprie dicitur *ſcrupoloſa*, vel *laxa*: hæc namque vocabula conveniunt potius opinioni conceptæ ex infirmis, aut exiguis rationibus faventibus legi, vel libertati. Conſcientia autem dubia, cum nullam applicationem faciat, aut judicium determinatum ferat, Conſcientia revera non eſt, ſed ſuſpenſio Conſcientiæ. Demum neque Conſcientia *falſa*, aut *erronea* proprie Conſcientia dicenda eſt, quia per eam non applicatur ſcientia morum, ſive morales regulæ, ſed potius & jam ipſa opinio eſt, & quidem falſa, ac perniciosa.

Con-

Conſectarium Tertium.

III. Hinc quoties aliquis errat in eligendo, ſive formando de re aliqua judicium falſum, puta fornicationem ſibi hic, & nunc bonam eſſe ille non agere dicendus eſt *juxta Conſcientiam*, ſed *contra Conſcientiam*, *diciturque* inquit S. Thomas *hoc mala Conſcientia facere, in quantum factum judicio ſcientiæ non concordat*. Siquidem repugnat naturalibus principiis, quæ præſcribunt, a fornicatione abſtinendum eſſe. Unde Conſcientia confundenda non eſt cum libero arbitrio, quod ſicut bonum, ita quoque malum eligere poteſt.

Conſectarium quartum.

IV. Licet Conſcientia nec habitus quidam ſit, nec potentia, ſed actus, qui conſtans non eſt, nec in dormiente manet; permanere tamen aliquo modo in homine dici poteſt, quatenus, ut ait idem S. Thomas, *actus ipſe manet in ſua radice*. Atque hoc ſenſu intelligendæ ſunt aliquæ Scripturarum authoritates, quæ loquuntur de Conſcientia, tanquam de aliqua re conſtanter in nobis manente, ut cum dicitur 1. *ad Timoth.* de aliquibus, quod *cauteriatam habeant Conſcientiam*: Et ad Corinth. *Spero in Conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe*: Et ad Hebr. 13. *Bonam Conſcientiam habemus* &c.

Conſectarium quintum.

V. Similiter cum *inquinata* dicitur eſſe alicujus Conſcientia, ut ſcribit Apoſtolus *Cap.* 1. *epiſt.* ad Tit. *Inquinitatæ ſunt eorum & mens, & Conſcientia*, non eo ſenſu hoc accipiendum eſt quaſi mala habitualiter eſſe Conſcientia queat, unde eam mundari oporteat: ſed in hoc ſolum, quem exponit S. Thomas *q.* 17. *de verit. art.* 1. *ad* 3. his verbis: *Conſcientia inquinata mundari dicitur, ſecundum quod aliquis, qui fuit ſibi prius peccati conſcius, poſtmodum ſcit ſe eſſe a peccato mundatum: ita dicitur habere Conſcientiam puram. Eſt enim eadem Conſcientia, quæ prius immunda eſt, & poſtea munda, non quidem ita, quod Conſcientia ſit ſubjectum munditiæ, & immunditiæ: ſed quia per Conſcientiam examinantem utrumque cognoſcitur.*

Conſectarium Sextum.

VI. Quum & juxta principia generalia *practica* judicemus judicio quodam abſoluto, ac neceſſario; & prudentia pariter judicium *practicum* importet, quoad applicationem eorumdem ad actiones; & Conſcientia pariter *judicium* aliquod *practicum* ſit: in hoc diſtingui ſolet poſtremum hocce judicium ab aliis, quod *practice practicum* appelletur, ſeu ultimo practicum; quoniam verſatur circa actionem hic, & nunc exercendam, vel omittendam cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratam; non autem alii habitus ſive ſynderesis, ſive prudentiæ.

CAPUT III.

De Conſcientia recta, & erronea.

DOCTRINA.

I. *Conſcientia recta ea dicitur, quæ appetitui recto conformis eſt. In quo rectus appetitus conſiſtat.*

II. *Non omnis Conſcientia recta obligat ſub peccato, ſed ea ſolum, quæ præceptiva eſt.*

III. *Quomodo in Conſcientia error contingat, optime a S. Thoma explicatur.*

IV. *Quid ex hac doctrina S. Thomæ colligi debeat.*

V. *Quædam regula de utraque Conſcientia recta, & erronea. Regula prima. Sive recta, ſive erronea Conſcientia ſit, ſemper obligat ſub peccato.*

VI. *Secunda. Conſcientia ſive recta, ſive erronea magis obligat, quam præceptum Prælati.*

VII. *Tertia. Conſcientia vincibiliter erronea deponenda eſt.*

VIII. *Quarta. Si Conſcientia ſit invincibiliter erronea, a peccato excuſatur, qui eam ſequitur, immo ſecundum illam agere tenetur.*

Digitized by Google

IX. *Quinta* – *Reus eſt peccati lethalis, cujus Conſcientia dictat lethale peccatum eſſe, quod leve, ac veniale eſt.*

X. *Sexta. Lethaliter peccat, qui operatur contra Conſcientiam dictantem in genere malum eſſe, quod agit.*

XI. *Septima. Erronea Conſcientia ex mero arbitrio deponi nequit. Media ad eam deponendam.*

XII. *Octava. Agere contra Conſcientiam erroneam ejuſdem ſpeciei, & gravitatis peccatum eſt, cujus eſſet, ſi Conſcientia non erraret.*

XIII. *Nona. Qui perplexa utrimque peccandi Conſcientia laborat, eam deponere tenetur, ſi vincibilis eſt: ſi autem invincibilis, non peccat, quamcunque partem eligat. Quid in hoc caſu agere oporteat.*

I. Conſcientia recta, cui proprie nomen, & notio Conſcientiæ conveniunt, ea dicitur a S. Thoma in 3. *diſtinct.* 33. *q.* 1. *art.* 1. & 1. 2. *q.* 57. *art*, 5. *ad* 3. quæ *conformis eſt appetitui recto*. Ut autem rectus ſit appetitus, neceſſe eſt, quod conformetur ſuæ regulæ. Nam juxta celebre ejuſdem S. Doctoris principium: *Qualibet rei recta, & menſurata oportet, quod habeat formam proportionatam ſuæ regulæ, & menſuræ*. Cum autem duplex ſit *regula* humanorum actuum, *lex* ſcilicet *æterna Dei*, & *ratio humana*, cui Conſcientia ſubjicitur, & a qua dependet, utrique debet appetitus humanus eſſe conformis, ut rectus ſit in actibus ſuis. Sed hoc ordine inter ſe diſponuntur hujuſmodi regulæ, quod, cum *in omnibus*, ut ait idem S. Doctor 1. 2. *q.* 19. *art.* 4. *cauſis ordinatis effectus plus dependeat a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda: quia cauſa ſecunda non agit, niſi in virtute primæ cauſæ*; *ratio humana* non eſt regula voluntatis humanæ, niſi *ex lege æterna, ex qua ejus bonitas, ſive rectitudo menſuratur ..... & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere*, ut appetitus ſit rectus, adeoque & Conſcientia, quæ appetitui recto debet eſſe conformis. Hinc vero duplex rectitudo diſtingui poteſt. Altera, ut eſt in ſe ipſa, conſiſtens in ordine, ac vera conformitate Conſcientiæ noſtræ cum lege æterna: altera in reſpectu ad rationem noſtram eam legem nobis repræſentantem. Et quidem ordo ad legem æternam, prout in re eſt, percipi a nobis nequit in hac vita mortali; nobis tamen pateſcit vel per rationem principiis univerſalibus morum informatam, vel per aliquam revelationem ſuperadditam in libris ſacris, aut divina traditione manifeſtatam. *Licet lex æterna*, inquit ibidem S. Thomas ad 3. *ſit nobis ignota, ſecundum quod eſt in mente divina; innoteſcit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur, ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem ſuperadditam*.

II. Conſcientia recta, ut jam dictum eſt, vel eſt *præcipiens*, vel *conſulens*, vel *permittens*. Si ſit *præcipiens*, ſemper obligat ſub peccato, ſive jubeat aliquid, ſive aliquid vetet. *Conſulens* vero, ſive ea, quæ bonum quidem, ſed per modum conſilii duntaxat proponit, ex ſe non obbligat; ſicuti neque *permittens*, niſi ex aliqua adjuncta circumſtantia id, quod vel conſulitur, vel permittitur, præcepti objectum evadat. Hinc ſemper peccat, qui Conſcientiam præcipientem non ſequitur: quæcunque enim Conſcientia ſit, ſive recta, ſive erronea: ſive quævis alia obligat ſub peccato, quemadmodum mox dicemus: non tamen duplex peccatum committit, qui contra Conſcientiam agit, alterum ratione Conſcientiæ, quam non audit, alterum ratione præcepti, quod tranſgreditur; ſed unum tantum, ut communis, & vera ſententia docet. Quoniam Conſcientia non eſt lex proprie dicta ab ipſa lege vel naturali, vel poſitiva diſtincta, ſed ejuſdem manifeſtatio, & intimatio. Unde qui ex. gr. adverſus Conſcientiam ſuam furatur, vel mentitur, nonniſi unicum peccatum furti aut mendacii committit, tametſi

hæc

Digitized by Google

hæc non ſola naturali lege prohibeantur, ſed etiam divina poſitiva , & humana .

III. Quid Conſcientia *erronea* ſit , jam diximus , quæ ſcilicet non concordat cum lege , denuntiatque licitum , quod eſt illicitum, aut econtra . Quo pacto autem error in Conſcientia contingat , egregie admodum explicatur a S. Thoma *q. 17. de verit. art. 3.* cujus doctrina prætereunda non eſt . Sic igitur docet : „ Sicut ex dictis patet , Conſcientia nihil aliud eſt, quam *applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum* : in qua quidem applicatione contingit eſſe errorem dupliciter . Uno modo , quia id , quod applicatur in ſe errorem habet . Alio modo ex eo , quod non bene applicatur : ſicut in ſyllogizando contingit peccatum [ſive defectus , aut error] dupliciter : vel ex eo , quod aliquis falſis utitur , vel ex eo , quod non recte ſyllogizat . Sed hoc quidem , quod aliquis falſis utatur , ex una quadam parte contingit ; ex alia autem parte non contingit . Dictum eſt enim ſupra , quod per Conſcientiam applicatur notitia ſyndereſis , & rationis ſuperioris , & inferioris ad actum particularem examinandum. Cum autem actus ſit particularis , & ſyndereſis judicium univerſale exiſtat , non poteſt applicari judicium ſyndereſis ad actum , niſi fiat aſſumptio alicujus particularis ; quam quidem particularitatem (ſive particulare judicium) quandoque ſubminiſtrat ratio ſuperior , quandoque inferior ; & ſic Conſcientia perficitur , quaſi quodam ſyllogiſmo particulari , ut ſi ex judicio ſyndereſis proferatur; *Nihil prohibitum lege Dei eſſe faciendum* : & ex ſuperioris rationis notitia aſſumatur : *Concubitus cum iſta muliere eſt prohibitus lege Dei* ; fiat applicatio Conſcientiæ concludendo , *Ab hoc concubitu eſſe abſtinendum* . In univerſali ſiquidem judicio ſyndereſis errorem eſſe non contingit. Sed in judicio rationis ſuperioris contingit eſſe peccatum [ſive errorem] , ſicut cum quis exiſtimat eſſe ſecundum legem, vel contra , quod non eſt ; ut hæretici , qui credunt , juramentum a Deo eſſe prohibitum: & idcirco error accidit in Conſcientia propter falſitatem , quæ erat in ſuperiori parte rationis . Et ſimiliter poteſt error contingere in Conſcientia ex errore exiſtente in inferiori parte rationis , ut cum aliquis errat circa civiles rationes juſti , vel injuſti, honeſti , vel inhoneſti “ .

„ Ex hoc autem, quod non recto modo applicatio fit in Conſcientia , etiam error contingit: quia ſicut in ſyllogizando in ſpeculativis contingit , formam debitam argumentandi prætermitti , & ex hoc in concluſione accidere falſitatem ; ita etiam contingit in ſyllogiſmo , qui in operabilibus requiritur . Sciendum tamen , quod in quibuſdam Conſcientia nunquam errare poteſt: ſicut enim in ſpeculativis &c. ita nec in hoc , quod eſt , Deum non eſſe a me diligendum , vel aliquod malum eſſe faciendum , nulla Conſcientia errare poteſt , eo quod in utroque judicio tam ſpeculabilium, quam operabilium & major eſt per ſe nota, utpote in univerſali judicio exiſtens : & minor , qua idem de ſe ipſo prædicatur particulariter “ . Hæc ille ſapientiſſime .

IV. Ex qua doctrina habemus in primis , nunquam errorem Conſcientiæ contingere poſſe in propoſitione *majore* univerſali ſyllogiſmi *practici* , ſecundum quem in operando Conſcientia regitur : tum vero illum contingere vel propter errorem propoſitionis particularis aſſumptæ , vel propter indebitum ratiocinandi modum , ut in adducta doctrina luculenter explicat S. Doctor . Ex iis fontibus oritur pluribus modis Conſcientiam erroneam eſſe : vel enim aliquis bonum , verumque principium perperam applicat , & ex eo male ratiocinatur , & illegitimam infert , ac falſam concluſionem : atque ita ratiocinantur plerique divitiarum amore incenſi : *Licitum cuique eſt procurare bonum : ſed divitiarum poſſeſſio* que-

Digitized by Google

quovis modo acquiſita bona eſt : ergo quocunque modo procurendæ divitiæ ſunt : & hæc Conſcientia *erronea* eſt . Similiter erronea Conſcientia eſt , quoties id , quod bonum eſt , judicat malum , aut quod malum eſt, judicat bonum. Sic qui judicat vitioſum eſſe , quod omni culpa vacat , laborat Conſcientia erronea , quæ vocatur *infirma* . In hac Conſcientia erant illi , quorum meminit Apoſtolus , qui cum Conſcientia idoli quaſi idolothytum manducabant , & *Conſcientia ipſorum , cum eſſet infirma , polluebatur* . Unde vetat Apoſtolus ullum hujuſmodi hominibus præbere ſcandalum, ne pereat infirmus in ſcientia alterius . Sic etiam errans Conſcientia eſt , quæ judicat malum bonum , & bonum malum abſque ullo ſenſu ſeu remorſu : & *cauteriata* dicitur ; cujuſmodi erat Conſcientia eorum hæreticorum, quos carpit idem Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. *Qui attendebant ſpiritibus erroris , & doctrinis Dæmoniorum , in hypocriſi loquentes mendacium , & cauteriatam habentes Conſcientiam ſuam* , ideſt ſine ullo pietatis ſenſu , ſtupidi, hebetes , excæcati , ſimillimi carnibus cauterio inuſtis , & omnis ſenſus expertibus . Errat quoque Conſcientia , dum gravia peccata parvi pendit , & levia nihili ducit : & hæc *erronea* ſimul,& *laxa* appellatur . Vel dum falſo judicat , levia quædam graviſſima eſſe peccata & peccata ſæpe graviſſima nulla penitus æſtimat:cujuſmodi erat ConſcientiaPhariſæorum culicem excolantium,camelum autem glutientium , Hi enim , ut habetur *apud Matth.* 15. diſcipulos Chriſti accuſabant tanquam de gravi crimine , quod manus ante ſumptionem cibi non abluerent , cum ipſi interim , ut Chriſtus eiſdem objecit , præceptum de honorandis , & , juvandis parentibus violarent propter falſas ſuas traditiones . Demum errat Conſcientia , quæ judicium format ex inani , aut futili ratione , vanaque formidine conceptum, & falſo exiſtimat vel in rebus cæteroquin ſanctis & innoxiis ſubeſſe peccatum : & ita quis eo judicio impeditur , ut nihil moliri , nihil cogitare , nihil præ metu peccati perficere audeat : quæ Conſcientia tum *erronea* eſt, tum *ſcrupuloſa* etiam nuncupatur . His præmiſſis quaſdam regulas ſtatuo de utraque Conſcientia recta , & erronea apprime neceſſarias .

Regula Prima .

Sive Conſcientia recta ſit, ſive erronea, ſemper obligat ſub peccato .

V. Hanc regulam illuſtrat, & probat S.Thomas 1. 2. *q.* 19, *art.* 5. de Conſcientia errante , in qua ſolum difficultas occurrere poſſe videtur , potiſſimum differens. Cum enim quæſtionem inſtituiſſet, *utrum voluntas diſcordans a ratione errante ſit mala* , idemque eſſe ſtatuiſſet , ac quærere , *utrum Conſcientia errans obliget* ; rejecta quorumdam opinione , concludit his verbis : *Dicendum , quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans a ratione , ſive recta , ſive erronea , ſemper eſt mala* , quia ſcilicet violat obligationem , quam Conſcientia inducit .

Hæc autem regula efficaciter probatur ex illo maxime Apoſtoli textu ad Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide , peccatum eſt* , quem licet explicari poſſe de Fide Theologica doceat S. Doctor *in Commentario* ; textui tamen magis conſona videtur , ut ipſe notat , explicatio ejuſdem *de fide* , ſive de *Conſcientia* : atque ita illum interpretantur Eccleſiæ Patres communiter , Origenes , Ambroſius , Chryſoſtomus , Theophylactus , Œcumenius , Theodoretus , Anſelmus , Bernardus , aliique .

Probatur etiam ratione S. Thomæ loc. citato : quia voluntas non fertur in objectum ſuum , niſi ſecundum quod a ratione proponitur . *Si ergo proponatur ut malum a ratione errante , fertur in hoc ſub ratione mali . Unde voluntas erit mala . Quia vult malum , non quidem illud , quod eſt malum per ſe , ſed id , quod eſt malum per accidens propter apprehenſionem rationis* . Hoc exemplo declarat *in Reſp. ad* 2. inquiens : *Si aliquis cognoſceret , quod præceptum Proconſulis eſſet præceptum Imperatoris , contemnendo præceptum Proconſulis , contemneret præceptum Imperatoris* .

Et

Digitized by Google

Et ſimiliter ſi aliquis homo cognoſceret, quod ratio humana dictaret aliquid contra præceptum Dei, non teneretur rationem ſequi: ſed tunc ratio non totaliter eſſet errans: ſed quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei; tunc idem eſt contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.

Regula Secunda.

Conſcientia ſive recta, ſive erronea magis obligat, quam Superioris humani præceptum.

VI. De hac regula videtur eſſe inter Authores opinionum diſcrepantia propter præcipuas, & ſæpe nimias, quas obedientiæ adjudicant, prærogativas. Ego non alio eam pacto explicandam, ac defendendam cenſeo, quam doctrina ab Angelico Præceptore tradita *q. 17. de Ver. art. 5*, ubi quæſtionem data opera pertractat. Et primum quidem in *Sed contra* hoc principium generale conſtituit: „ Vinculum ſpirituale fortius eſt, quam corporale; & intrinſecum, quam extrinſecum: „ ſed Conſcientia eſt vinculum ſpirituale intrinſecum; Prælatus autem vinculum corporale & extrinſecum, ut videtur: quia per „ temporalem diſpenſationem omnis prælatio „ agitur. Unde cum ad æternitatem ventum „ fuerit, evacuabitur, ut habetur in Gloſ. „ 1. Corinth. 15. ergo videtur, quod magis eſt „ obediendum Conſcientiæ, quam Prælato “.

Deinde amplius declarans *in corp. art.* mentem ſuam hæc habet: „ Dicendum, quod hujus quæſtionis ratio ex his, quæ dicta ſunt, „ poteſt apparere. Dictum eſt enim ſupra, „ quod Conſcientia non ligat, niſi vi præcepti divini, vel ſecundum legem ſcriptam, „ vel ſecundum legem naturæ inditam. Comparare igitur ligamen Conſcientiæ ad ligamen, quod eſt ex præcepto Prælati, non eſt „ aliud, quam comparare ligamen præcepti „ divini ad ligamen præcepti Prælati. Unde, cum præceptum divinum obliget contra præceptum Prælati, & magis obliget, „ quam præceptum Prælati; conſcientiæ ligamen erit majus, quam ligamen præcepti Prælati, & Conſcientia ligabit, præcepto „ Prælati in contrarium exiſtente “. Hæc ratio S. Thomæ ſimul perſpicua eſt, & inconcuſſa, nec ipſi quidpiam ſolidi contra oppoſiti valet.

Pergit tamen ille, & appoſite obſervat, *diverſimode* rem ſe habere *in Conſcientia recta & erronea*. „ Conſcientia enim recta *ſimpliciter*, *& perfecte* contra præceptum Prælati obligat. *Simpliciter* quidem: quia ejus „ obligatio auferri non poteſt, cum ſine peccato deponi non poſſit talis Conſcientia: „ *perfecte* autem, quia Conſcientia recta non „ ſolum hoc modo ligat, ut ille, qui eam „ ſequitur, peccatum non incurrat: ſed ut „ ille, qui eam ſequitur, ſit immunis a peccato, quantumcunque præceptum Prælati „ ſit in contrarium. Sed Conſcientia erronea „ ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus *ſecundum quid*, & *imperfecte*. *Secundum quid*, quia non obligat in omnem „ eventum, ſed ſub conditione ſuæ durationis. Poteſt enim aliquis, & debet talem „ Conſcientiam deponere. *Imperfecte* autem, „ quia ligat quantum ad hoc, quod ille: „ qui eam ſequitur, peccatum non incurrit, „ non autem quantum ad hoc, quod ille, „ qui eam ſequitur, peccatum evitet, cum „ præceptum Prælati eſt in contrarium; ſi „ tamen ad illud indifferens præceptum Prælati obliget. In tali enim caſu peccat, „ ſive non faciat, quia contra Conſcientiam „ agit; ſive faciat, quia Prælato inobediens „ eſt. Magis autem peccat, ſi non faciat, „ Conſcientia durante, quod Conſcientia dictat, cum plus liget, quam præceptum „ Prælati “.

Ex his evidens primo eſt, Conſcientiam, quæcunque ea ſit, ſive *recta*, ſive *erronea*, ſemper magis obligare, quamdiu permanet, quam præceptum Prælati: rationem vero, cur magis obliget, in eo ſitam eſſe, quod

 Con-

Conſcientia obligat in virtute præcepti divini, quod continet, & majus eſt quocunque Prælati præcepto. Unde *in reſp. ad 3.* cum ſibi objeciſſet Superioris poteſtatem majorem eſſe, quam ſubditi qui inferior eſt, ipſique obedire tenetur, reſpondet; *Quod, quamvis Prælatus ſit ſuperior ſubdito, tamen Deus, ſub cujus præcepti ſpecie ligat Conſcientia, eſt major, quam Prælatus.*

Evidens ſecundo eſt, quod ſi Conſcientia ſubditi *recta* ſit, hæc ſemper magis obliget *ſimpliciter: & perfecte*, quam præceptum Prælati: quia hæc obligatio tolli nunquam poteſt, nec ſine peccato Conſcientia ipſa deponi. Si autem Conſcientia *erronea* ſit, & ipſa quidem ſemper obliget: ſed non obliget in omni eventu, ſed ſolum quamdiu manet: quia homo hujuſmodi Conſcientia laborans poteſt, quin etiam tenetur, eam deponere.

Demum evidens tertio eſt, quod ſi contingat, hanc Conſcientiam non deponi ad Prælati imperium, ſed permaneat, eo in caſu peccet homo, ſive non faciat, quia contra Conſcientiam agit; ſive faciat, quia non obedit Prælato, cui tenetur obedire: ſemper tamen, Conſcientia perdurante magis peccat, ſi non faciat, quod Conſcientia dictat, cum ea magis obliget, quam Prælati præceptum.

Sed ne exiſtimet quiſpiam, peculiarem eſſe S. Thomæ traditam regulam, eam confirmare placet authoritate S. Bernardi inter alios Patres, qui afferri poſſent. Is itaque lib. *de præc. & Diſp.* C. 9. ait: „ Sive Deus, ſive „ homo mandatum quodcunque tradiderit, „ pari profecto obſequendum eſt cura, pari „ reverentia deferendum, ubi tamen Deo con- „ traria non præcipit homo (vel tradere ſi- „ bi quis perſuadeat). Quod ſi contigerit, „ pergendum indubitanter conſulo in Petri „ Apoſtoli ſententiam, quia *obedire oportet* „ *Deo magis, quam hominibus*. Aut enim „ hoc reſpondendum cum Apoſtolis, aut cum „ Phariſæis certe audiendum: *Quare & vos* „ *tranſgredimini mandatum Dei propter traditio-* „ *nes veſtras?* Ego igitur, ſi me angi hoc „ articulo ſentiam, ut aut Deum, aut ho- „ minem offendere neceſſe ſit, Deum potius „ libenter eligo non offendere, & quidem „ tutius, juſtiuſque “. Et infra: „ Quidquid „ vice Dei præcipit homo, quod non ſit ta- „ men certum diſplicere Deo, haud ſecus om- „ nino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat „ Deus “. Unde econtra ſi ex judicio Conſcientiæ quamvis erroneæ perſuaſum ſit alicui, id, quod præcipit Superior, diſplicere Deo, tenetur Superiori non obedire.

Regula tertia.

Si Conſcientia ſit vincibiliter erronea, *eam deponere oportet, & oppoſitum ejus, quod ipſa dictabat, operari.*

VII. Jam ſupra docuimus, quid ſit ignorantia *vincibilis*, & quid *invincibilis*. Si igitur error, quo Conſcientia laborat, diſcuti, ac ſuperari poſſit, ea deponi debet; neque enim hujuſmodi error excuſat a peccato; & ſi eum minime deponat, peccatum ſemper incurrit, quia id non implet, quod implere tenetur. Hine ſi quis ex errore Conſcientiæ ſe putet obligatum v. gr. ad mendacium proferendum, ad furtum, aut fornicationem committendam, hunc errorem deponere debet, cum poſſit deponere, alias infallibiliter peccabit. *Quando Conſcientia*, inquit Gerſonius de natura Conſcientiæ, *dictat ea, quæ ſunt contra legem Dei ipſa etiam ligat, & obligat, non quidem ad faciendum, ſed ad deponendum. Quia cum talis Conſcientia erronea eſt errore repugnante legi divinæ, quamdiu ipſa manet, ponit, & tenet hominem extra ſtatum ſalutis: & ideo neceſſe eſt eam deponere: quia ſive tunc homo faciat, quod ipſa Conſcientia dictat, ſive ejus oppoſitum, peccat mortaliter. Faciendo enim quod Conſcientia dictat in illo caſu, facit contra legem Dei, quod clarum eſt, peccatum mortale eſſe. Faciendo vero oppoſitum, mortaliter etiam peccat, non ratione operis, quod*

ex.

Digitized by Google

ex ſe malum non eſt : ſed quia illud facit in contemptum Dei cum faciat illud , quod ſua Conſcientia ſibi Deo diſplicere dictat .

REGULA QUARTA .

Si Conſcientia ſit invincibiliter erronea , a peccato excuſatur , qui agit ſecundum illam : immo ſecundum illam agere tenetur .

VIII. Excuſatur , inquam , a peccato , cum error circa ea verſatur , in quibus Conſcientia invincibiliter erronea dari poteſt, ut circa *facta* , aut circa leges poſitivas ; quemadmodum de Ignorantia dictum eſt : quoniam in his error ipſe invincibilis juxta omnes culpa vacat . Sic excuſatur mulier , quæ debitum conjugale viro reddit, quem ex invincibili errore conjugem ſuum eſſe exiſtimat : ſic non peccat, qui carnes comedit die vetito , dum invincibiliter credit alium diem eſſe , in quo carnes ipſi comedere liceat . Recolantur ea , quæ ſupra de ignorantia dicta ſunt .

REGULA QUINTA .

Reus eſt peccati lethalis , cujus Conſcientia erronea dictat eſſe lethale , quod leve , & veniale eſt .

IX. Obvia hujuſce regulæ ratio eſt , quoniam , qui ſic in judicando errat , ita animo affectus eſt , ut lethale peccatum committere non refugiat. Voluntas porro peccandi, velit, ſive committere peccatum eſt, prout ex apprehenſione intellectus ipſi proponitur : unde ſi tanquam lethale ipſi proponatur , quod cæteroqui veniale eſt , lethale peccatum amplectitur. *Voluntas quippe eſt* , inquit S. Auguſtinus lib. 1. Retract. C. 9. *qua peccatur , & recte vivitur . Et homo videt ea , quæ parent : Dominus autem intuetur cor* . Et S. Thomas *quodl.* 9. *art.* 5. ait : *Error , quo creditur eſſe mortale , quod non eſt mortale , ex Conſcientia ligat ad peccatum mortale* , ſive ita obligat , ut opus faciendo lethaliter peccet .

REGULA SEXTA .

Si Conſcientia malum quidem in genere proponat eſſe , quod agitur , quin determinet, an lethale ſit , aut veniale , ſed ab hoc prorſus avertat animum , lethaliter peccat .

X. Frequens eſt hujuſmodi caſus , & in eo quidem decidendo non conſentiunt inter ſe Theologi . Navarus cum aliis ſolum venialiter tunc peccari exiſtimat , ſi nulla occurrat de mortali peccato cogitatio, vel dubium, aut de periculo illius, vel de gravitate materiæ. Quia malitia , inquit , mortalis nec formaliter , nec virtualiter tunc apprehenditur, aut cognoſcitur : adeoque voluntati nullatenus imputatur . Alii tamen Theologi , etiam inter benigniores, cenſent mortale peccatum eſſe, quod committitur. Cum enim tunc homo cognoſcat malum eſſe , quod vult operari , ad operandum imprudenter procedit , ſi quidpiam eligat abſque debito examine de malitiæ quantitate, ſeque culpabiliter exponit proximo periculo faciendi id, quod grave malum eſt. Unde non videtur fieri poſſe , quin defectus cogitationis , vel dubitationis de malitiæ gravitate ejus negligentiæ , vel imprudentiæ tribuatur .

Hæc ſecunda ſententia abſolute vera cenſenda eſt ; quia reapſe , qui ita ſe gerit in caſu propoſito , ſemet deliberato animo exponit proximo graviter peccandi periculo . Cæterum in praxi diſtinctione utendum putarem. Si enim , qui malum generatim apprehendit, quin de malitiæ quantitate determinet, ſit vir timoratæ Conſcientiæ, qui *tanquam a facie colubri fugit* omne lethale peccatum, nec gravis materia ſit , circa quam operatur , tunc prudenti conjecturæ locus eſt , malitiam in eo opere non apprehendiſſe , niſi levem , ac venialem. Secus vero judicandum arbitror de aliis , qui nullam curam adhibent pro evitando peccato , ſive leve illud ſit , ſive grave; & , ut inquit Propheta , *Iniquitatem bibunt quaſi aquam* ,

quæ-

quæcunque ſit illa, ſive venialis ſive lethalis.

Regula Septima.

Erronea Conſcientia ex mero arbitrio deponi nequit.

XI. Hoc ſenſiſſe perhibetur Cajetanus, ad libitum ſcilicet deponi poſſe erroneam Conſcientiam: ſed adduci non poſſum, ut credam, tam inſignem Theologum in hac fuiſſe ſententia. Deponenda itaque erronea Conſcientia eſt non ex mero arbitrio, ſicuti nec ex mero arbitrio formanda; ſed aut prudenti ratione, aut authoritate gravi; adeo ut homo vel hac perſuaſus, vel illa convictus, contrarium judicet ejus, quod antea judicaverat, aut certe ſibi perſuadeat, rationes, ſive fundamenta, quibus in tale judicium inductus eſt, levia eſſe, atque futilia, quæ prudentem hominem movere non valeant: adeoque a priori illo judicio recedat.

Idonea porro media ad erroneam Conſcientiam deponendam ſunt humilis, & frequens oratio animæ ad Deum cum Propheta clamantis: *Deus meus illumina tenebras meas: da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua: doce me facere voluntatem tuam* &c. Deinde accurata negotii, de quo agitur, diſcuſſio: attenta lectio bonorum librorum de re, quæ in quæſtionem venit: conſilii a viris doctis, piis, atque prudentibus petitio, & docilitas, ac ſubmiſſio ad horum ſectanda conſilia, quemadmodum monet quemlibet Spiritus Sanctus illis verbis: *Ne innitaris prudentiæ tuæ: ne ſis ſapiens apud temetipſum: in multitudine Preſbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere: ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant a te: & ſi videris ſenſatum, evigila ad illum* &c.

Regula octava.

Agere contra Conſcientiam erroneam peccatum eſt ejus ſpeciei, & gravitatis, cujus eſſet, ſi Conſcientia non erraret.

XII. Sumitur hujus regulæ ratio ex eo, quod voluntas fertur in objectum, prout ſibi ab intellectu proponitur ſub ea ſpecifica ratione, & gravitate, ſub qua ab eodem propoſitum eſt. Quare juxta D. Thomam, ac Theologos agere contra Conſcientiam peccatum ſpeciale non eſt; niſi contra Conſcientiam agens directe intenderet eidem reſiſtere: quia tunc ſpeciale *inobedientiæ* peccatum foret, ſpecialiterque in confeſſione explicandum: quod tamen raro admodum continget. Hinc ſi aliquis exiſtimet, peccatum eſſe vel ſpuere, vel pulverem tabaccarium ſumere in Eccleſia, contra Religionem peccat, ſic etiam qui rem habet cum muliere, exiſtimans Deo eſſe dicatam, dum revera non eſt, ſacrilegium committit ejuſdem ſpeciei, & gravitatis, ac ſi rem habuiſſet cum Virgine Deo ſacra. Sed tamen hic diſtinguere opus eſt Conſcientiam erroneam vincibilem ab invincibili. Si enim Conſcientia erronea *vincibilis* dicet veniale peccatum eſſe, quod eſt mortale, culpa mortalis erit, quia hæc ignorantia non excuſat: ſi autem ſit invincibilis, tunc contra Conſcientiam agere, ſola culpa venialis erit: quia tunc ignorantia non majorem malitiam contrahit, quam quæ ab eadem proponitur.

Regula nona.

Dum quis Conſcientia peccandi perplexa laborat inter utramque contradictionis partem, ſi vincibilis *ſit, eam deponere tenetur: ſi autem* invincibilis, *non peccat, quamcunque partem eligit.*

XIII. Exemplum ſit inter alia quæ proferri poſſunt, Conſcientiæ perplexe vincibiliter erroneæ in illo, qui videns aliquem proxime

me

Digitized by Google

me ab hoſte occidendum, putat ſe peccare tum ſi aggreſſorem interficiat, tum ſi non interficiat: neque enim nonniſi *vincibiliter* perplexus eſt inter utramque partem contradictionis. Conſcientiæ autem invincibiliter quandoque perplexæ exemplum eſto in muliere aſſiſtente ſive filio, ſive marito graviter ægrotanti, ejuſque ope indigenti, quæ ſe peccare credit, ſive Sacrum die feſto omittat, ſive ægrotantem deſerat, ut Sacrum audiat.

Igitur ſi Conſcientia peccandi in eo caſu, qua quis laborat, *vincibilis* ſit, eam deponere tenetur. Quod ſi non deponat, peccat, ſive eam ſequatur, ſive eam non ſequatur: adeoque in eo ſtatu eſt, ut ex culpa ſua peccandi neceſſitatem non evitet: quod plane inconveniens dici nequit. Ea ſiquidem non eſt neceſſitas *abſoluta*, ſed ſolum *ex ſuppoſitione*. Nam, ut docet S. Thomas q. 17. de Verit. art. 4. ad 8. *ſicut in ſyllogiſticis, uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi; ita in moralibus, uno inconvenienti poſito, ex neceſſitate alia ſequuntur ..... Nec tamen eſt* (abſolute) *perplexus: quia poteſt ab errore recedere, cum ignorantia ſit vincibilis*.

Secus vero dicendum eſt, ſi erronea Conſcientia ſit *invincibilis*. Nullum quippe peccatum abſque libera voluntate committitur: ignorantia autem invincibilis tollit libertatem: igitur poſitione facta, quod ignorantia vinci nequeat, non peccabit aliquis, quamcunque partem contradictionis eligat. At, inquiet aliquis, nonne in hoc caſu liber homo eſt ad actum exequendum, & omittendum? Utique: ſed hæc libertas *phyſica* tunc dici poteſt, non autem *moralis*: quoniam tametſi cognoſcat homo objectum ut malum, illud tamen non cognoſcit ut vitabile. Porro licet ad libertatem phyſicam ſufficiat, quod homo actum illum exequi valeat; attamen ad libertatem moralem neceſſe eſt, ut voluntas illum vitare poſſit in genere morali; libertas namque in eo genere requiritur, in quo peccatum eſt, quod profecto in genere moris continetur.

In his autem caſibus Conſcientiæ perplexæ, ſi quando contingant, ea ſervanda regula eſt, quæ in Concilio Toletano præſcribitur, & a Gratiano refertur Can. *Nervi* diſt. 13. his verbis: *Duo mala, licet ſint cautiſſime præcavenda, tamen ſi periculi neceſſitas, vel conſcientiæ perplexitas, ex his unum perpetrare contigerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligare*. Quod & alio Canone admonet dicens: *Illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpeſſuros eſſe credimus*.

CAPUT IV.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *In errore ſunt omnes, qui vel Conſcientiam ſtatuunt primam actuum humanorum regulam, vel ita de ea loquuntur, ac ſi prima regula foret.*

II. *Idcirco tanquam falſa, & erronea P. Iſaaci Berrujeri æſtimanda eſt quædam Apoſtoli explicatio, quæ ex eo errore derivatur.*

III. *Excludenda a Deo eſt tanquam abſurda lex illa æterna* conſequens, *&* reflexa, *quam commentus eſt P. Antonius Terillus, cui conformat actiones a Conſcientia erronea directas.*

IV. *Semper peccat, qui vel contra legem agit, vel contra Conſcientiam, licet non contra legem.*

V. *Non agit contra Conſcientiam rectam judex innocentem damnans, qui juxta allegata, & probata reus eſſe convincitur.*

VI. *Conſcientia erronea poteſt eſſe invincibilis circa aliquod factum, & præceptum poſitivum.*

VII. *Obedientiæ votum non ſolvit ſubditum ab obligatione ſequendi Conſcientiam etiam erroneam, niſi eam deponat.*

VIII.

Digitized by Google

VIII. *Unde admittenda non eſt cæca illa obedientia, quam aliqui obtrudunt.*

IX. *Conſcientiam ſequi tenetur ſubditus contra Prælati præceptum, licet ex principiis omnino certis erroneа non ſit.*

X. *Falſa reputanda eſt Lacroixii, aliorumque de hac re ſententia.*

XI. *Conſcientia erronea defectus non excuſat, qui in officiis obeundis imprudenter ſuſceptis committuntur.*

XII. *Nulla bona fide, aut Conſcientia fieri poteſt, ut malitiam exuant, quæ natura ſua prava ſunt.*

XIII. *Pœnas tranſgreſſioni præcepti annexas non incurrit, qui ex Conſcientia erronea vincibili peccat.*

XIV. *Damnum tamen, ſi quod contingat, reſarciendum eſt.*

XV. *Conſcientia perplexa, quæ deponi nequit, quandoque ad aliquid obligare poteſt.*

XVI. *Gravius quidem abſolute peccatum eſt, agere contra, quam ſequi Conſcientiam vincibiliter erroneam; ob circumſtantias tamen levius eſſe poteſt.*

XVII. *Qui ex Conſcientia erronea putat eſſe lethale, quod vel nullum eſt, vel leve peccatum, illud in confeſſione declaret, oportet.*

XVIII. *Quibus regulis diſcerni queat, quandonam Conſcientia erronea vel vincibilis ſit, vel invincibilis.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. A vero longius abſunt omnes ii Theologi, qui vel Conſcientiam conſtituunt veluti primam humanarum actionum regulam, vel ita de ea loquuntur, ac ſi prima regula foret. Nam & humana ratio, & Conſcientia, quæ ipſi ſubjicitur, nec eſt, nec eſſe poteſt, niſi regula ſubordinata, & dependens a prima regula totius bonitatis, lege ſcilicet æterna Dei, ut jam alibi dictum eſt. Quapropter in errore verſantur, qui nulla habita ratione legis Dei, ſatis ſibi conſuluiſſe putant, ſi actiones, quas eliciunt, dictamini propriæ Conſcientiæ conformes ſint.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Reprobanda eſt tanquam falſa, & aliena prorſus ab Apoſtoli mente explicatio textus Epiſtolæ ad Rom. C. 5. P. Iſaaci Berrujeri: *uſque ad legem peccatum erat in mundo* &c. quem ſic exponit; nimirum Deum pœna quadam extraordinaria, ac violenta affeciſſe eos, qui in ſimilitudinem peccati Adami legem naturæ tranſgreſſi ſunt, non aliam ob cauſam, niſi quia Conſcientiæ vocem non audierunt, ſed adverſus illam obſtrepentem, & animum exagitantem malum egerunt, in quo, inquit, *peccatum, delictum*; & *inordinatio* conſiſtit. Ut enim ſapienter animadvertit in celebri ſua Paſtorali Inſtructione P. 4. C. xI. Epiſcopus Sueſſionenſis, ex eo conſequitur, *Legem æternam Dei nequaquam amplius futuram primam, ac ſupremam actionum noſtrarum regulam: ſed hujuſmodi regulam ſolum eſſe cujuſque Conſcientiam, atque adeo medio tollendam celeberrimam illam, & a Theologis omnibus approbatam peccati definitionem: peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei*, quin potius aliter definiendum erit: *dictum, factum, vel concupitum contra legem Conſcientiæ*.

CONSECTARIUM TERTIUM.

III. Non eſt in Deo admittenda lex illa æterna *conſequens*, aut *reflexa*, ut vocant, quam confinxit P. Tetillus, & ſecuti ſunt plerique Recentiores, Caſnedi, Lacroixius, Viva &c. cui legi ſatis ſit conformes eſſe actiones noſtras a Conſcientia erronea directas, atque preſcriptas, ut bonæ ſint. Neceſſitatem hujuſmodi *reflexæ* legis excogitandæ in Deo ex eo deduxit Tetillus

Digitized by Google

rillus, quod ex una parte negare ipſe auſus non eſt primum hocce principium, omnem nempe operationem honeſtam conformem eſſe debere primæ æternæ regulæ: ex altera vero parte mendacia, perjuria, contractus uſurarios, aliaque id genus opera ſuapte natura mala fateri compulſus eſt. Cum itaque præfata opera, ex Conſcientia invincibili errante peracta, bona reputentur, alicui divinæ legi debent eſſe conformia. *Primariæ* conformia eſſe non poſſunt, ſiquidem ab ipſa prohibentur; ergo ſecundariæ, ſive *conſequenti*, & *reflexæ*. Et in hac arce, aerea licet, & nulli fundamento ſubnixa, totam ille ſuperædificat Probabiliſmi machinam. Porro non eſſe in Deo legem hujuſmodi *reflexam* admittendam, quin immo ab eo rejiciendam, infinita propemodum ſunt, quæ demonſtrant, & fuſo calamo perſequitur P. Ignatius de Camargo, ac plures alii poſtea. Hoc unum nobis ſufficiat, quod de hac *reflexa lege* nullum neque in Scriptura, neque in Eccleſiæ traditione, nec in omnibus antiquis Theologis veſtigium extet, ſed ex ſolo Terilli cerebro conficta fuerit, ut eam repudiare oporteat.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Semper peccat ille, qui agit vel contra legem, vel contra Conſcientiam, licet etiam contra legem non agat. Qui contra legem agit, ſemper peccat, & peccato quidem formali ſive imputabili ad culpam, & pœnam, ſi reſpiciat præceptum, de quo non detur error invincibilis: peccato autem ſolum *materiali*, ſive ex objecto, ſi error ſit circa aliquid, quod ignorantiam invincibilem admittat. Regula hæc generalis, & capitalis tradita eſt a S. Thoma *quodl. 8. art. 13.* occaſione cujuſdam quæſtionis, de qua ſuo tempore magna lis erat inter Doctores, atque diſputatio, hiſce verbis: " Dicendum, quod
,, duobus modis aliquis ad peccandum obli-
,, gatur (ſive peccato ligatur), uno
,, modo *faciendo contra legem*, ut cum ali-
,, quis fornicatur: alio modo *faciendo con-*
,, *tra Conſcientiam*, etiam ſi non ſit con-
,, tra legem: ut ſi Conſcientia dictat ali-
,, cui, quod levare feſtucam de terra ſit
,, peccatum mortale. Illud autem, quod
,, agitur contra legem, *ſemper eſt malum*;
,, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecun-
,, dum Conſcientiam: & ſimiliter quod
,, eſt contra Conſcientiam, eſt malum,
,, quamvis non ſit contra legem &c. Ex
,, Conſcientia autem obligatur aliquis ad pec-
,, candum (ſive contra Conſcientiam pec-
,, cat), ſive habeat certam fidem (ideſt
,, cognitionem, aut judicium) de contra-
,, rio ejus, quod agit, ſive etiam habeat
,, opinionem cum aliqua dubitatione. Quod
,, autem non eſt contra Conſcientiam, nec
,, contra legem, non poteſt eſſe peccatum ".
Hac poſita doctrina univerſali, ſubdit: "
,, Dicendum eſt ergo, quando ſunt duæ
,, opiniones contrariæ de eodem, oportet
,, alteram eſſe veram, & alteram falſam.
,, Aut ergo ille, qui contra opinionem
,, Magiſtrorum facit, facit contra veram o-
,, pinionem: & ſic cum faciat contra le-
,, gem Dei, non excuſatur a peccato,
,, quamvis non faciat contra Conſcientiam.
,, Sic enim contra Dei legem facit. Aut
,, illa opinio non eſt vera, ſed magis con-
,, traria, quam iſte ſequitur, ita ut vere
,, liceat habere plures præbendas: & tunc
,, diſtinguendum eſt, quia aut talis habet
,, Conſcientiam de contrario: & ſic iterum
,, peccat contra Conſcientiam, quamvis non
,, contra legem: aut non habet Conſcien-
,, tiam de contrario, ſed certitudinem [de
,, licito ex principiis intrinſecis]: ſed ta-
,, men in quamdam dubitationem inducitur
,, [ab extrinſeco] ex contrarietate opinio-
,, num (ob authoritatem utique aliquot

„ Magiſtrorum contradicentium opinioni de „ licito) : & ſic , ſi manente dubitatio„ ne plures præbendas habeat , periculo ſe „ committit (faciendo id , de quo dubi„ tat , an ſit peccatum) : & ſic procul dubio , peccat : utpote magis amans be„ neficium temporale , quam propriam ſalu„ tem . Aut ex contrariis opinionibus in „ nullam dubitationem adducitur : & ſic non „ committit ſe diſcrimini , nec peccat " , nec contra legem , quia ſequitur opinionem veram ; neque contra Conſcientiam, quia ſequitur opinionem , de cujus veritate nullam dubitationem habet .

Hæc eſt celeberrima illa S. Thomæ doctrina , qua perperam abutuntur ob poſtrema verba Probabiliſtæ ; ſed ſi intelligatur, ut intelligi omnino debet , totum eorum ſyſtema funditus evertit , atque proſternit . Siquidem S. Doctor in ea diſtinctiones omnes , ac ſubtilitates , quibus ſe tueri nituntur , prævenit , longeque repellit. Primo namque quæſtionem *juris* tractat , non *facti* ; & juris quidem naturalis , ut patet ex eo , quod exemplum ponat in *fornicatione* . Unde nec beneficiorum pluralitatem ſemper cenſet eſſe malam , niſi quando per eam lex naturæ violatur , ut conſtat ex *quodlib.* 9. *art.* 15. ubi ait de hac quæſtione *in jure poſitivo divino* nihil expreſſe determinatum eſſe .

Secundo generaliter , & abſque ulla exceptione docet : *Quod agitur contra Dei legem* , (æternam utique) *ſemper eſſe malum* , *nec excuſari per hoc* , *quod eſt ſecundum conſcientiam* ; quod certe denotat peccatum formale , quod per nullam Conſcientiam errantem excuſatur : proindeque nulla in præceptis naturalibus a S. Doctore Conſcientia erronea admittitur invincibilis . Quoad Conſcientiam vero attinet, ſentit S. Thomas , id , quod eſt *contra Conſcientiam* , *ſemper eſſe malum* , *quamvis non ſit contra legem* : deinde ideo peccare , qui agit contra Conſcientiam, quamvis non contra legem , quia agit contra legem ipſum obligantem ſequi Conſcientiæ etiam erroneæ dictamen : demum ipſum quoque peccare , ſi agat contra Conſcientiam, dum ex opinionum contrarietate in dubitationem adducitur , nec eam deponat . Quia in dubio operari non licet . Ex quibus omnibus colligendum eſt , duplici huic regulæ debere eſſe conformem actionem , ut peccatum evitetur , ſemperque obnoxium eſſe peccato illum , qui vel agit contra Conſcientiam , vel contra legem in iis , in quibus ignorantia invincibilis locum non habet :

Consectarium Quintum.

V. Agere contra Conſcientiam rectum dicendus Judex non eſt, qui ad mortem damnat eum , qui ex privata ſcientia ſua inſontem eſſe cognoſcit , dum juxta allegata , & probata reus eſſe convincitur . Nam juxta hujus ſententiæ Patronos , inter quos videtur eſſe S. Thomas , Judex tunc agit contra propriam ſcientiam , ſed non contra Conſcientiam : Conſcientia enim tunc dictat , perſonam publicam , quam ille gerit , ad judicandum ſecundum allegata , & probata obſtringi .

Consectarium Sextum.

VI. Quoties Conſcientia erronea verſatur circa aliquod *factum* , ſicut in his dari poteſt ignorantia *invincibilis* , ſic ipſa a peccato excuſatur , etiamſi juri naturali contrarium ſit : idemque dicendum , ſi verſetur circa jus poſitivum , ſive divinum , ſive humanum , dummodo ex negligentia culpabili nec hoc jus , nec factum ignoretur . Unde S. Thomas *de Verit.* q. 17. *art.* 4. ad quintum argumentum reſpondens : *Excuſatur* , inquit , *Conſcientia erronea a peccato* , *quando ipſe error non eſt peccatum* , *utpote cum contingit ex ignorantia*.

Digitized by Google

tia falli ; ſi autem ex igrorantia juris eſt , (quod ſcire tenetur) *ſic argumentum non concludit : quia ipſa ignorantia peccatum eſt . Sic enim apud Judicem ſæcularem non excuſatur , qui ignorantiam juris , quod ſcire debet , allegat .*

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Votum obedientiæ Prælato factum non ſolvit ſubditum ab ogligatione ſequendi Conſcientiam etiam erroneam , quandiu manet . Ut enim animadvertit ibidem S. Doctor art. 5. ad 1. *Ille , qui vovit obedientiam , tenetur obedire in iis , ad quæ bonum obedientiæ ſe extendit , nec ab iſta obligatione abſolvitur per errorem Conſcientiæ . Nec iterum a Conſcientia abſolvitur ligamine per iſtam obligationem . Et ita manet in eo duplex contraria obligatio : quarum una ſcilicet , quæ eſt ex Conſcientia , eſt major, quia intenſior : minor , quia ſolubilior : alia vero e contrario . Obligatio enim illa . quæ eſt ad Prælatum , ſolvi non poteſt : ſicut Conſcientia erronea deponi poteſt .*

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Equidem *ſubditus* [verba ſunt S. Thomæ ibi ad 4.] *non habet judicare de præcepto Prælati , ſed* [judicare tenetur] *de impletione præcepti , quæ ad ipſum ſpectat . Unuſquiſque enim tenetur examinare actus ſuos ad ſcientiam , quam a Deo habet , ſive ſit naturalis , ſive acquiſita , ſive infuſa : omnis enim homo debet ſecundum rationem agere .* Quare admittenda non eſt cæca illa obedientia , quam aliqui obtrudunt , & veluti neceſſariam decernunt in quocumque Prælati humani præcepto .

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Dum Conſcientia , omnibus ſedulo perpenſis , & conſideratis , ſubdito præſcribit rem a Superiore præceptam , illicitam eſſe , ſive divinæ legi contrariam , eam ſequi tenetur , quamvis ex principiis omnino certis concepta non ſit . Ratio ex dictis patet , quia Conſcientia magis obligat , quam præceptum Prælati. Ea namque obligat virtute divini præcepti , quod majus eſt præcepto Superioris humani . Eam tamen tenetur deponere , quoties ex ſedula inquiſitione rationes inveniat , quibus illam prudenter deponere queat .

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Hinc falſa reputanda eſt opinio plurium Authorum , quos laudat , & ſequitur P. Lacroixius *lib. 1. n. 433.* nimirum *ſubditum teneri obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum , ſi ſubdito probabilius ſit , illud eſſe illicitum;* nec probanda ratio , qua illam confirmat : " Quia , inquit , rectus ordo , & neceſſaria
„ ſubordinatio ſubditi ad Superiorem ita
„ poſtulat , eſſetque majus malum turbari
„ illum ordinem , quam forte peccari materialiter . Nam poſſet quivis ſubditus fa-
„ cile obtendere , aut etiam judicare rem
„ præceptam eſſe illicitam : unde ſequeren-
„ tur diſcordiæ Superiorem inter , & ſub-
„ ditum , ſcandala , perturbationes &c. quæ
„ ſunt mala certa : ubi e contra malum,
„ quod ex obedientia timeretur , nempe
„ materialis tranſgreſſio legis divinæ , non
„ eſſet certum , ſed ſolummodo dubium: ma-
„ lum autem certum vitari debet præ du-
„ bio . Ergo " . Hæc ille . Vide, prudens Lector , quam firma , quam efficax ſit D. Thomæ ratio , qua probat aſſertionem ſuam; quam fluxa , quam caduca ſit illa , cui innititur Lacroixius cum iis omnibus , quos refert . D. Thomæ ratio in hoc ſita eſt , quod cum Conſcientia etiam erronea dictat aliquid ſubdito illicitum eſſe , quod a Prælato præcipitur , nec deponi poſſit validioribus rationibus , obligat virtute divini præcepti ; quod majus certe eſt quocunque præcepto humano : qua ratione nihil ſolidius, nihil certius afferri poteſt . Lacroixii vero

ratio tota vertitur in quibuſdam inconvenientibus, quæ ſibi confingit, pro quibus evitandis minus malum ſibi perſuadet tranſgreſſionem divinæ legis, quæ *formalis* tunc eſt, licet *materialem* vocet; & ſemper magis pendenda, quam quodcunque aliud temporale malum, quod ex accidente ſequeretur: qua ratione quid debilius, quid inefficacius? Firmiter ergo S. Thomæ nimis explorata doctrina tenenda eſt in hac materia, ſolumque præcavendum, ne ſub prætextu Conſcientiæ prava aliqua affectio in corde ſubditi lateat, aut repugnantia in obedientia præſtanda Prælato ſuo. Nam ſemper in his caſibus deponenda Conſcientia eſt, cum deponi prudenter valeat.

Verum, ut appareat Probabiliſtas in ſuis opinionibus nunquam ſibi conſtare, ſed invicem digladiari, ita cogente eorum falſo ſyſtemate, accipe, quæ in hac materia Lacroixio, aliiſque, quos laudat, contraria ex adverſo traduntur etiam inter ipſos graviores Theologi. P. Thomas Sanchez, *lib. 6. in Decal. Cap. 3. n. 7.* citans Sayrum ita ſcribit: *Si daretur opinio probabilis, docens in aliquo caſu non teneri ſubditum obedire Superiori; tunc ſubditus, qui credit, eam opinionem eſſe probabilem, non tenetur obedire, licet poſſet: quia poteſt alterutram opinionem tuto ſequi.* Idque tanquam certum ſtatuit P. Caſtropalaus *p. 1. D. 2. q. 6.* ubi inquirit: *An ſubditus contra propriam opinionem poſſit, ac debeat Superioris præſcripto obedire*; ſtatimque ſubjungit: *Non eſt controverſia, quando daretur opinio probabilis ex parte ſubditi, quod non teneatur obedire, etiamſi contraria ſit probabilior: tunc enim licitum eſt ex ſupradictis amplecti, quæ ſibi gratior fuerit*; citatque præter Sayrum & Sanchez, P. Torrez, Joannem Sanchez, & Navarrum. At nonne, inquis, Superior tunc juſte præcipit, quod ſubdito faciendum præſcribit? Falleris, ſubdit Caſtropalaus; ſiquidem *probabilitas ſubditi* omnimodam præcepti juſtitiam impedit. *Neque obſtat*; verba ejus ſunt, *Superiorem tunc juſte præcipere; quia non undequaque juſte præcipit, ſed probabiliter: ac proinde probabiliter ſolum obligatus eris, & probabiliter deobligatus.*

Consectarium Unodecimum.

XI. Conſcientia erronea non excuſat defectus eorum, qui officium aliquod, etiam non quæſitum, ſuſcipiunt, quod eorum vires, aut capacitatem excedit, ſive illud ſæculare ſit, ſive Eccleſiaſticum. Eorum quippe, quos committunt, errores ſaltem in cauſa voluntarii ſunt. Debuerant enim coram Deo attente conſiderare, & expendere, quid valerent humeri, quid ferre recuſarent, aut ſaltem viri prudentis, ac omni paſſione vacui conſilium quærere, & audire, antequam officium illud aſſumerent.

Consectarium Duodecimum.

XII. Nulla bona fide, aut intentione, ſive Conſcientia, fieri poteſt, ut ea, quæ ſuapte natura prava ſunt, pravitatem amittant. Hoc pulchra S. Auguſtini authoritate confirmo ex *Cap. 7. lib. contr. Mendacium* deprompta, ubi hæc habet: ' Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo
„ fine, qua intentione quid fiat: ſed ea,
„ quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ
„ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine,
„ nulla veluti bona intentione facienda ſunt.
„ Ea quippe opera hominum, ſicut cau-
„ ſas habuerint bonas, ſive malas, nunc
„ ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt
„ per ſe ipſa peccata: ſicut victum præ-
„ bere pauperibus bonum opus eſt, ſi fit
„ cauſa miſericordiæ cum recta fide: ſicut
„ concubitus conjugalis, quando fit cauſa
„ generandi, ſi ea fide fiat, ut gignan-
„ tur regenerandi. Hæc, aut hujuſmodi
„ ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona,
„ vel mala: quia eadem ipſa, ſi habeant

malas

„ malas cauſas, in peccata vertuntur, velut „ ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur; aut „ laſciviæ cauſa cum uxore concumbitur; „ aut filii generantur, non ut Deo, ſed „ ut Diabolo nutriantur. Cum vero jam „ opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, „ ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia, „ quis eſt, qui dicat cauſis bonis eſſe fa„ cienda, ut vel peccata non ſint, vel, „ quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint“? Hæc Auguſtinus. Cui jam præceſſerat in eadem doctrina tradenda Tertullianus *lib. de ſpectac. Cap.* 20. dicens: *Nuſquam, & nunquam excuſatur, quod Deus damnat: nuſquam, & nunquam licet, quod ſemper, & ubique non licet*,

Consectarium Decimumtertium.

XIII. Quamquam ille, qui agit contra Conſcientiam erroneam, non minus peccatum incurrat, quam qui operatur contra Conſcientiam rectam; non incurrit tamen eaſdem pænas humanas, ac cenſuras, ſi quæ forte operi annexæ ſint. Ratio eſt: quia hujuſmodi pœnæ non imponuntur, niſi transgreſſoribus veræ legis, non autem exiſtimatæ, ſive putatitiæ. Quamobrem excommunicatione non innodatur, qui actum peragit, quem falſo putat eſſe prohibitum ſub ea cenſura; puta, ſi laicum percutiat, quem falſo exiſtimat eſſe clericum. Neque enim ea pœna imponitur, niſi clericum revera percutienti.

Consectarium Decimumquartum.

XIV. Non eodem tamen modo loqui debemus de damno illato proximo ex Conſcientia erronea vincibili, ſi forte ex actione cum ea Conſcientia poſita conſequatur. Neque enim error hujuſmodi efficit ut non fuerit libere poſita cauſa damni, neque ut damnum ex ea ſecutum non ſit, adeoque obligationem non aufert reſarciendi, neceſſario annexam injuriæ damnoſæ. Unde, ſi quis obligatum ſe putet ad furandum, ut ſuccurrat proximo in gravi quidem, ſed non extrema neceſſitate conſtituto, tenetur reſarcire damnum, quod intulit.

Consectarium Decimumquintum.

XV. Dum Conſcientia perplexa eſt inter unam, & alteram contradictionis partem, nec patet eam deponendi via, eligendam diximus partem illam, in qua minus malum apprehenditur. Quod ſi aliquis majus malum, ut ſibi videtur, eligat; peccat juxta quantitatem apprehenſi mali: quoniam exceſſum hunc libere eligit. Quod ſi utraque pars æque mala apprehendatur, alterutram eligere poteſt citra peccatum. Siquidem libertate caret morali, ſive quæ ſufficiat, ut ipſi ad culpam imputetur: ſicut neque peccat ille, qui detentus in carcere putat ſe obligatum ad audiendum Sacrum, quod audire quidem vellet, ſed minime poteſt: non enim hæc omiſſio ipſi voluntaria, & libera eſt.

Consectarium Decimumsextum.

XVI. Equidem abſolute, ac cæteris paribus, gravius peccatum eſt agere contra, quam ſequi Conſcientiam vincibiliter erroneam: ſiquidem, qui contra Conſcientiam agit, ſcienter agit; cum e converſo, qui eam ſequitur, ex ignorantia peccet, quæ juxta veram S. Thomæ doctrinam peccati gravitatem diminuit: Cæterum ob circumſtantias, quæ in iis caſibus ſæpe contingunt, certa de hac re præſcribi regula nequit. Aliquando enim gravius crimen eſt Conſcientiam errantem ſequi: aliquando levius adverſus eam operari, ut Authores communiter notant. Quod ſiquidem gravius præceptum fuerit, quod ab ipſa proponitur, eo quoque gravius peccatum erit agere contra ipſum; & quo levius, levior pariter futura tranſgreſſio eſt. Sic ſi Conſcientia dictet, proferendum eſſe mendacium, ut periclitanti proximo

vitæ

vita ſalvetur, gravius peccat, qui mendacium omittit, quam ſi agat contra Conſcientiam illud præſcribentem. Sic e contra ſi Conſcientia furandum alicui præcipiat, ut eleemoſynam eroget, gravius peccat furando juxta Conſcientiæ dictamen, quam ſi eleemoſynam adverſus illam non elargiatur: atque ita de aliis id genus caſibus.

Consectarium Decimumseptimum.

XVII. *Si* quis opus aliquod egerit, quod vel nullum, vel leve peccatum ſit, adverſus Conſcientiam dictantem ſibi peccatum eſſe mortale, non ſufficit, quod opus illud ſolum aperiat in confeſſione; ſed exprimere inſuper debet, ſe illud feciſſe, erronea Conſcientia contra repugnante, illudque tanquam lethalem culpam repræſentante. Quoniam peccatum, quod ex ſe eſſet veniale, puta mendacium officioſum ad proximo beneficium præſtandum, ob erroneam Conſcientiam evadit mortale peccatum.

Consectarium Decimumoctavum.

XVIII. Licet difficile admodum ſit deprehendere, ac definire, quandonam Conſcientia erronea vincibilis ſit, aut invincibilis, ex iis tamen, quæ dicta ſunt, quadantenus colligi poteſt. Hinc, ſi error verſetur circa jus naturale, ſive aliquod hujuſce juris præceptum, error ille *vincibilis* dicendus eſt: quoniam de præceptis legis naturalibus non datur error plane invincibilis, & inculpatus, niſi forte res ad *facti* ignorantiam revocetur modo alibi explicato, quod interdum quidem, ſed raro revocari poteſt. Quod ſi error ſit circa jus poſitivum, tunc primo prudenter præſumi poteſt *invincibilis*, ſi homo ea ſcire non prætermittat, quæ ad obligationes communes, & proprias pertinent, ſive jus aut præceptum ſit poſitivum divinum, ſive Eccleſiaſticum, ſive politicum. 2. Si nulla dubitatio præceſſit, vel ſcrupulus, aut aliqua, ſaltem confuſa, notitia. 3. Si homo advertens, ſe ex Conſcientia erronea deceptum violaſſe legem, doleat, ac triſtetur. 4. Demum ſi probus ſit, ac bene moratæ Conſcientiæ, ac inſuper diligens, & accuratus in iis adimplendis, quæ ab aliis piis hominibus peragi cernit. Ex iis ſignis, atque conjecturis haud difficulter deprehendi poteſt, num erronea Conſcientia invincibilis judicanda ſit, aut vincibilis.

CAPUT V.

De duabus peculiaribus, quæ ad ignorantiam, & Conſcientiam erroneam referuntur, controverſiis.

DOCTRINA.

I. *Quædam ad priorem quæſtionem de obligatione Confeſſarii ad illuminandos pœnitentes præmittuntur.*

II. *Regula prima. Confeſſarius interrogatus a pœnitente erronea Conſcientia laborante, veritatem aperire tenetur.*

III. *Regula ſecunda. Confeſſarius inſtruere debet pœnitentem laborantem Conſcientia erronea, quoad ea, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, antequam abſolvat.*

IV. *Regula tertia. Illuminare tenetur Confeſſarius pœnitentes laborantes Conſcientia erronea circa præcepta legis naturæ.*

V. *Regula quarta. Dum Confeſſarius admonitionem ſuam profuturam ſperat, debet illuminare pœnitentem de iis omnibus, ad quæ obligatur.*

VI. *Regula quinta. Quoties Conſcientia erronea ſive juris, ſive facti circa ea verſatur, quæ quiſque ſcire tenetur, ad monere debet Confeſſarius pœnitentem, ſive proſit admonitio, ſive obſit.*

VII. *Regula ſexta. Nunquam licet Confeſſario pœnitentem in erronea Conſcientia relinquere eo motivo, quod admonitionem ſuſcepturus minime ſit. Tamburini laxitates.*

VIII.

VIII. *Regula ſeptima. Prudenter ſe geret interdum Confeſſarius tacendo, dum minime dubitans de pœnitentis diſpoſitione, prævidet ex admonitione gravia mala orituræ.*

IX. *Auguſtini textus ab Adverſariis objecti ligittima expoſitio.*

X. *Sententia, ac præcipuum fundamentum, quo plures Theologi moventur ad tribuendam bonitatem actibus ex Conſcientia erronea invincibili peractis, proponuntur.*

XI. *Quam longe ab hac ſententia diſtet S. Thomas, cui illam adſcribunt, pluribus oſtenditur.*

XII. *S. Doctor ipſa ſibi opponit, ac ſolvit Adverſariorum argumenta.*

XIII. *Fundamentale principium S. Thomæ, quo contraria ſententia penitus evertitur, ac labefactatur.*

XIV. *Aliqui tamen actus immiſceri poſſunt in operibus ex Conſcientia erronea peractis, qui boni, ac meritorii ſint.*

XV. *Argumenta Adverſariorum ſoluta.*

I. CELEBERRIMÆ duæ de ignorantia, & Conſcientia erronea quæſtiones pertractari ſolent, quarum altera obligationem ſpectat Confeſſarii illuminandi pœnitentes ſuos ignorantia, aut Conſcientia erronea laborantes: altera vero bonitatem, ac meritum, quod nonnulli adjudicant operibus, quæ ex erronea Conſcientia invincibili bona reputantur. Et de priore quidem controverſia quædam obiter, & ex occaſione ſupra attigimus, laxas quorumdam Authorum ſententias referentes: nunc autem peculiariter reſolvenda eſt, & veritas clara in luce collocanda. Ad hoc autem illud præmittendum cenſeo, ſive potius recolendum, quod de præcepto graviſſimo inquirendæ veritatis in rebus moralibus ac de viis illam inveniendi ſuperiore Diſſertatione diximus; ubi etiam, quæ ſciri ab omnibus præſertim Chriſtianis debeant, quæve ignorari ſine culpa nequeunt, adeo ut ignorantia, aut Conſcientia erronea, ſi qua ſit in aliquibus, excuſari a peccato non poſſit, ſatis explicavimus. Solum itaque diſputari poſſet a Theologis de iis, in quibus ingnorantia, aut error invincibilis eſt, & inculpatus: ſi enim eſt vincibilis, & culpabilis, quis non videt, peccato obnoxium fieri, qui ea laborat, atque illuminandum omino eſſe pœnitentem a Confeſſario de ignorantia, aut errore, ut ad beneficium abſolutionis percipiendum ſit rite diſpoſitus? Quoniam vero Theologi plures, præſertim Probabiliſtæ, materiam hanc diſpicere minime ſolent, ſed univerſim in errore ſuo, quem *judicant invincibilem*, relinquendum eſſe pœnitentem frequentius docent, cum nullus ex admonitione ſperatur fructus, ideo accuratius hæc quæſtio expendenda, ac reſolvenda eſt.

Diſtinguamus igitur in primis oportet præcepta ad jus naturæ pertinentia, ab iis, quæ merum ſpectant jus poſitivum ſive divinum, ſive humanum. Et quoad præcepta quidem juris poſitivi divini: alia ſcitu neceſſaria ſunt neceſſitate nedum præcepti, ſed etiam *medii* ad ſalutem æternam conſequendam, uti myſterium Trinitatis, Incarnationis Chriſti, Baptiſmi, doloris ſupernaturalis ad Sacramentalem Confeſſionem &c. alia neceſſitate ſolius præcepti, prout ſunt cæteri fidei articuli, & pleræque, quæ celebrantur in Eccleſia ſolemniores feſtivitates, quibus addenda ſunt Sacramenta, quæ quilibet Chriſtianus recipere tenetur pro ſua conditione. Quoad vero naturale jus attinet, unuſquiſque noſſe debet tum generalia ejuſdem principia, tum præcepta Decalogi ex iis proxime deducta, tum etiam ea, quæ, ut inquit S. Thomas, neceſſaria ſunt *ad debitum actum exercendum*. Iis autem adduntur, quæ pertinent *ad proprium cujuſque ſtatum, & officium*

Digitized by Google

ficium, quæ quidem ſæpiſſime ſunt de ipſo jure naturæ, interdum vero ex ſolo jure humano obligationem inducunt. Quibus poſitis

II. Ut certa ab iis, quæ incerta ſunt, aut ſaltem penes Authores diſputata, ſejungamus, primam hanc conſtituo regulam, quæ mihi certiſſima eſt, & apud Theologos communius probata.

Regula Prima.

Quoties Pœnitens erronea Conſcientia laborans ſive vincibili, ſive invincibili Confeſſarium interrogat, an licita actio, vel omiſſio ſit; an illicita, veritatem Confeſſarius aperire, ac manifeſtare eidem obſtringitur.

Ratio evidens eſt: quoniam ita expoſcit Doctoris officium, quo in Pœnitentiæ Sacramento fungitur Confeſſarius, ut pœnitentem doceat de iis, quæ ad mores, aut ſalutem ſuam pertinent, ſaltem dum ab eo de his interrogatur, ut conſilium ejus, ac judicium ſequatur. Et ſane, ſi quilibet alius extra ipſum Pœnitentiæ Sacramentum interrogatus de hiſce rebus ad animæ ſalutem pertinentibus, quid ipſe ſentiat, veritatem, ſi reſpondeat, manifeſtare tenetur; quanto potiore titulo ad hoc præſtandum obſtringetur Confeſſarius? Quare eliminanda omnino eſt doctrina P. Thomæ Tamburini, qui etiam pro ea laudat P. Thomam Sanchez, ſcilicet „Confeſſarium poſſe aliquando tacere veritatem, etiamſi a Pœnitente de illa interrogetur. Sic enim, ut ſupra dictum eſt, ſcribit lib. 3. de meth. Confeſs. C. 4. „Tertia regula: ſi pœnitens, ſive quia prudenter dubitat, ſive quia rationabili ſcrupulo angatur, *interroget Confeſſorem* de re aliqua, an ſit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, nec ne; Confeſſor veritatem aperire omnino debet. Ita Sanchez, & alii. Ratio eſt, quia, ſi taceret, illud ſilentium eſſet erroris approbatio; id, quod nunquam licet". Hactenus recte, & juxta communem ſententiam. Sed ſtatim, & immediate ſubjungit de eodem pœnitente interrogante: „Dixi, *rationabili ſcrupulo*. Nam ſi ſit *mere ſcrupulus*, ideſt ſine fundamento, quia is non tollit bonam fidem, *poſſet tacere* Confeſſarius, ut explicat Sanchez". Audiſtin? Quamquam pœnitens *interroget* Confeſſarium, num hæc actio licita ſit, an illicita, num ad aliquid teneatur, an non, Tamburinus judicat, *tacere poſſe*, *diſſimulare poſſe*, & interroganti non reſpondere, ſi ad interrogandum *mero* aliquo *ſcrupulo* moveatur, nihilque curandum, quod *ſilentium illud tunc ſit erroris approbatio: id, quod nunquam licet*. Quid laxius, magiſque Confeſſarii muneri repugnans excogitari poteſt?

Regula Secunda.

Si Conſcientia erronea circa ea verſetur: quæ neceſſario credenda ſunt neceſſitate medii, Confeſſarius tenetur ad ea noſcenda inducere pœnitentem, antequam abſolvat.

III. Hæc regula tanquam certa ab omnibus tenenda eſt, præſertim poſt damnationem factam de hac re quarumdam propoſitionum, uti eſt 64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei* &c. & 65. *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*. Ratio autem hæc eſt, quia horum myſteriorum explicita cognitio, poſt revelationem promulgatam Evangelii, ita neceſſaria eſt ad gratiam, & ſalutem obtinendam, ut ſine ea obtineri nullo modo poſſit: *Neque enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Unde Confeſſarius vel inſtruere ipſe debet, vel aliis inſtruendum remittere, antequam abſolvat, pœnitentem, qui ignorat vel myſteria Trinitatis, & Incarnationis, vel neceſſitatem doloris ſupernaturalis ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum &c. Quoad alia vero, quorum cognitio neceſ-

Digitized by Google

ceſſaria eſt neceſſitate ſolius præcepti, quoniam ignorantia ſolet eſſe vincibilis, adeoque culpabilis, neminem abſolvere poteſt, niſi ſaltem firmiter proponat, ſe cognitionem eorumdem adepturum, doleatque de negligentia ſua in iis addiſcendis. Qua de re alibi fuſius.

Regula tertia.

Illuminare tenetur Confeſſarius Pœnitentes Conſcientia erronea laborantes circa præcepta juris naturæ, quamvis etiam de his non interrogent.

IV. Poſt ea, quæ de ignorantia fuſe diſputata ſunt, extra omnem controverſiam eſſe debet hæc regula: nullum ſiquidem oſtendimus dari poſſe errorem *invincibilem* in iis præceptis juris naturalis; atque adeo cum *vincibilis* ſit, atque culpabilis, removendus eſt a pœnitente per ipſam Pœnitentiam, ut fructum Sacramenti percipere valeat, quod ſine admonitione Confeſſarii fieri non poteſt. Unde illuminare tenetur omnes, qui e. g. haud putant ſibi illicitas eſſe uſuras, injuriarum vindictam, mendacia, detentionem rei alienæ, pollutiones, aut delectationes turpes, prava deſideria, aliaque id genus plura, quæ ſine peccati Conſcientia committere ſæpe ſolent, quamvis a peccato excuſari nullatenus poſſint: adeoque incapacem pœnitentem efficiunt beneficii Sacramentalis abſolutionis. Idemque dicendum eſt, ſi error, quo Conſcientia laborat, verſetur circa illa; quæ ſpectant ſtatum, & officium cujuslibet, puta Judicis, Parochi, Epiſcopi &c. in quibus nullam ignorantiam admittit S.Thomas, nec profecto admittenda eſt: quoniam unuſquiſque ea ſcire tenetur, quæ ad proprium ſtatum, & officium pertinent.

Regula quarta.

Dum Confeſſarius ſuam admonitionem profuturam ſperat, debet illuminare pœnitentem de iis, ad quæ obligatur.

V. Hæc quoque regula tanquam certa reputanda eſt. Si enim proximum de mandato Chriſti quiſque corripere tenetur, dum fructus ex correptione ſperatur; cur non potiore jure tenebitur Confeſſarius inſtruere, & admonere pœnitentem laborantem erronea Conſcientia, dum ſperat ipſi profuturam admonitionem ſuam? Quare huic regulæ ſubſcribit ipſe Tamburinus laudato loco; hac tamen limitatione, ſi ignorantia inculpabilis quæcunque, ſive facti, ſive juris divini, ſive humani non eſt contra pœnitentem [ideſt, quando pœnitens non putat eſſe mortale, quod tale eſt], *& tibi pœnitens interroget de hoc Confeſſarium* &c. *dum Confeſſarius prævidet, pœnitentem, ignorantia ablata, non difficulter reliĉturum id, quod reipſa peccatum eſt, tenetur ex Sanchez diſp: cit. n. 6. veritatem aperire propter bonum pœnitentis, & ne pœnitens peccet contra legem Dei etiam materialiter.*

Regula quinta.

Quando erronea Conſcientia juris *eſt, quod omnes ſcire tenentur, ſive divini poſitivi ſit, ſive humani, vel* facti, *quod pœnitens ſcire debet; Confeſſarius obligatur pœnitentem inſtruere, quidquid ſequatur, ſive proſit, ſive obſit admonitio.*

VI. Totidem ferme verbis hæc regula proponitur a P. Dominico Soto (quamvis in applicatione ſubinde deficiat) eaque mihi veriſſima eſt, quidquid alii non pauci contra arbitrentur. Quoniam utrumque miniſterium, quod Confeſſarius exercet, hoc officium ab eo requirit: Doctoris quidem, qui tenetur inſtruere pœnitentem de iis, quæ ſcitu neceſſaria ſunt: Judicis autem, qui perquirere ſtatum, & diſpoſitionem pœnitentis obſtringitur,

gitur, ut eidem abſolutionem impertiatur, vel ſuſpendat, aut neget.

Hæc quoque veritas ſatis expreſſe colligitur ex verbis Domini ad Ezechielem Cap. 33. *Si, me dicente ad impium: impie, morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua; ipſe impius in iniquiquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem nuntiante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua; ipſe in iniquitate ſua morietur: porro tu animam tuam liberaſti*. Hæc divina ſententia declarat aperte obligationem, qua Sacerdos urgetur ad patefaciendam veritatem pœnitentibus ſuis. Mortem ſiquidem comminatur Deus nedum impio, ſive peccatori, ſi non ſe cuſtodierit a via ſua mala; ſed etiam Prophetæ, cujus vicem Sacerdos gerit in Sacramento, ſi locutus non fuerit, ut ſe cuſtodiat. Loqui ergo tenetur, ne mortem ſempiternam incurrat tacendo. Hinc S. Ambroſius hac Dominica ſententia, quæ etiam habetur *Cap.* 3. ejuſdem Ezechielis, perterrefactus hæc ſcribit Serm. 84. *Ego interdum parcens vobis tacere vellem; ſed malo vos contumaciæ cauſſam reddere, quam me negligentiæ ſuſtinere judicium*.

REGULA SEXTA.

Nunquam licet Confeſſario pœnitentem in erronea ſua Conſcientia relinquere eo prætextu, aut motivo, quod admonitionem ſuſcepturus non ſit.

VII. Hæc regula ex præcedente conſequitur: & ulterius luculenter evincitur ex eo, quod ſi Confeſſarius prævideat, aut dubitet, pœnitentem non eſſe ſuſcepturum admonitionem ſuam, ipſum judicare nequit rite diſpoſitum ad Sacramentalem abſolutionem recipiendam, quatenus in eo tunc plane dominetur *amor mundi*, ſive *concupiſcentia carnis*, vel *concupiſcentia oculorum*, aut *ſuperbia vitæ*: neque enim in illo caſu aliunde movetur ad veritatis, quam ſequi debet, cognitionem repellendam, niſi ex nimia, & inordinata adheſione animi ſive ad terrenas voluptates, ſive ad divitias, ſive ad honores ſæculi, quæ ipſum protſus indignum reddunt Sacramentalis abſolutionis beneficio. Ecquis profecto hujuſmodi pœnitentes, qui veritatem audire recuſant, non indignos exiſtimet divino gratiæ munere, dum indociles, atque ita animo comparati ſunt, ut non modo veritatem non inquirant, ſed & oblatam reſpuant, aut ipſam reſpuere præſumantur, ſi iiſdem fuerit manifeſtata? Nonne ignorantia eorum, aut erronea Conſcientia non *invincibilis* quidem, ſed omnino *vincibilis* judicanda eſt? Si autem vincibilis eſt, quis neget eos imparatos protſus, & incapaces Sacramentorum Dei? Atque adeo quomodo poterit Confeſſarius, ipſos ſine culpa ad Sacramentum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ admittere, quin prius veritatem aperiendo exploret, quænam ſit animi diſpoſitio ad eam recipiendam, cum de eadem prudenter dubitat?

Atque hinc peſpice, pie Lector, quam abſona, quam a vero diſſentanea, quam injurioſa dignitati Sacramenti doctrina ſit, quam tradunt Sanchez, Tamburinus, de Lugo, Pellizzarius, aliique, quos laudant; cujus ſpecimen jam dedimus, ſed eam exponere amplius expedit. Et Sanchez quidem *lib.* 2. *de Matrim Diſ.* 38. ſcribit: „ Quamvis ignorantia ſit circa jus divinum, & naturale, ſi tamen Confeſſarius probabiliter credat, conſilium non profuturum, tenetur [non ſolum *poteſt*, ſed etiam *tenetur*] non admonere, quando ea ignorantia invincibilis eſt “: *Invincibilem* abſque difficultate præſumens *ignorantiam juris naturæ*, quæ ſaltem plerumque etiam juxta benigniores nonnullos Theologos *vincibilis* eſt.

Ut omittam plures alios, P. Thomas Tamburinus, præter jam relata, loco citato *n.* 3. hæc habet: „ Si Confeſſarius prævidet, Pœnitentem non relaturum id, quod ſeip-

„ ſa

Digitized by Google

„ ſa peccatum eſt, potius taceat, ne in ma-
„ jus damnum illum conjiciat. Idem eſſe
„ dicendum, quando quis eſt *in occaſione pro-*
„ *xima*, & non ſperatur emendatio, docet
„ Pellizzarius *tract. de Mon.* &c. “. Dubita-
ri ne poteſt, quin in peccato habituali verſe-
tur, qui eſt *in occaſione proxima peccandi*?
Neque tamen Tamburinus ſequens Pellizza-
rium admonendum putat, dum *non ſperatur*
emendatio.

„ Hinc ex de Lugo, pergit ille *n.* 4. &
„ Sanchez non ſolum in matrimonio con-
„ tracto, ſed etiam contrahendo, ſi judi-
„ cat Confeſſor adhuc remanſurum in matri-
„ monio, vel illud fore contracturum, etiamſi
„ illi impedimentum aperiatur, non illi ape-
„ riat ſi non interrogetur. Immo loquendo
„ de contracto, ſi pœnitens in prædictis cir-
„ cumſtantiis ſolum ſciat, ſeu ſciverit eſſe
„ peccatum contraxiſſe Matrimonium, non
„ autem ſciat ejus invaliditatem, abſolvat
„ de peccato: non vero invaliditatem oſtendat“.
Et num. 5. „ Hinc item, ſi prævideat Con-
„ feſſor, pœnitentem non reſtituturum, ſi il-
„ li detegatur nullitas tituli, quem pro ſe
„ adeſſe pœnitens putat, non erit ex Sanchez
„ talis nullitas illi a Confeſſario non interro-
„ gato patefacienda, quamvis ſit in præju-
„ dicium tertii, qui ſuo carebit. *Tertii*, in-
„ quam, *particularis*. Nam ſi eſſet in dam-
„ num *publicum*, cum tunc præponderare
„ debeat bonum publicum bono privato pœ-
„ nitentis, videtur aperienda “.

In hoc textu Tamburinus detegendam a
Confeſſario non eſſe docet nullitatem tituli,
qua rem proximi poſſidet, cum prævidet,
pœnitentem non reſtituturum, ſi ea detegatur.
En pœnitentis diſpoſitio ad ſuſcipiendum Sa-
cramentum, qua plus amat poſſeſſionem rei
temporalis, eamque præfert voluntati divinæ,
ac præcepto reddendi unicuique, quod ſuum
eſt. Optima ſane diſpoſitio. Cenſet nihilo-
minus, non idem dicendum eſſe, ſi agatur *de*
damno publico, quod privato pœnitentis præ-
ponderare debet. Sed audi ſequentia, & mi-
raberis ſubtile hujus Authoris inventum ad
eximendum Confeſſarium ab onere manifeſ-
tandi pœnitenti ſuo veritatem, etiam dum
agitur *de damno publico*. Statim quippe, quaſi
reſumpto ſpiritu, ſubjicit: *Sed contra hoc ulti-*
mum, quæſo te, ſi prævides pœnitentem non
reſtituturum, quamvis item advertas eſſe in da-
mnum publicum, cur tu ſis obligandus ad admo-
nendum, quandoquidem prævides, adhuc tua
accedente monitione, illum non fore reſtituta-
rum, atque adeo non fore amovendum dam-
num publicum? Certe fruſtra erit talis moni-
tio, imo nocens ipſi admonito, bono autem
publico nequaquam favens. Poſita priore aſſer-
tione, hæc ſecunda recte deducitur. Sed quo-
niam falſa, & ſcandaloſa prima eſt, hæc
quoque poſterior falſa, & execrabilis eſt. Sed
& quæ ſubjungit *n.* 6. *&* 7. audiamus.

Atque hæc omnia ex de Lugo *cit. n.* 30.
etiam procedunt, „ quando Confeſſarius ſpe-
„ raret, pœnitentem ſuſcepturum quidem mo-
„ nitionem, ſed tamen adverrit, remedium
„ eſſe difficillimum &c. Unde etiam infertur
„ *ibid*. idem eſſe dicendum, quando pœni-
„ tens ſub peccato mortali tenetur ad aliquid
„ adeo difficile, ut non credatur tunc æquo
„ animo recepturus, & alia vice melius ſu-
„ ſcepturus eſſe judicetur. Poterit enim tunc
„ prudens Confeſſor relinquere illum in ſua
„ bona fide, quæ a peccato excuſat, & mo-
„ nitionem in tempus opportunius differre “.
Quænam *bona fides* confingi poteſt in homi-
ne ita diſpoſito? At ſaltem Tamburinus Con-
feſſarium monebit, ut interim abſolutionem
non impartiatur, ſed ſuſpendat, ac differat,
quouſque ſaltem monitionem *æquo animo ſu-*
ſcepturus ſit? Minime gentium; quin potius
ad Sacramenta illum interim admittendum
declarat; *ne ſcilicet*, ſubdit *territus pœnitens*
a Confeſſione ſe abſtineat, majuſque detrimen-
tum patiatur; quod ex iis, quæ poſtea tra-
dit, evidentius apparet. Atque hæc eſt regu-
la, quam *permaxime notandam* edicit *pro Con-*

 feſ-

feſſoriis Mercatorum, *&* *Principum*. Ne prolixior ſim, ſermonem modo abrumpo, aliqua poſtea addituros ex eodem Authore.

Regula Septima.

In iis, in quibus Conſcientia invincibiliter erronea dari poteſt, prudenter nonnunquam ſe geret Confeſſarius non interrogatus, ſi taceat, aut diſſimulet; non ex eo tamen, quod pœnitentem haud diſpoſitum ad admonitionem ſuſcipiendam præſumat, ſed ex aliis extrinſecis motivis, quæ occurrere aliquando poſſunt.

VIII, Dixi *in iis*, *in quibus Conſcientia invincibiliter erronea dari poteſt*, juxta doctrinam jam traditam *de ignorantia invincibili*, cum ſcilicet, agitur vel de errore *facti*, vel de errore *juris poſitivi* ad ſalutem haud neceſſarii. Si igitur in his Confeſſarius pœnitentem Conſcientia invincibiliter erronea laborantem inveniat, interdum quidem ipſum admonere tenebitur, puta ſi ex illa damnum publicum conſequatur, aut etiam damnum injuſtum proximi, vel pœnitens de errore ſuo dubitet, aut interroget Confeſſarium &c. ſed interdum etiam prudenter ſe geret, dum hæc non occurrunt, ſi taceat, aut diſſimulet, non ex eo quidem, quod minus diſpoſitum credat pœnitentem ad obligationem ſuam adimplendam, ſed ob alia extrinſeca motiva, ſcilicet inconvenientia, ſcandala, diſſenſiones, quæ inde ſequutura merito prævidet. Et communiter exemplum de hoc afferri ſolet in Matrimonio invalide contracto ex aliquo *errore facti*; cujus nullitas, quam Confeſſarius advertit, ſi manifeſtetur, paritura ſit graviſſima incomoda, diſcordias, ac damna innocentibus &c. Quo in caſu Confeſſarius prudenter ſuſpendere valet admonitionem, donec pericula, quæ impendent, ſublata ſint, & diſpenſatio obtineatur. Hoc ſatis aperte colligitur ex Cap. 6. *de Conſang. & affin.* ubi Summus Pontifex Innocentius III. de Matrimonio quodam invalide contracto interroganti reſpondit: *Diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Cum enim tunc offenſa Dei ob errorem invincibilem ignoretur materiale illud malum recte permittitur ad impedienda graviora mala.

Innocentii verba diligenter notentur: non enim in illo *errore facti* permittit, ut conjuges *in copula ſic contracta remaneant*, ex eo titulo, quod admonitio profutura non fuerit ob pœnitentis repugnantiam ad illam recipiendam, ſed ex eo duntaxat, quod *ex ſeparatione*, *ut videbatur*, *grave ſcandalum immineret*. Si namque *nullum ſcandalum*, *aut grave damnum* imminere videat ex admonitione Confeſſarius, eam omittere minime debet. Atque hoc ſenſu intelligenda mihi videtur reſponſio, quam ad ſimilem caſum dedit S. Auguſtinus *lib. de fide*, *& bonis operibus* C. 7. Propoſita ipſi fuerat hujuſmodi quæſtio: *Quid ſi*, *inquiunt*, *virgo neſciens viro nupſerit alieno? Hæc ſi ſemper neſciat*, *nunquam ex hoc erit adultera: ſi autem ſciat*, *jam ex hoc eſſe incipiet*, *ex quo cum alieno viro ſciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur*, *quandiu ſe poſſidere ignorat alienum: cum vero ſcierit*, *nec aliena poſſeſſione receſſerit*, *tunc malæ fidei perhibetur*, *tunc juſte injuſtus vocabitur.* Hæc eſt propoſita Auguſtino quæſtio. Quænam vero ejuſdem reſponſio? „ Abſit ergo, ut ſenſu non humano, ſed plane vano ſic doleamus, cum flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur, maxime in Civitate Domini, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, ubi nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non ſolum minime culpa-

„ bi-

Digitized by Google

„ biliter, verum etiam laudabiliter Cato fe„ ciſſe perhibetur. Neque hic diutius modo „ diſputare opus eſt, cum & illi, quibus reſ„ pondeo, non audeant affirmare, nullum „ hoc eſſe peccatum, neque negent eſſe adul„ terium, ne ipſi Domino, ſanctoque Evan„ gelio aperte convincantur obſiſtere". Ex quibus conſtat, in propoſito caſu, in quo aderat *error invincibilis facti*, Auguſtinum abſolute judicaſſe, admonendam eſſe mulierem, nec permittendum, ut in matrimonio invalide contracto maneret ob illud ſolum fundamentum, cui nituntur Adverſarii, quod mulieri ſcilicet admonitæ profutura admonitio non ſit, & ſcienter poſtea peccet, dum antea ſine formali peccato adulterium ignorans committebat. Quare ob hoc motivum Confeſſarius minime abſtinere ab admonitione debet, ſolumque illud, ut dixi, permittere ad tempus poteſt, dum extrinſecus imminent gravia inconvenientia, & pericula, donec, obtenta diſpenſatione, validum matrimonium fiat, quod invalidum erat.

IX. Adverſarii illum ex eodem Auguſtino textum opponere contra ſolent, qui habetur Cap. *Si quis* de Pœnit. diſtinct. VII. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*; eumque tanta confidentia obtrudunt, ac ſi pro ipſorum opinatione decretorius eſſet. Sed nullum penitus ex eo arceſſere præſidium poſſe facile omnes intelligent, qui eumdem in fonte legerint. Sumitur hic textus ex *hom.* 41. inter quinquaginta S. Doctoris, in qua adverſus illos invehitur, qui pœnitentiam criminum ſuorum ad mortem uſque differunt; aitque, ſe ignorare, an pœnitentia eo tempore peracta fucata ne ſit, an aliquando ſincera. Et quoniam ipſum latet Pœnitentiam illam non profuturam, docet Pœnitentiæ Sacramentum negandum non eſſe homini in extremo agone conſtituto. Unde legitimus verborum ejus ſenſus hic eſt: *Si ſcirem nihil tibi prodeſſe* pœnitentiam in extremo vitæ periculo, nunquam tibi abſolutionem impartiter: ſicut ſi ſcirem tibi profuturam tunc actam pœnitentiam, *non te terrerem*, ideſt non objicerem oculis tuis graviſſimum, quod ex ſera pœnitentia tibi periculum imminet. En textus integer S. Auguſtini: „ Age pœniten„ tiam, dum ſanus es. Si enim agis veram „ pœnitentiam, dum ſanus es, & invenerit „ te noviſſimus dies, curre, ut reconcilie„ ris: ſi ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus „ es? Quia egiſti pœnitentiam eo tempore, „ quo & peccare potuiſti. Si autem vis age„ re pœnitentiam tunc, quando peccare non po„ tes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed „ unde ſcis, inquis, ne forte Deus dimittat „ mihi? Verum dicis. Unde? Neſcio. „ Illud ſcio; hoc neſcio. Nam ideo tibi „ do pœnitentiam, quia neſcio. Nam *ſi* „ *ſcirem tibi nihil prodeſſe* non tibi darem. Item, *ſi ſcirem nihil prodeſſe, non te admonerem, non* „ *te terrerem*. Duæ res ſunt: aut ignoſcitur „ tibi, aut non ignoſcitur. Quid horum ti„ bi futurum ſit, neſcio. Ergo tene certum, „ dimitte incertum". Quid ex hoc textu in favorem ſententiæ, quam impugnavimus, extundere Adverſarii poſſunt? Deplorata plane eorum cauſa ſit, oportet, qui ad hæc tam imbecilla argumenta pro ea confirmanda confugiunt.

QUÆSTIO ALTERA.

An ſcilicet actus eliciti ex Conſcientia invincibiliter erronea bonitate aliqua gaudeant, ac merito vitæ æternæ.

X. Quamvis non deſint quidam Theologi inter ipſos Antiprobabiliſtas, qui defendant aliquibus ſaltem in caſibus, opera ex Conſcientia erronea invincibili facta, aliqua prædita eſſe bonitate, ac etiam merito vitæ æternæ; communiſſima tamen eſt hæc opinio inter Probabiliſtas, præſertim poſt P. Antonium Terillum, qui eam latiſſime verſavit, nullumque non movit lapidem, ut ſolidam ipſi probabilitatem aſſereret. Unde eam ſequuntur inter alios plurimos P. Carolus Caſnedi,

nedi, & Lacroixius, falſo citantes in ejuſdem patrocinium permultos ex antiquis Theologis, & quod deterius eſt, omnium principem S. Thomam, qui tantum ab hac opinione diſtat, quam cælum ab inferno. Fundamentum porro præcipuum, quo illam fulcire ſtudent, ita proponitur a Terillo *de Conſc. q.* 16. *n.* 27. his verbis. „ Quod mentiens, v. „ gr. ex errore, quo invincibiliter putat, „ mendacium eſſe rem Deo gratam, lauda„ biliter operetur: probatur: quia actus vo„ luntaris non aliter dependet a prævio dic„ tamine Conſcientiæ *ad contrahendam mali„ tiam, quam ad contrahendam bonitatem*. Sed „ actus diſcordans a dictamine Conſcientiæ, „ etſi erroneæ, malus eſt, eamque rationem „ malitiæ contrahit, quam dictamen errans „ proponit, ut conſtat. Ergo actus concor„ dans dictamini Conſcientiæ invincibiliter „ erranti bonus eſt, eamque rationem bo„ nitatis acquirit, quam dictamen falſum „ proponit. *Nec enim major vis eſt in dicta„ mine falſo* ad refundendam malitiam in ac„ tum difformem, quam ad refundendam bo„ nitatem in actum conformem ". Et hanc rationem affingere Lacroixius non erubeſcit Angelico Doctori.

XI. At longe nimium ab hac doctrina abhorret S. Thomas in hac materia omnibus in locis, ubi de ea diſſerit. Et in Summa quidem de hoc argumento ſermonem habet, *in p.* 2. *q.* 19. *art.* 6. ubi quærit: *Utrum voluntas concordans rationi erranti ſit bona?* Quid autem reſpondet? Plane oppoſitum doctrinæ, quam tradunt nuperi Theologi, qui primum Conſcientiæ invicibiler erroneæ privilegia dilatant ad ea etiam præcepta, quæ jus naturale apertiſſime ſpectant, ſcilicet mendacia, perjuria, adulteria, homicidia &c. cum ipſe contra ſtatuat Conſcientiam invincibiliter erroneam in iis tantum, quæ aliquam circumſtantiam, ſive ignorantiam alicujus *facti*, non autem jus ipſum naturæ reſpiciunt; ut patet ex ipſo corpore articuli, ubi ait: *Si ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala, eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur. Si autem ratio erret in hoc, quod credat, aliquam mulierem ſubmiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas ejus, ut non ſit mala: quia error iſte ex ignorantia circumſtantiæ provenit, quæ excuſat, & involuntarium cauſat*. Prior itaque voluntas *poſitive mala* eſt, quia ex Conſcientia erronea vincibili oritur legis Dei, quam ſcire quiſque tenetur. Poſterior autem excuſatur, quia *error eſt ex ignorantia facti*, quæ excuſat; unde *mala* non eſt. Sed numquid ex eo, quod *mala* non ſit, eſt etiam *bona*? Minime prorſus, ut ex reſponſione ad duo priora argumenta liquidiſſime conſtat.

XII. Sibi oppo ſuerat S. Præceptor, quodnam argumentum? Illud idem, quo triumphare ſe credunt, firmantque ſententiam ſuam Terillus & Lacroixius; nempe: „ Videtur, „ quod voluntas concordans rationi erranti „ *ſit bona*. Sicut enim voluntas diſcordans a „ ratione tendit in id, quod *ratio judicat „ malum*; ita voluntas concordans rationi „ tendit in id, quod *ratio judicat bonum*. „ Sed voluntas diſcordans a ratione etiam er„ rante eſt mala; ergo voluntas concordans „ etiam rationi erranti eſt bona ". Nonne hoc eſt præcipuum Adverſariorum argumentum, ut jam notavimus? Quid autem ipſi reponit S. Thomas? Num forte illud approbat, ſolidumque exiſtimat? Audi: *Dicendum, quod, ſicut Dionyſius dicit in* 4. *Cap. de Div. Nom. bonum cauſatur ex integra cauſa: malum autem ex ſingulis defectibus. Et ideo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit, quod ſive ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc, quod ſit bonum, requiritur,*

ritur , quod utroque modo ſit bonum ; ſcilicet ſatis non eſt , quod ratio , ſive Conſcientia apprehendat , aut proponat aliquid ut bonum, ſed requiritur , ut etiam ex ſe , aut ſecundum naturam ſuam bonum ſit . En principium, quod protſus ab imis fundamentis evertit , & in nihilum redigit argumentum Terilli , ac Lacroixii , exiſtimantium , nos eodem modo loqui poſſe , ac debere de bono , & malo . In caſu namque poſito mendacii prolati ex Conſcientia erronea invincibili (demus illis *invincibilem* eſſe), apprehenſio quidem , ſive dictamen Conſcientiæ bonum proponit : ſed hæc ſola bonitas dictaminis minime ſufficit ad refundendam bonitatem in actum , ſi de ſe malus ſit , ſive difformis legi æternæ Dei , a qua , ut inquit S. Doctor ibi art. 4. *multo magis* , quam ab humana apprehenſione , *dependet bonitas* voluntatis , & actionis ,

Sed & altera reſponſio , quam ad ſecundum argumentum adhibet S. Thomas , penitus convellit , ac deſtruit Adverſariorum ſententiam . Argumentum erat hujuſmodi : *Voluntas concordans præcepto Dei . & legi æternæ , ſemper eſt bona . Sed lex æterna . & præceptum Dei proponitur nobis per apprehenſionem rationis etiam errantis ; Ergo voluntas concordans rationi etiam erranti eſt bona* . Huic autem ita reſpondet : *Ad ſecundum dicendum , quod lex eterna errare non poteſt : ſed ratio humana poteſt errare . Et ideo voluntas concordans rationi humanæ non ſemper eſt recta , nec ſemper concordans legi æternæ* . Ubi hic lex illa æterna *conſequens* , & *reflexa* , quam Terillus commentus eſt , ex qua ſuam hauriæ bonitatem nugatur actiones Conſcientia erronea invincibili peractas ? Nonne ad hanc legem confugere debuiſſet S. Thomas , ut objectum ſolveret argumentum ? At figmentum illud ne in mentem quidem ipſius venit , ſicut & ignorarunt protſus cæteri Eccleſiæ Patres, omneſque antiqui Theologi . Unde ad objectionem non aliud reſpondit , niſi *legem æternam errare non poſſe ; rationem vero humanam poſſe errare* : ideoque *voluntatem concordem rationi humanæ non ſemper eſſe rectam ; cum ſcilicet non eſt concors legi æternæ* .

Poſſem & alia plura proferre S. Thomæ teſtimonia , quæ theſim noſtram luculentiſſime, ac validiſſime firmant : ſed omiſſis his , quæ in Sententiariis habentur , unicum hoc deſumo ex *q.* 17 *de Verit. art.* 4. quod Terilli, aliorumque cavillationibus omnem aditum intercludit . Quærit ille : utrum Conſcientia erronea liget ; & relata ſententia negante , hæc ſcribit : *Sed qui hoc dicunt , non videntur intelligere , quid ſit Conſcientiam ligare . Secundum hoc enim Conſcientia ligare dicitur , quod aliquis , niſi Conſcientiam impleat , peccatum incurrat : non autem quod aliquis implens recte faciat* . Serio , & attente hæc poſtrema verba notentur . Hoc enim duntaxat , D. Thoma judice , Conſcientia ligare , ſive obligare dicitur , quod niſi eam , dum in nobis perſiſtit , impleamus , peccatum incurrimus : non autem quod dum implemus, *recte faciemus* , ſive rectæ , & honeſtæ ſint actiones ita peractæ .

XIII. Igitur in hac re ſemper ſub oculis habendum eſt illud S. Thomæ generale principium , quod *in omnibus cauſis ordinatis effectus plus dependet a cauſa prima , quam a cauſa ſecunda, quia cauſa ſecunda non agit, niſi in virtute primæ cauſæ. Quod autem ratio humana,* ſive Conſcientia, *ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuratur, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio divina* . Porro , cum Conſcientia erronea eſt , hæc non concordat cum lege æterna , quæ eſt *ratio* divina : igitur tunc ratio humana , quæ procul dubio regula ſecundaria eſt , *non agit in virtute cauſæ primæ*: adeoque nullam habere poteſt bonitatem , quam nonniſi a prima regula , ſive a prima cauſa totius bonitatis haurire valet .

XIV. At enim vero prætermitti hic nullo modo poteſt in hujuſmodi caſibus Conſcientiæ erroneæ invincibilis , E. C. Jacobi

con-

concumbentis cum Lia, quam Rachelem putabat, diſtinguendum eſſe concubitum ipſum, atque concubendi voluntatem ab aliis affectibus, qui comites adſunt, aut adeſſe poſſunt, ut intentio placendi Deo, affectus procreandi Filios in Dei honorem, & gloriam, voluntas exercendi juſtitiam cum uxore debitum petente. Nam hos quidem bonos eſſe aſſerimus, cum recto judicio dirigantur: ſed illum nec bonum eſſe, nec malum, ideſt imputabilem, dicimus, ſed indifferentem; ſiquidem a culpa excuſatur propter ignorantiam invincibilem, ſed nulla bonitate præditus eſt, quia æternæ Dei legi nequaquam conformis. Utrumque nitide exponit S. Bernardus *lib. de præcep. & diſpenſat. C.* 14. ubi hæc habet: *Ut interior oculus vere ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: & neſcio, quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas ..... Cur? inquis. Nunquid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falſa: vel potius certe non fide, quia fides falſa fides non eſt.*

Præiverat Bernardo S. Auguſtinus, qui *lib. de utilit. credendi Cap.* 12. hæc habet: *Omne factum, ſi recte factum non eſt, peccatum eſt; nec recte factum eſſe ullo modo poteſt, quod non a recta ratione proficiſcatur. Porro recta ratio ipſa eſt virtus*; quæ virtus nunquam eſt, niſi conformetur cum recta ſuprema ratione, quæ eſt lex ipſa æterna. His Patribus, ſicut & Sancto Thomæ ſubſcribunt graviores quoque Theologi etiam ex Societate, P. Michael Elizalda, P. Thyrſus Gonzalez, P. Thomas Murieſſa, P. Ignatius de Camargo; eamque pariter defendunt Gonnetus, Palancus, Contenſonius, Vincentius Ferrerius, Ferre, Chriſtophorus a S. Joſeph, Mabillonius &c.

XV. Præter objectionem quæ fundamentum eſt contrariæ ſententiæ, cujus jam futilitatem oſtendimus, hunc opponit P. Caſnedi textum S. Thomæ *ex 2. ſenten.* diſtinct. 39. q. 3, art. 3. *Quamvis illud, quod ratio dictat, per ſe non ſit ſecundum legem Dei, ſicut nec per ſe bonum; tamen per accidens eſt ſecundum legem Dei ſicut & bonum, in quantum ratio apprehendit ipſum ſecundum legem Dei, & bonum.* Si P. Caſnedi textum integrum attuliſſet, ſtatim quiſque perviđiſſet, non aliam eſſe mentem S. Doctoris, niſi probare, Conſcientiam errantem obligare; quia illa id, quod per ſe bonum non eſt, & contra legem Dei, *per accidens* apprehendit, ac repræſentat, ut bonum, & juxta Dei legem, adeoque obligare in hoc caſu, ut eam ſequamur. Hic enim eſt ſcopus illius articuli, adeoque poſt citata a Caſnedio verba immediate ſubjicit: *Et ideo ſequitur, quod Conſcientia per accidens obliget*; non quia repræſentet, quod eſt ſecundum legem Dei, ſed quia proponit juxta legem Dei eſſe, quod revera non eſt. Alius itaque ſenſus eſt in eo loco S. Doctoris ab illo, quem ipſi affingit Caſnedius, idque etiam luculentiſſime patet ex eodem articulo, ubi diſerte docet: *Si fiat aliquid, quod eſt ſecundum ſe malum, quod errans ratio judicat bonum, peccatum non evitat. Si autem non fiat, peccatum incurritur: quia unus defectus bonitatis ſufficit ad hoc, quod aliquid dicatur malum*; hoc eſt, vel quod in ſe malum ſit, vel quod ut malum apprehendatur. Unde ſubdit: *Sive deſit bonitas, quæ eſt per accidens*, ea ſcilicet, quæ apprehenditur a Conſcientia, *ſive bonitas, quæ eſt per ſe*, conformitas nempe ad legem Dei.

Opponunt præterea: Actus voluntatis ſpeciem ab objecto recipiunt, non abſolute, & in ſe conſiderato, ſed ut præcognito, ſive repræſentato per intellectum. Porro mendacium, perjurium, homicidium, furtum &c. non repreſentantur ut mala; ſiquidem eorum malitia non cognoſcitur. Igitur &c.

Si argumentum hocce quidquam probaret probaret etiam, bonam pariter eſſe volun-

ta-

tatem directam judicio *vincibiliter* erroneo. Nam ſive erronea Conſcientia invincibilis ſit, ſive vincibilis, æque objectum malum proponit, ut bonum. Cæterum argumentum purum, putumque ſophiſma eſſe facile quivis intelligit, qui conſiderat, cognitionem, ſive propoſitionem intellectus requiri duntaxat tanquam *conditionem* neceſſariam, ut objectum bonitatem, aut malitiam refundat in actum voluntatis; non vero ut *rationem formalem* ejuſdem. Quare ſicut ratio formalis, qua ignis comburit, eſt ſolus calor, non applicatio illius ad lignum, quæ mera conditio eſt; ſic cognitio intellectus, qua proponitur objectum, eſt conditio quidem neceſſario requiſita, ſecus *formalis ratio*, qua objectum ſpeciem refundat in actus voluntatis. Quamquam autem cognitio intellectus repræſentet mendacium, ut bonum, non ut malum; non inde tamen ſequitur, quod hæc cognitio tollat intimam mendacii malitiam, & ejuſdem cum æterna Dei lege oppoſitionem. Atque hinc alia objectio ſolvi poteſt de illo, qui opus de ſe indifferens peragit, puta levare feſtucam in templo, bonum eſſe exiſtimans, ac placens Deo quod propterea non eſt indifferens, ſed bonum, & Deo placens. Igitur idem, inquiunt, dicendum erit etiam de opere malo. Sed evidens eſt diſparitas: voluntas ſiquidem in eo caſu dirigitur a dictamine vero placendi Deo: Huic autem fini non reſiſtit malitia materialis objecti, cum ſit indifferens, adeoque capax moralis bonitatis. E contra cum objectum natura ſua malum eſt, nullo bono fine honeſtari valet; & intellectus dum illud apprehendit ut bonum, & referibile in Deum, manifeſte errat: neque enim in Deum referri valet, ſicut actus indifferens.

Hoc aliud ſophiſma objicere ſolent, nimirum: Quoties Conſcientia invincibiliter errans dictat homini, ſe hic & nunc ad pejerandum obſtringi, ut innocentem a morte liberet, nec tamen perjurium profert, obligatur ne ad pejerandum, vel non obligatur? Si non obligatur, ergo pejerando non peccat; nullam namque legem violat. Si obligatur: ergo aliqua lex Dei eſt, quæ ipſum ad pejerandum obligat: adeoque huic legi obediendo bonam actionem peragit.

Reſpondeo, nulla in eo caſu vera Dei lege hominem ad pejerandum obſtringi; ipſum tamen peccare non pejerando: quia in data hypotheſi voluntas non pejerandi eſſet voluntas peccandi, quæ ſemper vera Dei lege prohibetur. Neque dicas: Lex hæc non peccandi obligat ergo ad peccandum: quoniam, ſi perjurium non proferat, peccat: ergo admittenda eſt lex aliqua, quæ ad pejerandum obliget. Cavillationes ſunt hæ, & quidem futiliſſimæ. Lex namque divina, quæ peccare prohibet, non præcipit perjurium: ſed homo ex erronea Conſcientia judicat dari Dei legem, quæ obliget ad pejerandum; & hac fallaci exiſtimatione peccat, ſi non pejerat: ſiquidem ad peccandum ſufficit, quod ex errore judicetur exiſtere legem Dei, quamvis lex hujuſmodi reapſe non exiſtat. Sicut enim bonum ex integra cauſa, ita malum ex quocunque defectu.

Quibuſdam aliis minoris momenti prætermiſſis objectionibus, exempla quædam opponi ſolent, quæ quibuſdam negotium faceſſunt. Primum eſt illius, qui eleemoſinam largitur pauperi, qui talem ſe fingit, dum revera pauper non eſt. Nam hic, cum actum miſericordiæ exerceat, videtur actum bonum elicere; quin etiam peccaret, ſi apparente extrema ficti paupetis neceſſitate ſubſidium denegaret. Alterum ſumitur ex eo, quod quiſpiam ex motivo Religionis hoſtiæ ad adorandum expoſitæ cultum tribuit, quæ tamen conſecrata non ſit. In iis quippe caſibus videtur negari minime poſſe, actus illos ſive miſericordiæ, ſive religionis bonos eſſe, quin & meritorios æterni præmii, licet ex errore illicitos.

At quis in primis ex intimo quodam ſen- ſu

ſu non percipit, quam latum diſcrimen ſit inter hoſce caſus, & illos, quibus bonitatem ex Conſcientia erronea peractis actionibus adſcribunt Adverſarii, nempe mentiendi, pejerandi, furandi, occidendi &c.? Sophiſmata igitur hæc eſſe exempla, quæ objiciuntur, colligere quiſque debet. Igitur reſpondeo, plura in his immiſceri, quæ objectum de ſe bonum reſpiciunt, ex iiſque actus elicitos in illud tendentes veram bonitatem trahere. Et primo quidem homo, ſive pauper ſit, ſive dives, nihil explicat natura ſua quod impediat, aut inficiat virtutem eleemoſynæ, quoniam objectum illius actus eſt elargitio ipſius eleemoſynæ, quæ cum indifferens de ſe ſit, & propter fines plures fieri valeat, ſi fiat propter Chriſtum, jam tunc ex indifferenti bona evadit, ac meritoria. Deceptio autem, quæ occurrit, ficti pauperis diſparate ſe habet, nec judicium, quod dirigit voluntatem, aliud eſt, niſi pauperi ſubveniendum eſſe, quod & verum, & bonum eſt, bonamque efficit voluntatem. Ad ſecundum exemplum de adorante hoſtiam non conſecratam, quam conſecratam invincibiliter putat, dico equidem, hunc actum, qui immediate fertur in hoc objectum, eſſe materialiter idololatricum, adeoque ex ſe malum, quamvis ob errorem invincibilem excuſatum ab omni culpa. Sed eo in caſu comites actus ſunt, ex vera intentione adorandi Chriſtum provenientes, qui verum, & bonum objectum reſpiciunt, adeoque & ipſi boni ſunt, ac æternæ vitæ meritorii. Et hæc ſufficiant de hac quæſtione. Qui plura cupit, conſulat Elizaldam, Camargum, alioſque.

CAPUT VI.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Præceptum, quo urgetur Confeſſarius ad inſtruendum pœnitentem quoad propriam obligationem, a præcepto correctionis fraternæ diſtinguitur.*

II. *Laxa de hoc Tamburini ad quoddam quæſitum reſponſio notatur.*

III. *Non minore reprobatione digna eſt Gobati, aliorumque opinio circa permiſſionem peccati mollitiei.*

IV. *Zelus imprudens PP. Salmanticenſium erga Confeſſarios admonentes pœnitentes: eorumque in hoc laxa doctrina.*

V. *Neque probanda eſt Petri Colleti ſententia de hac materia, prout ab ipſo proponitur.*

VI. *Nunquam a Confeſſario omittenda admonitio eſt ex eo capite, quod nulla ex ea ſecutura ſit pœnitentis emendatio.*

VII. *Falſum, putidumque dicendum eſt Terilli, aliorumque principium*: Non majorem vim eſſe in dictamine falſo Conſcientiæ ad refundendam malitiam in actum difformem, quam ad refundendam bonitatem in actum conformem Conſcientiæ.

VIII. *Figmentum abſurdiſſimum de hac re P. Lacroixii omnino reprobandum.*

IX. *Abſurdum aliud minime ferendum ex doctrinis Terilli, & Lacroixii deductum.*

X. *Hinc rejicienda eſt illa diſtinctio ab eodem Terillo conficta duplicis legis æternæ Dei;* antecedentis, *&* conſequentis.

XI. *Duæ propoſitiones, ſive judicia in dictamine invincibiliter erroneo diſtinguenda.*

XII. *Judicium, quo regitur Conſcientia erronea, nunquam prudens revera dicendum eſt.*

Conſectarium Primum.

I. IN hoc præter alia diſtinguitur præceptum correctionis fraternæ a præcepto inſtructionis, ſive admonitionis, quæ fieri debet a Confeſſario pœnitenti, qui ad ipſum accedit Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcepturus quod illud non obligat, ſi nulla profectus, aut emendationis ſpes affulgeat; iſtud vero urget, ſive emendatio pœnitentis ſperetur, ſive non, ob reverentiam videlicet Sacramento debitam, cui conſulere Confeſſarius tenetur, non impartiendo abſolutionem, ſi pœnitens non ſit rite diſpoſitus ad eam reci-

cipiendam ; prout revera non eſt , ſi admonitus de eo , quod facere tenetur , monitionem recuſet , aut recuſaturus præſumatur .

Consectarium Secundum .

II. Hinc non modo laxæ dicendæ ſunt, ac cenſura dignæ reſolutiones Tamburini , aliorumque , quas jam attulimus ; ſed nulla quoque habenda ratio eſt reſponſionis ejuſdem ad quoddam quæſitum ſibi propoſitum loco citato *num.* 8. his verbis : *Petes , quid faciet Confeſſarius , quando neſcit , vel dubitat , an ſua admonitio profutura ſit pœnitenti , an damnum allatura* ; Quæſitum hocce caſus illos omnes comprehendit , in quibus tacendum , ac diſſimulandum Confeſſario eſſe antea docuerat ; nimirum , *Si pœnitens non putat eſſe mortale , quod tale eſt : ſi exiſtat in occaſione proxima peccandi , & non ſperetur emendatio : ſi matrimonium invalidum contrahendum ſit : ſi prævidet , pœnitentem non reſtituturum rem alienam ſive privati , ſive publici ; ſi advertat aliquid , ad quod pœnitens tenetur ſub mortali , eſſe adeo difficile , ut non credatur tunc ſuſcepturus æquo animo monitionem* &c. His poſitis , quid Tamburinus ad quæſitum reſpondet, dum Confeſſarius *neſcit , vel dubitat , an profutura ſit admonitio ſua ? Reſpondeo* , inquit : *tunc eſt comparanda utilitas , quæ ſub dubio illa ſperatur , & damnum , quod ſub dubio timetur : atque illud ſine ſcrupulo fiat , quod magis præponderare in Domino judicabitur* . Hæc doctrina , ut mihi quidem videtur , Tamburinianæ laxitatis complementum eſt in hac materia. Siquidem , ſi quoties Confeſſarius *aut neſcit , aut dubitat* , an admonitio pœnitenti profutura ſit , ſive , quod perinde eſt penes Tamburinum , an æquo , vel iniquo animo eam pœnitens ſuſcepturus ſit , tunc Confeſſarius comparare debet *utilitatem* , quæ *dubia eſt* , cum *damno* , quod timeri poteſt ; vix , aut ne vix quidem caſus futurus eſt , in quo ille pœnitentem admonere teneatur . Nam plerumque ſciri nequit , aut *dubitari* ſaltem poteſt , num hic libenter ſuſcepturus ſit monitionem , aut fructum ex illa percepturus . Aliunde vero *damnum* , quod inde conſequitur, ſi pœnitens admonitus *peccata formalia* , ut vocant , committet , quæ ſolum *materialia* prius erant , ut Tamburinus putat , *certum* ſemper eſt , aut rariſſime *dubium* . Quare juxta illius doctrinam iſtud ſemper *in Domino preponderare* judicandum erit , adeoque Confeſſarius debebit , aut poterit *ſine ſcrupulo* ſemper tacere , & relinquere *in Domino* v. gr. lucrantem ex uſuris , quas licitas arbitratur , detinentem rem alienam vel proximi , vel publici , quam ſuam exiſtimat , in proxima peccandi occaſione commorantem , & alia ſimilia crimina perpetrantem , ut in iis abſque ullo timore , & anxietate animi perſiſtat , eumque interim abſolvat , & ad ſacram Euchariſtiæ menſam admittat; quoniam ex admonitione conſequens foret , quod *territus pœnitens a Confeſſione abſtineret , majuſque*, ut ait ille , *detrimentum pateretur* . Quinam vere Chriſtianus hæc audire valet , quin ingenti horrore percellatur ?

Consectarium Tertium .

III. Non minore reprobatione digna eſt doctrina, quam plurimi ex *Probabiliſtis* tradunt, eamque fuſe declarat Georgius Gobatus *tract.* 7. *n.* 315. circa illos , qui in turpiſſimo peccato mollitiei verſantur , quin aliquo de ejuſdem malitia , quæ cum naturali jure apertiſſime pugnat , angantur timore , vel ſcrupulo . Hanc ego doctrinam ſupra jam innui; ſed præſtat nunc integrum Gobati textum proferre , ut perſpiciant omnes , quænam ſit in his rebus plurimum *Caſuiſtarum* falſa benignitas . Sic itaque ſcribit : „ Quid faciet „ Confeſſarius ſi videat pœnitentem ex *invin-* „ *cibili* ignorantia obnoxium v. gr. *mollitiei*“ (quinam ignorantiam *invincibilem* admittat in hoc peccato , niſi ignorantia plane damnabili ?) „ cujus gravitatem edoctus , ob ha- „ bitum pravum vix abſtinebit ? His verbis

Digitized by Google

„ poſita fuit illa quæſtio , applicataque huic
„ peculiari vitio , *cum poſſet* [applicari] *plu-*
„ *ribus* . Reſpondi autem ex ſcriptis illo *cit.*
„ *C* 37. *n.* 61. ſi probe conſideratis circum-
„ ſtantiis illius pœnitentis , omnino judice-
„ tur , nihil plane profuturam monitionem,
„ ſed *cognito a ſe committi grave ſcelus*, ni-
„ hilo *rarius patraturum illud* , quam fecit
„ ignarus turpitudinis tantæ , *coram Deo* diſ-
„ ſimulandam eſſe manifeſtationem veritatis"
(bene , & optime , *coram Deo* , ſive coram *increata veritate* diſſimulandam judicat Gobatus *manifeſtationem veritatis* . Verum , quæ ſequuntur , etiam audiamus) . „ Et vero
„ non ſemel didici eſſe , qui *inculpabiliter*
„ ignorarent *mortalem malitiam* hujus flagitii.
„ Igitur *practice* loquendo non tam quærendum
„ eſt de illo , qui plane nunquam peccatum
„ illud omittet ob cognitam turpitudinem ,
„ de illo ſolo , qui vix non omittet , ſeu vix
„ abſtinebit , ut loquuntur illæ litteræ , ideſt,
„ qui quandoque , etſi rariſſime , abſtinebit :
„ ſicuti ; proh dolor ! gemunt Confeſſarii ſe
„ nactos complures hujus fœdiſſimi ſimul , &
„ fœtidiſſimi furfuris . De hoc quoque cen-
„ ſeo intelligendam ſententiam Divi Auguſti-
„ ni [ea ſcilicet : *Si ſcirem tibi non prodeſſe* ,
„ *non te terrerem , non te admonerem*] . Mo-
„ raliter enim non tam prodeſt , quam obeſt
„ illa monitio , quæ tantum impediret ſex ,
„ octo , decem peccata formaliter mortalia,
„ cauſabit autem ducenta , trecenta itidem
„ mortalia " . *Proh dolor* ! exclamare etiam mihi liceat : quod hujuſmodi tam peſtilentes doctrinæ proſtent in libris , & doceantur in Scholis .

Consectarium quartum .

IV. Pari commiſeratione digna eſt animadverſio PP. Salmanticenſium, qui hoc idem argumentum verſantes *Tract.* 20. *C.* 5. *punct.* 3. adverſus Confeſſarios , qui ſui officii memores veritatem manifeſtant , invehuntur tanquam in parricidas , qui venenum propinant pœnitentibus ſuis erronea Conſcientia laborantibus . Sic enim ſcribunt n. 28. *Sunt aliqui Confeſſarii adeo inexpertes , ut ſtatim ac dignoſcunt aliquem pœnitentem Conſcientia erronea invincibili laborare , ei veritatem detegant : & quando medicinam ſibi videntur applicare , venenum propinant , quia ex tali monitione cum peccatis repetunt , quæ ſine culpa antea exequebantur* . Quam melius Patres iſti zelum ſuum oſtenderent in Sancheſium , in Tamburinum , in Gobatum &c. Verum his ideo parcunt , quia eorum potius veſtigia conſectantur , docentes in primis cum iiſdem , erronea invincibili Conſcientia laborare , quorum vincibilis nimium , & culpabilis eſt ; deinde eos non eſſe monendos a Confeſſariis etiam , dum illos repugnantes præſumunt cognitioni veritatis . En textus , & verba ipſorum *n.* 28. „ Si cognita obligatione reſti-
„ tutionis *probabiliter* timet [Confeſſarius]
„ poſt admonitionem non eſſe a pœnitente
„ reſtituendum , tunc potius debet diſſimula-
„ re , quam veritatem aperire . Quia Con-
„ feſſarius ſolum tenetur manifeſtare verita-
„ tem quando cognoſcit talem monitionem
„ pœnitenti profuturam , & non nocituram :
„ ſed tunc talem manifeſtationem cognoſcit
„ non profuturam , ſed potius nocituram ,
„ & in ſpiritualem ruinam pœnitentis eſſe fu-
„ turam : ergo non tenetur tunc veritatem
„ impedimenti , & reſtitutionis aperire , ſed
„ debet pœnitentem in ſua bona fide antea
„ habita relinquere " : citantque præter alios Franciſcum Bonæ Spei , & Antonium a Spiritu Sancto . Sola ergo *probabilitas* juxta hoſce Authores ſufficit Confeſſario , ut diſſimulet erroneam Conſcientiam pœnitentis , quoad obligationem reſtituendæ pecuniæ ; idemque dicas de cæteris hujuſmodi caſibus. Non ergo moralis certitudo directa requiritur , ut Confeſſarius tacere debeat , ſed ſat eſt vel ſolum *probabilis* timor , ne pœnitens , ſi admoneatur , ſit reſtituturus . Quid Laxius in hac re excogitari valet ? Sed quæ etiam ,

dum

dum ſolum *probabiliter* timet Confeſſarius haud profuturam admonitionem, tacere debet? Non alia de cauſa, niſi quia ita animo comparatum ex ipſa confeſſione pœnitentem cognoſcit, ut reſtituere abnuat, ſi obligatio reſtituendi detegatur? Neque enim alio ex capite repugnantia hæc oriri poteſt. Et in hoc caſu, cum tali ad pecuniam inordinato affectu, rite diſpoſitus cenſebitur ad Sacramentum recipiendum? Quis hoc ſibi perſuadeat, niſi qui diſpoſitionis ad Sacramentalem gratiam requiſitæ nullam ideam prorſus habet, aut notionem?

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Sed neque ob hanc poſtremam rationem probandam eſſe cenſeo doctrinam Continuatoris Tournelyi ſive Petri Colleti, prout ab ipſo generatim effertur *tract. de act. hum. de Conſc. C. 7.* ubi regulas tradens, quando monendus pœnitens minime ſit, hanc proponit: „ Moneri non debet, ſi monitio „ nociva magis, quam utilis futura eſſe præ„ videatur, adeo ut pœnitens, qui *materia„ liter* tantum peccavit, deinceps *formaliter* „ peccaturus præſentiatur, *Confeſſarii monita* „ *ſpernendo*. Ratio eſt, quia ad actum inu„ tilem, & conſequenter ad actum periculo„ ſum nemo tenetur: atqui Confeſſarii mo„ nitio non inutilis ſolum foret, ſed noxia. „ Hinc illud Auguſtini in Cap. *Si quis* di„ ſtinct. 7. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te* „ *admonerem, non te terrerem*. Hinc non eſt „ monendus pœnitens de nullitate Matrimonii „ ſi ſubſit legitimus timor, ne ea cognita „ diſpenſationem non petat, ſed pergat *ma„ terialiter* habitare cum ea, quam uxorem „ ſuam non eſſe cognoſcit ". Probanda, inquam, hæc regula minime eſt; quoniam eo fundamento nititur, quod pœnitens ſuſcepturus non eſſe credatur admonitionem, ſi illuminetur, ob nimiam adhæſionem ad objectum peccati ſui, quæ ipſum indiſpoſitum efficit ad gratiam Sacramenti recipiendam: unde cum aliis pluribus abutitur S. Auguſtini verbis, qui alio prorſus ſenſu ea protulit, ut oſtendimus. Cæterum in hoc Auctor iſte laudandus, quod adverſum doctrinam aliorum Auctorum, quam rejecimus, affirmet monendos eſſe, qui pollutionis malitiam ignorant, qui damnum privatum, aut publicum inferunt, quod non cognoſcunt, qui detinent rem alienam, quam ſuam falſo judicant &c. *Quidquid ſit de monitionis ſucceſſu: poſtulat enim charitas, & ſæpe juſtitia, ut grave proximi damnum, cum id fieri poteſt, avertatur.*

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Itaque ea ſemper regula quam conſtituimus, firmiter tenenda eſt, nimirum poſſe quidem aliquando contingere, quod prudenter ſe gerat Confeſſarius omittendo admonitionem, quoties ab extrinſeco poſſunt ex ipſa conſequi gravia incommoda, diſſidia, perturbationes &c. donec ſaltem ipſis remedium aliquod paretur; ſed nunquam tacere poſſe, aut diſſimulare ex eo capite, quod ita diſpoſitus animo pœnitens cognoſcatur, ut nullus ex admonitione profectus ſperetur, quin non minus ac antea perſtiturus in peccato ſit. Neque enim ullatenus præſumere tunc prudenter Confeſſarius poteſt, ſincero corde pœnitentem hunc accedere ad pœnitentiam, animoque diſpoſito ad Deum ſuper omnia diligendum, & univerſa legis ſuæ mandata obſervanda. Et certe ex oppoſita recentiorum ſententia plura abſurda, & illa quidem horribilia conſequuntur, quæ totam peſſumdant Criſtianæ vitæ diſciplinam. Nam quamvis in uno tantum, vel altero caſu exemplum de re hac ſoleat proferri; eadem ratio plane militat pro aliis innumeris, præſertim in ſententia Adverſariorum, qui erroneam Conſcientiam *invincibilem* pene ad totum Decalogum dilatant. Semel namque admiſſa ipſorum doctrina, oportet etiam Confeſſarium tacere poſſe, ac debere in iis omni-

Digitized by Google

nibus caſibus, quorum ſupra de ignorantia differentes mentionem fecimus; iis ſcilicet, qui comprehenduntur in damnatis a Summis Pontificibus propoſitionibus, aliiſque pluribus, quæ damnari merentur, dum probabiliter credit Confeſſarius, nullum ex ſua admonitione fructum percepturum. Si enim, ut ibi notavimus, ignorari *invincibiliter* potuerunt ab iis Authoribus, in quorum libris reperiuntur, multo magis invincibiliter ignorari poterunt a pœnitentibus, qui pari cognitione præditi nequaquam ſunt.

Consectarium Septimum.

VII. Auſu plane incredibili Terillus, ac Lacroixius, pluresque alii Probabiliſtæ imperitis divendunt falſum illud, putidumque principium: *Non major vis eſt in dictamine falſo Conſcientiæ ad refundendam malitiam in actum difformem, quam ad refundendam bonitatem in actum conformem Conſcientiæ*. Hoc enim principium apertiſſimæ falſitatis convincitur ex illo communi axiomate: *Bonum ex integra cauſa; malum ex quocunque defectu*, quo utitur S. Thomas ad probandum actum erroneæ Conſcientiæ conformem non eſſe bonum, ſed malum; dum deeſt conformitas ipſius cum primaria totius bonitatis regula, lege ſcilicet æterna Dei, a qua quæcunque bonitas præcipue pendet. Nec quidquam juvat Lacroixii reſponſio dicentis, loqui D. Thomam de bono abſolute tali, ſeu ex omni parte, *formaliter* ſcilicet, & *materialiter*, ſecus de bono tantum *formaliter* tali. Non juvat, inquam; immo perridicula hæc reſponſio eſt. Conceptiſſimis quippe verbis docet S. Doctor, opus natura ſua, ſive *materialiter* malum, nullo modo fieri poſſe *formaliter* bonum: quia ut bonum ſit utroque modo, *materialiter*, & *formaliter*, debet eſſe conforme rationi *rectæ*, quæ talis non eſt, niſi conformis ſit ipſa ratio legi æternæ, primariæ bonitatis cujuſcunque cauſæ.

Consectarium Octavum.

VIII. Abſurdum reputandum eſt figmentum a Terillo confictum, & a Lacroixio productum, ut argumentum ſolvat ex principio illo receptiſſimo deſumptum, nullam voluntatem, & actionem humanam bonam eſſe poſſe, niſi revocetur in voluntatem divinam, & ab illa approbetur; adeoque, cum in hanc divinam voluntatem revocari nequeant mendacia, furta, homicidia ex erronea invincibili Conſcientia perpetrata, nulla poſſe bonitate gaudere. Quid enim ad hoc argumentum reponit ille? En mirificum plane, & ſimul futiliſſimum reſponſum: „ Diſtinguo, inquit; „ abſurdum eſt, quod voluntas *mentiendi* re„ vocetur in Deum, & a Deo approbetur, „ *per ſe*, concedo; *per accidens*, nego". In Deum igitur *per accidens*, ſive aliquo modo revocatur illud *mendacium*, & ab eo approbatur; atque eadem ratione, cum Probabiliſtæ ad alia plura extendant ignorantiam invincibilem, in Deum quoque revocabitur hoc modo, & ab eo approbabitur voluntas infidelitatis, Maumethiſmi, Ethniciſmi, omniumque hæreſum directa ignorantia invincibili, quam in plurimis ſaltem admittunt, & generatim noviſſime in iis populis, atque etiam in ipſis Hebræis admiſit P. Gravina in libro *de Paradiſo*. In Deum revocabitur, ab eoque approbabitur ipſe Deiſmus, & Atheiſmus: nam & de Deo dari poſſe ignorantiam invincibilem docent Molina, Arriaga, aliique. In Deum revocabuntur, & ab ipſo approbabuntur fornicationes, immunditiæ, furta, aliaque hujuſmodi, quæ invincibiliter ignorari poſſe tradunt multi: neque enim major ratio eſt, quod mendacium *per accidens* revocetur in Deum, & a Deo probetur, quam hæc omnia flagitia. Quid hoc horribilius dici valeat, ignoro penitus.

Consectarium Nonum.

IX. Nihilominus aliud audi conſectarium

ex

Digitized by Google

ex Terilli, & Lacroixii doctrina legitime deductum, quod majorem tibi fortaſſis horrorem incutiet. Si indicata omnia flagitia, ex erronea *invincibili*, ut ipſi putant, commiſſa, ſaltem *per accidens* revocantur in Deum, & ab ipſo approbantur; etiam *per accidens* præmium aliquod a Deo merebuntur in futura vita. Neque enim fieri poteſt, ut æterno præmio careat, quod approbatur a Deo. Igitur in extremo Judicii die audituri ſumus a Chriſto Domino, non ſolum illud *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum* &c. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare* &c. ſed etiam iſtud: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum* &c. *Quia mentiti eſtis, furati eſtis, adulterati eſtis, blaſphemaſtis nomen meum* &c. ex errore invincibili putantes bona eſſe, quæ feciſtis. Quid? Num forte in animum tuum inducere tibi nequis, hoc non eſſe ullo modo nec *per ſe*, nec *per accidens* ab Adverſariis concedendum? Quin immo P. Lacroixius, abſurdum eſſe, poſita ſua diſtinctione, negat, aſſerere Deum præmio donare mendacia, furta, perjuria, fornicationes &c. *per accidens*, licet abſurdum judicet id aſſerere futurum eſſe *per ſe*. Hæc ſunt ejus verba lib. 1. num. 24. *Abſurdum eſt dicere, quod voluntas mentiendi* (idem intellige de cæteris aliis criminibus) *poſſit per ſe loquendo a Deo exigere præmium, concedo: per accidens, ſi mendacium invincibiliter repræſentetur ut bonum, & obligatorium, nego*. At ſive *per ſe* mendacium, perjurium, fornicatio, idololatria, hæreſis præmium exigant, & coronentur a Deo, ſive ſolum *per accidens* illud *exigant*, hoc affirmare quis non ſemper abſurdum reputet, nec a ferreo quidem ſtomacho digerendum?

Consectarium Decimum.

X. Nemo ex his non videt, nedum abſurdorum pleniſſimam, ſed etiam penitus fruſtraneam, & inutilem eſſe legem illam *reflexam*, & *conſequentem*, quam in Deo confinxit Terillus, & ex illo cæteri Probabiliſtæ. Dicunt hi nimirum: *Qui ſequitur Conſcientiam invincibiliter erroneam, bonum opus operatur. Porro opus illud bonitatem non haurit ex lege æterna antecedente, & primaria, utpote quod ipſi difforme eſt: ergo ex lege æterna conſequente, & reflexa, cui conformetur oportet, ut bonum ſit: neque enim ſine conformitate ad aliquam Dei legem bonum eſſe poteſt*. Totum ſiquidem argumentum hoc, cui maxime fidunt, in auras ſtatim abit, negata propoſitione majore, ut negandam ex dictis evidenter patet: quoniam tamquam certum ſibi ſumunt, quod oppido falſum eſt, *bonum* ſcilicet eſſe opus ex Conſcientia invincibiliter erronea peractum: adeoque neceſſe non eſt, ut novam legem æternam *conſequentem*, & *reflexam*, a qua bonitatem depromat, comminiſcantur.

Consectarium Undecimum.

XI. Duæ cum Joan. a S. Thoma 1. 2. q. 18. *diſp* 12 in Conſcientia erronea diſtinguendæ ſunt propoſitiones, altera *prima*, & *univerſalis*, ſcilicet E. G. parendum eſt legi æternæ præcipienti, aut obediendum eſt Superiori: altera *particularis*; Deus hic & nunc præcipit mentiendum ob vitam proximi a morte ſalvandam: vel Superior hic & nunc jubet aliquid, quod eſt reapſe illicitum, licet non cognoſcatur. Propoſitiones primæ *univerſales* legi æternæ Dei conformes ſunt: duæ aliæ *particulares* ſunt falſæ, quæ a lege æterna non derivantur, nec in Deum referuntur; ſed legi æternæ adverſantur. Primum itaque dictamen univerſale, quod proponit facienda eſſe, quæ a Deo præſcribuntur, vel quæ Superior humanus præcipit, dummodo æternæ legi non opponantur, dirigit actum voluntatis, qui tali dictamine directus bonus eſſe poteſt, ſupernaturalis, & vitæ æternæ meritorius. Alterum judicium particulare erroneum falſo proponens mendacium, furtum, uſuram &c. ut licita, & Deo placentia, dirigit actum, ſive affectum vo-

voluntatis reapſe pravum, qui idcirco nunquam poteſt eſſe bonus, ſupernaturalis, & meritorius ſed oppoſitus legi æternæ eſt, malum omne prohibenti, quamquam ob invincibilem ignorantiam non imputetur.

Atque hinc etiam facile ſolvuntur argumenta ſupra poſita de adoratione hoſtiæ non conſecratæ, & de eleemoſyna ficto pauperi collata. Judicium namque, quod præcipit, adorandam eſſe hoſtiam conſecratam, verum eſt; affectus Religionis, aut pietatis, judicio huic univerſali conformis, bonus, & meritorius. At vero judicium particulare, proponens hanc hoſtiam non conſecratam adorandam, erroneum eſt; & actus adorationis hoc judicio directus ex ſe idolatricus, licet ob invincibilem ignorantiam a culpa excuſatus. Idemque applices exemplo eleemoſynæ pauperi ficto collatæ.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Quum prudentia ſit *recta ratio agibilium*, nec ratio *recta* poſſit eſſe, niſi conſona ſit principiis univerſalibus legis æternæ, quæ indefectibilia ſunt; hinc ſequitur, *prudens* nullo modo dici poſſe judicium illud, quod voluntati falſum objectum proponit invincibiliter etiam ignoratum. Quare in exemplis modo allatis, judicium illud particulare, quod dirigit cultum hoſtiæ non conſecratæ præſtitum, prudens revera dicendum non eſt, ſed *materialiter* imprudens, quia licet rationi abſolute conforme ſit, conforme tamen non eſt rationi *rectæ*, quæ talis non eſt niſi conſentiat cum æterna Dei lege, a qua ſicut omnis veritas, ita quoque omnis bonitas, atque prudentia vera proficiſcitur.

CAPUT VII.

De Conſcientia certa, & dubia.

D O C T R I N A.

I. *Quid ſit certitudo, & quotuplex. Certitudo metaphyſica, phyſica, & moralis.*
II. *De certitudine directa, & reflexa: item de ſpeculativa, & practica.*
III. *Quid ſit Conſcientia dubia. Quid dubium negativum, & poſitivum.*
IV. *Aliæ dubii diviſiones expoſitæ.*
V. *Nunquam operari licet cum Conſcientia dubia de peccato.*
VI. *Qui agit dubitans de mortali peccato, peccat mortaliter in eadem peccati ſpecie, & gravitate, qua objectum peccati eſt.*
VII. *Dum nulla occurrit prudens dubitandi ratio, depoſito dubio, operari licet.*
VIII. *Dubium deponi nequit ex arbitrio, ſed poſt debitam adhibitam diligentiam.*
IX. *Aliter nos habeamus oportet in dubiis circa res, ac circa perſonas.*
X. *In dubiis de honeſtate, aut pravitate actionis ob rationes utrinque probabiles,* tutior opinio eligenda eſt.
XI. *Probatio prima ex perpetua Eccleſiæ traditione deducta.*
XII. *Altera probatio ex celebri Sacrorum Canonum regula*: in dubiis *&c.*
XIII. *Reſponſa ad prædictam regulam Adverſariorum refelluntur.*
XIV. *Eadem regula validiſſimis rationibus confirmatur.*
XV. *Ut licite operemur, Conſcientia ſaltem moraliter certa requiritur de actionis, aut omiſſionis honeſtate.*
XVI. *Quænam ſit certitudo moralis Conſcientiæ, quæ requiritur, ac ſufficit, ut abſque peccato quidpiam agere, vel omittere liceat.*

I. CONſcientia *certa* definiri ſolet: *Judicium firmum de bonitate, vel malitia alicujus rei, vel actionis, de qua prudenter dubitari non poteſt*; ſive, ut alii, *actus intellectus, quo firmiter, ſeu abſque dubio, & formidine falſitatis, judicat aliquid hic, & nunc eſſe licitum, vel illicitum*. Triplex autem a Philoſophis, & Theologis certitudo diſtinguitur:

Digitized by Google

tur : *metaphyſica* , *phyſica* ; *& moralis*. Metaphyſica *judicium importat*, *quod fallitati*, *aut errori obnoxium eſſe impoſſibile eſt* . Hujuſmodi eſt certitudo primorum principiorum , ſcientiæ , ſive demonſtrationum , quæ ex ipſis eruuntur , & fidei Divinæ , ſive eorum quæ expreſſe a Deo revelata ſunt , aut ex iis manifeſto colliguntur . Cum enim his nullus error ſubeſſe queat , ideo certa ſunt certitudine *metaphyſica*, ſeu quæ metaphyſicæ æquivalet . Eademque certitudine gaudent non ea ſolum , quæ in Sacra Scriptura , diviniſque Traditionibus continentur , verum etiam quæ ab Eccleſia *columna* , *& firmamento veritatis* definita ſunt . Quare , utut concedamus , opiniones aliquas Theologorum circa fidem , & mores ante Eccleſiæ definitionem potuiſſe eſſe probabiles : ea poſita , omnimoda certitudine certum eſt eſſe falſas , penituſque improbabiles .

Certitudo *phyſica* ea complectitur , quæ ſecundum quidem ordinarium naturæ curſum, aut legem aliter ſe habere non poſſunt ; at non repugnat , ut aliter ſe habeant juxta legem extraordinariam , ſive per miraculum . Hac certitudine certum eſt , craſtina die ſolem eſſe oriturum , & ea omnia , quæ certo ſenſuum experimento nobis innoteſcunt .

Demum certitudo *moralis* eſt , quæ tametſi abſolute , & abſque miraculo errori poſſit eſſe obnoxia ; ita tamen eam minime falli certum eſt , ut veritas per eam propoſita nonniſi imprudenter , ac temere negari valeat , aut in dubium revocari . Hinc judicium *moraliter certum* illud eſt , quod , quamvis non repugnet etiam juxta ordinarium rerum curſum falſum eſſe , & idcirco formidinem aliquam comitem habere poſſit , prudentem tamen dubitationem excludit . Hæc porro moralis certitudo varios gradus excipit ; ſummum , medium , & infimum . *Summus* gradus hujus certitudinis tunc habetur , quoties aliquid ita certum præfertur , ut nihil nec grave , nec leve contra opponatur , aut opponi jure valeat . Sic olim extitiſſe Ciceronem , aut Julium Cæſarem quis contradicit, aut contradicere poteſt , niſi excors, & amens licet humana ſolum authoritate , quæ falli abſolute , & fallere poteſt , factum hocce compertum nobis ſit ? Gradum *medium* certitudinis moralis conſtituere poſſumus in exemplo ab Ariſtotele producto certitudinis moralis : nempe , *omnis mater diligit filium ſuum* . Quamvis enim aliqua mater inventa ſit , aut inveniatur , quæ filium ſuum non dilexerit, caſus tamen adeo rarus eſt , ut nec leviter queat concutere legitimam præſumptionem de matris erga proprios filios dilectione . Demum gradus *infimus* certitudinis moralis poſitus eſt in iis opinionibus probabilioribus , quibus poſt ſufficiens examen nihil niſi leve opponi judicetur . Tunc enim ob leves duntaxat , quæ opponuntur , difficultates vir cordatus , ac prudens nonniſi imprudenter de earum veritate dubitare poteſt . Moralis hæc *infima* certitudo definiri valet *judicium* , *quod etſi levem aliquam formidinem recipiat* , *graven tamen* , *& prudentem dubitationem excludit* .

II. Præter has alia quoque certitudinis diſtinctio prætereunda non eſt ; ſcilicet in *directam* , quæ a *directis principiis* oritur ; & *reflexam*, quæ a *reflexis* derivatur. Principia *directa* vocantur momenta ſive rationis , ſive authoritatis , ex quibus veritas particularis quæritur , atque cognoſcitur . Quare , ſi pro aliqua veritate aſſerenda hæc principia *moraliter certa* ſuppetant , unde ea legitime deducatur , tunc moralis certitudo *directa* dicetur . Principia *reflexa* nuncupantur quædam generalia regulæ , ex quibus licet particularis veritas non conſtet , ſatis tamen ſunt , ut certum practice fiat , quid tunc agendum , aut omittendum ſit ; ideoque *reflexa* appellantur, quod ſuper incertitudinem *directam* veluti *reflectant*, certoque oſtendant, præſcribantque , quid agere tunc oporteat , quidve omittere . Sic , ut exemplis rem illuſtremus : quænam ſit in quibuſdam Sacramentis certa co-

eorum materia, definiri ex principiis *directis*, ſive ex ratione, aut authoritate certo non poteſt, cum plures ſint inter Theologos probabiles opiniones. Unde nulla de hoc habetur *directa certitudo*. Habetur tamen certitudo *reflexa*, quod nempe uti non liceat materia dubia in eorum collatione poſt damnatam primam propoſitionem in Decreto Innocentii XI. Sic etiam in dubio homicidii, aut alterius delicti, quo quis apud Judicem accuſatur, quamvis ex principiis, ſive probationibus *directis* incertum ſit Judici, num reum condemnare debeat, an abſolvere; *certa* tamen regula *reflexa* eſt, neminem *in dubio condemnandum eſſe*, qua Judex in praxi certo dirigitur: atque ita de pluribus aliis.

Ex his haud difficulter intelligas, quid ſit certitudo Conſcientiæ *ſpeculativæ*, quid vero *practicæ*. Cum *ſpeculativum* illud dicatur, quod in ſola contemplatione verſatur, *practicum* autem, quod dirigit opus, ſive actionem; tunc certa *ſpeculative* Conſcientia, ſive judicium eſt quando nititur principiis, quæ in ſe ipſis duntaxat conſideratis, ſine ordine ad opus, *certa* ſunt, ſive poſtea *directa* ſint, ſive *reflexa*: *practice* vero, dum eadem ad opus aliquod, aut actionem hic nunc exercendam applicat. Quapropter, ſi principia, quibus Conſcientia nititur, tum *directa*, tum *reflexa* certitudine careant, nunquam Conſcientia *certa* dicenda eſt; nihil quippe aliud eſt, quod ipſi certitudinem conferre valeat. Unde in exemplo allato de Judice, ſi certa non eſſet in ſe ipſa ſpectata illa regula *reflexa*, neminem in dubio de delicto commiſſo damnandum ut reum, nullum certum principium haberet, quod praxim ſuam dirigeret, in reo abſque pœna dimittendo, quoniam tunc ipſi deeſſent certa principia tum *directa* tum *reflexa*; *directa* quidem, quia probationes delicti *dubiæ* ſupponuntur: *reflexa* vero, quia & regula ipſa reflexa incerta eſſet: adeoque nec *ſpeculative*, nec *practice* Conſcientia certa foret, ſed dubia.

III. Atque hinc colligere pronum eſt, quid ſit *Conſcientia dubia*. Verum, quia hujus legitima notio magni intereſt ob Probabiliſtarum, quam in hanc rem invexere, confuſionem amovendam, de ea operoſius agendum eſt. Atque equidem, ut notavimus, *Conſcientia dubia* reapſe Conſcientia non eſt: quoniam *Conſcientia* judicium aliquod ſemper importat: Conſcientia autem *dubia* ſuſpenſionem potius judicii prodit. Sed ne de vocibus litigemus, *Conſcientia* dubia a *dubio* nomen deſumit, quod aliqui dividunt in *poſitivum*, & *negativum*. Dubium *negativum* appellant, quando ex neutra parte rationes occurrunt, quibus, quid verum ſit, agnoſcamus. Sed hoc dubii genus communiter a Theologis gravioribus repudiatur: neque enim *dubium*, ſed potius *neſcientia*, & *ignorantia* vocanda eſt: neque enim dubitamus, an ſtellæ cæli, vel arenæ maris pares ſint, aut impares, ſed *neſcimus*, aut *ignoramus*; quoniam nullæ ſunt pro utraque parte afferenda rationes.

Solum itaque dubium *poſitivum dubium* proprie dicitur; illudque habetur, quoties utrinque ſuppetunt æqualia, aut fermæ æqualia momenta, quæ aſſenſum, ſive judicium ſuſpendant in utramque partem, & in hac judicii ſuſpenſione conſiſtit; ex qua tantum judicis ſuſpenſione poteſt etiam *negativum* appellari, quia ſcilicet nullum fertur judicium. Hanc dubii notionem tradit S. Thomas *q.* 14. *de Verit. art.* 1. inquiens: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Et iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Cui doctrinæ ſuccinit S. Antoninus 1. *part. Sum. tit.* 3. *C.* 10. §. 10. ſcribens: *Qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, ſumendo proprie, & ſtricte dubitationem, prout ratio-*

nes

nes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis dirimat quis ad unam partem, quam ad aliam. Et hanc *dubii* notionem amplectuntur nobiliores quique Theologi, immo totum genus humanum, quod non aliam ideam habuit unquam, aut habet de dubio proprie dicto. Atque hinc dubium cum judicio, aut aſſenſu incerto confundendum non eſt. Omnis quippe aſſenſus inevidens magis, minuſve incertus eſt, nec tamen dubius, ſeu *dubium* eſt: aliunde namque dubium, & incertitudo reperitur. *Incertitudo* a momentis oritur, quæ evidentiam non pariunt: *dubium* vero ab æqualitate rationum pro utraque parte occurrentium; illa judicium aliquod efficit: hoc judicium potius *ſuſpendit*. Unde ſapienter P. Suarez *diſp*. 40. *de Conſ. ſect*. 5. ait: „ Aliud eſt *dubitare*, aliud *aſſentiri* cum formidine. Dubium enim proprium „ eſt; quando poſt diligentem inquiſitionem „ intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet. Aſſenſus autem, licet ſit cum formi- „ dine, eſt tamen determinatus ad alteram „ partem: atque ita tollit dubium, & præ- „ bet ſaltem opinionem ".

IV. Dubium aliud *juris* eſt, aliud *facti*. Tunc dubium eſt *juris*, cum quis dubitat de aliquo præcepto, voto, aut alia quacunque re obligationem inducente. Dubium *facti* tunc habetur, quoties *factum* reſpicit, puta num jejunium impleverim, num Miſſam audiverim, num Divinas Horas perſolverim, num tentationi aſſenſum præbuerim &c. Alia diviſio dubii eſt in *ſpeculativum*, & *practicum* juxta allatam de certitudinis diviſione doctrinam. *Speculativum* dubium honeſtatem rei ſpectat in ſe ipſa conſideratæ: *practicum* vero operis exercitium. Sic dum quis dubitat, num Baptiſma conferri poſſit in in aqua roſacea, ejus dubium *ſpeculativum* eſt: *practicum* vero, ſi dubitet, num hic & nunc ſibi liceat hac materia uti. Non deſunt ex recentioribus, qui dubium *ſpeculativum* vocant, quod opus reſpicit a ſuis circumſtantiis præciſum: e contra *practicum*, dum ſuis circumſtantiis affectum conſideratur. Sed falſa hæc eſt utriuſque dubii notio. Nam, ſicuti opus præciſum a circumſtantiis diverſum eſt ab opere ſuis circumſtantiis veſtito; ita & dubia, quæ circa hæc objecta verſantur, diverſa ſunt. Quare juxta ea, quæ dicta ſunt de certitudine *ſpeculativa*, & *practica*, dubium *practicum* tunc ſemper habetur, cum neque *directum*, neque *reflexum certum* principium ſuppetit, quod praxim dirigat. Dubium vero *ſpeculativum* cum certitudine *practica* conſiſtere valet, ſi principium *directum*, quod praxim non dirigit; *dubium* ſit, ſive dubitationem afferat: ita tamen ut præſto ſit principium *reflexum* certum, quo praxis actu regatur, ut in allato exemplo principium *directum*, num liceat baptizare cum aqua roſacea, incertum eſt; *certum* tamen *reflexum* praxim dirigens, quod minime liceat, cum ſuppetit aqua naturalis. His poſitis de Conſcientia *certa*, & *dubia* regulas aliquas ſtatuamus.

Regula Prima.

Nunquam operari licet cum Conſcientia dubia de peccato.

V. Veritas hæc conſtat in primis ex illo Apoſtoli Pauli: *Omne, quod non eſt ex fide*, ſive Conſcientia, *peccatum eſt*; non enim *ex Conſcientia* fieri poteſt, quod fit ſine Conſcientia, ſive judicio præſcribente aliquid licitum eſſe, cum ille, qui dubius de peccato eſt, ſine ullo judicio operetur. Sic qui hic & nunc dubitans, num contractus licitus ſit, vel illicitus, illum tamen celebrat, abſque ullo judicio de ejus honeſtate operatur, adeoque *non ex fide*, ſeu Conſcientia, quæ judicium neceſſario importat.

Deinde, qui dubius, & anceps eſt, num aliquid ſibi licitum ſit, vel illicitum, dubio non depoſito, opus aggreditur ita animo comparatus, ut illud exequi velit, ſive

 legi

Digitized by Google

legi Dei adverſetur, ſive non, legemque ipſam nihil curat; quod abſque injuria divinæ Majeſtatis, atque adeo abſque peccato non eſt.

Tertio demum (neque enim diutius immorandum cenſeo in hac regula comprobanda, quam nec ipſi Probabiliſtæ negare audent, ut eſt propoſita, quin & ipſi ita eam confirmant) quia nemini licet voluntarie exponere ſe *probabili* peccandi periculo: ſiquidem periculum *probabile* eſt periculum prudenter timendum, ideoque vitandum: qui autem de actionis honeſtate dubitat, exponit ſe periculo *probabili* peccandi: quod nunquam licet. Neque dicat aliquis, dubium illud, ſive formidinem talem eſſe, ut facile contemni queat. Quid enim eſt contemptus hujus formidinis? Numquid operari nullo habito reſpectu ad illam? At hoc minime licet ſine rationabili motivo; involvit enim aliquem legis, & Dei contemptum ſaltem æquivalentem. Numquid eſt judicare *reflexe* eam eſſe imprudentem formidinem? At ne hoc quidem fieri poteſt: neque enim imprudenter formidat de oppoſito, qui *probabiliter* cognoſcit illicitam eſſe actionem, quam peragit, aut prætermittit. Et profecto: quomodo poteſt quiſpiam dicere: *Probabile mihi eſt illicitam eſſe actionem, quam ſequor, v. gr. pingere in die feſtivo*: vanum tamen eſt formidare de eo, *quod non liceat mihi pingere in die feſtivo*: ergo contemptus, utpote irrationabilis, & imprudens non ſufficit ad eam formidinem excludendam.

REGULA SECUNDA.

Qui aliquid agit, vel omittit, quod dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter, eademque peccati ſpecie, & gravitate, circa quam dubium verſatur.

VI. Fluit hæc regula ſponte ſua ex præcedente. Idem quippe judicium fieri debet de dubio peccati, quod de ipſa actione, aut omiſſione peccaminoſa. Unde ſicut qui ex cauſa perjurium ſciens profert, lethaliter peccat, & agit contra vel religionem, vel juſtitiam; ita peccat etiam lethaliter; & peccato quidem ejuſdem ſpeciei, & gravitatis, qui illud dubitans profert: vult enim illud ipſum peccatum, cujus committendi periculo ſe exponit. Hinc illud S. Thomæ, quod etiam refert, & approbat S. Antoninus in textu jam laudato: *Qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter* [& in eadem quidem peccati ſpecie] *diſcrimini ſe committens; & ſimiliter diſcrimini ſe committit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri.*

REGULA TERTIA.

Qui dubitat, num actio licita ſit, vel illicita, ſi poſt debitam inquiſitionem nulla ipſi ratio, vel authoritas occurrat prudenter dubitandi, quod illicita ſit, dubio depoſito tanquam irrationabili, eam ponere non prohibetur.

VII. Facilis, & cuique pervia hujus regulæ probatio eſt: quoniam hujuſmodi dubium prudens non eſt, prout poſtea etiam dicemus de Scrupulis agendo, utpote nulla probabili ſive ratione, ſive authoritate nixum. Nam ſi, ut Philoſophus 2. *Elen.* 7. monet, *deſpiciendæ ſunt rationes omnes leviores, quia non habent cauſam rationabilem dubitandi*; multo magis deſpicere dubium oportet, ſi nullum ſit dubitandi fundamentum. Neque enim homo ſapiens moveri debet niſi ratione, vel authoritate. Unde etiamſi rationes, aut authoritates, quæ fortaſſis occurrunt, leves, & nullius momenti eſſe deprehendantur, contemnendæ ſunt, ac ſi nullæ eſſent, & actio ſine ſcrupulo exercenda.

Re-

Digitized by Google

Regula quarta .

Dubium ex arbitrio deponi nequit , ſed poſt adhibitam neceſſariam , ac ſufficientem diligentiam .

VIII. Explorata omnibus veritas eſt , dubium ex mera voluntate , & arbitrio deponi non poſſe ; neque enim ſine ratione operari homo debet : nam ſemper in actibus ſuis deliberatis prudenter ſe gerere tenetur . Quocirca nemo eſt , qui ad libitum dubium poſſe deponi aſſeveret , licet Lacroixius , & alii , qui hoc expreſſe fatentur , in contrariam tamen ſententiam tandem relabi videantur , ut alibi compertum eſt . Diligentia itaque pro dubio deponendo , in veritatis inventione adhibenda eſt . *Porro* , quiſnam ſit adhibendæ diligentiæ gradus , exacte definiri nequit , cum id pendeat a pluribus circumſtantiis rerum , perſonarum , atque etiam locorum .

Et in primis quidem nullus negare jure poteſt , conſiderandam eſſe materiæ gravitatem, & conſecutiones , quæ inde proficiſcuntur . Nam major diligentia adhibeatur oportet , ſi de re gravi agatur , ex qua multa pendeant magni momenti, quam de levi . Sic enim etiam in dubiis de rebus temporalibus prudentes homines ſe gerere ſolent ; ut ea reſolvant , gravitatem , & levitatem negotiorum ſpectantes .

Ulterius conditio perſonæ dubitantis præ oculis eſt habenda , ſi nempe vel ſcrupulis angatur , ſi bene moratæ Conſcientiæ ſit . Hæc enim cognitio plurimum confert ad judicium circa dubii depoſitionem efformandum.

Præterea , ſi homo doctus ſit , qui dubitat , doctiores conſulat , ac peritiores , non omnes tamen anxie adire tenetur , ſed eos , quos in gravi negotio conſuleret . Si ruſticus, aut ignarus , ſatis erit , ut Parochum , aut Confeſſarium conſulat , de cujus probitate , ac doctrina non dubitat .

Etiam temporis , & loci circumſtantiæ pro dubio deponendo conſiderandæ ſunt . Interdum namque aut res moram non patitur, aut loci anguſtiæ alios ad conſulendum convenire non permittunt . Tunc autem invocato divino auxilio , quod prudentia ſuggerit , decernendum . Recolantur , quæ ſupra dicta ſunt de veritatis in rebus moralibus inquiſitione , ac de Conſcientia erronea deponenda.

Regula quinta .

Aliter nos habere debemus in dubiis circa res ; aliter in dubiis circa perſonas .

IX. Colligitur hæc regula ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.* 68. *art.* 4. ubi de dubiis circa perſonas agens , adducto Apoſtoli textu ad Rom. 14. *Qui non manducat , manducantem non ſpernat* , & interpretatione Gloſſæ dicentis : *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda* , hæc ſubjicit: ,,Ex hoc ipſo, quod ,, aliquis habet malam opinionem de alio ,, abſque ſufficienti cauſa , injuriatur ei , & ,, contemnit . Nullus autem debet alium ,, contemnere , vel nocumentum quodcun- ,, que inferre abſque cauſa cogente . Et ideo, ,, ubi non apparent manifeſta indicia de ma- ,, litia alicujus , debemus eum ut bonum ha- ,, bere , in meliorem partem interpretando, ,, quod dubium eſt " . Et ad quamdam , quam ſibi objecerat , ſententiam S. Auguſtini reſpondens : ,, Dicendum , inquit , quod ,, aliud eſt judicare de rebus , & aliud de ho- ,, minibus . In judicio enim , in quo de re- ,, bus judicamus , non attenditur bonum , ,, vel malum ex parte ipſius rei , de qua ,, judicamus , cui nihil nocet , qualitercun- ,, que judicemus de ipſa : ſed attenditur ibi ,, ſolum bonum judicantis , ſi vere judicet ; ,, vel malum , ſi falſo : quia verum eſt bo- ,, num intellectus , falſum autem eſt ma- ,, lum ipſius . Et ideo unuſquiſque debet ni- ,, ti ad hoc , quod de rebus judicet , ſecun- ,, dum quod ſunt . Sed in judicio , quo judi-

Digitized by Google

„ judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte ejus, de quo judicatur: qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus judicatur, & contemptibilis, ſi judicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem homini judicanti falſum judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius, ſicut nec ad ejus perfectionem pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium; ſed magis pertinet ad bonum affectum ".

Regula Sexta.

In dubiis de honeſtate, vel pravitate actionis ob æquales utrinque rationes ſola tutior opinio eligenda eſt, quæ tunc ſola tuta eſt.

X. *Tutior* opinio duplici in ſenſu intelligi poteſt, *comparative* nempe, & *adverſative*. *Comparative* tunc ſumitur, quoties etiam altera pars abſolute tuta eſt; ut ſtatus Religioſus, qui *tutior* eſt reſpectu ſtatus laicalis, qui tamen & ipſe abſolute *tutus* eſt, & in eo manentes æternam ſalutem aſſequi poſſumus, quemadmodum aſſecuti ſunt plures Sancti in Cœlo regnantes. *Adverſative* autem accipitur, quoad aliam partem, quæ *tuta* non eſt: & hoc in ſenſu una pars *tutior* dicitur, non quia altera pars tuta ſit, ſed quia dubia eſt: ideoque adjecimus in *regula*, quæ *tunc ſola tuta eſt*; quia ſcilicet alteram partem in dubiis de honeſtate actionis ſequi non licet abſque peccato, adeoque non ex ſolo conſilio, de quo nullus dubitat, ſed ex præcepto eam ſequi tenemur. Hoc itaque in caſu nullam aliam *reflexam* regulam agnoſcimus tuto dirigentem actiones noſtras morales, niſi propoſitam: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*.

Adeo certa mihi eſt conſtituta regula, ut plano arbitrer, nullum nec rudem, nec ſapientem hominem extitiſſe ab orbe condito ad uſque recens invecti Probabiliſmi tempora, qui eam animo negaverit, aut in diſputationem vocaverit. Nam & ipſi Academici, qui de omnibus dubitabant, ſicut probabiliorem, ita & tutiorem partem, cum de rebus ageretur, amplectendam docuerunt. Cæterum his, & aliis ex Gentilibus prætermiſſis, eam ex iis Theologiæ fontibus derivo, quæ ſummam apud Chriſtianum hominem authoritatem facere poſſunt; breviter tamen, ſiquidem ejuſdem veritas evidentiſſime conſtabit, dum de probabiliſtico ſyſtemate tractabitur.

§. I.

Probatio prima ex perpetua Eccleſiæ traditione.

XI. Omiſſis itaque nunc Sacrarum Litterarum textibus, primam probationem ſumo ex perenni, & conſtanti in hac regula commendanda Patrum traditione: de qua ſolertiſſimus Antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator Joannes Morinus *lib.* 1. *de Pœnitent. Cap.* 9. teſtatur, per undecim Sæculorum ſpatium antequam Theologia Scholaſtica introduceretur, in Eccleſiam, SS. Patres *in eo ſtudio ſe tantum exercuiſſe, ut Sacerdotes docerent, in caſu dubio ſemper eſſe tutiorem partem eligendam: ſemper*, inquam non ſolum, ubi ageretur de neceſſariis neceſſitate medii, ſed etiam ubi quæſtio erat de neceſſariis neceſſitate præcepti, tum in dubio facti, tum in dubio juris. *Quæ enim actio peccatum eſſet, quantumve, & quam horrendum, judicarunt ab unoquoque vel facile cognoſci, vel ex appoſita pœna, & medicamine facile dignoſci, vel in caſu dubio ſecuriorem partem ſemper eſſe eligendam*. Quod ex Sacris Canonibus ſemper factum eſſe ſtatim comperium erit: & ex ipſa Eccleſiæ traditione confirmat S. Gregorius Magnus *lib.* 12. *Epiſt. indict.* 7. *C.* 31. ſcribens:

Digitized by Google

bens : *Hoc vos tenere debetis, quod nos ab Anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ut quoties &c. dubitatio habetur, & nec Scriptura, nec teſtibus ratio certa habetur &c. ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat &c. hæc vos tenere, & docere mandamus* &c. ut in his ſcilicet, quæ *a Sanctis Patribus ſtatuta ſunt, non proterve irrumpantur, ſed fideliter ſerventur*. Nulla autem alia a Sanctis Patribus tradita regula deprehenditur, in dubiis caſibus, niſi viam *tutiorem eſſe eligendam*, vel his, vel æquipollentibus verbis expreſſa.

Sic, ut vel ſolum S. Auguſtini teſtimonium producam, S. Doctor *lib. 1. cont. Donat. C. 3.* ſcribit : *Si quis dubium haberet in parte Donati non recte accipi baptiſmum, quem in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem pertinentibus vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret*. Cum dicit, *vel eo ſolo*, univerſalem regulam, & probationem præfinit in omni dubio de licito, etiam non neceſſario neceſſitate medii ad ſalutem ; in omni, inquam, dubio etiam probabili. Neque enim regulam poſitam ex eo probat, quod improbabile ſit baptiſmum extra Eccleſiam Catholicam licite ſuſcipi, ſed *ex eo ſolo, quod in rebus ad ſalutem pertinentibus grave peccatum ſit certis incerta præponere*. Cum enim dicit, *vel ex eo ſolo*, perinde eſt, ac ſi dicat, etiamſi contingat, omnem aliam cauſam abeſſe, *ea ſola* ſufficit, ut ipſe merito de peccato arguendus ſit, quod in dubio de re animæ ſalutem ſpectante *certis incerta præponat*. Unde *Cap. 5.* univerſim concludit : *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum ?*

Idem docet S. Doctor *lib. de fid. & oper. C. 19.* inquiens : *Quæ manifeſta ſunt impudicitiæ crimina, omnino a baptiſmo prohibenda ſunt &c. quæ autem dubia, omni modo cavendum eſt, ne fiant tales conjunctiones* (de quibus dubium erat, num eſſent legitimæ). *Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere ?* Atque ita pariter docuerunt cæteri Eccleſiæ Patres ad invectam uſque, ut diximus, Theologiam Scholaſticam poſitivam, nullo penitus regulam aliam tradente.

Poſt invectam autem poſitivam Theologiam eadem conſtanter in Eccleſia traditio permanſit. Longum eſſet, quin & inutile omnium Theologorum, qui a ſæculo duodecimo uſque ad decimum ſeptimum floruerunt, teſtimonia proferre : ſiquidem nec ipſe Terillus aliam invenire vigentem doctrinam potuit poſt perquam accuratam antiquitatis indaginem. Unde ſolum aliquorum textus tanquam ſpecimen quoddam adducam : & in primis Alexandri de Ales, qui in Summa *p. 2. q. 112.* ait : *Qui dubitat de aliquo contractu, utrum ſit ſimoniacus, nec ne, eo quod quidam Doctores dicunt eſſe ſimoniacum, & quidam negant* &c. *ei abſtinendum eſt ab hoc contractu, ne ſe committat diſcrimini*.

S. Thomas hanc habet doctrinam pluribus in locis. Quodl. 8. art. 13. *Quicunque committit ſe diſcrimini in iis, quæ ſunt ad ſalutem*, peccat. Et ibidem loquens de dubio utrinque probabili, *an liceat plures habere præbendas*, diſerte ait : quod *tali dubio manente habens plures præbendas ſe periculo committit, & procul dubio peccat*. Item quodl. 9 art. 15. *Quicunque committit ſe diſcrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter*. Hoc etiam habet in *Supplem. q. 6. art. 4. ad 3.* docens : qui aliquid committit, vel omittit, de quo *dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter diſcrimini ſe committens*.

Ob eandem rationem traditam a S. Thoma, & a cæteris S. Bonaventura decernit peccare mortaliter, *qui dubitat probabiliter, utrum ſit mortale & non pœnitet, ſicut de mortali, diſcrimini ſe exponit*.

Doctor ſubtilis Joan. Duns Scotus *q. 2. prol. in fine* hæc ſcribit : *Multa in actibus humanis ſunt dubia, utrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Docto-*

rum .

rum, & Expoſitorum. Tamen non eſt dubia via ſalutis: quia a talibus tanquam periculoſis debet homo ſibi cavere, & ſe cuſtodire, ne, dum exponit ſe periculo, incidat in peccatum.

Gerſonius in *reg.* Moral. *Agere certum, & dimittere incertum in materia morali ubi peccatum mortale* &c. *dum tale eſt vehementer, & probabiliter incertum æque ſicut oppoſitum.*

S. Antoninus *p.* 1. *tit.* 3. C. 10. illicitum ſtatuit, operari ſecundum unam opinionem, *dum ex contrarietate opinionum inducitur quis ad dubitandum*: quia; ut ait *p.* 3. *tit* 5. *c.* 2. *in his, quæ concernunt forum Conſcientiæ, in dubio via tutior eſt eligenda.*

Adrianus, qui Summus Pontifex fuit, *de reſtit.* C. *Quia jam*, docet, exponere ſe periculo peccati, qui in contrarietate opinionum agit id, de quo dubitat eſſe peccatum. Et *quodl.* 3. *q.* 2. tradit, *Nulli licere agere id, de quo dubitat, an ſit mortale peccatum, ſi certus eſt, quod oppoſitum agendo non peccabit. Quia nulli licet magis velle ſervare amorem creaturæ, quam Dei, ut patet ex præcepto diligendi Deum ſuper omnia.*

Major in Prol. 4. ſent. in reſp. ad 1. *Authoritates ſimiles*: Tene certum, dimitte incertum, *ſunt conſilii, quando eſt tenuior apparentia de certo. Sed quando ſunt æquales apparentiæ* &c. *pro parte certa, ſtultum eſt partem certam relinquere*, *Eccl.* 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Eandem regulam unanimi prorſus conſenſione tradunt Henricus Gandavenſis, Joannes de Friburgo, Angelus de Clavario, Gabriel, Cordubenſis, Sylveſter, Conradus, Navarrus, in quibus, aliiſque illud permaxime obſerves velim, afferentes nunquam licere amplecti partem, de qua dubitatur, num ſit peccatum, nullam aliam regulam tradidiſſe, niſi vel *in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam*, vel quod perinde eſt, *periculo peccandi neminem ſine peccato ſe exponere poſſe*, nulla unquam penitus facta mentione de aliis regulis, quas pro dubiis reſolvendis excogitarunt nuperi Probabiliſtæ.

§. II.

Eadem regula, in dubiis &c. comprobatur ex Sacris Canonibus.

XII. Quanta ſit authoritas Sacrorum Canonum in rebus præſertim, quæ ad Conſcientias dirigendas pertinent, neminem latet; tum quia nobis clarius exhibent Eccleſiæ traditionem, tum quia aut teſtimonia ſunt Summorum Pontificum, aut Patrum textus referunt, quos ipſi Summi Pontifices probarunt, & obſervandos a fidelibus propoſuerunt. In hoc itaque, de quo agimus, argumento tot, tamque aperti Canones ſuppetunt ad poſitam regulam: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, validiſſime confirmandam, ut mirum ſit poſſe aliquem refragari, quin ſimul horum Canonum authoritatem protervo animo deſpicere velit, penituſque contemnere. Nam, quas Probabiliſtæ præbere ſolent, explicationes, offutiæ meræ ſunt, & illæ quidem vaniſſimæ, ut ſatius ipſis foret negare aperte Sacros Canones, quam illos opponere, dum ingenuo, ac ſincero animo defendere minime poſſunt.

Porro cum multi ſint, qui jam oſtenderint, nullam aliam fuiſſe in Eccleſia regulam præter expoſitam pro dirimendis dubiis in utramque partem probabilibus ob æqualia, aut fere æqualia hinc, atque inde momenta ſive rationis, ſive authoritatis; tum vero inter alios eminere dicendus Vir plane clariſſimus, & omnium ore commendatus, atque commendandus Benignus Buſſuetus Epiſcopus Meldenſis, qui in celebri Cleri Gallicani Conventu anno 1700. regulas tradens ab Eccleſia Catholica in hiſce dubiis ſemper adhibitas, hæc habet, primumque quærit: *Quam præſcribat Eccleſia regulam, quum graviori ratione tolli dubitatio nequit.* Et hanc ſtatim *Concluſionem* ponit. *Concluſio: Tunc Eccleſia monet tutiorem ne partem ſequi* ſubditque: *Regulam hanc jus canonicum centies iis præſertim*,

ſrittm , quæ mox indicabo , in locis inculcat .

Cap. *Veniens* extra *de Presbitero non baptizato* , ſeu lib. 3. Decretal. tit. 43. Cap. 3. *Nos in hoc dubitabili caſu , quod tutius eſt , ſequentes* &c.

Cap. *Juvenis* de Sponſal. ſeu lib. c. Decret. tit. c. C. 3. *Quia igitur in his , quæ dubia ſunt , quod certius exiſtimamus , tenere debemus* &c.

Cap. *Ad Audientiam* de Homicid. ſeu lib. 5. Decretal. tit. 1. C. 12. *Veſtræ directioni duximus reſpondendum , quod , quum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem* &c.

Eodem in l. & tit. Cap. *Significaſti* , ſeu C. 60. *In dubio hoc tanquam homicida debet haberi Sacerdos , etſi forte homicida non ſit , a Sacerdotali officio abſtinere debet , quum in hoc caſu ceſſare ſit tutius , quam temere celebrare pro eo , quod in altero nullum , in reliquo vero magnum periculum timeatur .*

In eodem tit C. Petitio tua : *Mandavimus, quatenus ſi de interfectione cujuſquam tua Conſcientia te remordet , a miniſterio Altaris abſtineas reverenter , quum ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere , quam temere celebrare .*

Cap. *Illud*. de Cleric. Excommunic. *Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis ; quia tamen in dubiis via eſt tutior eligenda, etſi de lata in eum ſententia dubitaret , debuerat tamen potius abſtinere , quam Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare .*

In Clementina *Exivi de Paradiſo* de verb. ſignific . *Nos itaque , quia in ſinceris horum Conſcientiis delectamur , attendentes , quod in his , quæ animæ ſalutem reſpiciunt , ad evitandos graves remorſus Conſcientiæ , pars ſecurior eſt tenenda* &c. „ *De gravibus Conſcientiæ remorſibus* , quos nimirum validæ , ſolidæque rationes excitant, quod vere ſalus animæ periclitatur , hic verba ſunt : Credulitas enim quandoque *levis* & *temeraria* C. *Inquiſit.* de Sent. Excom. ſeu lib. 5. Decret. tit. 39. C. 44. corrigi facile poteſt , ac poni . At hic de ſolida agitur credulitate , quæ gravem animæ perturbationem inducat ob manifeſtum, quod adit , periculum, quæ ſi momentis gravioribus , non ſuperetur . jam nulla eſt Conſcientiæ ſinceritas, & ſecuritas . Quare eadem Clement. §. *Demum* addit : *Nos volentes ipſos clare , ac ſecure procedere in omnibus factis ſuis* &c. En juncta ſimul *clare* , & *ſecure* ; quo ſignificatur , eligendam tutiorem partem , ne quis æterni interitus periculo ſe objiciat " .

His addo , nedum olim Eccleſiam , Summoſque Pontifices ſemper hac regula in dubiis caſibus uſos eſſe , verum etiam poſt invectam Probabiliſmum , ac præſenti quoque tempore eadem uti , nulla ratione habita Authorum omnium , qui aliter ſenſerunt . Quod factum , cum jam omnibus notum ſit, teſtatur inſuper ſummæ fidei Author Cardinalis Petra in ſuo Opere *de Sacra Pœnitent. Apoſt.* C. 9. inquiens , *Summorum Pontificum ſemper fuiſſe , & eſſe veluti quoddam axioma: In dubiis via tutior eſt eligenda ; & , Quod certius exiſtimamus , tenere debemus* : quod etiam factum , fierique perhibet a Sacris Congregationibus , quoties dubii caſus , qui eiſdem proponantur , occurrunt , Eminentiſſimus Cardinalis de Aguire . „ Hinc aperte conſequitur , ſubjicit Boſſuetus , quoties de dubitatione quæſtio eſt , quæ abigi graviori ratione non poteſt, non in aliam partem concedendum , Eccleſia judice , quam in tutiorem " . Argumentum ſiquidem , quod ex hac Eccleſiæ praxi conſequitur , ineluctabile prorſus eſt , invictumque . Nam ſi non alia regula uſa eſt Romana Eccleſia , nec alia utendum cenſuit , quam *tutioris viæ* delectu in caſibus dubiis , poſthabita ſemper omni alia regula a modernis Theologis inventa ; non alia adhibenda a fidelibus eſt , quæque cum ea pugnat , repudianda ceu falſa , periculi plena . Quis namque ſano capite præditus ſibi perſuadeat, recentes Theologos poſt ſexdecim

cim ſæcula veram agendi normam melius habuiſſe perſpectam, quam Summos Eccleſiæ Paſtores, queis auſcultandum eſt, & quorum retinenda doctrina?

XIII. *Quæ opponuntur*, inquit idem Boſſuetus, *frivola & vana ſunt*, & aperte pugnantia cum textuum Canonum limpidiſſimo ſenſu. Primo reſpondent, laudatam Sacrorum Canonum regulam ad ea ſola, quæ ibi definiuntur, contrahendam eſſe, non extendendam ad cætera. Hinc P. Lacroixius, quum *n.* 496. reſponſum hoc memoraſſet, *n.* 504. ſibi objicit: *Ergo dubius de homicidio poterit judicare ſe non eſſe regularem, quod eſt aperte contra jus Canonicum*; & reſpondet: *Nego ſequelam. Nam de ſolo illo caſu ſpecialiter diſponit Pontifex, ut in dubio cenſeatur contracta irregularitas: in aliis nihil ſpeciale diſponit*. Item P. Bovius, cum ſcripſiſſet, *non convenire Authores de effatto illo*: In dubiis &c. ſubdit: *Juris regulis generalibus verbis expreſſis ii figendi limites, & interpretatio adhibenda, quæ ex Authore hanc, vel illam quæſtionem finiente colligitur, & ad ea ſolum extendenda, quæ ejuſdem rationis ſunt*.

Ineptiſſimum eſſe ejuſmodi reſponſum quis non videat? Nam Summi Pontifices illud effatum afferunt, non tanquam legem, quam ipſi recenter tulerint, ſed veluti principio nixam jam explorato, ac receptiſſimo, quod aliud plane non eſt ab ipſa naturæ lege in animis hominum conſignata. *Quum in dubiis*, ajunt, *ſemitam debeamus eligere tutiorem* &c. *Quia in dubiis via tutior eſt eligenda* &c. hiſque ſimilia, quæ declarant, firmiſſime illos in ea perſuaſione fuiſſe, regulam hanc omnium conſenſione veram eſſe, ad quam idcirco ſolebant, quum ſibi dubia proponebantur, reſponſionem exigere. Idque pervidit ipſe Vaſqueſius, qui in *p.* 2. *diſp.* 67. *n.* 9. ſcribit. *Pontifex non præcipit noviter, ut tutior pars eligatur: ſed potius ſupponens regulam illam tanquam veram, nempe in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, colligit ex ea in eo caſu cenſendum eſſe irregularem eum, qui dubitat, an occiderit*.

Non minus inepta eſt altera reſponſio, quam adhibere Probabiliſtæ ſolent, huic Sacrorum Canonum regulæ in opinionibus dubiis locum eſſe, non vero in *probabilibus*. *Sed Lectoribus illudis*, reſpondet Boſſuetus, *qui rem tamdiu ambiguam, incertamque eſſe negat, quamdiu graviori ratione animi dubitatio non tollitur. Finge enim, ut libet, utramque partem momentis probabilibus niti; id tamen ſemper reipſa incertum eſt, cujus nec affirmari poteſt veritas, nec negari*. Solo igitur verborum luſu *probabile* dicitur, quod revera in eo caſu dubium eſt. Veram etenim dubitationem ſemper inducunt momenta utrinque æqualia, quæ etſi ſeorſim gravia ſint, & probabilia, collata tamen cum momentis alterius partis, non poſſunt non efficere mentem dubiam, & ancipitem, adeo ut neutri opinioni prudenter adhærere valeat.

Demum frequentior Adverſariorum reſponſio eſt, regulam illam *conſilii* eſſe, non *præcepti*. Reſponſionem hanc omnium futiliſſimam ſola reſpondendi neceſſitas, non aliqua veri apparentia ab Adverſariis extorſit. Nam ſi ſemel *præceptum* continere conceſſerint, hoc aliud eſſe non poteſt, quam *naturale*; principium ſcilicet *reflexum*, a natura ipſa traditum, quod *reflexis* iis omnibus, quæ ipſi excogitarunt, principiis præſtat, eaque penitus evertit, ac deſtruit. Verum namque ſimul eſſe nequit, præceptum exiſtere naturæ, quo jubemur in dubiis tutiora ſequi, unaque poſſe nos, tutiore relicta, partem alteram minus tutam licite ſequi. Quam vero futilis ſit allata reſponſio, evidenter liquet ex verbis Pontificum eam regulam proponentium, nimirum *debemus*, *injungimus*, tutior *eligenda eſt* &c. & evidentius adhuc futilitatem ejuſdem oſtendit laudatus Boſſuetus his verbis: „ Æque „ inane eſt, quod ajunt, eſſe regulam hanc

„ con-

Digitized by Google

„ *conſilii*, non *præcepti*: neque enim a Summis Pontificibus mera conſilia petebantur, ſed præcepta interpretandi, implendique modus. Eis inſuper proponebantur, quæ ſalutem æternam in periculum conjiciebant violandæ legis, non ſolius idcirco *conſilii*. Demum ratio, qua regula iſta nititur, divini illius effati conſectarium apertum eſt: *Qui amat periculum, peribit in illo*; quo ſane verum præceptum, non conſilium continetur. Huc ſpectat notiſſimum illud Auguſtini: *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus vel ex hoc ſolo quod certis incerta præponeret*. Et poſtea: *Vera ergo falſis, aut incertis certa præpone* „.

§. III.

Eadem regula amplius firmatur ratione.

Paucis me expediam ab argumentis, quæ a ratione promuntur ad confirmandam regulam propoſitam, ne fruſtra immoremur in re apertiſſima. Et primum quidem argumentum ſumitur ex principio, quod modo ex S. Auguſtino inſinuatum eſt, quod ipſe accepit a Majoribus noſtris, & in Scriprura expreſſe memoratur, nempe: *Qui amat periculum, in illo peribit*. Ex eo namque conſequens neceſſarium eſt, nemini licere ſe exponere morali, ſive probabili periculo peccandi, aut aliquid illicitum committendi. Huic autem periculo abſque dubio ſe exponit, qui in dubiis opinionibus, ſive utrinque probabilibus eam eligit, quæ ſibi magis libet, tutiore relicta: quia duæ æque probabiles opiniones ita judicatæ non poſſunt non inferre dubitationem, cum decerni minime poſſit, quænam vera ſit. Igitur probabili ſe periculo exponit tranſgrediendi legem, quod ſine certo peccato contingere nequit: quemadmodum peccat ille juxta omnes Theologos, qui probabili periculo fornicandi voluntarie ſe exponit. Atque hæc ratio eſt, cui innititur regula Canonum, nempe *In dubiis tutiorem partem eſſe eligendam*, in qua nullum eſt peccandi periculum.

Ratio altera in hoc ſita eſt, quod poſitive dubius teneatur legibus proprie dubitantium, non minus quam ſcrupuloſus legibus eorum, qui ſcrupulis laborant, obnoxius eſt; & quilibet in aliquo ſtatu exiſtens legibus, quæ ſtatum ſuum, & officium ſpectant. Porro juxta illas leges ſuſpendere judicium quivis debet, & ab actione abſtinere, quamdiu dubium manet: dubium autem manet, quamdiu tota ratio, ſeu cauſa dubii non abigitur graviore ratione. Tota namque cauſa dubii poſitivi alia non eſt, niſi ratio, ſive momentum æquale, aut ferme æquale, ſicut in bilance apparet, quæ ſemper ſuſpenſa manet, dum æquale pondus eſt in utraque lance. Igitur &c.

Speculativum, inquiunt Adverſarii, tunc *dubium* eſt, & *univerſale*, ſed non *practicum*, & *particulare*. At vero optime reponit ipſemet Vaſquez in 1. 2. diſp. 62. n. 22. *Qua ratione poteſt qui dubitare, an aliquid ſibi liceat in univerſum, & certus eſſe abſque formidine, illud hic & nunc ſibi licere, non ſubſiſtente aliqua peculiari ratione potius pro ſe, quam pro aliis?* Dicendum itaque, eum, qui dubitat *ſpeculative*, neceſſario dubitare etiam *practice*, ſive in ſingulari actione hic & nunc exercenda, ſi ratio æqualis utrinque invariata perſiſtit, nec ratio ſpecialis occurrat, ob quam ipſa ſingularis actio in prohibitione univerſali non comprehendatur.

Id explicari, & confirmari amplius liceat doctrina S. Thomæ, ac ejus diſcipuli S. Antonini. S. Thomas 1. *p. q.* 79. *art.* 11. hæc docet: *Intellectus ſpeculativus eſt, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, ſed ad ſolam veritatis conſiderationem: practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus*. Et ad 2. *Intellectus practicus cognoſcit, ſicut ſpeculativus, ſed veritatem cognitam ordinat ad opus*. Nullum ergo aliud

diſcrimen eſt inter utrumque intellectum, ſive cognitionem, niſi quod *ſpeculativa* cognitio ſiſtit in veritatis contemplatione: *practica* vero eamdem ad opus ordinat. Quare ſi ſpeculativa dubia eſt, etiam practica dubia ſit oportet, niſi ratio aliqua peculiaris adderetur in praxi, quæ etiam *ſpeculative* conſiderata in hoc judicio mutationem induceret, dubiumque omne ſpeculativum, & practicum amoveret.

Doctrinam hanc D. Thomæ exponens S. Antoninus *p.* 1. *tit.* 3. *Cap.* 10. ſcribit: „ Quum in aliqua materia morali ſunt variæ, & *contrariæ opiniones*, ille, qui adhæret opinioni laxioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis, quia in dubio „ (exiſtit): & ideo vult S. Thomas, *dubium practicum oriri ex dubio ſpeculativo* „ de veritate opinionis; & ita illud, quod „ eſt *dubium in ſpeculatione*, *eſſe ſemper dubium in praxi*, niſi occurrat in praxi aliqua circumſtantia, quæ efficiat, ut nullum ſit amplius dubium *etiam ſpeculativum*: „ v. gr. ſi velimus ſupponere dubium eſſe, „ *ſpeculative* loquendo, utrum ſit licitum „ pingere diebus *feſtis*, vere dicetur, quod „ is, qui pingit in die feſtivo, eſt in dubio [etiam practico]; niſi ſuperveniat in „ praxi aliqua circumſtantia, & neceſſitas „ extrema, quæ efficiat, ut id, quod dubium „ erat, dubium amplius non ſit ".

Hac doctrina facile pateſcit hallucinatio nimium craſſa Adverſariorum, qui, ut diverſitatem utriuſque dubii, *ſpeculativi*, *& practici*, ac alterum dubium eſſe poſſe, alterum vero certum, oſtendant, utuntur exemplo *aquæ roſaceæ*, quam etſi *ſpeculative* Theologi dubitent, apta ne ſit baptiſmi materia, *practice* tamen certum eſt ineptam eſſe, niſi neceſſitas urgeat, nec aqua naturali præſto ſit: *Medici*, qui etſi *ſpeculative* dubitet de pharmaci ad ægrum ſanandum efficacitate, tamen *certum* habet ſolum pharmacum *certum* ſibi eſſe adhibendum.

Sed advertere ipſi debuerant, *certum* in his caſibus eſſe judicium *practicum*, quia & *ſpeculativum* certum eſt, quæſtioni reſpondens, quæ ſic fuerat proponenda: *An dum in promtu eſt materia certa*, aqua ſcilicet naturalis, *uti liceat materia dubia*, nempe aqua roſacea (idemque dicas de pharmaco). Tunc enim vel ipſum *ſpeculativum* judicium *certiſſimum* eſt, ſcilicet *non licere*; quare & *practicum certum* eſt; & *certe* peccat, qui naturalem aquam ad manus habens *roſaceam* ad baptizandum adhibet. At ſi neceſſitas urgeat, nec naturalis aquæ copia ſit; tunc & *ſpeculativum* judicium certum eſt, licitum nempe eſſe aquæ roſaceæ uſum, eo quod ratum, exploratumque ſit, *ſuccurrendum eſſe proximo eo meliori modo*, *quo poſſumus*; adeoque & certum eſt ipſum judicium *practicum*; ſpeculativæ quæſtioni reſpondens, removetque omne peccandi periculum, atque metum. Longe tamen aliter res ſe habet, qua de agimus. Adverſarii quippe ſtatuunt *ſpeculativum* judicium incertum, & anceps eſſe, ſciri ne quidpiam poſſit, an non, & quod practicum eſt, certum eſſe pertendunt, quin *ſpeculativum* fuerit immutatum.

Non me quidem fugit, Adverſarios, ut judicium, *ſpeculativo* incerto manente, *practicum* certum efficiant, confugere ad *principia reflexa* ab ipſis excogitata, nempe *legem dubiam non eſſe ſufficienter promulgatam*: *in dubio meliorem eſſe poſſidentis conditionem* &c. Sed quoniam de his alibi agendum eſt, ab iis confutandis modo ſuperſedeo. Illud interim animadvertas velim, quod ad plenam confutationem ſatis eſſe deberet, nimirum de his reflexis principiis nullam unquam factam fuiſſe mentionem pro dubiis reſolvendis ab Eccleſiæ Patribus, ac Theologis omnibus per decem, & ſeptem ſecula: quod decretorium eſt argumentum pro eorumdem futilitate, & falſitate affatim comprobanda. Quis enim ſibi perſuadeat ea latuiſſe omnes antiquos, nullamque aliam protuliſſe

tuliſſe regulam præter illam, *in dubiis tutiorem partem eligendam*, ſi aliqua ſolicitate gauderent?

Regula Ultima.

Conſcientia ſaltem moraliter certa *requiritur de actionis, aut omiſſionis honeſtate, ut licite quis operetur.*

XV. Ex dictis hæc poſtrema regula ſequitur. Si enim illicitum eſt operari cum Conſcientia dubia de honeſtate actionis: evidens eſt, aliquam certitudinem ad licite operandum eſſe neceſſariam, qua excludatur peccati formido rationabilis. At præterea probatur ex illo Eccleſiaſtici C. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*, ideſt firmum, & prudens judicium de honeſtate actus, qui eligitur. Quod etiam comprobatur ex Cap. 12. ad Rom. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ubi nomine *fidei* certa quædam perſuaſio, ſive Conſcientia intelligitur. Nec alias probationes affero; quoniam in hac regula ſic expoſita communiter omnes conveniunt, aut ſaltem nonniſi in vocibus diſſenſio eſt. Quare in hoc ſolum dabimus operam, ut explicemus, quænam vere ſit ea certitudo, quæ ad agendum requiritur, ut peccatum evitetur.

XVI. In primis ergo *certitudo moralis* ad agendum requiſita ſaltem *practica* ſit oportet. *Practicæ certitudinis* nomine firmum, certumque judicium, ſive dictamen intelligimus, quo quis indubie credit, ſibi hic & nunc licere, quod agendum, omittendumve decernit. Abſque hujuſmodi judicio *practico* verum dubium *practicum* haberetur, in quo nemini agere fas eſſe conſentiunt Theologi omnes: idque ex textibus Scripturæ allatis, & ex S. Thomæ teſtimonio manifeſtum eſt, definitumque fuit in Concilio Lateranenſi IV. Can. 41. dicente: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio*. Quod etiam ex textibus tum Antiprobabiliſtarum, tum Probabiliſtarum confirmare poſſem, niſi extra controverſiam omnem poſita hæc veritas eſſet.

Secundo non requiritur, ut hæc practica certitudo vel metaphyſica, vel phyſica ſit, ſed ſufficit moralis. Prior utraque certitudo non requiritur: quia in rebus moralibus plerumque haberi nequit, niſi accedat Eccleſiæ definitio, aut apertus Scripturarum textus. Unde ea ſatis eſt, quæ prudentem omnem amolitur dubitationem, aut formidinem. Hæc etenim grave omne, proximumque periculum peccandi arcet, quod unum in rebus humanis evidentia carentibus vitandum eſt. Si namque pericula omnia, etiam remota, & levia, declinare vellemus, exeundum nobis foret de hoc mundo, ut Apoſtolus monuit. Atque ita licitum eſſe ſequi opinionem *probabiliſſimam* certa Eccleſiæ definitione conſtat, non quod illa opinio infallibilis omnino ſit, ſed quia licitum eſſe in Decreto Alexandri VIII. definitum fuit, quo contradictoriam propoſitionem condemnavit; ex quo etiam opinionem longe oppoſita probabiliorem tuto poſſe nos ſequi legitima conſecutione deducitur. Quia tamen in applicatione illius definitæ propoſitionis error aliquando contingere poteſt; ideo alicui formidini locus ſemper eſt, ut in hoc ſyllogiſmo facile cernitur; nempe: *Licet ſequi opinionem probabiliſſimam, aut longe probabiliorem: ſed hunc contractum licitum eſſe eſt opinio probabiliſſima, aut longe probabilior: ergo licet ſequi hanc opinionem, & hunc contractum celebrare*. *Major* quidem propoſitio certa omnino eſt: ſed non eadem certitudine gaudet propoſitio *minor*, qua judicamus, hunc contractum *probabiliſſime* licitum eſſe, cum poſſit illum ita nobis videri ex aliqua culpa, aut negligentia noſtra. Qua de cauſa etiam ſancti viri qui certe probabiliſſimas, aut longe probabiliores, ut ſibi videbantur, opinio-

niones ſequi ſatagebant, ne Deum in al quo offenderent; ſemper tamen verebantur cum Sancto Jobo *omnia opera ſua*: quia, ut ait S. Gregorius Magnus, *nonnunquam ea ipſa, quæ recte nos agere credimus, an in diſtricti judicii examine recta ſint, ignoramus*.

Ulterius: cum plures moralis certitudinis gradus diſtinxerimus, *ſummum*, *medium*, & *infimum*, hunc ad licite agendum ſatis eſſe dicendum eſt. Hæc eſt illa certitudo, de qua S. Thomas loquitur 2. 2. q. 70. art. 2. eamque in rebus moralibus ſufficere docet, inquiens: *Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quod ſunt circa contingentia, & variabilia. Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus a veritate deficiat*. *Probabilem* vocat; quia, ut ait S. Antoninus 1. p. tit. 3. C. 10. *Hæc certitudo, quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ . . . . . Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis, & figurabilibus, magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maxime ſapientibus apparet verum*. Ac ſubinde docet, certitudinem hanc, quæ ad licite operandum ſufficit, talem eſſe, ut prudentem omnem dubitationem excludat, licet ſcrupulum omnem, ſive dubium imprudens non abigat. Subdit enim: *Ex his igitur ſequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele, & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat: ſed ſufficit, ut contemnat, ſeu ſuperet eos*.

Demum requiritur, ut certitudo, quæ a peccando removeat, nedum practice moralis ſit, ſed etiam, quod prudenter inducta fuerit, ideſt citra negligentiam, & culpam, neque enim excuſari unquam poteſt a peccato quodlibet judicium, quantumvis *certum* videatur, ſi conceptum ſit ex animi pertinacia, aut temeritate, negligentia inquirendæ veritatis, aut quamvis alia culpa. Hinc non excuſantur hæretici, aut infideles, licet eorum ſectæ certæ ab ipſis reputentur, quemadmodum neque barbaræ illæ gentes, quæ furta, rapinas, homicidia, & alia id genus crimina ſibi certo licere arbitrantur. Pariter non excuſaretur, ſi quis ob ſtudii negligentiam ignorans ab Eccleſia damnatas doctrinas, eas ut certas crederet, aut doceret; ſicut neque excuſantur ii, qui anticipatis opinionibus, aut minus rectis affectionibus certo ſibi perſuadent doctrinas falſas, uno verbo ſi ex aliqua culpa gignatur ea certitudo, quam ſe habere putant per errorem de honeſtate ſuarum actionum juxta regulam illam ſupra dictam: *Ignorantia, quæ cauſatur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam excuſare*, licet error certus ſibi videatur, & exploratus.

CAPUT VIII.

Consectaria praecedentis Doctrinæ.

I. *Hallucinatio P. Tamburini, aliorumque circa legitimam dubii notionem*.

II. *Non minus a vero abludunt alii, qui* probabile *votant, quod* dubium *revera eſt*.

III. *Diſcrimen dubii juris & facti a P. Cardena excogitatum nullo modo approbandum*.

IV. *Ineptum penitus diſcrimen eſt, quod Probabiliſtæ effinxere inter rationes æquales, intellectum moventes, ac ſlateram æquali utrinque pondere preſſam*.

V. *Media indicantur pro dubiis prudenter deponendis neceſſaria*.

VI. *Quomodo conciliientur duæ regulæ juris: In dubiis tutior pars eſt eligenda, &* in dubiis potior eſt conditio poſſidentis.

VII. *Quum aliter in judicio de rebus, aliter in judicio de perſonis nos geramus oporteat, multi damnationem incurrunt, dum ſine manifeſta ratione aliorum actiones,* aut

Digitized by Google

aut ſcripta in deteriorem partem interpretantur.

VIII. *Cultus religioſus præſtandus non eſt imagini Crucifixi, dum ſub ea latitare dæmonem dubitatur.*

IX. *Quam irrationabilis ſit quorumdam Caſuiſtarum ſententia docentium, in dubio quidem negativo teneri nos ſequi tutiorem partem, non autem in poſitivo.*

X. *Quin potius in dubiis negativis, aut leviter conceptis, Conſcientia depoſita, operari licet.*

XI. *Ex illa Eccleſiæ regula*: In dubiis tutior &c. *corruunt penitus Probabiliſtarum* principia reflexa *pro dubiis reſolvendis.*

XII. *Quæ regulæ pro certitudine Conſcientiæ* prudenter *inducenda neceſſariæ ſint.*

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. HAllucinantur plane Tamburinus, aliique, qui cum eo ſentiunt, in notione dubii *poſitivi*, & *negativi*. Docet ille *lib.* 1. *in Decal. C.* 4. dubium *negativum* eſſe, cum nullæ occurrunt pro utraque parte dubitandi rationes: *poſitivum* autem, cum rationes utrinque dubitandi leves ſunt. Cum enim nulla occurrit dubitandi ratio, non tam dubium eſt, quam neſcientia, aut ignorantia, ut jam animadvertimus: dubium vero *poſitivum* ex idea ſua eſſentiali ſuſpenſionem in utramque partem importat, quæ non aliunde induci poteſt niſi propter æquale, aut ferme æquale rationum pondus; ut exemplo bilancis conſtat, quæ ſuſpenſa hæret, dum in utraque lance æquale pondus poſitum eſt: Leves autem rationes inducere nequeunt dubium, ſed meram ſuſpicionem, aut ſcrupulum, qui inclinandi intellectum in unam partem vim non habet.

CONSECTARIUM SECUNDUM.

II. Falſam quoque notionem de Conſcientia dubia ſibi formant, qui dum rationes æque graves occurrunt pro utraque contradictionis parte, non *dubiam*, ſed *probabilem* Conſcientiam tunc haberi contendunt. Nam rationes æque graves non poſſunt non ſuſpendere intellectus aſſenſum, cum æque utrinque ponderent, ut allato bilancis exemplo compertiſſimum ſit. Unde, ut inquit ſupra laudatus Boſſuetus, Lectoribus illudunt qui intellectus aſſenſum tamdiu dubium, incertumque eſſe inter æquales hinc, atque inde rationes negant, quamdiu gravioris ratione animi dubitatio non tollitur. Finge enim, ut lubet, utramque partem momentis probabilibus niti, id tamen ſemper dubium, & incertum eſt, cujus nec affirmari veritas poteſt, nec negari. Quapropter inepta, & frigidiſſima hæc dubii diſtinctio reputanda eſt.

CONSECTARIUM TERTIUM.

Nullo modo approbandum eſt excogitatum a P. Cardena diſcrimen dubii juris, *&* facti.

III. P. Joannes Cardenas omnium primus, ni fallor, diſcrimen excogitavit inter dubium *juris*, & *facti*, ut periclitanti Probabiliſmo aliquod adjumentum ferret, ipſis etiam Probabiliſtis repugnantibus. Docet nimirum *in Criſi tract.* 1. *diſp.* 6. *C.* 6. *art.* 1. in quæſtione *facti* paria teſtium momenta rem in dubio relinquere, ita ut Judex nequeat ſententiam proferre in alterutram partem. Oppoſitum vero contingere cenſet in quæſtione *juris*, adeout poſſit intellectus pari rationum pondere ſuſpenſus alterutri parti aſſenſum præbere. At falſum, nulloque fundamento confictum hoc diſcrimen eſt. Atque ille quidem ad experientiam appellat. Sed experientiam quidem propriam ut ſummum afferre valet; non vero experientiam aliorum, quæ potius contraria eſt. Æque ſiquidem dubius, ac incertus Judex manet, ſi quatuor teſtes deponant, Petrum occidiſſe Joannem; quatuor autem ejuſdem authoritatis oppoſitum teſtificentur, ac dum æqua-

lea

les conjecturæ, ac rationes eidem allegantur pro affirmatione. & negatione delicti a Petro commiſſi. Quod ut magis illuſtretur, Salomonis exemplum afferamus, coram quo duas mulieres contendiſſe pro filio Sacræ Litteræ memorant. Hæc ſuum eſſe filium affirmabat; fuiſſetque teſtificatio ejus idonea ad permovendum Regem, ut ſententiam pro ea proferret, niſi ex adverſo ſtetiſſet altera mulier, quæ illam mentiri, ſuumque potius filium eſſe aſſerebat. Hujus itaque affirmatio illius negatione elidebatur: unde Salomon nonniſi hærere, ac ſuſpenſus eſſe cogebatur; quod veritas lateret, hujus ne mulieris, an illius filius eſſet. Et in hoc Cardenas nobis conſentit. At fingamus, utramque mulierem præter teſtificationem conjecturis, aut momentis cauſam egiſſe ſuam, ſed prorſus æqualibus, ita ut æqualia etiam ipſi Salomoni viſa fuiſſent, quid tum? Recte ne pro alterutra Salomon ſententiam pronuntiare potuiſſet? Nemo ſanæ mentis hoc dixerit. Dubius namque, ut antea, atque anceps perſtitiſſe debuerat: eo quod non minus Salomonem a veritatis cognitione momentorum æqualitas removebat, quam prius contraria utriuſque mulieris teſtificatio. Hoc exemplo ſi bene perpendatur diſcrimen a Cardena inter teſtes, & momenta conſtitutum, falſitatis apertæ revincitur. Quare ab aliis Probabiliſtis frequentius deſeritur, utpote quod ex una parte caducum, & inane ſit: ex altera vero ſyſtemati, quod tuentur, magnum inferat præjudicium.

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Non minus ineptum eſt diſcrimen, quod comminiſcuntur Probabiliſtæ inter vim rationum, ſeu momentorum æqualium ad movendum intellectum, & æqualis ponderis ad movendam ſtateram. Ajunt nimirum: *In lance vis unius ponderis non ſolum æquat vim alterius ponderis, ſed eſt omnino ſimilis vi alterius ponderis, atque ſimili modo contra nititur, ut patet. Quare neceſſe eſt, ut libra, quæ premitur hinc illinc a ponderibus æqualibus, neque aſcendat, neque deſcendat.* Egregie. At nonne eadem eſt momentorum æqualium vis animum hinc inde urgentium? Nequaquam, reponunt: *Longe aliter ſe habet res in caſu noſtro. Nam rationes æque probabiles, ſuadentes opiniones oppoſitas, ſunt rationes diverſæ aliter, & aliter, & ex diverſis principiis ſuadentes oppoſitas concluſiones.* Ita Carpa[illegible]us. At quis dubitet, momenta, quibus hoc ſuadetur, alia neceſſario eſſe ab iis, quibus ſuadetur oppoſitum, & a diverſis principiis fluere? Cæterum quid refert, *rationes adverſas aliter, & aliter eſſe ſimiles, vel diſſimiles?* Nonne cum ambæ æqualis ſunt ponderis, animum æqualiter movent, qui in ea contentione ignorat, quænam vera ſit, quænam falſa ſententia? Nonne hærere illum neceſſe eſt inſtar lancis, in qua æqualia utrinque pondera ſunt impoſita? Si in lance hinc quatuor auri, inde quatuor ferri, vel plumbi, aut, ſi velis, etiam palearum libellæ imponantur; in unam potius partem feretur ne libra, quam in aliam, quia ponderum prementium diverſa, ac diſſimilis materies eſt? Nonne perſpicuum eſt, non qualitate, ſed quantitate majoris ponderis lancem deprimi? Quantacunque ſit ergo rationum diſſimilitudo, & undecumque petatur, ſi æqualis ſunt ponderis, ut ſupponitur, æquali vi animum afficient, qui æqualiter utrinque permotus neque in hanc, neque in illam opinionem deſcendere poterit, dubiuſque, & anceps remanebit.

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Eadem media, quæ pro inquirenda veritate adducta a nobis ſunt, adhibere oportet pro formanda Conſcientia in dubiis. Unde primo adhibenda diligentia eſt, ut inveſtigemus, quid verum ſit, quamve opinionem, ut conformem legi Dei, amplecti

ti debeamus in illa incertitudine ex utrinque occurrentibus rationibus cauſata: & hæc diligentia major, minorve ſit neceſſe eſt, pro rei gravitate, & loci, ac perſonæ qualitate, & conditione. 2. Pravus omnis affectus deponendus, & cupiditas, vel nimia propenſio in partem cupiditati faventem cohibenda, quoniam judicium rectum hæc pervertere ſolet, in eamque partem animum inflectere, quæ a veritate ſæpius diſſentit. 3. Deus invocandus eſt, lumenque ipſius implorandum juxta illud Sancti Regis Joſaphat: *Cum neſcimus*, aut dubitamus, *quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros convertamus ad te*. 4. Praxis timoratorum, ac proborum hominum attendenda eſt: & viri pii, doctique conſulendi. Hæc in dubiis caſibus nos facere oportet, ut prudenter deponere dubium poſſimus. Eodem quippe præcepto, quo quiſque obſtringitur ad prudenter agendum, vitandumque peccatum, obſtringitur etiam ad veritatem diligenter inveſtigandam, ne imprudenter agat, ſeque peccandi periculo exponat. Quod ſi poſt hæc adhibita media, Conſcientia dubia adhuc perſiſtat, nulla alia via ſupereſt, niſi tutiorem partem eligere, in qua nullum eſt legem violandi periculum.

Consectarium Sextum.

VI. Regula illa Juris Canonici: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, optime conciliari poteſt, ac debet cum altera juris ejuſdem, quæ habetur in 6. reg. 65. *In pari delicto, & cauſa potior eſt conditio poſſidentis*; cui ſimilis eſt altera Juris Civilis in l. 71. ff. de regulis juris: *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Quam fœde abutantur hac regula Probabiliſtæ, norunt omnes, qui eorum ſcripta legerunt. Sed abuſu remoto, hæc vera eſt, nec pugnat ullatenus, immo mirifice concordat cum expoſita, *In dubiis* &c. Senſus ergo legitimus illius regulæ eſt. Bona fide quiſpiam agrum poſſidet, Titulus poſſeſſionis, ſeu dominii ſui in dubium ab alio vocatur: ac lite inſtituta poſt maturum examen jura deprehenduntur æqualia in utramque partem, nec occurrit jus aliud, quod uni præ altera parte faveat. In hoc caſu ipſa poſſeſſio agri novum titulum, ac jus præbet, quo dubium tollatur, & ager poſſeſſori adjudicetur. Hæc itaque regula optime cum illa conciliatur: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Siquidem illa pars, quæ, ultra æqualitatem juris cum altera parte, poſſeſſione gaudet, *tutior evadit*, quia ob poſſeſſionem dominium merito præſumitur. Hac ratione vera quoque eſt regula altera: *In dubiis tutius eſt favere reo, quam actori*. Quoniam, dum dubium verſatur inter reum, & actorem, tutius eſt reum dubium abſolvere, quam damnare: de duobus quippe malis neceſſariis tutius eſt minus eligere. Porro minus malum eſt reum abſolvere, quam innocentem damnare. Ex quibus perſpicuum eſt, duas illas regulas nullo modo invicem opponi, ſed ambas eodem ſpectare.

Consectarium Septimum.

VII. Ex doctrina S. Thomæ, omniumque Theologorum ſaniorem ſententiam ſequentium, *aliud eſſe judicare de rebus, aliud de perſonis*; & in judicio quidem de perſonis, *dubia in meliorem partem eſſe interpretanda, quia in hoc judicio præcipue attenditur bonum, aut malum ex parte ejus, de quo judicatur* &c. ex hac, inquam, doctrina ſequitur, peccare mortaliter, omnes, qui aliter ſe gerunt in hoc judicio, nedum in dubiis, ſed etiam ſæpe ſine gravi fundamento malum de proximo judicantes, adeoque inter alios damnabiles eſſe, omnique execratione dignos Scriptores illos, qui Adverſariis ſuis reſpondentes vel levibus indiciis moventur ad affingenda illis crimina, quæ ne quidem fortaſſe ſomniarunt; nec ſolum in meliorem partem eorum dicta non interpretantur, cum facile poſſent, ſed intentionem ipſam ſoli

Digitized by Google

Deo notam in pejus detorquent, ac ſi certo pernoviſſent, nec de pravitate ejuſdem dubitari quidem poſſet.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Ex generali regula in dubiis obſervanda haud difficile eſt reſpondere ad eam quæſtionem, quam movent PP. Salmanticenſes Tract. 10. C. 6. punct. 3. *Num adoranda ſit imago Crucifixi, cum dubitatur, an ſub illa Dæmon deliteſcat*. Si enim prudens ex circumſtantiis dubitatio ſit, dicendum eſt minime licere hanc adorationem, quia qui ſub hoc dubio imaginem adorat, committit ſe periculo idololatriæ, quæ intrinſecus mala eſt. Nam tametſi adorans illam imaginem, intentionem ſuam dirigat ad Chriſtum Dominum, ſi tamen dubium eſt, ne in ipſa imagine reſideat Dæmon, periculum eſt, ne exterior adoratio, quæ fertur in imaginem, feratur in ipſum Dæmonem, qui in imagine lateat. Quare in his caſibus, ſicut etiam in aliis vel Beatiſſimæ Virginis, vel aliorum Sanctorum, a cultu ipſis præſtando abſtinendum eſſe exiſtimo, præſertim cum aliæ multæ imagines ſuppetant, erga quas ſine ullo materialis idololatriæ periculo exerceri religio valeat. Hanc ſententiam defendunt etiam P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim diſp. 41. n. 43. Medina in 3. p. q. 25. art. 3. qui laudant etiam D. Bonaventuram, Adrianum, & alios.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Ex dictis evidenter apparet, quam irrationabilis ſit ſententia illorum Caſuiſtarum, qui in dubio quidem *negativo* [quod ſolum dubium eſſe opinantur] tutiorem partem volunt eſſe eligendam: in dubio vero poſitivo, quo quis dubitat ob rationes graves pro utraque contradictionis parte occurrentes, cenſent eam partem licite eligi poſſe, quam quis maluerit; atque adeo in dubio *negativo* ad tutiora obligant; non in poſitivo, in quo ne quidem obligant ad confitendum peccata dubia, cum ex adverſo potius ratiocinari deberent. Si enim confiteri non tenemur peccata, de quibus commiſſis probabilem rationem habemus, cur tenebimur de iis, quæ nos ea commiſiſſe nulla probabilis ratio eſt?

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Quidquid ſit de dubio *negativo*, ſit ne dubium proprie dictum, vel non, cum tamen rationabile non eſt, & fundatum, non minus deſpici debet, ac deponi, quam ſcrupulus, ſeu Conſcientia ex levi, ac temerario ſcrupulo concepta, ut dicemus & conſtat ex reſponſione Innocentii III. ad quoddam dubium ſibi propoſitum de Conjuge ambigente, an debitum reddere poſſet alteri Conjugi petenti. Si enim ex levi, & temeraria credulitate orta fuerit illa ambiguitas, Conſcientia exploſa, debitum reddere, & exigere poſſe definivit. Similiter ergo ſi nulla ratio ſubſit dubii concepti poſt ſeriam inquiſitionem, vel etiam ſi levis illa fuerit, & nulli ſolido fundamento ſubnixa, de pravitate ejus, quod quis agere vellet, dubia Conſcientia depoſita, illud agere poteſt.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. Cum in Sanctis Patribus, Sacriſque Canonibus nulla alia in *dubiis*, quæ vere dubia ſunt, propoſita regula fuerit, niſi *tutiorem partem eſſe eligendam*; tenendum omnino eſt, ſolam hanc eſſe adhibendam, præſertim cum Summi Pontifices, ea in dubiis caſibus perpetim utentes, ita locuti ſint, ut nullam aliam præſto eſſe poſſe crediderint, eamque velut omnibus exploratam judicaverint. Quapropter pro nihilo habenda ſunt, & tanquam futilia, quin & periculoſa contemnenda, quæ nuper invecta ſunt a Probabiliſtis, *principia reflexa*, quibus ſe homo determinate valeat ad ſententiam ſibi gratiorem, genioque faventem, atque cupiditati am-

Digitized by Google

amplectendam . Quis enim ſibi perſuaſerit , nullam unquam de novitiis iſtis regulis , ad Conſcientiam in dubiis dirigendam , mentionem factam fuiſſe ab Eccleſiæ Doctoribus , Summis Prælatis , ſi eas ſolidas exiſtimaſſent ad dubia, quæ occurrunt , de rerum honeſtate a fidelibus removenda? Nam neque unum tantum ex illis attularunt adhuc , aut afferre poterunt , qui in caſibus dubiis vel docuerint , vel reſponderint , legem tunc ſatis non eſſe promulgatam , vel meliorem eſſe poſſidentis conditionem, vel tunc haberi ignorantiam legis invincibilem, & ſi qua eſt alia *reflexa* regula. Sed perpetua praxis eorum hæc extitit. Ipſi quæſtionum ſibi propoſitarum momenta ſedulo perpendebant ; quorum ſi æquale , aut fere æquale , pondus deprehendiſſent , quum legis violatio tunc eſſet incerta , tutiorem partem , ſive legi faventem , eligendam eſſe ſanciebant , eo ſolo principio *reflexo* utentes , quod nobis eſt a natura penitus inſitum : *In dubiis tutior pars eſt eligenda* . Hoc ſolum argumentum , etiamſi cætera plura deeſſent , queis fallacia , & vanitas ſuarum regularum oſtenditur , ſatis abunde eſſe deberet , ut eas omnino Probabiliſtæ defererent, atque ut ſaltem periculoſas repudiarent . Cujuslibet enim doctrinæ novitas maximopere præcavenda eſt in Eccleſia : & *regulæ* illæ Probabiliſtarum *reflexæ* , pro dubiis magni ſæpe momenti reſolvendis , nonniſi ab uno ſæculo inventæ ſunt , & in ipſorum libris evulgatæ . Verum de hoc infra .

CONSECTARIUM DUODECIMUM .

XII. Ut certitudo moralis , quæ ad aliquid agendum , vel omittendum requiritur, prudenter induatur, præter ea , quæ pro dubio deponendo diximus Conſect. V. hæc neceſſaria ſunt ; nempe , certa Scripturarum, Traditionis , & Eccleſiæ doctrina tenenda in primis eſt , ne quid adverſus eam approbetur , aut eligatur . Deinde ſtudio diligenti veritas inquirenda , ne ex negligentia noſtra error pro veritate ſuſcipiatur ; eoque majus adhibendum ſtudium eſt , quo major eſt rei , de qua agitur , gravitas , & difficultas . Advertendum quoque magnopere eſt , ne affectio aliqua inordinata deliberantem moveat . Privatis itidem opinionibus haud facile , nec nimis adhærendum , tum quod in his proprius amor facilius deliteſcit , nobiſque illudit ; tum quod facile credendum non eſt, certum, ac verum eſſe , quod ſibi ſoli verum videtur , ac certum . Si poſt diligens ejuſmodi ſtudium , omnique affectione vacuum, veritas obſcura , & incerta ſit , nihil tanquam certo verum pronuntiare licebit . Neque enim duntaxat temeritatis vitium eſt judicium ferre ex levibus fundamentis , verum etiam ex gravibus , & incertis , quæ aliis ſcilicet gravibus oppugnari noſcantur : *Omnis* quippe , inquit S. Thomas , *quæſtio , in qua de peccato mortali agitur , niſi expreſſe veritas habeatur* , ideſt judicio ſaltem moraliter certo cognoſcatur , *periculoſe determinatur* . Judicium autem moraliter certum haberi nequit , ſi alterutra pars quæſtionis gravibus argumentis oppugnetur . De his alibi jam plura dicta ſunt ; ſed prodeſt ea nonnunquam repetere , ut memoriæ altius infigantur , ob maximam eorum neceſſitatem .

CAPUT IX.

De Conſcientia Probabili : Ubi de vero Theologorum ſyſtemate in opinionibus probabilibus .

DOCTRINA.

I. *Quid ſit Conſcientia probabilis ? Præmittitur notio opinionis probabilis , a qua derivatur .*

II. *Probabile quomodo intelligi debeat .*

III. *Definitio Conſcientiæ probabilis .*

IV. *Sententia Probabiliſtarum in rebus opinabilibus expoſita .*

V. *Non aliud Probabilioriſtæ in opinionibus a*

quas ſequuntur , aſſequi ſtudent , niſi veritatem , ſive conformitatem cum lege Dei.

VI. *Tres diſtinguere opus eſt veriſimilitudinis, aut probabilitatis ſtatus .*

VII. *Hac ſententia eadem omnino eſt cum illa , quam Apoſtolica Sedes probavit in Opere P. Thyrſi Gonzalez , cujus doctrina paucis exhibetur .*

VIII. *Hæc quoque docetur ab aliis inter Probabilioriſtas clariſſimis Auctoribus .*

IX. *Qui eam ſequitur certus eſt ſe culpam non incurrere ea morali certitudine , quæ ad agendum requiritur , & ſufficit .*

X. *Injectæ a Probabiliſtis difficultates diſſolvuntur ; ac ea primum , quam promunt ex ju*dicio proprio , *quod ſequi Probabilioriſtas criminantur .*

XI. *Probabilioriſtæ authoritatem extrinſecam minime reſpuunt: , quin immo impenſius amplectuntur .*

XII. *Accuſatio de nimio rigore ſententiæ Antiprobabiliſtarum diſpellitur .*

XIII. Probabilioriſtarum *ſententia ex principiis* reflexis *certa eſt , nedum certitudine* relativa , *ſed etiam* abſoluta .

XIV. *Janſeniſmi calumnia diſcuſſa, & diſpuncta.*

XV. *Quæ ſattendenda , quæve cavenda ſint , dum agitur de formanda Conſcientia probabili ex extrinſeca Scriptorum authoritate.*

§. I.

Quid ſit Conſcientia Probabilis ?

I. QUum Conſcientia *probabilis* ab opinione probabili derivetur , idcirco, antequam ejus definitionem afferam , quid probabilis opinio ſit , decernendum eſt . Et quidem ex iis , quæ de morali certitudine ad operandum requiſita ſuperiore capite dicta ſunt, hujus germana notio facile innoteſcere poteſt : ſed quædam alia ad majorem claritatem addenda cenſeo ; & primum , quid *opinio* ſit , quid vere *probabilis*, explicandum. S. Thomas q. 14. de verit. art. 1. naturam opinionis expoſiturus ait : *Quandoque intellectus non magis inclinat in unam partem contradictionis , quam in aliam , vel propter defectum moventium , ſicut in problematibus , de quibus rationes non habemus ; vel propter æqualitatem eorum , quæ movent ad utramque partem : & iſta eſt dubitantis diſpoſitio , qui fluctuat inter duas partes contradictionis . Quandoque intellectus inclinat magis in unam partem contradictionis , quam in aliam, ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc , quod determinet ipſum ad unam partem totaliter . Unde accipit quidem unam partem , ſed tamen ſemper dubitat de oppoſita : Et hæc eſt diſpoſitio opinantis , qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius .* Ex qua doctrina p. 1. q. 79. art. 9. ad 4. *opinionis* definitionem aſſignat dicens : *Opinio ſignificat actum intellectus , qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius .* Unde de moralibus actionibus loquendo , qui opinatur , aſſenſum , ſive judicium habet abſolutum , atque determinatum , etſi non omnino firmum , aliquid vere eſſe licitum , vel illicitum . Quod tamen judicium poteſt eſſe vel prudenter , vel imprudenter conceptum , prout ex dictis patet .

II. Opinio poteſt eſſe *probabilis* , & *improbabilis* . *Probabile* ſpectari poteſt *objective* , & *ſubjective*. Primo modo Ariſtoteles lib. 1. top. c. 1. ea dixit *probabilia eſſe , quæ videntur omnibus , aut pluribus , vel ſapientioribus , & iis vel omnibus , vel pluribus , vel maxime notis , & illuſtribus* . Altero modo illud eſt, quod *dignum approbatione judicetur tanquam verum aut veroſimile* . *Improbabile* autem , quod approbatione indignum cenſetur tanquam falſum . Cum enim objectum intellectus ſit verum, illud approbare nequit, niſi quod verum judicat , aut ſaltem vero proximius : adeoque non poteſt non reprobare falſum , aut quod falſi apparentiam habet. Ex quo Eminentiſs. Cardinalis Laurea *Tom. 2. in 3. ſent. diſp. 11. art. 4.* hæc optime de-

Digitized by Google

docet : „ Non deberi ſcilicet vocari probabilem in vero , ac proprio ſenſu Ariſtotelico, „ aut etiam Scripturali , ſententiam illam , „ quæ operanti apparet minus veriſimilis , „ quam contraria . Nam probabile idem „ importat , ac dignum , ut approbetur : „ non eſt autem digna approbari ſententia , „ quæ repræſentatur ut minus veriſimilis “ . Et num. 241. „ Illud [SS. Patres] exiſtimarunt *probabile* , quod carens evidentia haberet omnia alia motiva , quæ inveniri „ poſſunt ad illud ſuadendum : idemque eſt „ apud illos *probabile* , quod nos dicimus „ *probabilius* “ . Et n. 303. „ Hoc vocabulum *probabilius* , ut ex Sacra Scriptura notavimus, nil aliud importat, niſi *dignitatem*, „ *& meritum, ut aliquid approbetur, ſeu commendetur* . Unde *probabilis vir* , *probabile* „ *dictum* , ideſt *commendabilia* . Et ſi attente, „ atque accurate res penetretur , quiſque concludet , quod Ariſt. cæterique cum eo Philoſophi , ac Theologi nomine *propoſitionis* „ *probabilis* nihil aliud intellexerunt , niſi „ eam , cujus veritas evidenter non conſpicitur , ſed per aliqua media ſive intrinſeca , „ ut ſunt rationes , ſive extrinſeca , ut ſunt „ authoritates , ita apparet , ut expulſa formidine (prudenti ſcilicet) mereatur approbari “ .

III. Hæc itaque notio *opinionis probabilis* tenenda omnino eſt , ut ſit judicium intellectus non equidem penitus firmum propter carentiam vel evidentiæ , vel omnimodæ certitudinis ; ſed talibus motivis nixum , ut ab homine prudenti approbari mereatur tanquam vera . Ex quibus omnibus pervium eſt colligere , quænam ſit legitima

DEFINITIO CONSCIENTIÆ PROBABILIS.

Conſcientia probabilis eſt actus , quo intellectus ob motivum quidem abſolute fallibile , ſed prudenti approbatione dignum determinate judicat , actionem hic & nunc exercendam licitam eſſe , vel illicitam .

Poſitis his, quæ prænotata ſunt, clara hæc definitio eſt , nec ulla indiget majore explicatione . Quapropter , cum hæc ſit notio ſicut opinionis , ſic etiam Conſcientiæ probabilis , quam habent omnes , qui vel *Probabilioriſtæ* , vel *Antiprobabiliſtæ* vocantur, eique totum innitatur ipſorum ſyſtema , quod & nos ſequimur , in opinionum delectu , qua Conſcientia tuto dirigatur ; ideo illud fuſius exponendum eſt , ac ab Adverſariorum cavillationibus aſſerendum ; quod paragraphis ſequentibus præſtituri ſumus juxta ea , quæ ſcripſimus in libro *de proxima humanorum actuum regula in opinionum delectu* lib. 1. Cap. 2.

§. II.

Sententia Probabilioriſtarum in rebus opinabilibus exponitur .

IV. Sententia eorum omnium , qui *Probabilioriſtæ* , aut *Antiprobabiliſtæ* audiunt , in rebus opinabilibus ad Conſcientiam pertinentibus , non alia eſt a veteri illa , quæ piis omnibus Deum timentibus, ſuæque æternæ ſalutis ſolicitis uſitata ſemper fuit , & adhuc eſt , qui de actionis qualitate , recta ne ſit , an ſecus , incerti , diligenter prius , ſolutoque præjudiciis , & affectionibus animo , veritatem exquirunt ; momenta , quæ utrinque ſe offerunt , accurate perpendunt , doctoſque, & rei peritos , ſi opus fuerit , in conſilium adhibent . Hinc, ſi momenta , quæ legis obligationem negant , tam valida deprehenderint , ut , prudenti falſitatis metu ſublato , moralem veritatis certitudinem afferant, eam ſci-

Digitized by Google

ſcilicet, quam ſupra deſcripſimus, & quæ cum opinione probabiliſſima, aut longe probabiliore coincidit, eam fidenter amplectuntur; perſuaſumque habent, Deum minime præcipere, ut contrariam ſententiam eligant, quam tutiorem licet, falſam tamen prudenter judicant. Si autem re ſedulo expenſa momenta utrinque æqualia, aut ferme æqualia ſint, multoque magis ſi, quæ legi favent, graviora ſe prodant; tunc eligunt, eligendumque putant, quod tutius eſt, legi ſcilicet parendum, & prætermittendam actionem. Hæc proborum omnium, qui peregrinarum, recentiumque doctrinarum jejuni ſalutis viam *in ſimplicitate cordis, & veritate ſpiritus* inſequuntur, perpetua conſuetudo fuit, & adhuc eſt: nec aliud docent, qui *Probabilioriſtæ*, aut *Antiprobabiliſtæ* nominantur, catholici ſaltem; nec enim cura nobis eſt de ſententia rigidiore aliorum, ſi qui tamen ſunt: neminem namque me agnoviſſe hactenus ingenue profiteor. Nihil itaque eſſet, cur ad noſtram ſententiam uberius explicandam quidpiam adderem. Verum, ut morem teneam, quo controverſia verſari a Theologis ſolet, & difficultatibus occurram, quæ ab Adverſariis excitantur, aliquanto prolixior ſim, oportet.

V. Veteris ergo, & nunc communioris ſententiæ aſſertores hæc docent. Quum æterna Dei lex, quæ *lex veritatis* eſt, prima ſit, & univerſalis, atque penitus immota humanorum actuum regula, non alia præſtitui ſibi ab homine poteſt operandi norma, quam veritas, ſive conformitas cum ea lege, ut divinæ obſequatur voluntati. Porro veritas hæc interdum ſe nitidiſſime offert menti noſtræ, cujuſmodi ſunt prima morum principia, ſive boni, malique notiones univerſales, in ratione noſtra ab Authore naturæ penitus inſitæ, & conſignatæ; aliaque multa, quæ vel hinc neceſſario, evidenterque ducuntur, vel divino, humanoque jure perſpicue proponuntur. Tunc autem nemo Theologorum diſſentit, quin applicare ſe homo debeat ad veritatis ductum, a quo, ſi deflexerit, ut cupiditatibus ſuis indulgeat, certo peccat. At quoniam veritas ſæpe nude non ſe prodit, & aperte, in hoc præſertim lapſæ naturæ ſtatu, ſed craſſis circumfuſa tenebris latet, ſepoſitis tunc præjudiciis, atque affectionibus inveſtiganda eſt, mediaque illa adhibenda ſæpius indicata, ut eam adinveniamus. Quod ſi quandoque contingat, ut mediis adhibitis, veritatem, quam ſequi opus eſt, aperte non cognoſcamus, ſed ſolam acquiramus aliquam ejuſdem ſimilitudinem, atque probabilitatem; tunc proprie *Probabilioriſtarum* ſententiæ locus eſt, ad quam procedimus declarandam.

VI. Triplex eſſe poteſt hæc veriſimilitudo, ſeu probabilitas, treſve poſſunt ejus diſtingui ſtatus. I. Momenta, quæ alicui ſententiæ favent, hunc ex. ea. illumve contractum celebrari innoxie poſſe, ea interdum ſunt, ut ſolam hanc efficiant prope veram, probabilemque opinionem, quum vel pro oppoſita opinione nulla, vel admodum leviſſima extent, ut pro nihilo reputentur. II. Poſſunt iſta cum aliis pariæque, aut propemodum æque gravibus, ſolidiſque momentis concurrere, quibus propterea fiant opiniones contrariæ æqualiter, aut ferme æqualiter veriſimiles, aut probabiles. III. Momenta, quæ pro ſententiarum altera occurrunt, adeo valida, adeoque gravia ſunt, ut præ iis oppoſita infirma videantur, & levia, fiatque ſententia, quæ prioribus nititur, longe probabilior adverſà, aut etiam probabiliſſima. De primo pronuntiamus, fas eſſe contractum inire, eo quod momenta, quibus ſententia illum licitum faciens, etſi evidens non ſit, ſit tamen ſola veriſimilis, mentem noſtram in firmam perſuaſionem adducunt, nos tunc conſectari veritatem, ut regulam: idemque aſſerimus, ſi momenta, quæ contractum honeſtum eſſe perſuadent, cum aliis comparata multo graviora ſint, nobiſque prudenter videan-

Digitized by Google

deantur, atque firmiora. Quapropter nonnullorum, ſi qui tamen ſint, ut dixi, *Tutioriſtarum*, aut *Rigoriſtarum* ſententiam, quæ jam ab Eccleſia proſcripta eſt, rejicimus, qui, ut licita ſit operatio, plenam, & omnimodam de ejus honeſtate moralem certitudinem neceſſariam eſſe contendunt. Inde enim fluerent abſurda plurima, eaque graviſſima, quibus tota humana vita, ac civilis ſocietas perturbaretur, quæ plerumque ducitur, nec duci non poteſt, majori ſimilitudine veri, ac probabilitate, quum veritas rerum haud raro clare non appareat *in rebus contingentibus, quæ tantam*, ut ait *S.* Thomas, *varietatem habent*. Si autem poſt ſeriam, ac diligentem veritatis inquiſitionem momenta, quæ oppoſitæ ſententiæ favent, æque gravia deprehendimus, aut ferme æque gravia, multoque magis, ſi nobis videantur illa graviora, tunc omnes una mente, unoque ore docemus, nefas eſſe illi adhæreſcere, quemadmodum dictum eſt Capite præcedente. Tunc enim non ſectaretur homo veritatem non ſolum non evidenter, ſed neque prudenter cognitam, aut exiſtimatam: adeoque tutam ſententiam, quæ legi favet, amplecti teneretur.

VII. Atque hæc *Probabilioriſtarum* ſententia eadem eſt, quam tradit celeberrimus Author P. Thyrſus Gonzalez, quo nullius hac in re major eſſe poteſt fama, & authoritas, cum nedum Author ille ſit non uno nomine ſpectatiſſimus, ſed & quod ejus opus diligentiſſime prius excuſſum probarint Innocentius XI. & Innocentius XII. cujus inſuper juſſu, tota Roma, & Chriſtiano orbe plaudentibus, &, ut teſtatus eſt poſtremus Pontifex, *Spiritu Sancto impellente*, Romæ vulgatum fuit: unde poſtea iteratis editionibus ubique meavit. Libri titulus hic eſt: *Fundamentum Theologiæ Moralis*, in cujus proſpectu clarus, eximiuſque Scriptor ſuam, communemque ſententiam exponit: *Tractatus Theologicus de recto uſu opinionum probabilium*; in quo oſtenditur, ut quis licite ſequi poſſit *opinionem probabilem faventem libertati adverſus legem*, *omnino neceſſarium eſſe, & ſufficere, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ac ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, opinio illa ipſi appareat, attenta ratione, & authoritate, vel unice veriſimilis, vel manifeſte veriſimilior, quam oppoſita ſtans pro lege adverſus libertatem, ac idcirco ab ipſo judicetur vera, judicio abſolute firmo, ac non fluctuante*.

Quam in limine paucis exponit, ſententiam, toto ſubinde in opere multis explicat Gonzalez, atque confirmat; eamque in decem, quibus tota ſua doctrina continetur, propoſitiones digerit, quæ aqud ipſum legi poſſunt. Nos hic poſtremas duas duntaxat afferemus; ſcilicet, ſeptimam & octavam. Septima his verbis concepta eſt: *Ut judicium opinativum conceptum ab operante de honeſtate objecti ſit ſufficiens ad ſecuritatem Conſcientiæ, omnino neceſſarium eſt, ut formetur ob momentum authoritatis, & rationis manifeſte præponderans fundamento ſententiæ contrariæ, ac ut formetur ſine paſſione, ac præcipitatione*. In qua propoſitione ſatis directe continetur, quid ſit, qualiſque eſſe debeat *Conſcientia vere probabilis*, ut licite quis operetur. Octava autem ita ſonat: *Noſtra ſententia duplici nititur principio, & utroque nobis certo. Primo: quod nemo poſſit ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, quin ſibi perſuadeat, judicio ſaltem opinativo prudenter concepto, illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. Secundo, quod nemo poſſit hanc perſuaſionem induere, quin inveniat majus fundamentum pro hac parte, quam pro contraria*.

VIII. Hæc eſt P. Gonzalez de opinionum probabilium uſu Summa doctrinæ. Nec aliam tradunt Cardinales de Laurea, Aguirre, Got-

ti &

Digitized by Google

ti &c. Fagnanus, Charlas, Mercorus, Simoneti, Gisbertus, Camargo, Antoine, Ballerini, Concina, omnes denique Antiprobabiliſtæ. Hanc veteres omnes Theologi docuerunt: hanc Epiſcoporum plurimi in ſuis Paſtoralibus Inſtructionibus: hanc Apoſtolica Sedes, Romaniqua Pontifices, ſemper approbarunt. Hinc aperte conſtat, quod ab initio jam diximus, Doctores hoſce non aliam humanorum actuum regulam, quam veritatem præfigere, ſive judicio omnino certo, ſive opinativo cognitam; nec eos quidem probabilitatem omnem explodere, ſed conſtanter docere, eas ſolum benignas opiniones amplecti hominem recte poſſe, quæ firmioribus momentis nixæ, adeoque oppoſitis vere probabiliores, moralem veritatis certitudinem afferunt operanti. " Nos,
„ inquit Camargo p. 291. cum Pſalmiſta
„ *Viam veritatis eligimus*: neque anim ul-
„ lam aliam rectam agendi regulam agno-
„ ſcimus, quam veritatem ipſam ..... Nec
„ tamen ideo exigimus ad agendum ho-
„ neſte judicium prorſus, & abſoluta cer-
„ tum, ſed ſufficere dicimus opinionem ve-
„ re probabilem, ideſt, quæ concipiatur poſt
„ ſufficientem rei diſcuſſionem ax motivis vel
„ unice veriſimilibus, vel ſaltem veriſimi-
„ lioribus, & notabiliter præponderantibus
„ oppoſitæ partis motivis, ita ut ab ope-
„ rante abſolute vera putentur non ex af-
„ fectu aliquo inordinato, ſed ex ſincero
„ potius amore honeſtatis, & veritatis ".
Author quoque Synopſeos doctrinæ Gonzalis poſt principiorum ejuſdem declarationem, atque confirmationem ita concludit:
„ Manere itaque debet fixum, probabilita-
„ tem non eſſe regulam recte operandi,
„ ſed veritatem, ideſt non ſufficere ad rec-
„ te operandum, quod quis judicet, o-
„ pinionem eſſe probabilem, ſed requiri,
„ ut judicet eſſe veram. Unde, quum e-
„ videns ſit, veritatem eſſe non poſſe penes
„ utramque ſententiam [ſi una alteri ad-
„ verſetur) ſed penes unam duntaxat, nun-
„ quam habet operans optionam eligendi in-
„ ter opinionem benignam, & rigidam pro
„ libitu ſuo, ſed duntaxat poteſt eligere
„ benignam, quando habet fundamentum
„ aliquod præpondarans ad credendum, il-
„ lam eſſe veram, & ſententiam rigidam
„ eſſa falſam; quod nunquam habet, niſi
„ quando ſententia benigna proponitur vel
„ ut unice veriſimilis, vel ut manifeſte
„ contraria veriſimilior. Noſter itaque ſco-
„ pus, in quem collineara, & ſtella po-
„ laris, quam inſpicere debemus, eſt ve-
„ ritas ". Quod Gerſonis, & ipſius Eſparzæ authoritate confirmat, poſſetque ſexcentis aliorum teſtimoniis confirmari.

IX. Qui ita ſe gerit in actionibus ſuis, non habet quidem ſupremam illam certitudinem moralem veritatis, quam ſupra diſtinximus, ei ſimilem, qua certi ſumus, val *Cæſarem* extitiſſa, vel *Romam* exiſtere, quam nunquam vidimus; habet tamen moralem certitudinem, quam *imperfectam* vocant, ſive *tertii gradus*, quam neceſſariam diximus, ſimulque ſatis aſſe ad licite agendum; & quæ admittit quidem aliquam errandi formidinem, ſed plana imprudentem, qualis aſſo ſolet formido aorum, qui ſcrupulla anguntur, quæque declarari ſic poteſt: *Hoc ego operans falli abſolute poſſum, quum veritatem evidenter perſpectam non habeam; timere tamen, & putare me falli, prudenter, ſolideque non poſſum, & falſum pro vero ſectari*. Morali hac certitudina in aliis quibuſque rebus dirigera ſe ſapientes homines ſolent; neque enim quæri aliia plerumque potaſt certitudo in humanis actibus, *qui ſunt circa contingentia, & variabilia*, ut ex D. Thoma, & Sancto Antonino notavimus, & confirmare poſſumus ex Bellarmino lib. 3. de Iuſtif. C. 2. dicante: *Tertium gradum certitudinis habent illa, qua tot ſignis, & conjecturis nituntur, ut ſecurum hominem reddent, & anxietatem*

tem excedant, *non tamen formidinem omnem expellant; atque dicitur certitudo conjecturalis*, & *opinionis eſt potius*. Ad hunc digitum intendit in Inſtructione ad Theanenſem Epiſcopum ſcribens: *Si quis vult in tuto ſalutem ſuam collocare* &c. *is debet certam veritatem inquirere*, ideſt morali certitudine denotatam, qua ſecuritati Conſcientiæ ſatis conſulitur. Atque hoc eſt *Probabilioriſtarum* ſyſtema circa opiniones probabiles, juxta quod formari debet *Conſcientia*, quæ *probabilis* dicitur.

§. III.

Injectæ a Probabiliſtis præcipuæ difficultates adverſus ſyſtema propoſitum expediuntur.

X. Nullæ revera alicujus ſaltem momenti ſunt difficultates, quæ impetant declaratam Probabilioriſtarum ſententiam, quæque ab Adverſariis afferuntur, cavillationes meræ ſunt, & nugæ potius, quam ſolidæ objectiones. Præcipuas proferam. Nonnulli in primis eam criminantur dicentes, conſtitui a nobis humanorum actuum regulam *proprium cujuſque judicium*, ex quo innumeri errores, & mala profluant neceſſe eſt. Ajunt nempe: qui cenſet licere benignas illas opiniones, quas, qui agit, ſibi *veras* eſſe perſuadet, uni judicio ſuo defert, nihil, aut parum alieno, quod & multum arrogantiæ præfert, & ad errata, & mala plurima aditum patefacit. Unuſquiſque enim opinionem quamlibet, quæ ſibi magis arriſerit, veram habere poteſt, ſuo marte momenta cudens, quibus flectatur ad ferendum de opinionum etiam laxiorum, & improbabilium veritate judicium. Quod argumentum maxime proſequitur P. Paulus Segnerius Epiſt. 2. adverſus P. Gonzalez, aliique poſt ipſum; qui propterea *Probabilioriſmum*, ut inquiunt, *ſubjectivum* traducunt ceu peſtilentem depravationum fontem.

Sed plane non intelligo, quomodo Adverſarii nobis bona fide, aut ſine evidenti ſententiæ noſtræ ignoratione hanc accuſationem inferre queant. Non enim ita loqui poſſunt, niſi veritatem apertiſſimam conſulto averſentur, ſoloque arbitratu ſuo nobis affingant, quod ne per ſomnium quidem cogitavimus. Nec ad propulſandam hanc calumniam aliis opus eſt, quam quæ ſuperiore §. dicta ſunt. Statuimus certo oportere, ut, qui agit, abſolute in ea perſuaſione ſit, veram, nec a Deo vetitam eſſe benignam opinionem, quam eligit; nunquam tamen prudens, & ſapiens hæc futura perſuaſio eſt, ſi in illam ſe induci ſinat aliquis ſolis momentis, quæ *forte* poſſunt agenti in *mentem venire*, nulla prorſus ratione habita authoritatis, & momentorum, quibus contraria ſententia firmatur: tunc enim non ſincere, fideliterque veritatem exquireret, ſed illam ſibi fingeret ad arbitrium; haud ſecus ac Ethnici, ac hæretici firmam ſuorum errorum retinent perſuaſionem ex vituperanda ſuperbia, quæ illos a crimine profecto non excuſat. Immo Chriſtianorum plerique, Agricolæ, Mercatores, Mulieres, totque alii Theologicarum rerum ignari, non aliter poſſunt veritatis, de qua dubitant, cognitionem aſſequi, niſi judicium ſuum ſubjiciant alieno judicio, aut Paſtorum, aut Theologorum. Doctiſſimus quandoque magnique ingenii vir benignam opinionem minus probabilem communius habitam penitus excutiens, & perpendens, iis illam momentis niti deprehendere valet, ut ſit illi multo probabilior oppoſita, eaque ad agendum utatur; perraro tamen id accidit, & tanquam quædam communis regulæ appendix habenda eſt. Quin & doctiſſimi magnam ad benignarum opinionum minus probabilium delectum circumſpectionem afferant, neceſſe eſt, ſi oppoſitæ gravium Theologorum authoritate nitantur, timeantque, ne

fal-

fallantur, niſi quæ excogitarunt, momenta rationum, nedum valida, ſed & nitidiſſima ſint. Cæterum ſi *Probabiliorisſmus ſubjectivus*, ſive *privatum judicium* intelligatur, ut oportet, & ut ab Antiprobabiliſtis intelligitur, nedum repudiari minime poteſt, ſed potius ſuſtineri debet ab omnibus, ſi conſentiant, ut conſentire opus eſt, propriam cujuſque Conſcientiam proximam eſſe humanorum actuum regulam. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 2. *Homo in iis, quæ pertinent ad propriam perſonam, debet formare Conſcientiam ex propria ſcientia*, quam ſibi vel ratione, vel authoritate comparavit. Et Innocentius XI. judicium hoc diſerte approbavit, cum juſſit P. Gonzalez tradere, ac pro virili probabiliorem ſententiam tueri, eoſque valide confutare, qui *ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ, & judicatæ ſequi fas eſſe docebant*. Quibus non aliud plane ſignificavit, niſi proprium operantis judicium, ſive *Probabilioriſmum ſubjectivum*, qui *objectivum* ſupponit, regulam eſſe debere actionum noſtrarum. Sed pudet profecto in hac adeo futili objectione diluenda immorari diutius.

XI. Adnotandum tamen ad indoctorum plurium, & ſolidæ Theologiæ morum minus peritorum utilitatem, Antiprobabiliſtas in ſeligendis opinionibus *authoritatem extrinſecam* nedum non rejicere, ut *judicium proprium*, ſive Conſcientiam de agendis prudenter forment, ſed præ ipſis etiam Probabiliſtis ejus neceſſitatem commendare; at utrique inter ſe plurimum differunt in deſinienda authoritate, cui reverenter auſcultandum ſit, & deſignandis Authoribus, in quorum fide tuto poſſumus conquieſcere. Pobabiliſtæ, ut videtur, & alibi amplius conſtabit, non aliis hac in re deferunt, quam recentibus Scriptoribus, aut Theologis, iiſque ferme omnibus ſuarum partium. Unum inter alios ſatis eſt adire Lacroixium in Morali Theologia laudantem nonniſi ferme Scriptores ad conciliandam opinionibus probabilitatem, quorum pleri que recentes ſunt, & Probabiliſmi fautores. Aliter tamen ſe gerunt cordatiores, ſapientioreſque Antiprobabiliſtæ. Authoritatem, qua practica judicia noſtra ſo mantur, primo petunt ex naturali *ſacrarum litterarum* ſenſu: hinc *ex Traditionibus, ex Patrum documentis, Canonibus Sacris, Summorum Pontificum deſinitionibus, Paſtoralibus Epiſcoporum Inſtructionibus, Nationalibus, Provincialibus, ac etiam Diœceſanis Synodis*; & ex iis demum Doctoribus, ac Theologis, qui doctrinas ſuas ex his maxime fontibus veritatis hauſere, & ſcita ſua ad tam præclaram formam exigere conati ſunt. His omnibus præſtare Doctorem Angelicum Catholicorum nemo non confitetur, quod ſit ejus doctrina incorrupti ex Scripturis, Traditione, & Patribus expreſſi ſucci pleniſſima; quam ideirco magna ſemper in laude habuerunt, & a quovis errore puram declararunt Romani Pontifices, quæque apud omnes majorem obtinet authoritatem. Scriptores alios, ac Theologos pro cujuſque merito Antiprobabiliſtæ ſuſcipiunt, quos, ſi de capite aliquo invicem diffidere perſpexerint, ſemota eorum authoritate, ſola, quæ proferunt, momenta perpendunt. Hoc apud Antiprobabiliſtas frequentius factitatum, quum de extrinſeca authoritate res eſt. Sed ad alias objectiones veniamus.

XII. Aliud Probabiliſtæ argumentum inſtruunt ex *moralis* de actionis honeſtate certitudinis neceſſitate, qua præditus ſit oportet, qui agit, ut actio recta ſit, aut ſaltem abſit a culpa, ſi forte primæ regulæ conſentanea non fuerit. Contendunt enim nimium a nobis exigi, imponique cervicibus hominum graviſſimum, & plane non ferendum jugum: atque adeo cenſuræ obnoxios nos eſſe, qua Alexander VIII. eam perculit propoſitionem: *Non licet ſequi opini-*

pinionem inter probabiles probabiliſſimam. Nam moralis certitudo probabilitati etiam ſummæ præſtat. Si ergo proſcripta eſt opinio decernentium nefas eſſe, ſectari opinionem ſumma etiam affectam probabilitate, legitime ſequitur, damnatam eſſe quoque, quæ hanc moralis certitudinis neceſſitatem inculcat.

Ludam plane operam, ſi pluribus refutandam aggrediar hanc non minus, quam priorem futilem oppoſitionem: facile quippe ejus veritas perſpecta ſit ex iis, quæ ſupra diximus de morali certitudine ad agendum requiſita. In humanis namque rebus contingentibus, & viciſſitudini ſubjectis, tunc argumenta gravia, & longe graviora, quam oppoſita, eam inducunt adeo gravem probabilitatem, ut hæc non differat ab ea *certitudine morali imperfecta*, quam ex D. Thoma, aliiſque eximiis viris deſcripſimus; confirmarique poteſt Juris Canonici teſtimonio Cap. *Veniens* de Presb. in quo Summus Pontifex, quum valida, quæ veritatis præſumptionem afferebant, momenta recitaſſet, ſubdit: *Hæc præſumptio pro certitudine habenda eſt*. Sane in humanis, & mutabilibus rebus aut opinio valde probabilis, atque probabiliſſima eadem, ac opinio *moraliter certa* dicenda eſt: aut moralis hæc imperfecta certitudo perperam confunditur cum phyſica, metaphyſica, aut *morali perfecta* certitudine, quæ hæſitationem quamlibet, ac formidinem, levem etiam, & imprudentem abigit, cui locum reliquit *moralis imperfecta certitudo*, quæ timorem, dubitationemque prudentem, & propriam viri ſapientis duntaxat explodit. Hinc fallitur Lacroixius, dum ſupponit *n.* 180. quempiam duarum propoſitionum invicem pugnantium unam judicare *probabiliſſimam*, ſimulque perſpicere alteram niti *gravi motivo*, *ſeu ratione prudenti*, & *magni momenti*. Si enim propoſitionem hanc haberet ille *probabiliſſime* veram, neceſſe eſt, ut oppoſitam habeat *probabiliſſime falſam*. Quomodo poteſt ergo animum inducere, ut credat propoſitionem ſibi *probabiliſſime* falſam *gravi motivo*, *ratione prudenti*, & *gravis momenti* fulciri? Verbis itaque damnatæ propoſitionis. *Non licet ſequi inter opiniones probabiles probabiliſſimam* fœde abutuntur, qui inde concludunt, *probabilem* adhuc eſſe opinionem etiam comparatam cum oppoſita, quæ *probabiliſſima* ſit. Verborum illorum nitidus, ac legitimus ſenſus eſt; *Inter opiniones, quarum varii ſunt probabilitatis gradus, aut tenuis, aut æqualis, aut minoris, nullam ſequi licere, nec etiam probabiliſſimam*. Si plura cupis, conſule C. 3. *part.* 1. *cit. Tract. de Reg. prox.* &c.

XIII. Quo vero plenius veritatem ſententiæ noſtræ, & Antiprobabiliſtarum hic confirmem, lubet adnotationem adjungere, quam magni momenti exiſtimo: certitudo, quam diximus ad agendum neceſſariam, non abſoluta eſt, ſed relativa ad judicium, ſive Conſcientiam operantis, qui ſententiam minus tutam innoxie judicat longe probabiliorem oppoſita. Verum certitudinem hanc, quam principia *directa*, ex quibus fluit, *relativam* efficiunt, *abſolutam plenamque* fieri vi principiorum, quæ *reflexa* dicuntur, dicendum eſt, conſenſione nimirum Catholicorum omnium Doctorum, ſive *Probabilioriſtæ* ſint, ſive *Probabiliſtæ*, & cenſura dictæ propoſitionis adverſus *Rigoriſtas*: idque ſequentibus duobus ſyllogiſmis manifeſtum fit: Primo nempe: *Omnibus Theologis Catholicis ratum, fixumque eſt, fas eſſe benignam opinionem ſectari, quæ prudenter probabiliſſima, aut oppoſita multo probabilior judicatur. Sed nunc opinionem ſequor, quæ mihi probabiliſſima prudenter eſt, aut longe probabilior oppoſita. Certo itaque Theologorum omnium conſenſu mihi licet eam ſequi.* Et hæc certitudo moralis *abſoluta* vocatur.

Syllogiſmus alter ex memoratæ propoſitionis: *Non licet ſequi* &c. damnatione de-

du-

Digitized by Google

ducitur ; ex qua fit, ut propoſitio ei oppoſita Catholicis omnibus certiſſima ſit, videlicet : *Licet opinionem probabiliſſimam ſequi: opinio hæc mihi certe prudenterque probabiliſſima eſt . Igitur eam tuta Conſcientia ſequi poſſum* . Similes alii Syllogiſmi ex generali illa regula Juris Canonici : *Inſpicimus in obſcuris , quod veriſimilius eſt* , aliiſque regulis confici poſſunt . Ex quibus liquet, ſententiam , quam amplectuntur Antiprobabiliſtæ in rebus opinabilibus , omnimoda, quæ haberi poteſt , gaudere certitudine , nullique peccandi periculo obnoxiam eſſe , omnemque removere dubitationem , aut culpæ ſuſpicionem : atque adeo falſum omnino eſt, quod Ghetius , aliique multi obtrudere ſolent , *Probabilioriſtam perinde , ac Probabiliſtam certo , apertoque periculo ſe committere quidpiam admittendi divinitus interdictum* . Vide reliqua loco citato .

XIV. Propoſitum mihi erat ne verbum quidem facere de alio argumento , quod moderatiores , & prudentiores inter Probabiliſtas ne attingunt quidem . At , ne illud omnino præteream , facit plurimorum confidentia , qui illud plus æquo exaggerant, & ſententiæ noſtræ invidiam creare moliuntur , Antiprobabiliſmum venditantes *Janſeniſmi* ſurculum eſſe . Primus , qui notam hanc noſtræ inuſſit ſententiæ , fuit Caramuel : ſed Terrillus præ cæteris magna licentia , ac audacia locutus eſt *in Tract. de Conſc.* ſcribens ; *Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ probabilioris , & ante Janſeniſmum nunquam fuiſſe auditam* ; cui ſuffragatur P. Caſnedi majori licentia, rem hanc tanquam indubitatam affirmans : atque hos alii ſecuti ſunt , præſertim recentiores .

Profiteor me tam inſigni falſitate commoveri vehementius , abſurda graviſſima, & peſtilentiſſima mala conſiderans , quæ afferre illa imperitis poteſt , ſi fuerint plus æquo creduli . Probabiliſtæ enixe rogandi ſunt,ut, quæ ſcribunt , accuratius expendant . *Si bonis rationibus* , ajebat Contenſonius , *ex miſeræ cauſæ ſuæ conditione carent , ad lutulenta , & inepta convicia non confugiant* . Patebit hujus ignominioſæ notæ falſitas , & iniquitas alibi evidentiſſime . Interim pauca curſim dabimus , quæ ſunt ad eam diſpungendam perquam idonea . Primo Probabiliſtarum præcipui , Vaſquez , Sanchez , Diana , Amicus , aliique Caramuele, & Terillo priores ante Janſenii ortum , immo ante Medinam fatentur , D. Thomam , Alenſem , Scotum , Adrianum , Gabrielem, D. Antoninum, & alios , omnes denique, quotquot de hoc argumento ſcripſerunt , fuiſſe Antiprobabiliſtas . Numquid hi a Janſenio eam accepere ſententiam ? A Medinæ ævo ad Paſcalem uſque , ac ejus ſocios , qui primi feruntur Antiprobabiliſmi partes ſuſcepiſſe , bellumque Probabiliſmo intuliſſe, quot vere Catholici numerari poſſunt Probabiliſmo infenſiſſimi ? Tres e Societate Jeſu occurrunt, Ferdinandus Rebellus, Comitolus & Andreas Biancus, qui ſibi Candidi *Philalethis* nomen adſcivit . Duo e Prædicatorum Familia Gravina , & Mercorus . Præter hos Meranda , Fagnanus , aliique . Numquid hi Janſeniſtæ ? Præterea num in Hiſpania a Janſenianis excitatum eſt bellum adverſus Probabiliſmum , & vitiatam Ethicen ? An non potius ejus Authores fuerunt Bernardus de Ontiveros , Cardinalis de Moſcoſo Toletanus Archiepiſcopus , Jo. Antonius de Sotta, aliique Præſules a Cardinali de Aguirre recenſiti, Venerabilis Joannes de Palafox Angelopolitanus Epiſcopus , Ferro , Elcleperius , & Matthæus Homen ?

Ulterius in Gallia quoque , ubi belli hujus a Janſenianis in Probabiliſmum commoti initia figuntur , quot Janſenianis in hoc certamine præiverunt ? Pariſienſis Facultas dignos cenſuit , quorum lectio vetaretur , hos libros , Caſuum , aut Ethices tractatuum anno 1619. *Magnam Parochorum , Vicariorum &c. regulam* Petri Milhard ; anno 1635. *Directo-*

Digitized by Google

rectorium Directorum Bertini Berthaud; anno 1638. *Summam de peccati, & praxim Beneficiorum* Stephani Baunii; anno 1642. Gallicanus Clerus cum Sacra Facultate conſentiens in eoſdem libros cenſuram tulit, quod *ad mollitiem, & diſſolutionem morum inducerent, æquitati naturali, & juri gentium adverſarentur, blaſphemias, uſuras, & ſimonias quaſi leviora peccata nequiſſime excuſarent*. Ut alia plura omittam, eodem anno 1644. teſte Cardinali de Aguirre ſexdecim Galliarum Epiſcopi litteras dederunt ad Urbanum VIII. ubi hæc inter cætera ſcribunt: *Divinorum Sacramentorum uſus, qui omnibus ſacer, ac ſalutaris eſſe debet, in perniciosum, ac piis omnibus deplorandum abuſum ſæpiſſime convertitur, depravatis, ac corruptis moribus* blandimenta potius, quam ſalubria remedia comparantur, *ut ex ſententiis ex libris ipſorum* (Caſuiſtarum) *fideliter exceptis nemini apertum, atque exploratum eſſe non poteſt*. Hi vero omnes, aliique Janſeniſtæ certe non erant, ſed plane Catholici. Quum itaque ante Janſenianos Ethicæ depravationem inſectati iſti fuerint, quis moderate patiatur, quotidie jactari, Janſenianos omnium primos in Probabiliſmum arma ſumpſiſſe, & Antiprobabiliſmum docuiſſe?

Eo ipſo anno 1656. quo vulgatæ a Paſcali celebres illæ litteræ ſunt, qui Janſeniani, quorum *tam ingentem manum* in aciem prodiiſſe Ghetius ſcribit, etſi magnam in hoc perquirendo diligentiam poſuerim, ſoli mihi pauci occurrerunt, qui hoc nomine audiunt, Paſcalis, Nicole, Arnaldus, aliique fortaſſe duo, vel tres. Hi vero quid præ Parochorum millibus, qui in præcipuis Regni urbibus in Probabiliſmum velut agmine facto irruperunt; præ Epiſcoporum Conventu anno 1656. habito, in quo ad intercipiendum graſſantis corruptelæ curſum validæ ſanctiones objectæ ſunt: præ 101 Epiſcopis, qui pervulgatam *Caſuiſtarum Apologiam* ſpeciatim confixere; præ innumeris demum cujuſque Inſtituti Regularibus, Doctoribus, & Sæcularibus, ut ajunt, Sacerdotibus, qui ad avertendam hanc a Chriſtiana Ethica corruptionem certatim adniſi ſunt? Hi autem omnes, quos Catholicos fuiſſe ipſi nec poſſunt, ſed neque audent negare Probabiliſtæ, bellum Probabiliſmo intulerunt, hi ſignum dedere certaminis, hi exterminare Probabiliſmum pro virili conati ſunt; & perpauci ii Janſeniani, qui ad eos pugnantes ſe adjunxerunt, vix præ illis digni ſunt, qui cenſeantur, & in tam valida, tamque copioſa Catholicorum multitudine pene nulli ſunt. Quare ipſe Honoratus Fabri de primis Probabiliſmi oppugnatoribus verba faciens nec ullum protulit Janſenianum, ſed Scriptores omnes plane Catholicos. Qua ergo ſcientia, ſive potius auſu temerario ſcribitur, Antiprobabiliſmum *Janſeniſmi prolem eſſe: Janſenianos omnium primos in Probabiliſmum impetum feciſſe, quibus opera tulerunt Catholicorum nonnulli a Janſenianis arma mutuati*? Qui hæc in vulgus effundunt, aut plane ignorant, quid ſæculo proxime evoluto contigerit, aut non verentur, ne Eruditorum omnium irriſionibus, & cachinnis ſe exponant. Sed ad graviora progrediamur.

§. IV.

Quæ ſedulo attendenda ſint, quæve cavenda, dum agitur de formanda Conſcientia vere probabili ex extrinſeca Scriptorum authoritate.

XV. Maximi momenti exiſtimanda eſt cognitio eorum, quæ neceſſaria ſunt, ut recte, prudenterque formetur *Conſcientia probabilis* ex extrinſeca Scriptorum authoritate, dum ad eam confugere oportet, quoties ex aliis certioribus principiis eam formare neſcimus. Et plura quidem de hoc argumento dicta ſunt in locis generalibus.

bus Moralis Theologiæ ; verum & hic pauca quædam animadvertere proderit ad plurium utilitatem .

Primo itaque illud pro certo tenendum eſt , probabilitatem extrinſecam , ex unius, vel plurium Scriptorum authoritate depromptam , ſeipſa duntaxar opinioni morali ſecuritatem conciliare non poſſe , dum ſolida ratione , vel Scripturarum , aut Traditionis momentis deſtituta eſt . Id vero patet , quoniam , ſi nonnunquam neceſſe eſt, alicujus etiam ex Sanctis Patribus ſententiam deſerere , cum Scripturæ Sanctæ , aut Traditionis authoritate falſa eſſe deprehenditur ; potiore plane titulo id de recentioribus Scriptoribus aſſerendum eſt . Hinc S, Auguſtinus Epiſt. 8r. ad S. Hieronymum ſcribit : " Solis eis Scripturarum libris , qui
,, jam *Canonici* appellantur , didici hunc
,, timorem , honoremque deferre , ut nul-
,, lum eorum Authorum ſcribendo aliquid
,, erraſſe firmiſſime credam . ... Alios autem
,, ita lego , ut quantalibet ſanctitate , doc-
,, trinaque præpolleant , non ideo verum
,, putem , quia ipſi ſenſerunt , ſed quia mi-
,, hi vel per illos Authores Canonicos, vel
,, probabili ratione . quod a vero non ab-
,, horreat , perſuadere potuerunt " . Gemina habeat *in Epiſt.* 148. ad Fortunatianum C. 4. Inquiens : " Neque enim quorumli-
,, bet diſputationes , quamvis Catholico-
,, rum , & laudatorum hominum , velut
,, Scripturas Canonicas habere debemus , ut
,, nobis non liceat, ſalva honorificentia, quæ
,, illis debetur hominibus , aliquid in eorum
,, ſcriptis improbare , atque reſpuere , ſi
,, forte invenerimus , quod aliter ſenſerint,
,, quam veritas habet , divino adjutorio .
,, vel ab aliis intellecta , vel a nobis , Ta-
,, lis ergo ſum in ſcriptis aliorum , tales
,, volo eſſe intellectores meorum " .

Eadem ferme tradit S. Baſilius *Serm. de abdicat. rerum* his verbis ; " Contendit Ad-
,, verſarius noſter , ut nobis perſuadeat, ut
,, alicui nos credamus , propria vitia ſi-
,, mulata quadam lenitatis ſpecie commen-
,, danti , ut hoc modo innumeris nos pla-
,, ne libidinibus irretiat . Si ergo cum
,, corpore tuo mitius agere volens , Magiſ-
,, trum tibi quæſieris , tecum ſe ad vitia
,, tua dimittentem , vel , ut verius dicam,
,, tecum una in eamdem perniciem cor-
,, ruentem , fruſtra mundanis rebus nuntium
,, remiſiſti , qui cæcum tibi ducem aſcive-
,, ris , cujus ductum ſecuto in foveam ti-
,, bi ſit procidendum " . S. ergo Baſilius mollem Magiſtrum in foveam , & in perniciem ſecum abripere credit , qui eum ſequuntur , & moralem ejus doctrinam libenter audiunt probabilitatis fuco illitam .

Confirmat eamdem regulam S. Thomas *quodl.* 3. *q.* 4. *art.* 2 ubi illos , qui opinionem errantis Magiſtri , aut etiam errantium Magiſtrorum ſequuntur, in foveam erroris cadere docet , inquiens : *Sed contra eſt , quod dicitur Matth.* 15. Si cæcus ducatum cæco præſtet , ambo in foveam cadunt . Tum vero ſubjicit : *Sed quicunque errat , cæcus eſt , in quantum errat . Ergo quicunque ſequitur opinionem errantis Magiſtri , in foveam peccati cadit* . In corpore vero articuli ait : " Reſpondeo dicendum ,
,, quod diverſæ opiniones Sacræ Scripturæ,
,, ſi quidem non pertineant ad fidem , &
,, bonos mores , abſque periculo auditores
,, utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc
,, enim habet locum , quod Apoſtolus di-
,, cit ad Rom. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu*
,, *abundet* . In his vero , quæ pertinent ad
,, fidem , & bonos mores , *nullus excuſa-*
,, *tur* , ſi ſequatur opinionem alicujus Ma-
,, giſtri (licet ipſi probabilis videatur) :
,, *in talibus* enim ignorantia *non excuſat* :
,, Alioquin immunes a peccato fuiſſent, qui
,, ſecuti ſunt opinionem Arii , Neſtorii, &
,, aliorum hæreſiarcharum &c. " .

Denique Summus Pontifex Innocentius

XI.

XI. duas inter alias propoſitiones damnavit, quæ huc referuntur, nempe 3. in Decreto: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Et 4. in ordine: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis ductus opinione minus probabili.*

Huic etiam doctrinæ adhærentes Epiſcopi pletique Gallicani in Cenſura *Apologiæ Caſuiſtarum*, & Academiæ celeberrimæ, præſertim Pariſienſis, & Lovanienſis, has propoſitiones confixerunt.

Omnem probabilitatem ſive intrinſecam, ſive extrinſecam in Conſcientia ſatisfacere putamur, nec exemplis urgebimur: ubique enim eodem omnino modo philoſophamur.

Authoritas unius probi viri, & docti reddit opinionem probabilem.

Ad probabilitatem ſufficiunt quatuor. Sed quatuor, immo & viginti, & ſupra teſtantur unum ſufficere: ergo ſufficit unus.

Ex authoritate unius tantum poteſt quis opinionem amplecti, licet a principiis intrinſecis falſam, & improbabilem exiſtimet.

In dubiis de bono, vel malo, licito, vel illicito, jure divino, vel humano, nullo præponderante argumento, quo dubitare ceſſemus, licet utramlibet partem amplecti, nec tenemur anteferre eam, in qua conſtat nullum eſſe peccatum.

Omnes opiniones probabiles ſunt æque tutæ, & ſecuræ. Benigniores, etſi aliquando ſint minus probabiles, per accidens ſunt ſemper utiliores, & ſecuriores.

Homo non eſt opinionum ſuarum mancipium, ideoque probabiles quaſvis ſententias poteſt ad libitum mutare.

Si liber ſit alicujus Junioris, ac moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem. Hæc opinio expreſſe damnata eſt ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, cui Clerus Gallicanus hanc aliam ſubnectens: *Non ſunt ſcandaloſæ, aut erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit*, utramque hac cenſura proſcripſit: *Hæ propoſitiones, quatenus ſilentium, & tolerantiam Eccleſiæ, pro Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ approbatione ſtatuunt, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, ſaluti animarum noxiæ, patrocinantur peſſimis opinionibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.* De prima vero propoſitione: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca* &c. hanc cenſuram tulit: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum, aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo ſtatuit.*

Quid ergo? inquiet aliquis, ſi *extrinſeca* præſertim *probabilitas* Scriptorum, quorum libris ſæpe indigemus ad caſus reſolvendos, ſatis non eſt ad formandam *Conſcientiam* vere *probabilem*, quæ nos coram Deo excuſare valeat; numquid libri omnes rejiciendi erunt, neque ad eos confugiendum? Ego quidem id de omnibus abſolute affirmare non auſim: ſed magna tamen cum cautela legendi ſunt, ac delectus habendus eorum præſertim, qui Probabiliſmum defendunt, ac probabiliſticis opinionibus abundant in jure potiſſimum divino, ſive naturali, ſive poſitivo; nec eos evolvendos cenſeo pro ſecura Conſcientiæ directione, niſi prius tutis Scripturarum, Traditionis, Sanctorumque Patrum principiis, ac regulis altius imbuta mens fuerit, ut caveamus ab iis ſententiis, quas *probabiles* quidem Caſuiſtæ jactare conſueverunt, quæ tamen revera probabiles minime ſunt, ſed improbabiles, & evidenti errandi periculo Lectores exponunt. Qua in re audire præſtat prudens, ac ſapiens judicium, & monitum Epiſcopi Cabilonenſis Felicis de Vialar in Epiſtola Paſtorali gregi ſibi commiſſo

præ-

Digitized by Google

poſita anno 1659.

Deplorat in primis zelo animarum flagrans Epiſcopus *nimiam*, *quam ſibi Caſuiſtæ uſurparunt*, *licentiam*, *vanas*, *perniculoſaſque quæſtiones excitandi*, *Evangelium in problema vertendi*, *Chriſti Scholam*, *quæ æternæ veritatis Schola eſt*, *in quamdam Academiam commutandi*: *unde tot illæ ſubtilitates*, *poſitiones*, *animi directiones*, *Probabilitatum ſcientiæ*, *aliaque artes*, *atque figmenta promanarunt*. Tum vero Clerum ſuum præcipue erudit graviſſimis hiſce verbis.

,, Violati officii rei nobis ipſi videremur,
,, ſi poſt damnatam *Apologiam*, pernicioſamque
,, pravorum Caſuiſtarum Ethicen,
,, vos per charitatem Chriſti enixe non
,, hortaremur, ut morum doctrinas ex germanis
,, earum fontibus hauriatis, divinis
,, ſcilicet litteris, veneranda Patrum traditione,
,, & ſanctarum precum frequentia,
,, quibus inſiſtentes ad beatam vitam alios
,, deducturi eſtis. Ex ipſis derivabitis omnino
,, puras, neque fucatas doctrinas,
,, quæ vobis abuſus, pravoſque mores,
,, vanas ſubtilitates, & carnalem indulgentiam
,, aperient, quibus ſæculi hujus ſapientia
,, veritatem corrumpere nititur, &
,, infirmare. Ex ipſis & lac petetis, quo
,, imbecilles, & peccatores, & ſolidum
,, cibum, quo valentes, perfectoſque nutriatis.
,, Scriptura Sacra, quam & *Sacerdotum
,, librum*, & *Sacerdotii ſubſtantiam*
,, Ambroſius vocat, prima vobis principia
,, ſuppeditabit, & generales vitæ Chriſtianæ
,, regulas, quæ aliæ non ſunt a ſanctiſſima
,, Chriſti doctrina, & exemplis. Traditio
,, Eccleſiaſtica verum vobis Scripturæ
,, ſenſum, tutamque præbebit intelligentiam:
,, precibus vero non obtinebitis ſolum,
,, ut recte regulis iis uti ſciatis, ſed
,, ut & ſancte velitis; ſacrorum enim horum
,, oraculorum non intelligentiam ſolum,
,, ſed & amorem adepti, gemina illa
,, charitate ſervabitis, qua ad officium
,, ſenſum opus habetis .... Attenta demum
,, legis meditatione percipietis, qui
,, exagitandi errores, quæ corrigenda vitia,
,, quæ aliis tradendæ veritates ..... Sacrarum
,, litterarum ſtudia nunquam ſatis commendare
,, vobis poſſumus, quum in nullo
,, alio diligentius, & magis aſſidue occupari
,, vos deceat ..... His, qui Sanctorum
,, Doctorum ſtudio vacare nequeunt,
,, authores ſumus, ut veræ Ethices, legitimæ
,, Sacramentorum adminiſtrationis,
,, rectæque aliorum dirigendorum rationis
,, ſcientiam familiari, atque pia librorum
,, Novi Fœderis, Tridentini Concilii, Catechiſmi
,, Romani, Paſtoralium D. Gregorii,
,, Pœnitentiſlium Canonum, Theologiæ
,, Moralis D. Thomæ, Inſtitutionum
,, S. Caroli, & Ritualium hujus Diœceſeos
,, lectione ſibi comparent ".

Quibus fuſius expoſitis addit: " Neque
,, tamen ab *Authorum*, *Caſuum Conſcientiæ*
,, lectione abſtinere vos abſolute debetis,
,, quam vobis haud raro nonnihil
,, utilitatis afferre poſſe non inficiamur.
,, Monendi dumtaxat, in hujuſmodi præſertim
,, Scriptores illud Apoſtoli cadere: *Probate
,, ſpiritus*, *an ex Deo ſint*. Ad eorum
,, delectum adhibenda Sapientum ſententia:
,, legendi quoque caute, & circumſpecte.
,, Conſultius denique, ſemperque
,, tutius, veras morum, aliorumque
,, moderandorum regulas a Deo, & ab
,, Eccleſia, & ab eximiis iis, quos indicavimus,
,, Doctoribus, quam a privato
,, aliquo libro percipere, cujus Author falſa
,, doctrina decipere legentes poteſt: quum
,, ipſe prius aut ſuis præjudiciis, aut judicii
,, temeritate in errorem abreptus fuerit
,, ". Hæc ille, quibus nihil ſapientius,
,, ſolidius ſimul, & moderatius dici potuit.
Hæc quoque documenta tradunt alii inſignes Epiſcopi, ſed hæc nunc tantum attigiſſe ſatis.

CAPUT X.

Conſectaria præcedentis Doctrinæ.

I. *Opinans partem unam contradictionis accipit ob majorem veriſimilitudinem, quam in ipſa conſpicit præ alia.*

II. *Unde aſſenſus ejus eſt judicium abſolutum, & determinatum, cum quo contrarium componere nequit.*

III. *Ex quo fit, ſaltem veritatem vel certo, vel probabiliter cognitam, eſſe regulam poſitivam honeſtæ operationis.*

IV. *Ob formidinem, quæ aſſenſui opinativo annexa eſt, homo non removetur, ſive non recedit ab ea parte, cui aſſentitur.*

V. *Leymani, aliorumque* opinionis probabilis definitio *januam laxitatibus in morum diſciplina aperit, adeoque improbanda.*

VI. *Sed neque probanda eſt definitio* probabilis opinionis *a P. Terillo tradita.*

VII. *Non eſt revera* probabilis *opinio, adeoque nec Conſcientia, quæ illa regitur, dum pro parte oppoſita æque gravia momenta occurrunt.*

VIII. *Doctrina quoad hoc a P. Lacroixio tradita omnino reprobanda veluti falſa, & ſine valido ullo fundamento conficta.*

IX. Probabile, *&* veriſimile, *quoad præſentem quæſtionem attinet, perinde eſt, aut eamdem vim habent.*

X. *Probabile quidpiam ſemper dicitur* relative *ad humanum intellectum, non ad rem ſecundum ſe inſpectam.*

XI. *Repudianda eſt doctrina Vaſqueſii, aliorumque aſſerentium, id videri debere cuilibet probabile, quod quibuſdam Theologis probabile viſum eſt.*

XII. *Non omnes, qui aſſerunt, teneri nos ſequi ſententiam probabiliorem, ſtatim* Probabilioriſtæ *dicendi ſunt.*

XIII. *Modus dirigendi Conſcientias, & reſolvendi caſus per ſolam probabilitatem opinionum, omnino vitandus.*

XIV. *Quænam* Conſcientia vere probabilis *dicenda, quæ actionem excuſet a peccato, ſi a veritate deflectat.*

XV. *Scriptores morales ſolidis rationibus deſtituti nullam faciunt probabilitatem.*

XVI. *Sententia adducta S. Auguſtini in hac re maxime ponderanda.*

XVII. *S. Thomæ doctrina in rebus moralibus maximo in pretio habenda. Abuſus plurium in ea citanda.*

Conſectarium Primum.

I. Ex definitione allata a S. Thoma *opinionis*, quod nempe *ſignificet actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*, colligere neceſſe eſt, opinantem accipere unam partem contradictionis præ alia ob majorem ejus, prout ſibi videtur, veriſimilitudinem: neque enim intellectus movetur niſi a vero, quod eſt ejus objectum, aut ab eo, quod habet ſimilitudinem, aut majorem apparentiam veri. Atque adeo, ſicut impoſſibile eſt, ut intellectus eamdem partem contradictionis ſimul judicet veram, & falſam; ita impoſſibile eſt, ut ſimul opinetur, ſive habeat judicium opinativum circa utramque partem. Quod amplius confirmari poteſt ex eodem S. Doctore dicente quodl. 8. art. 13. *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem objecto, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam:* adeoque opinari de aliqua propoſitione idem eſt, ac credere illam eſſe veram, & alteram eſſe falſam: ergo repugnat, ut intellectus ſimul opinetur de propoſitionibus contradictoriis: quia hoc ipſo judicaret, eamdem propoſitionem eſſe veram, & falſam.

Conſectarium Secundum.

II. Ex hac animadverſione conſequitur validiſſimum adverſus Probabiliſtas argumentum, quod hoc ſyllogiſmo proponi poteſt: *Quicunque opinatur ob majorem veriſimilitudinem ali-*

aliquid eſſe malum , & a Deo prohibitum , *aſſenſum habet , ſive judicium abſolutum , atque determinatum , etſi non omnino firmum , & conſiant , id vere eſſe interdictum : ſed nequit cum hoc judicio aliud componere ſive directum , ſive reflexum , quo idem exiſtimet honeſtum , atque permiſſum : eſt enim contradictorium . Ergo ſi operetur , agit ſecus , ac ſua ſibi Conſcientia præſcribit : ideoque peccabit* . Minorem propoſitionem declaro . Momentis gravioribus nixus *triplicem contractum* uſura infectum eſſe judico . Ut inire illum innoxie poſſem , oporteret , ut ipſum uſuræ purum reputarem: quamdiu enim uſuram illi ſubeſſe judico , non poteſt niſi pravus mihi eſſe , atque illicitus . Quamdiu ergo in priori judicio perſiſto , fieri abſolute non poteſt , ut de eodem duo judicia contraria feram ; & ſimul judicem , contractum eſſe uſura polutum, adeoque illicitum , & uſura nequaquam pollutum , adeoque licitum . Quid ergo ? Adverſarii reſpondent , *reflexo* judicio *directum* ſuſpendi . Verum ſic eos urgeo : aut judicium *reflexum* uſuræ expertem contractum exhibet , aut non . Si ſecundum : ſemper itaque contractus ille a me habendus erit uſura inquinatus, adeoque illicitus . Si primum ; novis , gravioribuſque momentis opus eſt, quibus a priori judicio dimovear . Tunc autem non eſt amplius quæſtioni locus . Sed hæc nova momenta Probabiliſtæ neque exigunt , nec vere exigere poſſunt , quin proprium ſyſtema ſubvertant . Igitur perſpicuum eſt *practicum* judicium , quo proxime operatio dirigitur , ſive *Conſcientiæ dictamen* a *directo* differre non poſſe quo opinamur , contractum uſura infectum eſſe , & conſequenter illicitum .

CONSECTARIUM TERTIUM .

III. Ex eadem opinionis definitione deducitur aliud ſummi momenti principium , quod eſt univerſæ controverſiæ baſis, & fundamentum , videlicet ſolam veritatem vel *certo* , vel *probabiliter* cognitam eſſe regulam *poſitivam* honeſtæ operationis , quod Probabilioriſtæ omnes uno ore affirmant : probabilitatem vero eſſe regulam *negativam* , quæ interdum excuſat a culpa juxta ea quæ ſupra dicta ſunt . Hinc quoque colligendum eſt , *Conſcientiam* revera adequate dividi in *veram*, & *falſam* ; ſeu in rectam , & erroneam . Eſt enim actus intellectus *applicans* &c. qui aut verſus , falſus eſt. Aliæ diviſiones in rigore aut nullæ ſunt , aut ad hanc reducuntur .

CONSECTARIUM QUARTUM .

IV. Formido , quæ aſſenſui opinativo adnexa eſt , non eſt motus , ſive receſſus ab ea parte , cui intellectus aſſentitur . Quoniam tunc intellectus contrariis motibus ageretur æque , aut fere æque in unam , & alteram partem . Sed hæc formido eſt defectus , ſive carentia omnimodæ firmitatis : unde nec *dubium* , aut *dubitatio* proprie vocari poteſt . Principium enim , ſeu motivum inclinans intellectum eſt ipſa veriſimilitudo , & apparentia veritatis . Et quoniam haud omnino firmum motivum eſt , idcirco judicium parit utique abſolutum , ſed cum aliqua formidine partis oppoſitæ . Hinc etiam quamvis judicium opinativum non probabilitatem , ſed veritatem ſpectet , non tamen communiter appellatur judicium *verum* , ſed *probabile* , eo quod vi motivi probabilis attingit verum .

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Multæ ſunt , quæ a Probabiliſtis tradi ſolent opinionis *probabilis* definitiones nequaquam probandæ , & ex iis , quæ notavimus , tanquam imperfectæ , vel falſæ rejiciendæ . Laymani , aliorumque hæc definitio eſt : *Probabilis ſententia , uti communiter accipitur , ita definiri poteſt : quæ certitudinem non habens , tamen non vulgari authoritate , vel non modicæ momenti ratione nititur* . Hæc tamen definitio valide refellitur : quia nititur principia communi inter Authores benignos ; quod ſcilicet ſequi liceat quamcunque opi-

opinionem probabilem quod falſum eſt , & januam aperit laxitatibus . Nam hoc ipſo, quod aliquis Author novitatis amans procudat novam aliquam opinionem indulgentem libertati , ſive cupiditati , & inveniat tres , quatuorve Theologos ei ſubſcribentes , quilibet poterit illam amplecti , quamquam noverit oppoſitam ſententiam communem eſſe, longeque probabiliorem , ita ratiocinando: *Opinio probabilis eſt , quæ nititur fundamento alicujus momenti , ſive non vulgari authoritate: ſed hæc opinio , quæ v. g. affirmat , talem contractum eſſe licitum , nititur fundamento alicujus momenti , eo ſcilicet , quo tres , quatuorve viros doctos ad eam docendam permovet : ergo hæc ſententia probabilis eſt* . Hinc ipſe Antonius Terillus Probabiliſta , ſi quis alius , accuratiſſimus hanc definitionem raprobandam cenſuit .

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Sed neque probanda eſt alia definitio, quam tradidit Terillus ipſe *de Conſc. Prob. q.* 2. *n.* 41. & *de Reg. Mor.* 1. *n.* 7. ubi multa requirit, ut opinio ſit vere probabilis . *Primo omnium inquit, eſt*, ut nitatur fundamento fide digno , ideſt tali , quod aptum eſt ad aſſenſum ab homine perito, & probo irreprehenſibiliter judicante impetrandum . Jam ut motivum aliquod ſit tale , ante omnia maxime eſſentialiter requiritur , ne aliquid certi in contrarium afferatur . Secundo ſententia aliqua , ut ſit probabilis , confirmari debet motivo gravi , & magno ſcilicet valide attrahente ad aſſenſum:& quidem magnitudo hujus motivi ſumi debet non ſolum *abſolute* , quatenus vehementer impellit ſecundum ſe , ſed etiam *relative* ad omnia in contrarium allata ; adeo ut etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad aſſenſum , idque præciſe vi ſuæ magnitudinis tam abſolute , quam comparative &c. " . Ita etiam Eſparza . Sed in primis hæc notio *opinionis probabilis* componi nullo modo poteſt cum ſententia , quam defendunt , ſequi nos poſſe opinionem minus probabilem libertati faventem in conſpectu ſententiæ faventis legi probabilioris . Siquidem intellectus non poteſt illam approbare , ut veram , quoties illi proponitur ut minus veriſimilis , quam oppoſita : quia tunc potius poteſt , ac debet reprobare ut falſam : neque enim ambas ut veras approbare valet . Quare ſicut non manet abſolute probabilis reſpectu operantis pars altera , quando oppoſita proponitur ipſi, ut evidenter veriſimilior ; ita non manet abſolute probabilis , quando oppoſita proponitur abſolute , & ſimpliciter ut veriſimilior .

Præterea pugnantia tradit Terillus , dum motivum unius partis magnum vocat relate ad aſſenſum attrahendum , quando concurrat cum motivis partis oppoſitæ validius retrahentibus ab illo aſſenſu , & inclinantibus ad diſſenſum . Non enim *magnum* dici poteſt *comparative* , quod a contrario ſuperatur, ut exemplo ſtateræ patet , in qua duo pondera hinc , atque illinc impoſita ſunt : non enim minus pondus *grave* dicitur *comparative* ad majus . Plures aliæ animadverſiones adverſus hanc notionem *probabilis opinionis* iis conditionibus affectam , quas idem Terillus , aliique tribuunt , legi poſſunt apud Thyrſum Gonzalez Opere laudato *Diſſert.* 1. §. 3.

CONSECTARIUM SEPTIMUM .

VII. Quoniam juxta germanam *opinionis vere probabilis* notionem , & ideam nonniſi ea opinio merito , ac prudenter approbari meretur , quæ operanti probabilior apparet , omnibus diligenter conſideratis , & expenſis ; neceſſario ſequitur , quod, quando pro utraque parte rationes occurrunt , neque rationes unius partis longe ſuperant alias , opinio formata , atque inde *Conſcientia* , quæ illa regitur , non ſit operanti *probabilis* . Rationes namque pro u-

traque parte militantes, ſi ſint æquales, vel fere æquales, elidunt vim mutuam, adeo ut nullus homo conſideratus, ac ſapiens ob alterutram ſit formaturus aſſenſum, ex eoque proceſſurus ad praxim. Sic nullus homo conſideratus, & ſapiens judicabit ſe ex aliqua negotiatione lucrum percepturum, quando tot rationes occurrunt adverſus ſpem lucri, quot pro ejuſdem ſpe. Hinc ſua cuique opinio, ſi vere probabilis eſt, eſt probabilior, ac unice probabilis. Neque enim poteſt voluntas, quoties paria eidem intellectui momenta proponuntur, pro una parte potius, quam pro alia aſſenſum imperare, multoque minus pro ea, quæ minus vera apparet. Quod ſi etiam demus, id præſtare abſolute poſſe voluntatem, aſſenſus prudens non erit, ſed imprudens, & in actionibus ad Conſcientiam pertinentibus ſemper peccaminoſus.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Quapropter reprobanda omnino eſt mirifica illa reſponſio, quam tradit P. Lacroixius, ut probet, *accedente voluntatis imperio intellectum determinari poſſe ad unam partem, etiamſi pro illa minus motivum ſit*, quam pro alia. Doctrina ejus oppido digna eſt, ut referatur, quo omnes intelligant, in quas ſe anguſtias, ſive potius abſurditates Probabiliſtæ conjiciant, ut falſum ſyſtema tueantur. Lancis ille utitur exemplo, atque ita ſcribit *n.* 407. " Sicut, „ quamvis utrinque pondera ſint æqualia, „ aut etiam in una lance ſit majus pon„ dus, tamen poteſt ab extrinſeco *v. gr.* „ *a digito hominis altera lanx deflecti magis, non aliter, ac ſi plus ponderis haberet:* „ ita intellectus hominis per voluntatem „ deflecti poteſt ad illam etiam partem, „ pro qua eſt minus motivum ". Quis eſt, qui dum hæc audit, non indignetur? Quis omni reprobatione dignum non cenſet modum hunc flectendi intellectum ad aſſenſum, & exemplum lancis ad hunc declarandum adductum? Utamur & nos eodem exemplo, ut hanc agendi rationem pravam eſſe oſtendamus. Mercator itaque, cui probabile eſt, merces ſuas pluris valere, quam emptor judicat, quum pretium, quod ipſe quoque minus veriſimiliter juſtum exiſtimat, nequeat ab emptore obtinere, quid agit? Minorem mercium copiam in lancem imponit, eamque *digito premens*, ita in hanc partem deprimit, ut mercium pondus non æquale ſolum, ſed & majus eſſe videatur. Quis non eum damnat iniquitatis, & tanquam vafrum, ac veteratorem habet? Nonne igitur idem dicendum erit, ſi dum intellectus anceps, & ſuſpenſus eſt inter duas opiniones ob æqualia, quæ utrinque ponderant, motiva, voluntas, nulla nova graviore ratione addita, intellectum determinat ad hanc potius contradictionis partem, quam ad aliam? Nonne imprudenter id ab ea præſtari conſentire omnes debent; adeoque id ſine culpa coram Deo minime fieri poſſe?

Hanc animadverſionem nimis obviam diſſimulare non potuit Lacroixius; unde eam ſibi opponit *n.* 412. inquiens: *Saltem hujuſmodi aſſenſus non eſt prudens. Nam ubi rationes pro utraque parte ſunt æquales, non eſt prudens ratio dicendi alteram eſſe falſam, quum ſit æque magna ratio dicendi eſſe verum.* Quid vero reſpondet? *Nego aſſumptum. Prudentes autem pro ejuſmodi aſſenſu imperando rationes dabimus* n. 416. Quaſnam autem ibi profert? Accipe: *Neque ſemper imprudens erit hujuſmodi aſſenſus*: Plerumque ergo, licet *non ſemper*, aſſenſus erit *imprudens*. Eſt ille ſane perquam liberalis, nec advertit liberalitate hac ſyſtema ſuum penitus everti. At cur aſſenſus *ex voluntatis imperio* elicitus, tametſi *plerumque*, non erit tamen *ſemper imprudens*? *Nam in primis* reponit, *adeſt ex parte intellectus moti-*

vum

Digitized by Google

vum grave , & prudens , ut ſuppono . At falſum ſupponit , quod & ſatis demonſtratum eſt , quam de motivo ſit ſermo, quod cum oppoſito aut *æque gravi* , aut *graviore* concurrit . Nihil ergo prima hæc ratione conficitur . *Deinde* , ſubdit , *etiam ex parte voluntatis ſunt motiva ſufficientia v. gr. ut ſibi , vel aliis non inferat gravem moleſtiam* [optima ratio] ; *ut ſervet Conſcientiæ ſuæ libertatem , ut oſtendat ſuave eſſe Chriſti jugum : quia hic & nunc utilis erit ſaluti proximi , ſi aſſentiatur parti benignæ : quia opinio hæc minus probabilis eſt S. Thomæ , eſt communior in Schola noſtra , a Superioribus mihi ſuadetur , facilius explicatur diſcipulis* &c.

Nonne ſola propoſitio horum motivorum plane vanam , & ridiculariam efficit Lacroixii reſponſionem ? *Ex parte* , inquit , *voluntatis hæc ſunt motiva ſufficientia. Primo, ut ſibi , vel alteri non inferat nimis gravem moleſtiam* ; ſi nimirum probabiliorem ſequatur ſententiam , quæ plura facienda , aut vitanda docet , quæ cupiditatibus noſtris incommodant , puta abſtinendum a ſaltationibus , a theatris , a neceſſitudine periculi plena , ab hoc , vel illo contractu , a re aliena retinenda , & ab aliis ſexcentis ejuſmodi , quæ agere , vel omittere , cupiditati , praviſque aliis affectionibus permoleſtum eſt . *Ne ergo hanc ſibi , vel aliis nimis gravem moleſtiam quis inferat* , in benignas opiniones , tametſi minus probabiles , ad cupiditates tamen ſuas attemperatas , concedere tuto poterit , licet earum uſus manifeſto divinæ legis violandæ periculo illum exponat . Huic *ſufficienti agendi rationi* Lacroixius primas dat , & ſane unica eſt , aut ſaltem præcipua , quæ Probabiliſmum edidit , peperitque .

Secundo Lacroixius ait : *Ut ſervet Conſcientiæ ſuæ libertatem* . Hæc altera ratio a priore verbis differt non re . Non enim aliud ſibi voluiſſe cenſendus eſt Lacroixius, quam ſervandam a quocunque Conſcientiæ libertatem , agendi ſcilicet in opinionum incertarum contentione , quod magis libet, nulla legis , quam extare probabile ſit , habita ratione .

Tertio , *ut oſtendat ſuave eſſe Chriſti jugum* . Omnes Eccleſiæ Patres *Chriſti jugum ſuave eſſe* , hactenus interpretati ſunt, quod ope fiat charitatis , & gratiæ , ut homines illud libenter ferant . Aliter tamen Probabiliſtæ ſentiunt . Chriſti *jugum ſuave oſtendi* volunt , prætermittendo , aut meri conſilii loco habendo , quæ veriſimilius eſt a Chriſto fuiſſe præcepta , & *jugi* nomine deſignata , quod quemque juſſit tollere ſuper ſe atque portare .

Quarto : *Quia hic & nunc utilis erit ſaluti proximi , ſi aſſentiatur parti benignæ* . Quæ iſthæc , quæſo , proximi utilitas? Renuit ille legi ſubjici : ne hoc ei ponatur in culpa , præſto ſunt benignæ opiniones , quarum beneficio ab obligatione legis eximitur , ſeu ad fovendam animi ejus mollitiem , & ignaviam , ſinitur proximum violandæ legis periculum adire . Tota hæc eſt utilitas , quam Probabiliſtæ benignarum , minuſque probabilium opinionum uſu proximo important .

Perſpicere facile quiſque poteſt , quatuor haſce rationes a ſola *carnis prudentia* proficiſci , quam ut *inimicam* Deo damnat Apoſtolus . De aliis , quas Lacroixius adjicit , videlicet , quia *opinio iſta minus probabilis eſt S. Thomæ , eſt communior in Schola noſtra* &c. ne verbum quidem proferam ; ſed illas ſapientum judicio permittam , qui non mirari non vehementer poterunt tam gravis controverſiæ deciſionem frivolis adeo rationibus committi. Utinam Adverſarii fideliter D. Thomæ doctrinam ſequerentur , & non potius ea ſæpius abuterentur ! Tunc enim toto orbe exularet Probabiliſmus , nec aliæ adoptarentur ſententiæ , niſi quæ ſunt veritati conformes .

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Quamquam differentia aliqua concipi valeat inter *probabile*, & *veriſimile*, quoad præſens tamen attinet, idem ſunt, aut eamdem vim habent. *Probabile* namque eſt, quod ſpectatis omnibus dignum *approbatione* videtur, quod certe eſſe non poteſt, niſi ſimul talem veriſimilitudinem habeat, ut inducere queat intellectum ad illud approbandum ut verum, quod ſolum movet intellectum, utpote ejus objectum. Id ſatis aperte tradit etiam S. Thomas: nam *in C.* 1. *lib.* 1. *Ethic.* probabile, & veriſimile pro eodem accipit, dum exponens hæc Philoſophi verba: *Oportet veritatem figuraliter oſtendere*, *figuraliter*, inquit, *ideſt veriſimiliter*, *& probabiliter*: *quia probabile eſt, quod eſt ſimile vero*.

CONSECTARIUM DECIMUM.

X. Probabile quidpiam dicitur *relative*, non *abſolute*; relative, inquam, ad intellectum humanum. Propoſitiones namque omnes, ſi *abſolute* in ſe ſpectentur, vel veræ ſunt, vel falſæ; nullæ probabiles. Nam falſum in ſe abſolute nunquam probabile eſt, ſed improbabile. Verum autem pluſquam probabile eſt, utpote certum Deo, omnia, uti ſunt in ſe, intuenti. At relate ad intellectum noſtrum res, ut in ſe ſunt, non videntur. Unde ſicut ſunt plures propoſitiones in aliis rebus, quarum nec veritas, nec falſitas certo cognoſcitur; ita & plures ſunt in moralibus opiniones, quarum veritas, aut falſitas nonniſi veriſimiliter cognita eſt, ob offuſas humanæ menti ignorantiæ tenebras: atque adeo, ſicut varietas, ſic probabilitas opinionum ex mentis humanæ tenebris, & imbecillitate proficiſcitur.

CONSECTARIUM UNDECIMUM.

XI. A vero abludunt Vaſquez, Sanchez, Sayrus, Eſcobar, & Georgius de Rhodes, dum afferunt, quod etiam in caſu, quo opinionem aliquam Caſuiſtæ probabilem judicant, etiamſi opinio illa mihi poſt debitum examen videatur manifeſte a Divinæ Scripturæ authoritate recedere, vel evidenti rationi contradicere; non ideo fas mihi ſit illam ipſorum opinionem improbabilem judicare. Sic enim nulla opinio, quantumvis rationi, Scripturæque contraria, modo Caſuiſtas aliquot haberet patronos, tanquam improbabilis a doctiſſimis Theologis rejici poſſet; ſed doctus quiſque perinde, ac indoctus proprio lumini renuntiare deberet, judiciumque ſuum ſubmittere judicio horum Caſuiſtarum, & ob ipſorum authoritatem tanquam verum reputare, quod ſibi videtur certo, aut probabilius falſum.

CONSECTARIUM DUODECIMUM.

XII. Accenſendi ſtatim non ſunt numero Probabilioriſtarum, ſive Antiprobabiliſtarum, qui duntaxat afferunt, ſequi nos poſſe ſententiam libertati faventem, ſi probabilior ſit contraria, quæ favet legi, quin determinent ullum gradum majoris probabilitatis. Nam cum exceſſus talis non eſt, ut omnem prudentem dubitationem removeat, major quæcunque probabilitas non ſufficit, ut licite eam ſequamur, cum dubium prudens cum ea componatur; adeoque, qui ita tunc operatur, *Probabiliſta* non minus, ac cæteri, dicendus eſt. Oportet ergo ad licite agendum, ut probabilitas opinionis libertati faventis tanta ſit, ut nonniſi imprudenter de veritate illius dubitare valeamus. Quare totum, & integrum Probabiliſtarum ſyſtema exiſtimamus oportet ab Apoſtolica Sede damnatum, atque

Digitized by Google

atque prohibitum, dum anno 1761. proſcripſit inter alias Aviſii propugnatas Theſim hanc, quæ cæterarum baſis eſt, ac fundamentum, tres partes continentem; nempe: *Probabiliſmus noſter verſatur circa hæc tria; Licet ſequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet ſequi æque probabilem pro libertate, relicta æque probabili pro lege. Licet ſequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.* Nam quamvis *prima* videri alicui poſſit innoxia, & talis reapſe quibuſdam viſa ſit: quia tamen in ſenſu *Probabiliſtarum*, quæcumque major probabilitas ad licite operandum ſufficit, etiamſi levis ille exceſſus fuerit, damnatione non minus ac partes aliæ, digna eſt.

CONSECTARIUM DECIMUMTERTIUM.

XIII. Modus dirigendi Conſcientiæ, & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum faventium libertati, præſcindendo ab earum veritate, ſeu ita ut operans non tranſeat ad judicium ferendum de earum veritate, eſt contra doctrinam, quam conſtanter ſemper tenuerunt Eccleſiæ Patres, ſemperque tenuit S. Thomas cum omnibus antiquis Thomiſtis, atque Theologis, qui indiſpenſabiliter ad uſum licitum opinionis minus tutæ requirunt, ut operans ſibi perſuadeat, illam eſſe veram, & divinæ legi conformem; oppoſitam vero, etſi tutior ſit, eſſe falſam, & imponere onus, quod Deus non impoſuit. Hoc ferme totidem verbis habetur in laudato P. Gonzalez, qui hanc doctrinam fuſe probat, & ex iis, quæ a nobis conſtituta jam ſunt, liquido fluit: cum ſola veritas poſſit eſſe operationum noſtrarum regula: probabilitas veró ſolummodo medium eſſe queat ad ipſam veritatem.

CONSECTARIUM DECIMUMQUARTUM.

XIV. Ex omnibus, quæ dicta ſunt, colligas demum, nullam eſſe poſſe *Conſcientiam vere probabilem*, quæ regula ſit humanarum actionum, & operantem coram Deo excuſare valeat a peccato, ſi forte a veritate deflectat; niſi judicium mentis conceptum fuerit ex iis motivis, quæ licet certa, & explorata omnino non ſint, ſolam tamen probabilem eam *partem*, ſive opinionem efficiant, quæ licitam actionem, aut omiſſionem affirmat, adeo ut nulla extent pro parte oppoſita: vel, ſi extent aliqua *in* contrarium momenta, adeo tamen levia, aut exigui ponderis prudenter reputentur, ut altera longe probabilior maneat, ac nullum prudens, ſolidumque dubium de ejuſdem veritate relinquat. Ita quippe agendo ſemper homo veritatem ſequitur, eamque ſibi præfigit, ut ſuarum actionum normam.

CONSECTARIUM DECIMUMQUINTUM.

XV. Plura equidem ex poſtrema Capitis præcedentis paragrapho conſectaria derivare fas eſt; ſed unum tantum, vel alterum hic afferam: illud quidem in primis, pro formanda *Conſcientia probabili* fidendum non eſſe, immo nec ullam habendam rationem eorum Scriptorum, maximeque Summiſtarum, qui nihil aliud ferme præſtant, niſi Authorum, qui hanc, vel illam ſententiam tuentur, exſcribere, vix, aut ne vix quidem de ſolidis momentis, quibus ea nitatur, adducendis ſoliciti. Nam, ut nihil dicamus de infidelitate multorum in afferendis authoribus, eorumque textibus; Scriptores probabilem aliquam ſententiam efficere nequeunt, niſi vel propter Scripturarum, aut Eccleſiæ, Patrumque traditionem, quam proferunt, vel ſaltem propter ſolidas rationes, quibus ſuas opiniones confirmant: quæ ſi deſint, aut leves, & imbecillæ ſint, jam nulla ipſorum authoritas reputanda eſt, qua ideirco ſi regatur, aut moveatur Conſcientia noſtra, errandi periculo nimium evidenti ſeſe exponit.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM DECIMUMSEXTUM.

XVI. Diligentius ponderanda eſt animadverſio allata S. Auguſtini ab iis præcipue, qui addiſcendæ vacant Theologiæ Morali, vel onus dirigendarum animarum ſuſcipiunt. Nam ſi quidem in Canonicis Scriptoribus ſatis expreſſum quidpiam inveniunt, aut etiam Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum doctrina ſatis traditum deprehendunt, illud ſtatim abſque dubitatione, & timore errandi ſequantur. Quoties autem vel Scripturæ, & Patres ſilent, aut ſatis aperte non loquuntur, tunc equidem credere poſſumus etiam privatis aliis Scriptoribus, ſed non ideo verum, quod ipſi docent, putare debemus, *quia ita ipſi ſenſerunt*; *ſed quia nobis vel per illos Authores Canonicos, vel probabili* [neque enim ſemper omnino certa præſto eſt) *ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Hinc nullo pacto audiendus eſt, immo reprehendendus P. Cardenas, qui Sanchez, Suarez, Vaſquez &c. talem authoritatem in moralibus diſciplinis adjudicat, ut quiſque *tuto, ac tutiſſime eorum opiniones* ſequi valeat, perinde ac infallibiles eſſent: cum tamen in plures errores prolapſi ſint.

CONSECTARIUM DECIMUMSEPTIMUM.

XVII. Quoniam vero præ cæteris hanc ſibi meritiſſime laudem ab univerſa Eccleſia promeruit doctrina S. Thomæ tum in aliis, tum in iis maxime, quæ ab eo tradita ſunt *in ſecunda parte*, in qua de moribus agit, eamque ut *veridicam* & *ſine ullo prorſus errore conſcriptam* ſemper agnoverit, & agnoſcat Orbis Chriſtianus; ideo, quoties quiſpiam aliquam ejus ſententiam clare propoſitam in ipſo adinvenerit, ea uti ſine timore errandi valet ad directionem Conſcientiæ ſuæ, vel aliorum. Dixi tamen conſulto, *quoties aliquam ſententiam in S. Doctore invenerit*: non autem in Authoribus, qui ejus ſententias laudant; neque enim fidere ullo modo poſſumus ipſorum citationibus, quæ infideles plerumque ſunt, ubi præſertim ad confirmandas laxas opinationes illum allegant, pro ut exemplis pluribus comprobare ſaa eſſet. Sed unum tantum afferam ad præſens argumentum pertinens. Laudavimus ſuperiore Capite eam præclaram S. Thomæ regulam: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri; in talibus enim ignorantia non excuſat*. Nihil clarius dici potuit. Quid vero? En quomodo in primis hæc ſuper re citatur S. Magiſter a P. Thoma Sanchez *lib.* 1. *C.* 9. *n.* 7. Poſtquam enim docuit, poſſe quemlibet tuto ſequi ſententiam alicujus Doctoris ſuæ faventis opinioni, teſtatur, S. Thomam loco eodem a me citato tradere, *poſſe quemlibet in iis, quæ ad mores attinent, Magiſtri ſui opinionem amplecti*; quod e regione opponitur doctrinæ S. Doctoris. Eadem verba perperam in rem ſuam detorquent Fillicius *T.* 2. *tract.* 21. *n.* 134. Laymanus *lib.* 1. *cap.* 5. §. 2. & Viva in *prop.* 27. ab Alexandro VII. damnatam; & in *prop.* 3. ab Innocentio XI. confixam, qui, ut probet, ſatis eſſe unius Theologi auctoritatem, ut *probabilis* opinio ſit, & innocens ejus uſus, ait: *Hinc D. Th. quodl.* 3. *art.* 1. *dixit: Poſſe quemlibet amplecti opinionem, quam a ſuo Magiſtro audivit in iis, quæ ad mores pertinent*. Majorne excogitari poteſt D. Thomæ ſententiæ depravatio? Itane imperitis illudere licet? Siccine in errorem ſimplices inducuntur, qui horum Authorum alios appellantium fide freti, tanti Doctoris ſententiam vere eſſe credant, quæ reipſa ab Eccleſia proſcripta eſt, & D. Thomæ ſententiæ aperte contradictoria? Videat quivis proinde, an fides adhibenda ſit hiſce Authoribus, dum pro laxis ſuis opinioni-
bus

Digitized by Google

bus S. Thomam ceu faventem, eaſque docentem laudant.

CAPUT XI.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

DOCTRINA.

I. *Quid ſit ſcrupulus, & quid Conſcientia ſcrupuloſa.*

II. *Scrupulus reſpicere poteſt præterita, futura, & præſentia etiam peccata.*

III. *Conſcientia ſcrupuloſa ex oppoſita laxa cognoſci poteſt.*

IV. *Mala plurima, quæ ſuboriuntur ex ſcrupulis.*

V. *Plures aſſignantur ſcrupulorum cauſæ.*

VI. *Valde refert eas apprime cognoſcere.*

VII. *Diſtinguere oportet ſcrupulum a Conſcientia ſcrupuloſa in utriuſque directione.*

VIII. *Aliter ſentiendum de iis, qui ſcrupulis univerſim cruciantur: aliter, qui in uno, vel altero tantum genere.*

IX. *Nonnunquam prodeſt in quibuſdam ſcrupulos permittere.*

X. *Scrupuloſi acquieſcere debent Superiorum, ac prudentum conſilio.*

XI. *Adverſum ſcrupulos magna animi firmitate certandum.*

XII. *Scrupuloſus judicium de peccato ferre non debet, niſi ipſi certo conſtiterit.*

XIII. *Quid cum ſcrupuloſis circa Confeſſiones agere prudens Confeſſarius debeat.*

XIV. *Scrupuloſi exactam debent proprio Directori obedientiam præſtare.*

XV. *Remediis corporalibus curandi ſunt ſcrupuli, qui gignuntur ex complexione, inedia, melancholia &c.*

XVI. *Regulæ circa legum interpretationem pro ſcrupulis laborantibus a S. Antonino propoſitæ.*

XVII. *Quid agendum piis, ſanctiſque animabus, quas Deus ſcrupulis, ac timoribus Conſcientiæ cruciari permittit.*

I. SCRUPULUS, prout hic ſumitur, nihil aliud eſt, quam quædam formido peccati, ubi peccatum non eſt, concepta ex inani, frivolove motivo, quam plerumque angor quidam animi comitatur. Diſtingui ſolet ſcrupulus a Conſcientia ſcrupuloſa, ſicut diſtinguitur effectus a cauſa: ex formidine quippe peccati levibus motivis innixa ſæpe gignitur Conſcientia ſcrupuloſa, quæ definiri poteſt: *Judicium rationis practicæ, quo quiſpiam propter leves aliquas rationes exiſtimat, ſe hic & nunc ad aliquid agendum, aut omittendum teneri.* Quare differt a Conſcientia *dubia* (ſicut impropriæ vocatur), in qua ab æqualitatem rationum aſſenſus ſuſpenditur; cum dubitans neutri aſſentiatur contradictionis parti. In Conſcientia autem ſcrupuloſa preſſe dicta habetur quidem aſſenſus aliquis, ſed conceptus ex momentis levibus, & inanibus; per quod differt etiam a *Conſcientia probabili*, quæ ſolidis, gravibuſque nititur fundamentis.

II. Scrupulus reſpicere poteſt vel aliquod præteritum, vel aliquod futurum. Præteritum reſpicit, veluti cum aliquis ex conjecturis levibus anxius eſt, num E. C. hunc, vel alium pſalmum omiſerit, eo quod poſt recitationem aliorum non recordetur ſe omnes recitaſſe, vel num turpi cogitationi aſſenſum præbuerit, quia ſe teſtitiſſe, aut ſatis teſtitiſſe non meminit &c. Futura autem ſcrupulus ſpectat, cum quis levi ratione ductus timet, ne peccet agendo, quod agendum occurrit; vel omittendo, quod occurit omittendum. Addi etiam poteſt, ſcrupulum eſſe poſſe de re præſenti, veluti cum aliquis abſque cauſa ſufficiente metuit, ne id malum ſit, quod judicatur eſſe licitum. Sed facile eſt, ſcrupulum hunc ad alterutrum ex prædictis revocare.

III. Ut clarius agnoſcas, quiſnam ſcrupuloſus revera ſit, expendere prodeſt diſ-

crimen , quod inter laxum , & ſcrupuloſum verſatur . 1. *Laxus* eſt , qui ea ſpernit , ac pro nihilo habet , quæ alii probi, ac prudentes putant eſſe peccata : e contra , qui peccatum eſſe timet , quod alii probi nihili æſtimant , *ſcrupuloſus* dicendus. 2. Qui fidem non habet Verbi Dei Præconibus , ſed eorum objurgationes , & minas tanquam meras exaggerationes , & vana terriculamenta traducit , ac etiam nonnunquam irridet , *laxus* eſt : qui vero Confeſſariis , aliiſque viris doctis , ac probis factum excuſantibus non acquieſcit , *ſcrupuloſus* . 3. Qui proprio judicio fretus res etiam arduas , atque difficiles audacter aggreditur, aliorum conſilio contempto, *laxus* eſt : qui autem etiam in rebus obviis , & facilioribus , de quibus forte ſæpe conſuluit , iterumque interrogat , nec unquam ſecurum ſe exiſtimat , *ſcrupuloſus* eſt . 4. Qui in confitendis peccatis parum laborat pro ſpecie , & numero peccatorum exprimendo , tametſi a multo tempore confeſſus non ſit , pro *laxo* habendus eſt : qui vero omnia dubie , & hæſitanter exponit , idemque ſæpe repetit , nunquam factæ confeſſionis contentus , pro *ſcrupuloſo* . 5. Qui præcipitanter , & abſque conſideratione quidlibet agit , *laxus* eſt: qui vero in omnibus ita ſuſpenſe procedit , ut communi Theologorum doctrinæ non credat , ſed evidentiam in omnibus exquirat, eſt *ſcrupuloſus* . 6. Qui magna cum celeritate, vel cum intermiſſione frequenti præſcriptas preces recitat , interque orandum circumſpicit , aut fabulatur , *laxus* eſt: qui vero cum ingenti anxietate perſolvit officium , ad quamcumque mentis evagationem ſubſiſtit, ac trepidat, eademque repetit, *ſcrupuloſus* ; atque ita de cæteris : ex quibus haud difficulter dignoſcere licet quiſnam habeat Conſcientiam rectam , ac timoratam, qui nempe media via incedit .

IV. Non exigua mala ſunt , quæ ex ſcrupulis ſæpe proficiſcuntur . Animæ namque tranquillitatem , & pacem jugiter perturbant , mentem aſſidue excruciant , ſpiritus libertatem impediunt , ne prompto , expeditoque affectu feratur in Deum ; animam ineptam frequenter efficiunt ad percipienda chariſmata , & conſolationes Spiritus Sancti ; hominem ab oratione , aliorumque nobilium actuum exercitio , vanis terroribus retrahunt , plurimumque ipſi temporis ſuffurantur , non ſine ingenti lædendi cerebrum , & ſcrupuloſum ad inſaniam redigendi periculo . Nec dubitare poſſumus , quin multarum animarum in via Dei profectum per injectos ſcrupulos Dæmon impediat ; licet negandum minime ſit , plurimas quoque animas hac ſcrupulorum exercitatione Deum ad ſe vehementius trahere, atque purificare . Quapropter , antequam , quid pro hoc morbo curando remedii ſit adhibendum determinetur , diligenter ejus cauſæ inveſtigandæ ſunt .

V. Scrupulorum cauſas plures aſſignat S. Antoninus 1. *p. tit.* 3. *C.* 10. & ex ipſo Sylveſter , aliique ; eæque diverſæ ſunt , nec in omnibus , qui ſcrupulorum morbo laborant , eædem ſemper ; ſed aliæ, atque aliæ , modo in uno , modo in altero. Prima cauſa eſt naturalis aliquorum complexio admodum diſpoſita ad ſuſpiciones , ac timores ; ut eſt complexio frigida , & melancholica . Timor namque naturaliter conſtringit cor noſtrum , & ad motum hujuſce conſtrictionis imaginatio excitatur, adeo ut facile quis malum concipiat aliquid , quod tale non eſt .

Altera cauſa ſcrupulorum eſt infirmitas capitis , qua nonnunquam imaginatio læditur : & mentis , ſeu judicii imbecillitas, & inconſtantia cauſatur , ex qua , ſicut contingit , quod quis haud firmiter rebus ſemel determinatis inhæreat ; facile conturbetur , ſi quid in oppoſitum etiam le-

ve ,

Digitized by Google

ve, & inane appareat. Hæc autem infirmitas nonniſi remediis corporalibus curari poteſt.

Tertia cauſa eſt inordinatum corporis regimen; ob nimias quippe vigilias, abſtinentias, aliaſque id genus pœnalitates non pauci triſtes efficiuntur, & melancholici, unde etiam ſcrupoloſi redduntur. Quapropter C. *Non mediocriter* de Conſecrat. *d.* 5. redarguitur, qui propter immoderatam abſtinentiam, atque indiſcretam pſalmorum, aliarumque precum decantationem, amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrit.

Quarta, ex qua ſcrupuli aliquando proficiſcuntur, cauſa ipſe Dæmon, animarum profectus inimicus, qui vel humores melancholicos commovet, per quos imaginatio turbatur, & ad timores inordinatos inducitur; vel etiam vires ſenſitivas interiores agitat, ut mentem confundat: quod tunc præſertim ab eo efficitur; quoties vel ſacra Communio ſumenda eſt, vel divinis vacandum:

Societas cum iis, qui hac infirmitate tenentur, quinta cauſa ſcrupulorum aſſignatur. Nam ſæpe accidit, ut qui præcipue timidioris Conſcientiæ ſunt, dum cum illis frequenter verſantur, eumdem morbum contrahant.

Sexta, ignorantia eſt, qua quis diſcernere neſcit inter licitum, & illicitum; ac ſeptima tandem ſapiens diſpoſitio Dei, permittentis aliquem ſcrupulis vexari ad ampliorem ejus in via ſpirituali profectum, ut ex his nempe occaſionem ſumat, vel aliis miſericordiæ viſcera promptius oſtendendi, vel ad opem divinam frequentius recurrendi.

VI. Diverſas haſce ſcrupulorum cauſas apprime noſſe magni intereſt; quemadmodum in curandis corporis morbis prius ſcire convenit morborum cauſas, & origines. Nam ſæpe remedia, quæ aliquibus proſunt, aliis officiunt, ut experientia curationum corporum compertum eſt. Sicut ergo variæ ſunt ſcrupulorum cauſæ; ſic varia pariter eſt uniuſquemque eorum curandi ratio. Aliter ſiquidem qui ex ignorantia malum ſuſpicatur, quod malum non eſt: aliter qui ex Dæmonis tentatione: aliter qui ex naturali complexione, aut ex humore melancholico, aut immoderatis vigiliis, & abſtinentiis &c. curandus eſt; ac ſingulæ ferme cauſæ ſingulas medendi rationes requirunt. His poſitis ſequentes regulas pro ſcrupulis laborantium directione trado.

Regula Prima.

Diſtinguere oportet ſcrupulum a Conſcientia ſcrupoloſa in utriuſque directione.

VII. Scrupuli namque nihil pendi, immo contemni debent, quando, meros ſcrupulos eſſe, ſive inanes ſuſpiciones, vanoſque timores, compertum eſt ex experientia propria, aut ex judicio Directoris, vel diſcretorum, atque ſapientium. Non ita vero dicendum de Conſcientia ſcrupuloſa, qua quis firmiter judicat, ſe hic & nunc, licet ex motivis levibus, ad aliquid agendum, aut omittendum obſtringi. Tunc enim ea Conſcientia erronea eſt; atque adeo, ſicut dictum eſt de Conſcientia erronea, neminem ſcilicet agere poſſe, quin prius eam prudenter deponat; ita & de ſcrupuloſa Conſcientia aſſeramus oportet, illam nimirum prius eſſe prudenter deponendam. Atque hoc eſt, quod in Sacris Canonibus ſatis videtur expreſſum. Sic enim habetur C. *Inquiſitioni* de ſent. Excom. de muliere dubitante ex levibus indiciis, num debitum reddere poſſet, ac exigere; ubi Innocentius III. quoad hoc caput, reſpondit: *Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium Conſcientia levis, ac temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed & exigere debitum.* In qua reſponſione notandum verbum illud *exploſa*; quo clare innuitur (inquit Illuſtriſs. Fagnanus Cap. *Ne innitaris*), quod habens Conſcientiam ex credulitate levi, ſeu ſcrupuloſa de nullitate Matrimonii, minime poſſit abſque peccato debitum exigere, niſi prius ſcrupuloſam illam cre-

dulitatem *explodat* , ſive deponat , aut abjiciat . Idem habetur ex alio textu nulli cavillationi obnoxio Cap. *Per tuas* Extr. *de Simonia* ejuſdem Innocentii III. Species facti , de quo rogatus fuerat Pontifex , hæc erat : Monachus quidam Carthuſianus ex relatione quorumdam didicerat , Epiſcopum Diœceſanum, a quo Subdiaconatus Ordinem acceperat , ſimoniæ vitium multoties commiſiſſe : quapropter idem Monachus in ordine ſuſcepto miniſtrare formidabat , nolens ab eodem Epiſcopo ad ſuperiores Ordines promoveri . Reſpondet vero Pontifex : *In Ordine ſuſcepto ſecure miniſtret : ſed contra Conſcientiam ad ſuperiores ordines non aſcendat , ne forte ædificet ad gehennam : licet ex eo , quod Conſcientiam habuerit nimis ſcrupuloſam , in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus , quam utique non evadet , niſi deponat errorem* .

Regula Secunda .

Aliter decernendum de iis , qui in omnibus, aut fere omnibus ſcrupulis angi ſolent ; aliter de quibuſdam in aliquo actionum genere implicatis.

VIII. Explicatione opus habet hæc regula . Sunt igitur quidam , qui ſedulo invigilant in obeundis proprii ſtatus officiis , in adimplendis divinæ legis præceptis , in odio habendis culpis omnibus etiam levioribus ; uno verbo in vita ducenda ab omni peccato pura , atque intaminata : ſed ſimul in iis omnibus exequendis ſive ex complexione naturali , ſive ex imbecillitate mentis , ſive ex tentatione Dæmonis , ſive aliqua alia ex cauſis enumeratis , ſcrupulis vexantur . Hi benigne tractandi ſunt , curandique remediis illis , quæ ſubinde præſcribemus . Sunt vero alii , & non pauci illi quidem, qui ſcrupulis torquentur, & agitantur in aliquo duntaxat præceptorum genere , puta in recitandis horis canonicis, in confitendis peccatis ſuis, in audiendo Sacro &c. At vero non ita ſe gerunt in cæteris ſuis obligationibus adimplendis , quin immo in iſtis liberiores ſæpe , laxique ſunt . Nam inordinato ſui amore tenentur , proprias appetitiones explent , odia ſecreta nutriunt , ab exacta divinarum , & humanarum legum obſervantia ſemet eximunt abſque ulla frequenter animi perturbatione , ſcrupuliſque potius in hoc , vel illo genere præceptorum , quæ leviora ſunt , nec cupiditatibus incommodant , utuntur , tanquam medio ad illas licentius explendas idoneo . Horum hominum inanes ſcrupulos Confeſſarii minus in animarum directione experti audientes , falſa quadam miſericordia commoti , eos tanquam ſcrupuloſos benignius tractandos exiſtimant , iiſque tanquam vera , ac ſolida pietate præditis privilegia plura indulgent , & exemptiones ab exacta , & ſevera divinæ legis obſervantia , quæ in perniciem ſpiritualem eorumdem cedunt . Nonne reapſe plures invenias inter ſæculares , qui dum ſcrupulis anguntur , num tota attentione Miſſæ Sacrificio interfuerint , interim nihil omnino cogitant de nimia ſolicitudine in augendis rebus familiaribus interdum cum aliorum damno , de ſolvendis debitis , quibus gravantur , de obligatione erogandæ in pauperes eleemoſynæ juxta proprias facultates , & vires , de recte educanda prole &c. ? Nonne inter Eccleſiaſticos deprehendas , qui eum ad inſaniam prope rediguntur ob continuos timores , & anxietates, ne forte Divinum officium perſolverint ea , qua debuerint , diligentia , ne in evagationibus mentis repellendis minus ſolertes fuerint , parum poſtea curant , nulloque ſcrupulo agitantur circa ea , quæ vi proprii ſtatus adimplere tenentur ? Hi plane non eodem modo dirigendi ſunt , ac cæteri , a perito , ac prudenti Confeſſario ; ſed prius docendi , & cogendi ad illa exequenda , quæ majoris momenti ſunt ; ne , dum in quibuſdam levioribus nimium extimeſcunt , in iis poſtea deficiant , quæ graviora ſunt , quorumque præ-

Digitized by Google

prætermiſſio in grave diſcrimen animæ ſalutem adducit.

REGULA TERTIA.

Nonnunquam prodeſt in aliquibus ſcrupulos permittere.

IX. Hi potiſſimum ſunt, qui poſt vitam ſolutiorem in rebus mundi, & propriis paſſionibus exſaturandis traductam, Divinæ tandem gratiæ auxilio in ſemitam Dei revertuntur. Iſtorum quippe ſcrupuli, niſi forte immoderati ſint, animæ purgandæ, ac provehendæ in ſtatum meliorem plurimum deferviunt. Dixi: *Niſi immoderati ſint*: nam ſi timor, & anxietas Conſcientiæ nimium exceſſerit, quibuſdam remediis temperanda eſt. Quoniam vero horum ſcrupuli circa peractam Confeſſionem verſari ſæpius ſolent, num ſcilicet peccata omnia accurate ſacro Miniſtro aperuerint, & peccatorum circumſtantias; præcipuum, ac forte unicum iſtorum remedium eſt, ut prudentem, ac doctum Confeſſarium ſeligant, ſub cujus directione generalem Confeſſionem diligenter perficiant. Confeſſarius illos inſtruat, & patienter eorum Confeſſionem recipiat, ne continuam moleſtiam perferre cogatur. Confeſſione generali magna cum diligentia peracta, prohibeat eis, ne deinceps aures præbeant ſuggeſtionibus, quibus oblivio alicujus vel peccati, vel numeri, vel circumſtantiarum objicitur: nec poſt hujuſmodi Confeſſionem Confeſſarius permittat, ut pœnitens, qui in ſcrupulos propenſus ſit, iterum confiteatur.

REGULA QUARTA.

Scrupuloſi acquieſcere debent Superiorum, ac prudentum conſilio.

X. Hanc regulam probat S. Antoninus ex Vener. Gerſonio ſcribente in *Tract. de Præpar. ad Miſſ.* &c. " Qui renuunt credere „ Superiorum, & prudentum conſilio ad tales ſcrupulos deponendum, & agendum „ contra eos, errant multipliciter. Primo „ per ſuperbiam, & arrogantiam, præponendo judicium ſuum, & prudentiam aliorum judicio. Rurſus talis vix, aut nunquam habebit devotionem ſolidam, & pacem Conſcientiæ a talibus, ac proinde „ carebit locus animæ ſuæ hoſpite illo, de „ quo Propheta dicit: *In pace factus eſt locus ejus*. Decipiuntur in hoc multi ex „ ſimplicibus, diſtinguere neſcientes inter „ ea, quæ portio animæ ſuperior agit per „ conſenſum, & ea, quæ portio animæ „ inferior patitur abſque ſuperioris aſſenſu. „ Datent idcirco ſæpe aliis ſalubre conſilium, „ qui neſciunt illud præſtare ſibi. Quocirca „ memorandum eſt B. Bernardi ſuper hac „ re conſilium: Erat ex diſcipulis ejus quidam tantis inquietatus ſcrupulis, ut ad „ celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei devotus, & circumſpectus „ Bernardus, poſtquam hoc accepit: *Vade „ frater, & in fide mea celebres*. Obedivit „ diſcipulus, & ſcrupulus ille omnis perpetuo diſceſſit. "

At dicet aliquis: Utinam talis mihi eſſet Abbas, aut Director, qualis erat S. Bernardus, facile ego imperanti crederem. Nunc vero dum Superioris, aut Directoris mei mediocrem ſapientiam inſpicio, non audeo in his animi ambagibus Conſcientiam meam, & ſalutem illius fidei prorſus committere. Verum, ſubdunt Gerſonius, & Sanctus Antoninus, " Quiſquis ita dicis, & ſapis, erras, & deſipis. Non enim commiſiſti te, „ & ſalutem tuam in manus hominis, quia „ prudens eſt, & plurimum litteratus, ac „ devotus [quamquam in delectu de hiſce „ dotibus curam, ſi tibi fas eſt habeas oportet], ſed quia tibi eſt ſecundum regularem inſtitutionem [aut maturam conſiderationem] Præpoſitus, aut Prælatus (ſive „ Director). Quamobrem obedias ſibi, non „ ut homini, ſed ut Deo jubenti, ſi tamen „ non contra Deum. Et ſæpe tanto erit „ obedientia tua placentior Deo, tibique fructuoſior, quanto eſt indignior ille, cui

prop-

Digitized by Google

„ propter Deum ſubjici non refugis. Caveas „ ad extremum, ne dum quæris ſecurita„tem, nec illam adipiſcaris, & in gravem „ ruas præſumptionis foveam ".

REGULA QUINTA.

Adverſus ſcrupulos magna animi alacritate, & firmitate certandum.

XI. Hanc quoque regulam tradit Gerſonius idem, ita *Conſideratione ſexta* ſcribens: "Scru„ puloſis contra ſcrupulos agendum eſt, & „ fixo operis pede certandum. Hac arte uſus „ eſt ille, qui turbato cuidam jugiter ſuper „ repetitione horarum ſuarum, ſi non aſſi„ due, & actualiter attenderet ad eas, in„ junxit pœnitentiam hane ad tempus, ne „ quomodolibet horas ſemel dictas iteraret. „ Mille ſurgunt apud aliquos tales ſcrupuli, „ more canum oblattantes, & lacerare mi„ nantes ipſos ambulantes per viam manda„ torum Dei, quos evincere, & compeſce„ re melius, quam per contemptum nequi„ mus. Tantummodo ſit contemptus iſte „ timoratus, & regulariter non abſque al„ terius, præſertim Superioris, conſilio, „ alioquin timor immoderatus facit caſum „ aut præcipitat inconſulta præſumptio ".

Porro contra ſcrupulos agere quiſque debet non intra ſe diſputando de illis, nec intrinſecas rationes opponendo, ſic enim facile ſuccumberet æger; ſed per principia extrinſeca reluctando, maximeque ſupra dicto, quia ſpiritualis Director ita præſcripſit. Quod autem ſibi licitum ſit, & expediens adverſum ſcrupulos agere, manifeſtum eſt; ſive ſcrupulus ſit mera quædam apprehenſio, vel fortis imaginatio, ſive ſit ſuſpicio, vel timor imprudens, & ſufficienti fundamento deſtitutus. Ut tale ergo explodi neceſſe eſt, præſertim ad ea damna avertenda, quæ inde proficiſci tum animæ, tum etiam corpori jam prænotavimus.

REGULA SEXTA.

Scrupuloſus judicium ferre non debet de peccato vel admiſſo, vel admittendo; niſi id ipſi certo conſtet, maxime dum mens tranquilla non eſt.

XII. Ratio hujuſce regulæ eſt: quoniam, cum ſcrupuloſi dubitare ſoleant etiam de rebus clariſſimis, ibique peccatum apprehendant etiam mortale, ubi revera nec venialis quidem umbra peccati interdum eſt, in perpetua anguſtia verſarentur, ac plane intolerabili, ſi practice pro peccato æſtimare deberent, quidquid ſub dubio ipſis tale proponitur, cum de omnibus ipſi ferme dubitent. Id confirmari poteſt, quia ob eorum ſtatum ita ſcrupulis, vaniſque timoribus affectum, in dubio, quamdiu de oppoſito non conſtat, formare ſibi judicium poſſunt, ac debent ex iis, quæ communiter contingunt. Cum ergo hi communiter ſibi fingere peccata ſoleant, quæ reapſe talia non ſunt, aut ſaltem non ſunt lethalia, præſumere merito queunt, ea talia non eſſe, dubium eſſe imprudens, & abſque fundamento, quod tale communiter eſt, quemadmodum poſtea ſive ex Directoris judicio, ſive etiam ex proprio aliquando cognoſcunt, dum imaginationis æſtus conquievit. Atque ita ſentiunt Medina, Vaſquez, Azorius, aliique permulti.

REGULA SEPTIMA.

Quamvis Confeſſarius cum iis, qui ex mala vita peracta ad Deum ſe convertunt, ſcrupulos ad tempus permittere queat circa Confeſſiones: aliter tamen cum aliis ſe gerat opus eſt.

XIII. Cum iis namque agens repetere Confeſſiones non ſinat, ſi poſt mediocrem diligentiam adhibitam certo non deprehendat defectum. Immo hos monere conſultum eſt, ut a nimis anxio abſtineant Conſcientiæ examine

mine, dum præſertim frequentius confitentur. Siquidem & præceptum Integritatis Confeſſionis, & examinis præmittendi ad ea non obligat, quæ præſtari nequeunt ſine nimia difficultate, & anxietate ſpiritus: eo præſertim, quod cum ſæpe confiteantur peccata ſua, ſi quod grave peccatum commiſiſſent, facile, ac ſponte ſe mentis oculis objiceret. Nec movere Confeſſarium debet, quod, hac methodo ſervata, contingere interdum poſſit, ut aliquod peccatum omittatur. Quia vehementer ſcrupuli ad materialem Confeſſionis integritatem tanto cum incommodo non tenentur, ut Doctores animadvertunt, qui idcirco excuſant eos in quibuſdam aliis caſibus, cum difficultates valde notabiles occurrunt ab hoc præcepto adimplendo.

Regula octava.

Scrupuloſi exactam præſtare obedientiam debent pio, ac docto animæ ſuæ Directori.

XIV. Hanc maxime inculcare Director ipſe debet, ut ex ſuperioribus liquet. Iſtud quippe ferme unicum remedium eſt pro curando ſcrupulorum morbo, nec ullum certe majoris eſt efficaciæ, utpote ſine quo alia remedia vix profutura ſint. Quare ſi is, qui ſcrupulis angitur, ad hoc ſuſcipiendum remedium, & obedientiam præſtandam animo paratus non ſit, dimittendus eſt, veluti curationis incapax. Hujus vero obedientiæ neceſſitatem perſuadere ſatagat his, ſimilibuſve motivis; 1. ſcilicet, quia ſcrupuloſus in eo ſtatu idoneus minime ſit, qui ſe ipſum dirigat, cum oculos mentis habeat nubibus quibuſdam obtectos, levibuſque de cauſis frequenter perturbatos, adeoque juſtum, rectumque de rebus judicium ferre nequeat. 2. Quod hac præcipue de cauſa ſibi præ cæteris dictum credere debeat illud Proverb. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; & aliud: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*. 3. Quod animi ſui obſtinatio in proprio ſenſu adverſetur præceptionibus Chriſtianæ humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ, ac prudentiæ regulis, nobis in Scripturis Sanctis toties commendatis, ut Tobiæ 4. *Conſilium ſemper a ſapienti perquire*; aliaque hujuſmodi.

Regula Nona.

Si ſcrupuli oriantur ex cauſis corporalibus, complexione, inedia &c. corporalibus quoque remediis curandi ſunt.

XV. Nempe quia, juxta Medicorum axioma, *contraria contrariis curantur*. Unde ſi ſcrupulorum cauſa nimia abſtinentia ſit, utile remedium eſt victus ratio in cibo, & potu a Medicis ſpiritualibus præſcripta pro ratione complexionis uniuſcujuſque. Si vigiliæ immoderatæ; eæ temperandæ ſunt: ſi complexio melancholica, & meticuloſa; honeſtis recreationibus ſublevanda; & omittenda ea, quæ triſtitiam fovere, & augeſcere valent &c.

Aliæ pro ſcrupulis laborantibus a S. Antonino propoſitæ regulæ, ſive documenta.

XVI. Juvat hic ſimul afferre regulas, ſeu documenta, quæ in hac materia, præter alia, proponit magnus, & cæleſti lumine perfuſus S. Antoninus loco citato ex *p. 1. tit. 3.* & maxime ſpectant præceptorum prudentem interpretationem, ſive *æquitatem, quæ juſtitia quædam eſt, penſatis circumſtantiis omnibus particularibus, miſericordia temperata.* Septuplex autem eſt documentum, quod ex hac virtute pro ſcrupuloſis depromit Sanctus Archiepiſcopus, cujus in hac re doctrina abuti ſolent Probabiliſtæ, perperam trahentes ad communem regulam morum, quæ de ſcrupuloſis tantum dicta ſunt.

Primum documentum hoc eſt: " Inter duram, & benignam circa ea præcepta ſententiam, benigna interpretatio, cæteris paribus, potius facienda eſt. Ratio eſt, quia præcepta Dei, & Eccleſiæ non ſunt ad

„ ad tollendam omnem ſpiritualem dulcedi-
„ nem impoſita , quæ certe tollitur nimis
„ ſcrupuloſa , & timida præceptorum inter-
„ pretatione ".

„ Secundum : Nec Deus , nec Eccleſia in-
„ tendunt obligare ad impoſſibile . Nam ſe-
„ cundum regulam juris *Nemo poteſt ad im-*
„ *poſſibile obligari* . In lege autem nova im-
„ poſſibile interpretandum videtur , quod vix
„ eſt poſſibile , utpote nimiam habens diffi-
„ cultatem . Alias , quomodo ſtaret illud :
„ *Onus meum leve* ?

„ Tertium : Nec Deus , nec Eccleſia inten-
„ dunt ſuis præceptis hominem amentem ef-
„ ficere ; ideſt hujuſmodi præcepta eo tem-
„ pore , & loco non obligant , quibus eo-
„ rum obſervantia fieret ridiculus apud viros
„ probos , & prudentes non prudentia car-
„ nis , & ſæculi , ſed ſpiritus . Sicut vota
„ Deo nuncupata reddere tenemur divino
„ præcepto , quæ tamen non obligant , ſi
„ ſtulta ſint .

„ Quartum : In dubiis bonorum vita alio-
„ rum regula eſſe debet , & tanto magis ,
„ quanto meliores ſunt . Unde C. *Sic vive*
„ cauſ. 16. q. 1. dicitur : *Inter bonos ſemper*
„ *ſectare meliores* . Propter quod & Chriſtus
„ diſcipulos ſuos vocat *ſal terræ* : quia ex
„ ipſorum moribus populi ſunt condiendi .
„ Ratio hujus regulæ eſt : quia æquum eſt,
„ exiſtimare viros probos habere rectum judi-
„ cium, cum habeant rectum affectum ; ſicut
„ de ſaporibus recte judicat homo ſanus,quia
„ guſtum infectum non habet .

„ Quintum : in his, quæ ſolum ſunt mala,
„ quia prohibita , ut vulgo ſunt poſitiva
„ præcepta , multum excuſat vel in toto ,
„ vel in parte conſuetudo , ſi ſit præſcripta :
„ immo aliquando legi poſitivæ derogat ,
„ ut colligitur ex Cap. *Statuimus*, & ex Gloſ-
„ ſa Canonis *In iſtis* diſt. 4. Sicut enim Epi-
„ cheja , ſeu æquitas eſt interpres legum; ita
„ & conſuetudo , ut docet Cap. *Cum dilectus*
„ Extr. *de Conſuetudine* .

„ Sextum : Sententiam excommunicationis
„ a jure nunquam incurrit homo abſque pec-
„ cato mortali . Cum enim per excommu-
„ nicationem *ab homine* nullus ejici debeat
„ ab Eccleſia , niſi ob peccatum mortale ,
„ quia maxima pœna eſt : ita , cum ſenten-
„ tia juris non ſit injuſta , poteſt homo for-
„ mare ſibi Conſcientiam : quod ubi non
„ peccat mortaliter , non incurrit ſenten-
„ tiam juris ".

Septimum : Legis humanæ obſervantiam in aliquo caſu prætermittens , ratione gravis periculi , quod vitari non poteſt , ſi ſerventur verba legis , poteſt per virtutem æquitatis a peccato excuſari .

REGULA POSTREMA .

Quibus non proſunt præfatæ regulæ ad ſcrupulos amovendos , nil ſupereſt aliud , niſi ut divinæ voluntati humiliter ſe ſubmittant ad majorem in virtute profectum .

XVII. Hæc regula maxime ſpectat animas quaſdam , quas Deus ad gradum altiſſimum perfectionis ſublevat , ſicut aliis mediis , ita quoque ſcrupulorum tribulatione , ac tormento plane incredibili . In iſtis timor offenſæ Divinæ , qui eas vehementer excruciat, effectus plerumque eſt ardentiſſimæ charitatis, qua flagrant erga Deum unice dilectum ; Deuſque ita ſapientia ſua diſponit , ut hiſce timoribus , atque anguſtiis in amore ſuo indeſinenter creſcant , & in humilitate vivant, ne forte multitudo revelationum , favorumque cæleſtium eas *extollat* , quemadmodum ad hunc eumdem finem *ſtimulus carnis* Apoſtolo datus eſt , qui eum *colaphizaret* . His itaque animabus , ſcrupulis , ac timoribus Conſcientiæ excruciatis , quoniam remedia alia nihil ad curam prodeſſe ſolent , nihil aliud ſupereſt , niſi ut illos humili reſignatione patiantur , deque manu Domini animo libenti recipiant , ſuaque virtutis materiem

Digitized by Google

tiem ad Diaboli confuſionem, convertant, confitentes ſe indignas internis illis pacati animi conſolationibus, quibus fruuntur puriores, fideliorefque animæ; filialem tamen in bonitate Dei fiduciam concipientes, quod poſt nubila redituta ſerenitas ſit, impletaque menſura panis lacrymarum, optata Conſcientiæ quies, ac tranquillitas a dulci Domino reſtituatur, qui *non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum*.

CAPUT XII.

Consectaria Praecedentis Doctrinæ.

I. *Falſa idea eſt, quam vulgus, hominesque mundani habere ſolent de ſcrupulis, & ſcrupuloſis.*

II. *Scrupuloſus cenſendus non eſt, qui a pluribus ſæpe cavet, quæ alii ſine ſcrupulo exequi conſueverunt.*

III. *Sed neque ſcrupuloſæ Conſcientiæ indicium eſt trepidare, ne Deo quis diſpliceat in operibus ſuis.*

IV. *Plures ex ſcrupoloſis miſere deludunt ſe ipſos.*

V. *Falſa eſt doctrina Valentiæ, & aliorum, ſaltem prout ab ipſis proponitur, non diſtinguentium ſcrupulos a Conſcientia ſcrupuloſa.*

VI. *Judicium aliquod de ſcrupulis faciendum, ne ſe homo peccandi periculo exponat.*

VII. *Quo pacto ſe gerere debeat, qui de conſenſu in tentationes præſtito pertimeſcit.*

VIII. *Non eodem modo ſe gerat oportet Confeſſarius, aut Director circa omnes ſcrupuloſos.*

IX. *Juvat nonnunquam in aliquibus permittere ſcrupulos.*

X. *Niſi ſcrupuloſus obedientiam Confeſſario, aut Directori promittat, ac ſervet, dimittendus.*

Reflexio.

Consectarium Primum.

I. ERRONEA notio eſt, ac idea, quam vulgus, atque ſectatores mundi habent de ſcrupulis, atque hominibus ſcrupuloſis. Illi namque ſcrupulos æſtimant, quod non aliud eſt, niſi exacta, & accurata mandatorum Dei obſervantia; ſcrupuloſoſque vocare conſueverunt, quos ſolicitos intuentur in æternæ ſalutis negotio procurando, qui tum peccata, tum peccandi occaſiones, atque pericula intento ſtudio evitare ſtudent, qui inſani mundi illecebras, ludos, comœdias, ſpectacula, pompas, & oblectamenta cætera, quæ mundus deperit, deteſtantur, qui Eccleſias frequentant, rebuſque ſacris devote interſunt, qui nihil denique omittunt, quo Deo obſequioſe inſerviant, ejuſque legem diligentiſſime cuſtodiant. Hi ſane non ſcrupuloſi, ſed religioſi dicendi ſunt, nihilque falſum de his mundi judicium curandum eſt, quoniam judicio Dei adverſatur, & e regione opponitur, ut ipſo veritatis teſtimonio apud Joannem exploratiſſimum eſt.

Consectarium Secundum.

II. Similiter neque ſcrupuloſus cenſendus, qui a pluribus cavet, quæ a quibuſdam etiam non projectæ Conſcientiæ peragi ſine ullo ſcrupulo, ac timore ſolent: qui E. C. non audet cum aliquibus, licet probi, piique communiter audiant, male de proximo ſuo obloquentibus, & ſuſpiciones ſuas tanquam vera facta enarrantibus, loqui, aut pronas aures præbere. Ad ita quidem ſe gerendum non levi, ſed æquiſſima ratione permoventur. Putandi quoque ſcrupuloſi non ſunt, qui, cum plura beneficia poſſideant, idque ſine cauſa, & authoritate legitima, ſubinde patiuntur Conſcientiæ remorſus, an non in culpa ſint, ea retinendo. Hujuſmodi enim remorſus non eſt verus ſcrupulus, ſed ſeria Conſcientiæ admonitio magnis,

juſtiſque rationibus innixa. Atque idem dicas de pluribus aliis, quæ vulgo ſcrupuli exiſtimantur.

Consectarium Tertium.

III. Sed neque ſcrupuloſæ Conſcientiæ indicium eſt trepidatio, qua afficiuntur piorum animæ, ne forte Deo diſpliceant in iis, quæ agunt, & ab ipſis recta exiſtimantur; ſed juſtæ potius cautionis officium. Siquidem Scriptura commendat, *beatumque* appellat *hominem*, *qui ſemper eſt pavidus*; pavore ſcilicet non inquieto, ſed moderato, ac tranquillo. Unde S. Gregorius Magnus ad hunc ſalutarem timorem nos urget, animadvertens lib. 5. Moral. C. 6. quod *ſæpe opus noſtrum cauſa damnationis eſt, quod profectus putatur eſſe virtutis: ſæpe unde placari Judex creditur, inde ad iraſcendum placidus inſtigatur, Salomone atteſtante, qui ait*: Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem. *Unde ſancti Viri, cum mala ſuperant, ſua etiam bene geſta formidant; ne, cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur: ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie lateat coloris: ſciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona ſubtiliter neſciunt, & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant, metuunt; & tota quidem mente interna deſiderant, ſed tamen in incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur, ignorant*. Hinc lib. 9. de ſemetipſo loquens Sanctus Doctor C. 17. *Quæ aperta*, inquit, *egerim*, *video: ſed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpe enim bona noſtra latrocinantis fraude depereunt, quia rectis ſe noſtris actibus concupiſcentiæ terrena ſubjungunt. Sæpe deſidia interveniente, deficiunt; quia a fervore, quo cœpta ſunt, frigeſcente amore tabeſcunt. Quia ergo culpæ ſubreptio vel in ipſo virtutis actu vix vincitur, quid ad ſecuritatem ſupereſt, niſi ut ſtudioſe ſemper, & in virtute timeatur*? Ita cauſe ſe gerere in bonis ipſis operibus, ita trepidare non eſt ſcrupuloſi hominis ſignum, ſed veracis, Deum timentis, & in vera humilitate fundati.

Consectarium Quartum.

IV. Miſere deludunt ſemetipſos quidam ſcrupuloſi, qui dum in aliquibus anxii ſunt, atque cruciantur, puta in recitatione divini officii, in aſſiſtentia ad Miſſæ Sacrificium &c. in aliis poſtea gravioris momenti, & adimplendis obligationibus præcipuis Divinæ legis, ſtatuſque, & officii ſui, nihil, aut parum cogitant, eamque curam, & diligentiam non adhibent, quam adhibere arctiſſime tenentur. Experientia nimium manifeſta comperimus, plures eſſe ſcrupuloſos, ut ſupra jam notatum eſt], qui pleni ſunt inordinato amore ſui, ſuiſque affectionibus, & commodis impenſius indulgent, qui nullo animi timore ſollicitantur, ſi proximo vel in fama, vel in rebus, aut bonis temporalibus præjudicium inferunt, & alia hujuſmodi peragunt, quæ divinis præceptis aperte adverſantur, neque tamen ullo ſcrupulo commoventur: dum interim in minutioribus aliis continuo ſe torquent, ſe diſcruciant, ac pene in amentiam cadunt. Hi profecto extra ſalutis viam inveniuntur, decipiuntque ſemetipſos. Quapropter magnam circa hoc cautelam, ac diligentiam adhibeant Confeſſarii, neceſſum eſt; eoſque a via perditionis, in qua ambulant, avocare mediis omnibus ſtudeant, ipſos de periculo ſuo admonendo, obſecrando, increpando, & vaferrimi hoſtis, quibus illuduntur, præſtigias ipſorum oculis ſubjiciendo.

Consectarium Quintum.

V. Quum Conſcientia ſcrupuloſa a ſcrupulis diſtinguenda ſit, falſa dicenda eſt doctrina Valentiæ, Vaſquez, Breſſeri, & aliorum, qui nulla facta diſtinctione inter ſcrupulos, & Conſcientiam ſcrupuloſam, docent indi-

ſcri-

Digitized by Google

criminatim, agere nos poſſe contra ſcrupulos, etiam iis nullatenus depoſitis. Hoc enim conſonum non eſt Sacris Canonibus, quos adduximus, niſi forte ſic doctrinam ſuam intelligant de ſcrupulis, qui ſunt in ſola imaginatione, vel apprehenſione, quod ipſi non explicant, ſed abſolute loquuntur. Nec Sacris Canonibus tantum, ſed etiam veritati opponitur. Vel enim ſcrupuloſus advertit, leves eſſe ſcrupulos ſuos, ac temerarios, vel non advertit; ſed judicat marios eſſe, quod agit, prout ad Conſcienlum eſſe, quod agit, prout ad Conſcientiam requiritur. Si advertit; jam iis aſſenſum non præſtat, tanquam aſſenſu indignis, vaniſque terriculamentis. Si vero non advertit, haud magis agere poteſt contra ſcrupulos, & judicium ex illis formatum, quam contra Conſcientiam *erroneam* non depoſitam. Quamdiu namque judicium ex ſcrupulis conceptum apprehenditur, ut fundatum, ab *erroneo* nequaquam differt, niſi ratione anxietatis, & inquietudinis, quam animæ ingerit. Quare dum ſcrupuloſus ita ſcrupulis turbatur, & angitur, ut hic, & nunc determinate neſciat inter ſcrupulum, & Conſcientiam ſcrupuloſam, utatur iis mediis, quæ ad illum abigendum opportuna ſunt, maximeque judicio jam præhabito Confeſſarii, aut virorum prudentum, quos antea conſuluit.

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. Hinc vero colligas, illum, qui veris quidem ſcrupulis laborat, ſed vel tales eſſe non cognoſcit ſive ſcientia propria, ſive aliorum judicio, ſive alio quocunque modo, tunc adverſus eos agere non poſſe: ageret enim adverſus Conſcientiam ſuam, id quod nunquam licet. Sed debet ſuæ Conſcientiæ cruciatum, & inquietudinem prudenti viro patefacere, vel oratione, & ſtudio conari, ut intelligat, quænam ea ſint, quæ illum cruciatum, & inquietudinem movent, num fundamento nixa, num eo deſtituta; & ubi agnoverit, ſcrupulos eſſe, contemnat, ac ſe ad agendum, vel omittendum determinet.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

VII. Qui ſcrupulis anguntur ob peccata, in quæ incidiſſe formidant; E. C. quod cogitationibus, ſive tentationibus infidelitatis, blaſphemiæ in Deum, temerarii judicii, impuritatis &c. conſenſerint; præſumere merito poſſunt, ſe reipſa non conſenſiſſe, ſaltem ſi a peccato ex intimo corde abhorreant, & ab ipſo *fugiant tanquam a facie colubri*; ut mortem pati potius vellent, quam graviter Deum offendere. Idem præſumere poſſunt, qui ita ſcrupuloſi ſunt, ut quidquid ſibi in mentem venit, ſtatim commiſiſſe ſe putent, quamquam etiam de hoc quamdam ſibi videantur habere evidentiam. Ea ſiquidem aliunde non oritur, niſi ex vivida imaginatione concuſſa, vanoque timore. Quod adeo verum eſt, ut monitum hocce locum interdum habere valeat etiam in caſu, quo ſcrupuloſus aſſereret, jurare ſe poſſe hiſce cogitationibus præbuiſſe conſenſum.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Confeſſarius, aut Director ſpiritualis in ſpiritu lenitatis, ac benignitatis procedat oportet cum iis, qui meticuloſi ſunt, & puſillanimes, illud in memoriam ſuam revocando Apoſtoli monitum: *Conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris*; & præcavendo, ne propter nimium aſperas reprehenſiones, aut amara verba in deſperationem ruant. Cum iis vero ſcrupuloſis, qui vel elati ſunt animo, vel in cæteris, quæ amplius curare deberent, nimium incautioſi ſunt, durius ſe habere poteſt, ac debet, ita tamen, ut ad exemplum boni illius Samaritani, cujus Evangelium meminit, nedum vinum, ſed & oleum in eorumdem plagas infundat, temperans objurgationes cum blandis admonitionibus. *Aliter*, inquit S. Gregorius Magnus

gnus 3. p. Paſt. adm. 8. *admonendi ſunt impudentes, atque aliter verecundi: illos melius corrigit, qui invehendo reprehendit; iſtis autem major profectus adducitur, ſi hoc, quod in eis reprehenditur, quaſi ex latere tegatur.* Et admonit. 9. *Aliter admonendi ſunt protervi, atque aliter puſillanimes. Subtiliter ab arguente diſcutienda ſunt opera protervorum, ut, in quo ſibi placent, oſtendatur, quod Deo diſplicet. At contra puſillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, ſi quædam bona illorum ex latere requiramus, ut dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus.* Sed & illud præſertim obſervent ſcrupuloſorum Directores, ne, quando eis ſanum conſilium præbent, hæſitanter loquantur, aut ſe opinari dicant; ſed animo firmo proferant, quod pro certo habent: quin immo & præcipiant ipſis, ut ſimpliciter agant, quæ eis agenda præſcribunt; quia, ſi ſe dubios, aut ancipites preferant, novam inde ſcrupuloſi anxietatis occaſionem arripient.

Consectarium nonum.

IX. Si qui ſint ſcrupuloſi, qui ex dubiorum circa peccata mortalia confeſſione in magnas anguſtias non redigantur, ea conſiteri ſinat prudens Confeſſarius, quoniam ex eorum confeſſione amplius quietis, ac tranquillitatis recipiunt, quam ſi ſola peccata certa conſiteri jubeantur, ut aliquando fieri poteſt cum aliis. Id cum iis etiam ſcrupuloſis agendum eſt, ut admonuimus, qui timoratæ Conſcientiæ non ſunt, dum de præteritis peccatis cogitantibus nonnulla in memoriam veniunt, quæ ſe confeſſos eſſe ambigunt, aut præmiſſis neceſſariis diſpoſitionibus dubitant, niſi forte ex confeſſionum repetitione, aut peccatorum cogitatione periculum ſubſit iterum peccandi. Hujuſmodi quippe hominibus ſcrupuli plerumque utiles eſſe ſolent, tanquam frænum, quo retineantur, ne liberius peccent, peccandique propenſionem, & paſſiones nimis adhuc robuſtas compeſcant; dumque hi peccatores converti incipiunt, odium ipſis adverſus peccatum ingerunt, Conſcientiam purgant, & per cognitionem propriæ miſeriæ humilitatem ingenerant.

Consectarium Decimum.

X. Quum nullum efficacius remedium ſit ad ſcrupulos abigendos, quam prompta, & ſubmiſſa obedientia ſcrupuloſi erga Confeſſarium, aut Directorem ſuum, quem prudentem, doctumque delegit; & cætera quandoque remedia ſine hoc nihil, aut parum proſint: inde ſit, ut Confeſſarius directionem ſcrupuloſi ſuſcipere minime debeat, niſi prius hanc obedientiam ipſi firmiter inculcet, & ad illam promittendam inducat: adeo ut ſi vel repugnantem inveniat, vel experientia comperiat minus ad obediendum paratum, atque diſpoſitum, vel ſaltem ſerio non conantem, ut ſua monita adimpleat; ipſum abs ſe dimittat veluti incurabilem, ad exemplum Medici ægrum dimittentis, qui remedia a ſe propoſita reſpuit. Nam cæteroqui oleum, ut inquiunt, & operam perdet, & fruſtraneo labore defatigabitur.

REFLEXIO.

Multi quærunt ſcientiam, ajebat olim S. Bernardus; *pauci Conſcientiam*. Multos, inquam, invenire eſt, qui *ſcientiam* avidiſſime *quærunt*: at non illam *ſcientiam Sanctorum*, quam parvulis, ac mundis corde elargitur miſericors Deus, & qua *juſtos deducit per vias rectas, & oſtendit illis regnum ſuum*, quo feliciter tandem perveniant; ſed *ſcientiam quærunt* mundanam, carnalem, quæ *ſeculari doctrina præſtatur*, quæ animum inflat. Hanc plane permulti *quærunt*, & tota quidem diligentia, animique contentione, ac labore, adeo ut ſæpe vires omnes mentis, corporiſque ad eam inveniendam inſumant,

ac

Digitized by Google

ac pene ſe conficiant : ideoque tanto eam ſtudio permulti quærunt, quia humanam ſuperbiam magis fovet, & allicit, & ſæculares honores, plauſuſque populorum, quibus aucupandis unice ſtudent, facilius conciliat. Contra vero, cum hac exteriore blandiente luce, dulcique lenocinio recta Conſcientia careat; idcirco hanc *pauci*, quin & pauciſſimi quærunt. Nam etſi plures non deſint, qui illam utcunque quærere videantur, haud tamen reapſe, & ex animo quærunt, quia non eo modo, nec eo ſtudio quærunt, quo quærere poſſent, atque deberent. Quot enim ſunt, qui ſibi Conſcientiam ad arbitrium effingunt, legem Dei, quæ ſola rectæ Conſcientiæ prima regula eſt, minime conſulentes, aut ſecretioribus quibuſdam niſibus ad genium, cupiditateſque ſuas pertrahentes? Quot, amabo, reperias, qui voluptatibus, & blandimentis ſæculi corrupti, & obcæcati, ne illud quidem lumen divinum in ſuis operibus intuentur, quo dumtaxat Conſcientiæ judicium tuto dirigi poteſt, ne a vera ſemita deflectat, per quam pervenitur ad vitam? Quot *bonum malum*, & *malum bonum* decernunt ex principiis, quæ jam animo imbiberunt, falſis, & erroneis, quibus in alia quoque practica judicia falſa, & erronea miſerrime deducuntur? Quot veluti pro ſecura norma actionum, omiſſionumve ſuarum, non quid revera agendum, omittendumve ſit, ſibi præſcribunt, ſed quid cæteri ex conſuetudine agere, aut omittere ſolent? Ut omnia uno verbo complectar, pauci admodum ſunt, quorum Conſcientia *oculo* illo *ſimplici* regatur, ac gubernetur, quem memorat in Evangelio Chriſtus Dominus, quo tantummodo tuto peragitur per viam ſalutis, eamque demum adipiſcimur.

Oculum hunc *ſimplicem* prorſus eſſe neceſſarium, ut recta Conſcientia ſit, dubitare minime poſſumus, teſtimonium perhibente increata ipſa Sapientia. At enim vero quid opus eſt, ut vere *ſimplex* ſit mentis *oculus*? Duo profecto, quorum altero deficiente, *ſimplex* ipſa Conſcientia, quam regit, omnino eſſe deſinit; *amor* ſcilicet *boni*, & *cognitio veri*: quemadmodum *nequam* eſt, ſicut & *oculus*, *quo totum corpus*, ſive & ipſum Conſcientiæ judicium, & opus inde procedens, *tenebroſum* conſtituunt, *perverſitas voluntatis*, qua fit, ut homo diligat iniquitatem, & *cæcitas mentis*, ob quam non agnoſcit veritatem. Duo hæc, remque totam pulchre ſimul, & luculenter declarat idem S. Bernardus lib. *de Præcept. & Diſpenſ. Cap.* 14. his verbis:

„ Is vere, inquit, oculus nequam eſt, „ qui perverſus pariter, & cæcus bonum „ agit, & malum credit; utique recte operando, ſed opinando inique, bonum ſibi „ in malum vertit, & tantum malum, „ quantum crediderit: quandoquidem juxta „ ſententiam Domini: *Totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam*. Quid enim „ luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec „ vera opinio invenitur? At non ideo ſequitur, ut qui e contrario malum facit, „ & bonum putat (en Conſcientia erronea), juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe „ inveniat. Quare? Non eſt quippe ſimplex „ oculus ille, qui ex judicio veritatis *totum* „ *corpus lucidum reddat*. Neque enim ex toto adhuc tenebræ deſunt, ubi ignorantia „ veritatis lucem obſcurat bonæ voluntatis. „ Et quidem laude dignam duxerim vel ſolam intentionem piam: nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere „ quoque non bono ipſa bona voluntas. At„ tamen ſine malo quocunque non erit deccepta *ſimplicitas*. Cur, inquis? Numquid „ non ex fide? Prorſus ex fide; ſed falſa: „ vel certe potius non ex fide, quia fides „ falſa fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa puto dixiſſe Apoſtolum:

Omne

„ *Omne, quod non eſt ex fide* (ſive ex Con-
„ ſcientia), *peccatum eſt*. Non autem ex
„ fide vera bonum creditur, quod malum
„ eſt : eſt enim falſum : peccatum igitur eſt.
„ Utrumque proinde complectitur præſens ca-
„ pitulum : *Omne, quod non eſt ex fide, pec-
„ catum eſt* ; & cæcam videlicet malitiam, &
„ deceptam innocentiam. Quia, quod a ne-
„ ſciente fit, & bonum prorſus condemnat
„ intentio prava, & malum non penitus ex-
„ cuſat recta. Sive itaque malum putes bo-
„ num, quod forte agis, ſive bonum ma-
„ lum, quod operaris, utrumque peccatum
„ eſt : quia neutrum ex fide ".

Quid igitur neceſſe eſt, ut vere *ſimplex* ſit oculus noſtræ mentis, atque adeo Conſcientia, quæ ab illo dirigitur ? Ut & putam Intentionem in operibus noſtris ſemper habeamus, & veritatem toto cordis affectu, totaque diligentia, ut ſæpe jam diximus, in electione eorum, quæ nobis agenda, aut omittenda præſcribimus, inquiramus : ſive, quod perinde eſt, id omni ſtudio, ac ſedulitate præſtemus, propter quod Magiſtrum veritatis, & Reformatorem Conſcientiæ hominum in hunc mundum veniſſe teſtatur Apoſtolus *in Epiſt. ad Tit.* ſcribens : *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo*. Abnegare igitur in primis oportet impietatem, & deſideria hujus ſæculi, quæ denſis tenebris mentem offundunt, & Conſcientiæ lumen impediunt; ac deinde eniti, ſicuti explicant Sancti Patres, ac Magiſtri Spirituales, ut *pie* nos habeamus erga Deum, *juſte* erga proximum, & *ſobrie* erga noſmetipſos. Atque equidem erga Deum habere debemus pietatem filii, ut ipſum religioſe colamus, ejuſque præceptis fideliter obtemperemus, & quæ dubia quandoque circa hujuſmodi officia emergunt, ea reſolvamus, ſicut exigit filialis affectus in favorem legis ſuæ. Erga proximum *Matris* affectum, ut in nullo ejus jura lædamus, ut ipſum charitatis brachiis complectamur, ſolemurque in anguſtiis, ac neceſſitatibus ſuis. Erga vero noſmetipſos rigorem *Judicis*, ne corruptæ naturæ noſtræ concedamus, quæ pravas appetitiones ſuas obſecundant, ac nutriunt : *In hoc* quippe ſtatu, inquit S. Auguſtinus Ser. 12. de tempore, naturalis *propenſio voluntatis noſtræ auctoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt, bonum eſſe ſuadet* ; tantaque laboramus philautia, ſive inordinato amore propriæ libertatis, atque commoditatis, ut, niſi in dubiis, quibus Conſcientiæ judicium ſuſpenditur, procliviores fuerimus in partem oppoſitam, in favorem ſcilicet legis, plerumque declinemus in cupiditatis exceſſum, cujus cauſa ab obſervantia legis, & a dilectione Dei proximique etiam ſæpe deficimus.

Hæc ſi ſtudioſe, ac fideliter præſtiterimus ſpetandum nobis erit, ne Conſcientia noſtra a via regia veritatis aberret. Neque tamen de hac feliciſſima forte nimia unquam in hac miſera vita concipienda fiducia eſt, quæ formidinem omnem expellat, atque timorem, quem & Sacræ Litteræ tantopere commendant, & quo nec ipſi Sanctiſſimi Viri in hocce ſtatu corruptionis caruerunt. Quamquam enim hi cautionem omnem adhibuerint, ne vel negligentia aliqua, vel latente pravo affectu in tranſverſum agerentur; cum tamen de hac re certi omnino, & infallibiliter neutiquam forent, continenter verebantur, ne forte propria aliqua culpa præceſſiſſet : quia nimirum nonniſi ſolus Deus, cui intima quæque manifeſta ſunt, penitus exploratam habet hominum Conſcientiam. Hinc ſi dicere licuit Apoſtolo : *Nihil mihi conſcius ſum ; ſed non in hoc juſtificatus ſum* ; & rurſus : *Sed neque me ipſum judico : qui autem judicat me, Dominus eſt* ; quidni & a Sanctis aliis idem dicendum erit ? Verum

hic

bie Sanctorum omnium timor non ad turbandam deſervit tranquillitatem animi, nec ad ingerendam anxietatem, vanoſque ſcrupulos, ſe ad majorem duntaxat cautionem ſemper excitandam. Qua de re alibi etiam dictum eſt.

Hæc itaque Sanctorum perpetua praxis nobis exemplo eſſe debet, quo Conſcientiam ad ipſorum inſtar rectam efformemus, a negligentia, praviſque affectibus cor noſtrum mundantes, ut & *ſimplex* ſemper ſit intentio noſtra in amore boni, & cura ſemper diligens in inquiſitione veri. Ita profecto fiet, ut non timide quidem, & ſcrupuloſe, ſed caute in omnibus agentes ſperare cum fundamento nobis liceat de rectitudine Conſcientiæ noſtræ, quæ ſola nos coram Deo ſecuros efficit. *Terror* namque *ille*, ut ait S. Auguſtinus in Pſal. 147. *ſecuritatem parturit: territi enim præcavemus: præcaventes ſecuri erimus. Quomodo enim præpoſtera ſecuritas in terrores impellit; ita ordinata ſollicitudo ſecuritatem parit.*

DI2.

DISSERTATIO TERTIA

DE NOVELLO PROBABILITATIS SYSTEMATE,

Quod utramque Chriſtianæ Ethices regulam, legem *ſcilicet*, & *rationem*, *corrumpit*, *atque pervertit*.

DIU mecum anceps cogitavi, num debuiſſem de celeberrima Moderni Probabiliſmi controverſia peculiarem in hoc Opus Theologiæ Moralis Diſſertationem intexere; non equidem quod illam magni momenti eſſe non crederem, cum procul dubio cæterarum omnium, quæ ad morum regulam, æternamque animarum ſalutem pertinent, graviſſima ſit, atque perneceſſaria, ut Sapientes omnes concorditer aſſentiuntur; ſed quia plura jam in ſuperioribus, prout ſe tulit occaſio, dicta ſunt, quæ ad illam penitus dirimendam, & adverſantium opinionem funditus evertendam, ſatis ſuperque videri facile poſſunt: ac præterea de eadem integrum, ſpiſſumque Tractatum paucis ab hinc annis in lucem edidi inſcriptum: De proxima humanorum actuum regula in opinionibus deligendis, duobus voluminibus comprehenſum, in quibus dedita opera hoc argumentum undequaque verſo, queis duo alia poſtea adjeci volumina ad veritatem amplius illuſtrandam, atque firmandam adverſus D. Alphonſum Liguorium, ut nihil addendum plane ſupereſſe videatur.

Verum enimvero, re ſerius, ac maturius expenſa, in illud tandem conſilium adductus ſum, ut capitalem, & graviſſimam controverſiam, quemadmodum eam vocat Præpoſitus Societatis Jeſu P. Thyrſus Gonzalez, quæ fundamentum eſt totius Theologiæ Moralis, in hoc ipſo Opere Morali non omnino præterirem; tum quia, licet in hoc multa hactenus dicta fuerint, quæ Probabiliſtarum ſententiam a veritate longiſſime alienam oſtendunt, integrum tamen ſyſtema nondum reducto velo de facie cognovimus, nondum ex inſtituto confutavimus, nec ingentia mala affatim ex ipſo prodeuntia in vitæ Chriſtianæ corruptelam, & animarum perniciem, prout loquitur Summus Pontifex Alexander VII. ſub oculos poſuimus; tum quia, quamvis hæc omnia præſtiterimus in voluminibus indicatis, incongruum mihi viſum eſt ad ea duntaxat Lectores remittere (quibus etiam fortaſſe plures carent) ut plenam ejuſdem ſyſtematis notitiam aſſequerentur, cum libentius hanc in uno, eodemque morali Opere invenire, atque cognoſcere deſiderent. Verum, ne nimio tædio illos afficiam, dum diutius in unica controverſia immoror, dabo operam, ut ea, quæ fuſiore calamo exarata ſunt, in longe pauciora contraham, iis omnibus argumentis prætermiſſis, quæ ſupra allata jam ſunt, cæteriſque brevi ſermone propoſitis; adeo ut ſi quis forte omnia in ſuo claro lumine, disjectis adverſariarum reſponſionum nebulis, conſtituta intueri maluerit, præfatos libros conſulere poſſit.

Itaque, ut, quod promiſi, perficiam, integrum ſyſtema Probabiliſtarum recentium nitide exponam: deinde argumentis, tum a morum clade, & corruptela, quam invehit in Chriſtianam Moralem, tum a rectæ rationis luce, tum ab aliis principiis intrinſecis, & extrinſecis, deductis pleniſſime refellam, oſtendamque, neminem abſque evidenti animæ ſuæ periculo illud poſſe defendere, aut ad praxim deducere: id quod pluribus capitibus exequar, prout ad majorem rerum claritatem prodeſſe perſecuerim. CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Novellum Probabilitatis ſyſtema iiſdem, quibus illud Probabiliſtæ doctiores proponunt, ſententiis, ac verbis exhibetur.

DOCTRINA.

I. *Generale diſcrimen Probabiliſtarum, & aliorum Theologorum.*

II. *Expoſitio ſententiæ Probabiliſticæ ex P. Bovio.*

III. *Conditiones negativæ, quas ad opinionis probabilitatem requirunt, expenduntur, ac futiles demonſtrantur.*

IV. *Conditiones* poſitivæ, *quas exigunt, inanes, ac ſuperfluæ declarantur.*

V. *Proſpectus probabiliſticæ ſententiæ ex P. Lacroixio.*

VI. *Aliæ ejuſdem poſitiones, quibus Probabiliſmi fines extendit.*

VII. *De authoritate extrinſeca, quæ ſufficit juxta Probabiliſtas, ut opinio ſit* probabilis, *& regula humanarum actionum.*

VIII. *Quid de hac authoritate ſtatuat P. Cardenas, & ex ipſo alii Probabiliſtæ.*

IX. *Quid de eadem tradant P P. Bovius, & Lacroixius.*

X. *De numero Authorum, qui ſatis ſunt, ut opinio vere ſit* probabilis, *& ad praxim reduci valeat.*

XI. *Si Authores ſint* Claſſici, *&* probatæ authoritatis, *juxta Probabiliſtas vel unus eorum ſufficit ad conciliandam opinionibus probabilitatem.*

XII. *Ex laudibus, quibus aliquos Authores celebrant, evidens confirmatio deſumitur vel unum eorum ſatis eſſe, ut vere* probabilis *opinio ſit, etiam contra alios innumeras.*

XIII. *Eorum, quæ dicta ſunt pro exponendo ſyſtemate Probabiliſtico brevis complexio.*

I. QUONIAM Probabiliſtæ conqueri frequentius ſolent de Adverſariis ſuis, quod ſyſtema ab ipſis propugnatum aut non intelligant, aut perperam illud exponant: Idcirco, ne in me quoque hanc querelam, & criminationem regerant, utar in eo explicando iiſdem verbis, atque ſententiis, quæ proſtant in ipſorum libris juxta obvium, ac nativum ſenſum, quem præſeferunt: ac præcipue illud exponam ex duobus recentioribus, iiſque magni inter ipſos nominis, *Bovio*, nempe, & *Lacroixio*, quaſdam ſolum, prout opus fuerit, animadverſiones addendo.

Quemadmodum cæteris Theologis, quorum tantummodo probandam doctrinam eſſe defendimus, ſola humanorum actuum tuta regula *veritas eſt*; ita iis, qui *Probabiliſtæ* vocantur, eſt *probabilitas in rebus dubiis, & controverſiis*. Nam & ipſi ſtatuunt, quum veritas *certa* & *evidens* eſt, tum ei ſoli inhærendum eſſe. Unde etiam nobiſcum conveniunt, ad eam inveſtigandam adhiberi oportere moralem diligentiam, ut exerte docet P. Bovius, licet hanc diligentiam limitare admodum conſueſcant. Si tamen *veritas* quæſita lateat, docent, eam opinionem, quæcunque ea ſit, etiam oppoſita, ac tutiore minus probabilis, ſecuram eſſe agendi, vel non agendi regulam; adeoque, cum ambæ opiniones veræ eſſe non poſſint, ſed alterutram falſam eſſe neceſſe ſit, *verum* perinde, ac *falſum*, modo *probabilitatis* ſpeciem habeat, amplecti licet abſque *formali*, ut inquiunt, ſeu imputabili peccato.

§. I.

Proſpectus ſententiæ Probabiliſticæ juxta P. Bovium, & alios, quos ſequitur.

II. En quomodo Probabiliſtarum ſententiam exponat inter eorum Scriptores fere poſtremus P. Bovius, ex Italico in latinum ejus ſermone converſo. " Probabiliſtarum, „ inquit pag. 68. ſententia hæc eſt: quo-

„ tiis inquiritur, præceptane ſit actio, „ an interdicta, poſt adhibitam pro rei „ gravitate diligentiam ad legis Inquiſitio- „ nem, poſt attentam rei, & adjunctorum „ animadverſionem, ſi gravi ratione, atque „ authoritate, *ſolide* adhuc *probabile* ſit, „ nulla lege actum juberi, aut vetari, „ poterit homo abſque culpa agere, vel „ ab agendo abſtinere; etſi opinio legem „ ſtatuens *æque probabilis*, *aut etiam pro- „ babilior eſſet*: modo, perpenſa ſimul ra- „ tione, atque authoritate, moderatus ex- „ ceſſus ſit, neque talis, ut oppoſitam o- „ pinionem ſecum collatam a gravi, & „ ſolida probabilitate dejiciat. Ita Proba- „ biliſtæ". Quod paucioribus verbis expri- mi ſolet: Quilibet licite poteſt ſequi, & ad praxim reducere ſententiam propriæ li- bertati, aut cupiditati faventem, ſive quæ legem adeſſe negat, quæ præcipiat quid- piam, aut vetet, adverſus oppoſitam, quæ legem affirmat, ſive hæc ſit *æque*, ac alia, *probabilis*, ſive etiam ſit altera probabilior & veritati conformior eſſe vi- deatur.

III. P. Bovius in laudato textu ſatis in- dicat, & cæteri moderni Probabiliſtæ ex- preſſus quaſdam conditiones requirunt, ut probabilis opinio, quæ legem negat, re- gula tuta ſit humanarum actionum, ſive hæc cum alia oppoſita, quæ legem affir- mat, *æque probabili*, ſive *magis* etiam *pro- babili* concurrat; quarum aliæ *negativæ* ſunt, aliæ *poſitivæ*. *Negativæ* ad hanc revocan- tur; nempe quod opinio non ſit *nec Di- vinis Scripturis*, *nec traditioni*, *aut Patrum conſenſui*, *nec Eccleſiæ definitioni*, *nec evi- denti rationi contraria*. Verum, ut hic mo- do ſiſtamus, opportune monet (ac adver- tere Lectores debent) ſapientiſſimus Præſul D. de Godeau, " Non ſentire Probabiliſ- „ tas opus eſſe, ut opiniones Sacris litte- „ ris, traditioni, & Eccleſiæ definitioni- „ bus *reipſa non adverſentur*: jam enim „ nullus eſſet falſæ opinioni locus; ſed, „ ut qui eas ſectantur, aut docent, me- „ moratis principiis adverſari non judicent. „ Quod ſi etiam ipſis adverſari crediderint, „ ſatis habere poſſunt graves Authores ali- „ ter opinari. Tunc enim juxta Vaſquez, „ Sanchez, Eſcobarium &c. perſuadere ſibi „ quiſque debet, aut ſaltem poteſt, eas „ revera, quidquid ſibi videatur, non pu- „ gnare cum his Chriſtianæ Theologiæ fon- „ tibus" Plurima de hoc afferri exempla poſſunt: ſed duo, vel tria tantum adducam.

Exploratum eſt in Divino Eloquio, ſe- vere prohiberi de proximi fama calumni- ando detrahere, &, quæ id vetant, teſti- monia adeo perſpicua ſunt, ut nullam ex- ceptionem ferant. Quibuſdam tamen Pro- babiliſtis non ea viſa eſt hujuſce legis per- ſpicuitas, ut in omnium notitiam deducta ſit, & quamlibet exceptionem excludat. Quare noviſſimus Probabiliſmi defenſor Car- panius *pag.* 4. hæc habet: *An liceat ap- pingere crimen falſum alicui*, *vel ſaltem il- lius crimen occultum manifeſtare*, *quando no- bis alia non ſuppetit via ad conſulendum pro- priæ famæ*, *non eſt aliquid*, *de quo rudes*, *& illiterati homines ferre ſententiam poſſint*. Quid mirum, ſi hoc *de rudibus*, *& illite- ratis* affirmat, quum & ſapientiores, ſpec- tatique apud Probabiliſtas Theologi conſti- tuerint, poſſe tunc alienam famam calum- niis elidi, quin ſententiam hanc cenſue- rint ſacris litteris, traditioni, ac naturæ juri contrariam?

P. Thomas Tamburinus *in lib.* 1. *Decal. C.* 3. §. 4. *n.* 7. quæſtionem ponit; num, ſi duo de eodem fundo contendant, ac uterque æqualia momenta proferat, Judex amico cauſam adjudicare poſſit, aliumque de cauſa dejicere? Quis id fieri abſque na- turalis rationis injuria non poſſe negave- rit? Ita & Tamburinus ſentit, qui idcir- co ſubdit: *Si rationes circa jus probant æ- qualiter pro collitigantibus* &c. *Judex non poteſt*, *ut ego* Certum Puto, *rem*, *cui ma- luerit*,

Digitized by Google

luerit, *adjudicare*, *ſed modo antea dicto debet rem dividere*. *Ratio* efficax *mihi videtur* &c. Quare opinio contraria *probabilis* futura non eſſet, quippe cum *evidenti*, atque *certo* juris naturalis *principio* pugnans. Aliter tamen eidem Tamburino videtur, eo quod ſecus aliqui ſentiant. Quapropter adjicit e veſtigio: *Dixi*, ut ego certum puto: *nam propter extrinſecam bonorum Doctorum authoritatem* [nempe Sanchez, Franciſci de Lugo, Texeda, aliorumque) *aſſerentium in hoc caſu poſſe Judicem pro ſuo amico*, *ſi maluerit*, *ſententiam pronunciare*, *potes id*, *ut* Probabile, *ſi velis*, *amplecti*.

Non minus peſpicua eſt Innocentii III. ſententia Cap. *Inquiſitioni* de Sent. Excom. qua propoſitam ſibi quæſtionem diremit definiens, mulierem, de matrimonio a ſe inito prudenter dubitantem, debere abſtinere a debito petendo: *Quum conſcientia animum pulſet ex credulitate probabili*, *&* *diſcreta* &c. *debitum quidem reddere poteſt*, *ſed poſtulare non debet*. Quid clarius? Atque ita, ut verba ſonant, deciſionem Pontificiam intellexerunt Sancti Thomas, Bonaventura, Antoninus, Soto, Ledeſma, Valentia &c. At quo ſenſu eam intelligit, aut, ut melius dicam, quo illam obſequio excipit Lacroixius? Tametſi priorem ſententiam, & graviſſimos ejus Aſſertores referat *lib.* 6. *p.* 3. *n.* 302. & Innocentii Pontificis verborum mentionem injiciat; Recentium tamen plurium, quos laudat, quique decernunt, mulierem, de qua ſupra, *poſſe etiam petere debitum*, doctrinam excipiens ſcribit: *Atque hæc ſecunda ſententia videtur*, *ſaltem ſpectata ratione*, *eſſe probabilior*. Quid ergo, ſi prior ſententia non ſolum D. Thomæ, ſed etiam tot aliorum inſignium Scriptorum authoritate, & aperta Summi Pontificis declaratione nititur? *Probabilior* tamen habenda poſterior, *ſpectata ſaltem ratione*, quaſi vero minoris habenda ſit ratio, quæ veteres in illam induxit, quam quæ a Recentiorum nonnullis excogitata.

Idem paſſim videre eſt in tot aliis explicationibus, quæ ad Patrum, Canonum, Apoſtolicarum Sanctionum, & definitionum Eccleſiæ teſtimonia apertiſſima Theologi quidam adhibent. Sic ut exemplum aliud etiam promam ex P. Dominico Viva, qui ſibi laborem aſſumpſit explicandi, & expendenti propoſitiones damnatas a Summis Pontificibus *juxta pondus*, ut ait, *Sanctuarii*, quam affingit explicationem ad hanc proſcriptam ab Alexandro VII. *Si liber ſit alicujus junioris*, *&* *moderni*, *debet opinio cenſeri probabilis*, *dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*? Qui oculos in hujus propoſitionis damnationem intenderit, judicabit vere ab Eccleſia conſtitutum, cujuſcunque Recentioris opinionem ab aliis communius improbatam, haberi non poſſe *probabilem*, etſi nondum ſit ab Apoſtolica Sede confixa. Viva tamen ſibi viſus eſt, cum hac tam perſpicua veritate non pugnare, damnationem contrahens ad recentiorem *mediocriter doctum*, & cum Vaſquezio, Azorio, & Tamburino, quorum verba refert, docens *ſufficere unum contra innumeros*, ſi in eum conditiones illæ concurrant, quas, ut infra notabimus, in Recentes illos, qui ſolum aliena non colligunt, vel exſcribunt, convenire communiter ſtatuunt. Quorſum ergo illæ a Probabiliſtis celebratæ conditiones, quod opinio, ut *probabilis* ſit, pugnare non debet, nec cum Sacra Scriptura, nec cum Traditione, evidenti ratione, aut definitionibus Eccleſiæ? Nonniſi ad fucum fallendos imperitis, & horum verborum præſtigiis faciendum incautos.

IV. At non minus ad fucum imperitis faciendum adinventæ ſunt voces illæ, quibus neceſſarias aſſerunt conditiones aliquas *poſitivas*, ut opinio ſit *probabilis* ac tuta operandi regula, nempe, quod probabilitas ſit *ſolida*, *gravis*, & *certa*. Quid enim

nim ſignificant ipſi revera, dum has conditiones neceſſario ab ipſis requiri deprædicant? Nihil aliud plane, quam quod ſola opinionis *probabilis* dictione ſignificant, *opinionem* nimirum *ſolida ratione*, vel *gravi authoritate* nixam; quod jam Laymanus cum aliis expreſſerat. Quare una, eademque eſt opinionis *probabilis*, & opinionis *ſolide*, *graviter*, *certeque probabilis* ſignificatio. Quæ enim *ſolidæ* rationis, vel *gravis* authoritatis præſidio caret, non jam *probabilis* opinio eſt, ſed *improbabilis*, & indigna, cui ſapiens, prudenſque aſſentiatur, nec ut ſummum voces illæ alias opiniones excludunt, niſi quæ ſunt tantummodo *probabiliter probabiles*. Profecto veteres celebriores Probabiliſtæ harum vocum, quas tantopere recentes jactant, & inculcant, nullam uſurpaſſe leguntur; nec alter opinionem, quam ſequi poſſumus, niſi *probabilem* appellarunt, ut conſtat ex Sanchez, Laymano, Tamburino, Azorio, Filliucio, Eſcobario &c. Immo nec moderni alia, quam ſimplici voce *probabilis* uti ſolent, quod vel ſolius Lacroixii exemplo comprobari affatim poteſt, in cujus libris, ſive potius *Hiſtoria opinionum probabilium*, ut eos alii cum Amort vocant, omni ferme pagina conſtat: hoc enim ipſius de variis ſententiis, quas refert, judicium plerumque eſt: *Hæc ſententia eſt probabilis*: *utraque ſententia eſt probabilis*: *hæc eſt probabilior* &c. quin unquam, quod ſciam, ea occurrat additio, *ſolida*, *graviter*, *certo probabilis*: quæ cum etiam ab aliis omitti ſoleat, credendum omnino eſt, ideo omiſſam fuiſſe, quod ſolum *probabilis* vocabulum, quo utebantur, ad rem ſatis eſſe putarent. Nemo namque Adverſariorum conceſſerit, quas Lacroixius, Eſcobarius, Viva &c. opiniones *probabiles* dicunt, *ſolida*, *& gravi probabilitate* carere; alioquin dicendum foret, in re graviſſima Lectores decepiſſe, ceu qui rectam agendi normam propoſuiſſent ſententias, quas licite ſequi minime poterant. Atque hæc ferme juxta P. Bovii doctrinam dicta ſunt. Venio ad modo laudatum Lacroixium, qui licet in fundo doctrinæ cum Bovio conveniat, magis tamen quibuſdam poſitionibus eam declarat, ac amplificat.

§. II.

Proſpectus Sententiæ Probabiliſticæ juxta P. Lacroixium.

V. Auctor iſte, Probabiliſta, ſi quis alius notiſſimus, in 1. lib. quo *de Conſcientia* agit, quo ſtatuit generalia principia, quæ *Probabiliſmi* fundamentum ſunt; ſcilicet primum: quoties duæ contrariæ opiniones de actus honeſtate *æque probabiles* ſunt, fas cuique eſſe, eam ſequi, quam vult; 2. idem licere, tametſi oppoſita ſit *probabilior*, *ac tutior*.

Ex hac doctrina duo infert *N.* 101.. inquiens: " Infertur primo, licitum eſſe o-
,, perari ſecundum *probabilem*, licet *evidens*
,, *ſit oppoſitam eſſe probabiliorem*, uti habet
,, communis cum Illſung contra Gonzalez
,, &c. 2. licitum eſſe cuivis conſulere plu-
,, res homines, qui habentur communiter
,, probi, & docti, inquirendo, an forte
,, inventurus ſit aliquem *probabiliter* excu-
,, ſantem v. gr. ab obligatione reſtitutionis:
,, ſi enim huic propoſuerit rationes oppoſi-
,, tas aliorum, & hic eas mature conſi-
,, deravit, ac cenſeat non eſſe convincen-
,, tes, nec elidere certam probabilitatem
,, ſuæ ſententiæ, conſulens tuto ſequetur
,, hunc, uti docent Sanchez &c. Zumel,
,, Caſtrop. &c. ,,

Pergit Lacroixius, ac *N.* 371. ait: *Si lex*, *aut obligatio non ſit certa*, *aut aſſumpta altera opinione*, *nihilominus lex utraque poſſit adhuc impleri*, *dicunt licitum eſſe mutare* (opinionem]; affertque exemplum de vectigali *probabiliter juſto*, & *probabiliter injuſto*, jam

Digitized by Google

jam alibi allatum ex Tamburino.

N. 377. hæc ſcribit : " Si quis judicet o- ,, pinionem alienam probabilem , quamvis ,, *videatur eſſe falſa* , adeoque ſpectatis prin- ,, cipiis directis videatur *uſus illius eſſe il-* ,, *licitus* , ſi tamen de hoc certus non ſit, ,, valde probabile eſt , quod ex principiis ,, reflexis poſſit formare prudens dictamen , ,, ſecundum eam opinionem operari dicen- ,, do &c. Ita abſolute tenent Azorius, Vaſ- ,, quez , Leſſius , Valentia &c. Terrillus cla- ,, riſſime , aliique plurimi , & graviſſimi ,, Authores &c. " .

N. 387. quæſtionem movet , " an , ut ,, aliquis licite operetur ſecundum aliquo- ,, rum opinionem *probabilem* , neceſſe ſit ,, hanc *opinionem directam elicere* , vel actu ,, habere , v. gr. an ad hoc , ut me li- ,, cite reſolvam ad pingendum die feſtivo, ,, neceſſe ſit me judicare , quod pingere ,, non ſit ſervile ; an vero contrà ſatis ſit, ,, quod ſciam , & tantum reflexe judicarem, ,, *probabile* eſſe , quod pingere die feſto ,, non ſit ſervile " . Reſpondet vero, ſuffi- ficere judicium *reflexum de probabilitate judicii directi* &c, laudatque pro hac ſententia fere omnes Authores benignos, ut ait, ſive Probabiliſtas *hujus temporis* .

VI. Neque his contentus duas alias doctrinas profert Lacroixius , quibus Probabiliſmi fines longius producit . *N.* 366. quærit : *an licitus* ſit opinionis *tenuiter* probabilis uſus ? *Per ſe loquendo non licere* reſpondet , ob tertiam ab Innocentio XI. confixam propoſitionem : *in graviſſima tamen neceſſitate , & quando opinio tutior non poſſet reduci ad praxim , licitum eſſe operari ſecundum opinionem tenuiter probabilem* docet ; neque ab Innocentio XI. damnari , *uti recte notat Cardenas &c. quia neceſſitas graviſſima quodammodo auget probabilitatem* .

N. tandem 368. licitum affirmat uſum opinionis *probabiliter* ſolum *probabilis* . Quæ autem , judice Lacroixio , eſt opinio *certo probabilis* : quæ vero *probabiliter* ſolum *probabilis* ? Ipſe N. 120. & 122. eas habet opiniones *certo probabiles* , *quæ vigent de facto inter Authores* , *quaſque Eccleſia tolerat* , *nec Sapientes improbant* ; ut & illas , quas quinque , aut ſex Theologi *probitate* , *& judicio* , *aut ſcientia præſtantes* probabiles affirmant , vel tuentur , ut veras , etſi ab aliis omnibus communius rejiciantur ut falſæ . Opiniones vero *probabiliter* tantum *probabiles* N. 125. eas appellat , *quas aliqui negant* , *alii affirmant eſſe certo probabiles* . De his ergo verba faciens *probabilem* ducit eorum ſententiam , qui docent opiniones hujuſmodi tutam eſſe agendi regulam cum Tamburino , Illſung , & aliis. En ſummam doctrinæ P. Lacroixii de opinionibus *probabilibus* , quas ſecure , ſi ipſum, & alios Probabiliſtas audimus , in praxi ſequi poſſumus abſque ullo *formaliter* , ut ajunt, peccandi periculo .

§. III.

De Probabilitate extrinſeca , ſive authoritate ſufficiente , ut opinio probabilis ſit, & regula humanorum actuum .

VII. Nemo ſibi perſuadeat , in iis duntaxat , quæ hactenus deſcripſimus , totum conſiſtere Probabiliſmi ſyſtema : quin immo illud deſcribendum ſupereſt , quod pernicioſius illud efficit , & majorem induerit in Ethica Chriſtiana, & moribus hominum corruptelam : nempe quod Probabiliſtæ requirunt , ac ſatis habent ex parte authoritatis Scriptorum , ut quælibet opinio merito *probabilis* judicari valeat , ac tuta proinde operandi regula . Cum enim duo neceſſaria doceant , ut *probabilis opinio ſit* , ſcilicet *ſolida ratio* , *& gravis authoritas* , rem totam demum reſolvunt in ſolam authoritatem , & non in eam quidem authoritatem , quæ deſumitur ex Sacris Scripturis , aut ex traditione , ſive Eccleſiæ ,

&

Digitized by Google

& Eccleſiæ Patrum doctrina : hanc enim cum ipſa ratione confundunt, ut liquet ex Bovio, & ex aliis; ſed ex Theologis recentioribus, quorum fortaſſe vix unus, aut alter ſupra duo poſtrema ſæcula ætate provehitur, quemadmodum conſtat ex Diana, ex Eſcobario, ex Lacroixio &c. Hiſce igitur talem authoritatem adjudicant, ut probabiles, & in praxi ſecuras reddant opiniones, quas docent vel tanquam veras, vel ſaltem tanquam *probabiles*. Unde quoties etiam pauci ex his tales agnoſcunt opiniones ſuas, vel aliorum, ſtatim eas licitas eſſe putant, tametſi qui eas ſequitur, rationum momenta, cur eaſdem docuerint, aut ignoret, aut non expendat. *Ego*, inquit omnium nomine P. Georgius de Rhodes *diſſ. 2. de actib. hum. q. 2. ſect. 2. n.* 62. loquens de unius Doctoris authoritate, *exiſtimaverim eſſe neceſſe, ut aliquas* (Doctor) *habeat rationes; ſed neceſſe non eſſe, ut illæ mihi probentur in ſe ipſis*, ſeu mihi graves, & ſolidæ videantur: *quia viri magni authoritas ſatis eſt* Magna ratio, *ut judicem rationes illas eſſe probabiles, quibus ſententiam ſuam confirmat*. Quinam igitur a Probabiliſtis cenſetur *Vir magnus*, quem *rationes habuiſſe ad reddendas ſuas opiniones probabiles*, judicare poſſum, etiamſi *mihi non probentur in ſeipſis*? Num forte S. Auguſtinus? num S. Gregorius Magnus? num S. Bernardus? num, ut alios omittam, S. Thomas Aquinas? minime; quin nec horum quidem mentionem faciunt. Audiamus, quid de hac re ſcribat celebris inter ipſos nominis P. Cardenas in Criſi *Diſ.* 57. *C.* 1. *n.* 10.

VIII. Statuit ille primum, " ex com„ muni ſententia Theologorum non facere „ *opinionem probabilem* unum, aut plures „ Authores, niſi omni exceptione majores „ &c. Quæ aſſertio, ſubdit, ſi firmiter te„ neatur, erit ad inſtar *regulæ* ad diſcer„ nendum *opiniones probabiles* ab iis, quæ „ *probabiles* non ſunt ".

Aſſignat ſubinde *n.* 14. quatuor conditiones requiſitas, ut Author ſit *omni exceptione major*; ſive, quod perinde habet, *claſſicus, ſeu probatæ authoritatis*: nempe, *quod non opinetur contra principium certum: quod non opinetur ex levibus, aut ſophiſticis fundamentis; levibus, inquam, relate ad judicia prudentum: quod non docuerit varia improbabilia: quod ſapienter tradat doctrinam, & diligenter quæſtionem diſcutiat*. Ut autem dignoſcatur, quiſnam quatuor hiſce conditionibus gaudeat, facillimum eſt. Nam pergit n. 15. *Eo ipſo quod Doctor ſit probatæ authoritatis, ſive quod ejus authoritas habet communem ſapientum approbationem, eo ipſo, inquam, habet illa quatuor requiſita*.

At quinam ſunt hi Doctores *probatæ authoritatis*, ſive *Claſſici*? Cap. 3. octo in exemplum profert ipſe, aliis miſſis, quorum nomina tacet: videlicet *Thomam Sanchez*, qui unus ex primis eſt, & potioribus, qui Ethicam Chriſtianam plurimum corrupit, & relaxavit; cujus tamen ampliſſimas laudes ex Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu, & aliunde exſcribit, ac tanquam Moralis Theologiæ principem exhibet: *Franciſcum Suarez*, quem tanti facit, *ut omnes ejus opiniones poſſimus ſecuriſſime amplecti*: *Gabrielem Vaſquez*, quem recenſeri jubet *inter Doctores primæ claſſis, & omni exceptione majores, cujus doctrinam tuto ſequi poſſimus*: *Gregorium de Valentia, & Ludovicum de Molina*, in quorum laudes longe excurrit: *Leonardum Leſſium*, de quo ſcribit hoc elogium magnificum, *nullam doctrinam moralem veriorem, & ſecuriorem eſſe inter Theologos, qui a tercentum annis ſcripſerunt. Nam ita ſolide, & rationabiliter diſcurrit, ut in omnibus videatur fere moralem evidentiam facere.* (Nihil amplius profecto dicere potuiſſet de doctrina Sancti Thomæ): *Azorium, cujus doctrina*, inquit, *magna ſapientum virorum approba-*

tione

tione recepta eſt ab anno ſal. 1600. *& cujus opiniones, utpote cum ingenti judicii maturitate diſcuſſæ non ſine veneratione ab Authoribus citantur* : Quibus poſtremo loco adjungit *Martinum Navarrum*, qui ſolus Societatis Scriptor non eſt.

His poſitis pergit Cardenas, & *diſp.* 59. ait : “ *De probabilitate* extrinſeca opinionum „ poteſt rectum ferre judicium vir medio- „ criter doctus, ſi opiniones illas *invenias* „ *in Doctore, qui ſit probatæ authoritatis*, „ quales ſunt *Thomas Sanchez*, P. Suarez, „ P. Vaſquez, D. Tapia, & reliqui hujus „ prædicamenti : nam vir mediocriter doc- „ tus ſcit eſſe *practice probabile*, quidquid „ docuerunt P. Suarez &c. ”. Quævis ergo opiniones, quæ inveniuntur in aliquo ex Authoribus nominatis aliiſque ejuſdem claſſis, regula ſecura ſunt humanarum actionum, quamquam in his procul omni dubio plures ſint ex iis etiam, quas Eccleſia damnavit. Sed quid dicendum erit de aliis, qui ad culmen tantæ authoritatis non pervenere ? Reponit Cardenas : “ Non „ eſt viri mediocriter docti judicium ferre „ *de probabilitate* extrinſeca opinionis, quan- „ do Authores opinionis non ſunt ex iis, „ quos notorie conſtat eſſe *probatæ authori-* „ *tatis* &c. ſed ſolius viri doctiſſimi, & in „ re morali verſatiſſimi ”. Tunc ergo *judicium*, concludit Cardenas, *regulandum eſt judicio hominis in re morali verſatiſſimi, & qui ſcit ſe redditurum rationem pro Conſcientia alterius*. Hæc ille, pluribus, quæ differit, in pauca contractis.

IX. Eadem ferme præſcribit P. Bovius. Summa eorum, quæ habet, hæc eſt : oportere Doctores eſſe *Catholicos ſanæ fidei* : de eorum *prudentia*, ac *probitate non ſuppetere* nobis *argumenta dubitandi*. Quoad vero doctrinam, ut certiores ſimus, *ſatis eſſe a ſapientibus doctos haberi, & quæſtionem ex inſtituto verſare, & a Scriptoribus in libris citari pro ſententiarum confirmatione*. Videri jubet, quæ de hoc habet Cardenas, cujus probat ſententiam de magna authoritate, quam apud rerum moralium tractatores obtinent *Suarez*, *Vaſquez*, *Leſſius*, aliique memorati. Hinc *pag.* 86. ſtatuit, “ „ *Probabilem* fore utramque ſententiam, quam „ Theologi, Canonumque periti doctrina, „ & pietate ſpectabiles invicem pugnant, „ hique illorum argumenta excutiunt, & „ diſſolvunt, neutrique argumenta proferunt, „ quæ a cordatis *improbabilia* judicentur. „ Ne ſim in hoc perſequendo prolixior, „ de quo videri poſſunt *doctus Cardenas*, „ aliique, ea mihi videtur opinio haben- „ da *extrinſece probabilis*, quæ traditur ceu „ vera a Scriptoribus, qui *a Doctis cum* „ *probatæ authoritatis communiter laudantur*; „ neque a Magiſtrorum turba rejicitur, nec „ Sapientibus, atque probis laxa vide- „ tur ”. Quare, ſi ſententiam inveniantur Doctores ii, quorum communior eſt in Tractatorum Elinces libris appellatio (qui non alii ferme ſunt, quam Probabiliſtæ), huic Bovius *extrinſecam* tribuit *probabilitatem*, a cujus uſu procul abeſt divinæ offenſæ periculum; etſi, qui eam eligit, Divinam forte legem violet. Ad ſubſidium vero *minus doctorum*, qui tot libros legere nequeunt, Bovius monet, eſſe *Summiſtas* ſive Authores illos, qui Theologorum ab alterutra parte ſtantium ſententias, & nomina recitant : inde enim reſcire omnes poſſunt, quæ *opinio ſit probabilis*, & tuta conſcientiæ norma.

Eadem quoque de hoc argumento tradit P. Lacroixius, eoſdemque Authores nominat a Cardena laudatos, *Sanchez*, *Suarez* &c. additque alios ſe nominare poſſe, ſed ad invidiam declinandam, dum alios nominat veluti Authores *Claſſicos*, aliis omiſſis, ab hoc ſuperſedendum exiſtimavit. *Longe plures ſcio*, inquit : *ſed invidioſum foret aliquos referre, & alios omittere*. Accenſentur ergo, & referendi ſunt alii plu-

res

res in claſſem Doctorum *probatæ authoritatis*, qui opinionibus ſuis *probabilitatem* aſſerunt; noſque, ſi quod a Cardena, Lacroixio, Bovio, Lechio, aliiſque præſcriptum eſt, teneamus, poſſumus fere certum eorum numerum figere pronunciantes, *claſſicos*, *omnique exceptione majores*, Probabiliſtarum judicio, eos omnes habendos, qui *meri Summiſtæ*, aut *Compilatores* non ſunt, qui res ex inſtituto verſarunt, utriuſque partis momenta perpenderunt, Doctorum exiſtimatione commendantur, & ad faciendam opinionibus fidem communiter advocantur. Ex quo conſtat, horumce *Doctorum Claſſicorum* numerum præter modum excreſcere, qui omnes, aut ferme omnes *Probabiliſtæ* extiterunt. Hi enim ſunt, qui in libris recentiorum citari ſolent, ut videre eſt in ipſo Lacroixio, Diana, & in aliis plurimis. Quapropter præter laudatos honorem hunc dubio procul deferunt Reginaldo, Laymano, Vivæ, Cardinali de Lugo, Sa, Buſembaum, Filliucio, Caſtropalao, Bannez, Dicaſtillo, Francolino, Eſcobario, Gobat, Maſtrio, de Rhodes, Moja, Paſqualigo, Salmanticenſibus, Sporer, Sylvio, Reiffenſtuel, Tamburino, Tannero; omnibus præter paucos ex Societate.

§. IV.

De numero Doctorum, qui juxta Probabiliſtas ſufficiunt, ut aliqua opinio probabilis ſit, ac tuta morum regula.

X. Diſtinguunt Probabiliſtæ, ut ex mox dictis colligi facile poteſt, qui præſertim ſcripſere poſt damnationem factam ab Alexandro VII. illius propoſitionis: *Si liber ſit alicujus Junioris* &c. Authores in duas veluti claſſes, alios, quos vocant *probatæ authoritatis*, & *Claſſicos*; alios vero, qui licet tanto honore non fruantur, *pios* tamen, & *doctos* appellant, & habent. Et ſi quidem de his poſtremis ſermo ſit, en numerum eorum, qui requiruntur, ac ſufficiunt ad reddendam opinionem aliquam *probabilem*, adeo ut eam tuto ſequi liceat, quamvis libertati, & cupiditati faveat. P. Antonius Terillus, qui Probabiliſtarum recentiorum Princeps, ac Dux merito dici poteſt: nec enim alius quiſquam eo copioſius hanc quæſtionem excuſſit; *in Tract. de Conſc. q. 6. art.* 17. hanc regulam conſtituit: " Omnis „ opinio, quam *tres*, *quatuorve* viri doc„ trina, & pietate præſtantes poſt diligens „ examen abſolute tradunt *ut veram*, aut, „ etſi, *teneant oppoſitam*, docent eſſe *pro„ babilem*; eſt certo probabilis, modo ne„ mo pietate, ac doctrina celebris talis „ opinionis *probabilitatem in dubium revo„ cet*, licet alii *ut falſam communiter reji„ ciant* . . . . . Demonſtratur aſſertio, *quæ „ in confeſſo eſt apud omnes* ", intellige *Probabiliſtas*.

Juxta ergo Terillum, & Probabiliſtas omnes, quoties *tres*, *aut quatuor viri docti*, & *pii*, quos præſumere ſemper debemus, cum de oppoſito nobis minime conſtet, tradunt aliquam ſententiam *ut veram* poſt diligens examen, quod ſaltem fere ſemper ſupponitur, vel tametſi *teneant oppoſitam* [ſive illam reputent falſam] docent eſſe *probabilem*, niſi ab aliquo celebri Authore talis *probabilitas* in dubium revocetur (N. B.) *ſi probabilitas*, *non veritas*); *eſt certo probabilis*, & ſecura morum norma, neque hanc probabilitatem amittit ex hoc, quod *alii ut falſam communiter rejiciant*. Hæc autem doctrina, Terillo teſte, *eſt in confeſſo apud omnes*, adeoque nemo in dubium illam vocat ex Probabiliſtis. Quare ab afferendis aliis Authoribus in ejuſdem confirmationem abſtineo.

XI. Si vero loquamur de aliis Doctoribus, qui non mere *docti*, *& pii* ſunt, ſed etiam

claſſici

Digitized by Google

claſſici, *& probatæ authoritatis*, non jam *tres*, *aut quatuor* requiruntur ad concilian- dam opinionibus probabilitatem, quæ ſufficiat ad innoxiam morum regulam; ſed tunc *vel unus* duntaxat ſatis eſt. Hoc ego aſſertum fuſe probavi *p.* 1. dicti mei Operis *C.* 5. ac recitavi verba Mojæ, Sanchez, Tamburini, Lacroixii, Vivæ &c. qui alios plurimos laudant. Sed hic brevitatis gratia unius, vel alterius, qui nitidius loquuntur, tantum verba referam.

Georgius de Rhodes poſt Eſcobarium, Filliucium, Martinonum &c. loco *cit. q.* 2. *ſect.* 3. ſcribit: *Dico ſecundo ſufficere* Omnino *ad opinionem probabilem*, *ut eam Doctor aliquis magni nominis*, *& pius*, Præſertim Recentior, *teneat*. Ac deinde: *Si Doctores communiter opinionem aliquam non ſequantur*, *ſed unicus tantum Doctor*, *non tamen omnino reprobant ut falſam*, *& improbabilem*, *illa opinio non repugnabit torrenti Doctorum*; atque adeo conſcientiæ norma ſecura erit.

Laymanus loco jam citato, quum ſcripſiſſet, opinionem, *ut probabilis ſit*, *gravi authoritate* fretam eſſe oportere, quæ habenda ſit *authoritas gravis*, conſtituens ait: *Authoritas gravis hoc loco cenſeri debet*, *quæ eſt ſaltem unius viri docti*, *& probi*, *qui talem doctrinam non inconſiderate*, *non temere*, *ſed poſt perſpecta rationum pondera*, *quæ in oppoſitum afferri poſſunt*, *amplexus ſit*: quod certo ſciatur, neceſſe non eſt, ſed ſatis eſt, ſi putari poſſit: *quod quidem factum fuiſſe alii plerumque præſumere poſſunt*, *præſertim qui indocti*, modo etiam ſingularis ejus ſententia *ceu improbabilis*, *& erronea* ab aliis non improbetur. Laymanus pro hac ſententia tres inſignes Scriptores laudat, *Sanchez*, *Vaſquez*, & *Azorium*, a quibus, & a Laymano ipſo propoſitionem ab Alexandro VII. proſcriptam traditam fuiſſe Probabiliſtæ facile haud conceſſerint. Judicibus ergo quatuor, his tam gravibus apud illos Theologos, Auctor *unus*, in quem memoratæ conditiones concurrant (quæ in pleroſque doctos *Juniores* convenire feruntur), ſatis erit ad conciliandam opinioni tametſi *ſingulari*, ſive ab aliis rejectæ *probabilitatem*, & firmitatem.

XII. Hujus pleniſſima confirmatio repeti poteſt ex laudibus, quas Cardenas in memoratos Authores effundit. Quæ enim de ipſis ſcribit, nullam exceptionem, aut explicationem adverſam patiuntur. Ait enim de P. Suarez, tantæ eſſe authoritatis, *ut omnes ejus opiniones ſecuriſſime poſſimus amplecti*: De P. Vaſquez, quod *ejus doctrinam tuto pariter amplecti poſſumus*: De Leſſio, *doctrina ipſius morali nullam veriorem*, *& ſecuriorem eſſe inter Theologos* &c. atque ita *ſolide*, *& rationabiliter diſcurrere*, *ut in omnibus videatur fere evidentiam facere*: ac ſimilia habeo de Sanchez, quem in primis commendat; & de aliis, qui *Claſſici*, *majoreſque omni exceptione* pariter prædicantur. Hæc autem quum probent Probabiliſtæ, admittant oportet opinionem quamlibet, quam Authores tam eximii docent, *practice probabilem eſſe*, *ut eam tuto ſequi poſſimus*, quamvis ab aliis Theologis improbetur ut *falſa*. Si enim ita *probabiles* non eſſent horum opiniones, jam aperte falſum foret, quod ait Cardenas, poſſe nos *ſecuriſſime*, vel *tuto amplecti* Suareſii, & Vaſqueſii *opiniones omnes*, *nullam* [prout de Leſſio) *doctrinam eſſe veriorem*, *& ſecuriorem* &c. atque ita de *Sanchez*, ac de cæteris hujus prædicamenti Doctoribus: hæc, inquam, omnia perquam falſa evidenter eſſent. Ne ergo Cardenas, quem tanti faciunt, falſitatis adeo inſignis coarguant, coguntur admittere, omnes ab iis Doctoribus traditas opiniones *practice probabiles eſſe*, tametſi veræ omnes eſſe nequeant, cum inveniantur Sanchez, aut Vaſquez contrarium docuiſſe iis, quæ docuerunt ſive Suarez, ſive Azorius, ſive Valentia &c.

§. V.

Totius Syſtematis Probabiliſtici brevis complexio.

XIII. Ut igitur nativam, atque veram Moderni Probabiliſmi faciem uno veluti ob. tutu contempleris, paulo fuſius dicta paucis expono. Primum ergo, qui Probabiliſtæ dicuntur, docent, quoties de ſententiis, aut opinionibus, quæ *certæ* omnino non ſunt, ſed inter Authores controverſæ, ſermo eſt, eam eſſe ſecuram actionis, aut omiſſionis regulam, quæ *vere probabilis* eſt, quamvis pugnet ex adverſo cum alia opinione, quæ legem ſive prohibentem, ſive præcipientem exiſtere affirmat, æque probabili, aut etiam probabiliore, quod perinde eſt, ac innixa æqualibus, vel etiam gravioribus fundamentis.

2. Etſi ad opinionis probabilitatem opus ſit ſolida ratione, non oportet tamen communiter, ut homines etiam docti nativam rationis ſoliditatem percipiant, ſed ſatis eſt *gravis authoritas* Theologorum, qui opinionem tradant vel *ut veram*: vel ſi eam *ut falſam* reſpuant, *probabilem* tamen eſſe non inficientur, aut non rejiciant ut penitus *improbabilem*.

3. Si opinio aliqua gravi authoritate Doctorum probatur, poſſumus eam licite ad praxim reducere *ut probabilem*, etiamſi quiſpiam eam *falſam* judicet, etiam ex momentis æque gravibus, & gravioribus, immo quæ ſibi etiam decretoria, & invicta videantur: *Quia ſolo ſuo judicio*, ait Sanchez cum aliis, *non debet aliorum ſententiam improbabilem judicare* &c.

4. Authoritas, qua opinio firmatur ut ſaltem *probabilis*, tunc *gravis* dicenda eſt, quoties, qui opinionem ut *veram* docent, aut *probabilem* putant, Theologi, ſunt *docti*, *ac probi* a Sapientibus habiti, rem diligenter excutiunt, nec meri Summiſtæ ſunt, aut Exceptores.

5. Opus non eſt, ut gravis authoritas ſit, adeoque opinio *probabilis*, & ad praxim tuto reduci valeat, multorum in ea docenda, aut probabili judicanda conſpiratione. Nam *tres*, *quatuorve* Authores *docti*, *ac pii*, etiam contra *innumeros*, ad eam ſufficiunt. Quin immo ſufficit *vel unus* tantum, *ſi claſſicus* ſit, ac *probatæ*, penes maxime Probabiliſtas, *authoritatis*, quales ſunt omnes ſuperius enumerati. Uno verbo opiniones omnes, quæ inveniuntur in operibus Sanchez, Suarez, Vaſquez, Valentia, Molina, Leſſio, Azorio, Navarro, cæteriſque hujus prædicamenti, quamvis omnes veræ non ſint, nec eſſe poſſint, utpote ſæpe invicem contradictoriæ, omnes, inquam, ſunt *probabiles*: & qui juxta eas operatur, etiam contra alias, quæ legem affirmant, vel æque probabiles, vel probabiliores, nunquam peccat, aut culpam incurrit, etiamſi legem Dei transgrediatur. Hæc germana Probabiliſmi facies eſt, non illita fucis iis, quibus plerumque lectoribus, aut diſcipulis illuditur. Hæc ſententia, quam *hodieque* probabiliſtæ defendunt, & in praxi licitam putant juxta eos limites, quos *ipſi*, ut inquit P. Zaccherius, *ſtatuerunt Jeſuitarum Primores*, ſecundum quos innoxiam omnino declarat.

CAPUT II.

Conſectaria propoſiti Syſtematis, quæ a Probabiliſtis admittuntur, & admitti debent.

I. *Admiſſo Syſtemate Probabiliſtico opiniones omnes probabiles etiam falſæ, & abſurdæ communes fiunt iis quoque Probabiliſtis, qui veras, & ſanas ſententias docent.*

II. *Quoties Author alicujus nominis opinionem* probabilem *pronunciat, hanc ſequi licet etiam contra probabiliorem, ac tutam.*

III.

Digitized by Google

III. *Satis eſt, ut opinio ſit* probabilis, *ut pro eo laudetur Probabiliſta* Claſſicus.

IV. *Hinc ſufficit Confeſſariis, & Parochis, ut aliquem ex his* Claſſicis *Authoribus citatum inveniant in Collectore, vel Summiſta, ut illum tuto ſequi valeant.*

V. *Fere omnes proſcriptas a Summis Pontificibus propoſitiones ante damnationem* probabiles *fuiſſe aſſerere oportet vi ſyſtematis probabiliſtici.*

VI. *Admiſſo ſyſtemate nemini portentoſa videri debent Eſcobarii problemata.*

VII. *Syſtema Probabiliſticum coarctari nequit ad ſolas quaſdam materias.*

VIII. *Spectata vi ſyſtematis probabiliſtici admittere neceſſe eſt tanquam tutam morum normam ipſas quoque opiniones ſolum* probabiliter probabiles.

IX. *Licitum ſit cuilibet Theologo Probabiliſtæ reſpondere conſulenti, prout ſibi libuerit, & modo etiam juxta unam, modo juxta alteram opinionem probabilem.*

X. *Confeſſarius poteſt, ac debet abſolutionem conferre pœnitenti opinionem ſuam probabilem judicanti etiam contra propriam probabiliorem, immo unice veram.*

TOTO Cap. 6. p. 1. mei Tractatus *de Reg. Prox.* fuſe hæc conſectaria deſcripſi, & confeſſione ipſorum Probabiliſtarum confirmavi: hic ſolum aliqua attingam, cæteris prætermiſſis, quæ ab ipſomet Lectore in propoſito ſyſtemate ſtatim perſpiciuntur: illudque in primis ſit

CONSECTARIUM PRIMUM.

I. Semel admiſſo ſyſtemate Probabiliſtico, opiniones omnes, de quibus inter Authores, & Caſuiſtas diſputatur; aut eſt opinionum diverſitas, *communes fiunt* cæteris omnibus Probabiliſtis, ſive benigniores ſint, ſive rigidiores in ſuis doctrinis: vel, ut idem verbis aliis exprimam, nulla opinio eſt, quantumvis falſa, laxa, & abſurda, quæ, ſi eam doceat, aut tradat ſive ut *veram*, ſive ut *probabilem* vel unus Author *Claſſicus* vel tres, quatuorve Authores *docti*, *& pii*, cenſenda non ſit licita, & in conſcientia tuta ab illis pariter, qui de ejus falſitate, laxitate, & abſurditate perſuaſi ſunt. Ratio eſt evidens: quandoquidem opiniones omnes, quas docent, approbant, aut *probabiles* judicant ſive unus Author Claſſicus, ſive tres, quatuorve docti, & pii, ſunt *probabiles*. Poſita autem earum *probabilitate*, ſtatim vi ſyſtematis probabiliſtici tenentur omnes, quotquot ſunt Probabiliſtæ, eas licitas, & tutas *in praxi* habere, quamvis ſpeculative ut falſas, & abſurdas rejiciant, & in ſuis libris deprædicent. Quod adhuc manifeſtius apparet in exemplo allato ex Tamburino, qui efficaci convictus rationis momento certum putat, *certum puto* &c. *ratio efficax* &c. non licere Judici, ſententiam ferre in favorem amici contra ejus adverſarium de aliquo fundo colligitantem, & momenta proferentem æqualis ponderis, & efficaciæ: nihilominus tamen, quia non deſunt Authores, qui contrarium cenſeant, & ſua authoritate opinionem, quam ipſe rejicit, reddunt *probabilem*; ipſe quoque in illorum ſententiam deſcendit, & *probabilem* pronunciat, ac *tutam in praxi*. Conſectarium hocce ſummopere advertendum. Contingit enim ſæpe numero, ut aliqui ex Probabiliſtis veras tradant in ſuis libris ſententias, puta *de neceſſitate præcepti amoris Dei*, *de non lædendo proximo ſive in vita*, *ſive in rebus*, *ſive in fama* in iis, aliiſque circumſtantiis, in quibus authores alii hoc licitum eſſe docent &c. Sed hoc nihil plane refert homini Probabiliſtæ: ſi namque in oppoſitum ſanis eorum placitis occurrat vel unus Author *Claſſicus*, vel plures etiam non claſſici, jam horum opiniones permittere poſſunt ut *practice probabiles*, immo & ipſi, qui eas refutant, ad praxim reducere. Quapropter pro certo habere omnes debent, ſeveritatem, quam nonnulli Probabiliſtarum in

in opinionum delectu præferunt, totam in ſpecie poſitam eſſe; teipſa quippe, & quoad opinionum uſum, in Theologorum, quorum doctrinam improbant, ſententiam eunt.

Consectarium Secundum.

II. Quoties aliquis Author alicujus nominis, & famæ, cujuſmodi ſunt Sanchez, Diana, Leander, Viva, Salmanticenſes, Lacroixius &c. opinionem quampiam pronunciat eſſe *probabilem*, vel ſolum *non improbabilem*, licet affirmet, & argumentis evincat, contradictoriam eſſe *probabiliorem*, cuilibet conceditur illam amplecti, quæ ſibi magis placet, ſuoque genio indulget, neglecta prorſus majore probabilitate, quam Author a ſe lectus prædicat, & oſtendit convenire opinioni, quæ legem obligantem aſſerit. Hoc manifeſtiſſime patet ex monito a Tamburino præfixo ſuis operibus, quo Lectores ſuos admonet *licere amplecti, & in praxi ſequi ſine peccati ſcrupulo quamcumque opinionem*, quam vel ipſi, vel alii *probabilem* dicunt, aut *non improbabilem* pronunciaverint. Hinc fit, opiniones omnes *probabiles*, aut *non improbabiles* appellatas tum apud Tamburinum, tum apud alios, ac præſertim Lacroixium, qui innumeras ita vocat, has omnes, inquam, opiniones normam eſſe tutam humanarum actionum. Quoniam præſumendum eſt ab his Authoribus, qui Moraliſtarum volumina evolverunt, nunquam dictum iri *probabiles* opiniones, quas ipſi revera tales non exiſtimaſſent.

Consectarium Tertium.

III. Ut opiniones, quæ noſtræ favent libertati, *probabiles* ſint, adeoque *in praxi* ſecuræ, neceſſe non eſt, ut ab Authoribus expreſſe dicantur *probabiles*. Satis ſiquidem eſt, ut ſolum Doctores nominent, & citent eas docentes, prout ſæpiſſime videre eſt in Tamburino præſertim, Lacroixio, & Salmanticenſibus. Quandoquidem ſi hujuſmodi Authores citati *graves* ſunt, & *probi* (quas dotes quis ipſis denegare auſus fuerit? Certe nemini denegatas, aut in dubium revocatas nondum mihi reperire licuit), juxta communia Probabiliſtarum principia opiniones reddunt *probabiles*. Idemque dicendum etiam, ſi vel unus tantum in libris referatur ex illis, quos Cardenas, & Lacroixius veluti *claſſicos* habent, & *omni exceptione majores*. Tunc enim licebit cuique Confeſſario, Parocho, Conſiliario, cæteriſque animarum moderatoribus eorum amplecti, & ſequi opiniones benigniores, & gratiores, utpote *certo probabiles*, *ac tutas*, ſerena prorſus, & tranquilla conſcientia, rejectis etiam, ac pro nihilo habitis aliis omnibus Authoribus etiam *Claſſicis*, qui pro opinione contradictoria laudantur: quod manifeſte liquet ex iis, quæ dicta ſunt. Neque enim conſiſtere ullatenus poſſunt elogia, quibus illos concelebrat Cardenas, ſuccinente Lacroixio, ſi verum non eſſet, quod vel *ſecuriſſime*, vel *ſecure* poſſit quiſpiam amplecti *omnes opiniones*, quas tradunt Suarez, Vaſquez, Sanchez, Leſſius &c. Quid ergo ultra expetendum eſt a Parocho, a Confeſſario &c. ut tuto eas amplectatur ſive ut *veras*, ſive ſaltem ut *ſolide probabiles*?

Consectarium Quartum.

IV. Hinc Confeſſarii, Parochi, & omnes animarum Directores neceſſe non habent in ſuis obeundis muneribus, & occurrentium caſuum reſolutionibus plures conſulere Moraliſtarum libros juxta præſcriptum Summi Pontificis Benedicti XIV. ſed ſufficit, ſi uno utantur ex illis, vel qui *claſſici* dicuntur, vel qui eorum ſententias referunt, aut pro aliqua ſententia laudant, puta Lacroixio, eaſque ſine ſcrupulo amplectantur opiniones, quas uno ipſorum inſignitas viderint. Ita enim ſe gerentes tuti ſunt in conſcientia, nullumque pertimeſcere debent errorem

ſub-

Digitized by Google

culpabilem , licet falſæ forent opiniones , quas ſequuntur , & tales ipſi quoque reputarent . Nam falſæ *probabiles* ſemper erunt. Unde ſatis ſuperque erit , ſi ſibi comparent *bonum Summiſtam* , e. gr. *Eſcobarium* , *Dianam* , *Bujembaum* &c. qui authores pro utraque parte afferunt . Hoc enim uno fidiſſimo duce ſententias invenient *practice probabiles* , illas videlicet , quas aliquem Authorem *Claſſicum* , vel *tres* , *aut quatuor doctos* , *& pios* docere deprehenderint .

CONSECTARIUM QUINTUM.

V. Omnes , aut ferme omnes propoſitiones a Summis Pontificibus , & Eccleſia damnatæ , antequam anathemate configerentur , erant *probabiles* ; & , ſi mavis , *ſolide* , *ac practice probabiles* , atque adeo ſecuræ humanarum actionum regulæ . Siquidem aut omnes , aut ferme omnes authoritate fulciebantur multorum , & frequenter etiam Doctorum *Claſſicorum* , ut facile probari poſſet , qui ſufficiunt ad reddendam propoſitionem aliquam *ſolide* , *& practice probabilem* , juxta adverſariorum doctrinam . Exploratum quippe eſt , multos , graveſque Theologos , etiam quos vocant *primæ claſſis*, primam inter propoſitiones damnatas in Decreto Innocentii XI. docuiſſe , & propugnaſſe, præſertim Sanchez , qui allegat Vaſquez , Sayrum , Salas, & *aliquos Doctores Neotericos* , & poſt ipſum plures alii eamdem confirmarunt , & approbarunt . Cum igitur propoſitionem illam docuerint tot , & tam graves Doctores , inter quos duo ſaltem *primæ claſſis* , quis ambigere poteſt , illam juxta Probabiliſtarum ſyſtema haud fuiſſe *ſolide* , *ac practice probabilem*? Eodemque modo ratiocinandum de ſecunda , tertia , quarta , cæteriſque , cum omnes plures nactæ ſint Theologos , adeo ut pro ſecunda ad uſque ſeptuaginta numerentur , & quidem non inferioris ſubſellii , qui eas docuerunt , ac propugnarunt . Omnes igitur procul dubio *probabiles* erant , licet revera in ſe falſæ , laxæ , & improbabiles, ut illas damnando declaravit Eccleſia .

CONSECTARIUM SEXTUM.

VI. His igitur conſtitutis principiis , & jacta doctrina, jam nulli amplius portentoſa videri debent problemata illa , quæ tam frequenter occurrunt in Theologia Morali Eſcobarii , *Eſt* , *& non eſt* : *peccat* , *& non peccat* : *ſufficit* , *& non ſufficit* : *tenetur* , *& non tenetur* &c. Hæ ſiquidem propoſitiones , quæ, prima facie inſpectæ contradictoriæ videntur : revera tales minime ſunt , ſi eo accipiantur in ſenſu , quo ab iſpo Eſcobario explicantur nimirum *eſt* , *& non eſt* : hæc opinio *eſt* divinæ legi conformis juxta aliquos Theologos : *non eſt* conformis juxta alios . *Peccat* , *& non peccat* : *peccat* videlicet , qui hanc ſequitur opinionem juxta Suarez, Azorium &c. *non peccat* juxta Sanchez , Leſſium & · *Tenetur* , *& non tenetur* : *Tenetur* ab hoc contractu abſtinere juxta Navarrum, de Lugo &c. *non tenetur* juxta Valentiam , Molinam &c. Hunc uničum ſibi ſcopum præfixit Eſcobarius iſtis problematibus , dum interim conceſſa unicuique eſt libera facultas ſeligendi partem illam , quæ ſibi commodior , & gratior fuerit : quoniam in ſyſtemate probabiliſtico ambæ tutæ ſunt in conſcientia , quia ambæ *probabiles* , adeoque per utrumque homines , ut ait ille , *recta tendant ad ſuperos*. Ab his problematibus , quæ vere merum , putumque redolent *Pyrrhoniſmum* Theologicum , cavent modo Probabiliſtæ . At vero illa nativam exprimunt indolem , & ingenium probabiliſticæ doctrinæ ; ac , ut ſapienter obſervat doctiſſimus Elizalda , *His animam & quaſi totam* , *ut ajunt* , *eſſentiam Probabiliſmi Eſcobarius extraxit in lucem* .

CONSECTARIUM SEPTIMUM .

VII. Probabiliſticum ſyſtema juxta rectum ratiocinium coarctari non patitur ad certas

quaſ-

quaſdam ſolum materias, prout coarctant nonnulli; ſed extenditur, ac extendi debet, ſi cohærenter loqui velint, ad omnes materias, etiam juſtitiam ſpectantes. Quandoquidem eadem principia, atque argumenta, queis hoc ſyſtema fulcitur, vel in omni materia probant, vel in nulla omnino probant. Propterea doctiores, peritioreſque Probabiliſtæ cenſuerunt, nullos eſſe terminos Probabiliſmo figendos, niſi obſtent perſpicua Eccleſiæ Decreta. Teſtis eſt, & quidem omni exceptione major P. Thomas Sanchez, *ſplendidiſſimum illud*, ut jactant, *Moralis Theologiæ lumen*, qui diſertis verbis quamcunque rejicit limitationem a Valentia poſitam, inquiens: *Jure optimo omnes alii Doctores allegati abſque prædicta limitatione* (quoad materiam præſertim juſtitiæ) *indiſtincte tradunt licere opinionem minus probabilem, eamque conſulere: & expreſſe Vaſquez* &c. *in omni materia id procedere: quod & probant rationes allatæ*.

CONSECTARIUM OCTAVUM.

VIII. Si vis Probabiliſtici ſyſtematis attendatur, etiam opiniones ſolum *probabiliter probabiles* regulam tutam conſtituunt humanarum actionum. Hoc lubens concedit *Lacroixius*: & ratio evidentiſſima manifeſtat. Nam licet hoc inficientur Probabiliſtæ recentiores, certum tamen eſt, eam doctrinam, teſte ipſo Lacroixio, Salas, Vaſquez, Sanchez, Merollam, Tamburinum, Bardium, Illſung, Banoltium, Ardeſchinum &c. cenſere eſſe *probabilem*. Fateri ergo coguntur, inſpectis ſuis principiis, quotquot ſunt Probabiliſtæ hujuſmodi opinionem tutam eſſe agendi normam. Nam ſi vel unus *Claſſicus* Doctor reddere valet *practice probabilem*, quam tuetur, opinionem, quanto magis id præſtabunt duo Doctores, penes ipſos certiſſime *Claſſici*, *Sanchez*, & *Vaſquez*, & alii adducti, qui, ſi etiam hanc iiſdem dotem *Claſſicorum* denegent, ſaltem erunt *docti*, ac *pii*? Idem Conſectarium ad alios quoque extendere oportet Theologos, ac Profeſſores, qui in Academiis, & ex Cathedris docent. Quamvis enim Probabiliſtæ Moderni affirment *ad probabiliores* doctrinas tradendas illos teneri, cum tamen plures, iique graves Authores ab hoc onere levent, vi probabiliſtici ſyſtematis ad eas docendas nequaquam tenentur.

CONSECTARIUM NONUM.

IX. Licitum eſt cuilibet Theologo Probabiliſtæ reſpondere conſilium petenti de aliquo conſcientiæ caſu, prout ſibi libuerit, & etiam ſi plures conſilium petant, modo juxta unam opinionem, modo juxta aliam plane contrariam, quoties utraque *probabilis* reputetur juxta ea, quæ notata ſunt. Hocce conſectarium non ſolum ex Probabiliſtarum doctrina ſponte, & ſuapte natura fluit, verum & conceptiſſimis verbis traditur a celebrioribus Probabiliſtis. P. Sanchez *lib.* 1. *C.* 9. *n.* 9. ſuo, & aliorum nomine ſcribit: „Deducitur quoque, viros doctos poſſe *con-* „*tra propriam opinionem* aliis conſulere, ſe- „quendo *alienam*, quam *probabilem* cenſent. „Sic Vaſquez &c. Salas &c. Sayrus &c. Im- „mo & ipſis Confeſſariis hoc licet. Quia, ſi „ipſiſmet licet hanc opinionem ſequi, cur „non licebit eam aliis conſulere? “ Argumentum, poſito ſyſtemate, plane convincens eſt. “ Immo, ſubdit Sanchez, prudenter fa- „cient quandoque *minus probabilem* opinio- „nem conſulendo: quia ſic infirmitati eorum „proſpicitur, & peccandi periculum in eis „cavent. Quare poterunt hi *modo juxta* „*unam*, *modo juxta contrariam* opinionem „conſulere: quamvis melius ſit ſemper jux- „ta eamdem, & maxime in ſcriptis, *ne va-* „*rii deprehendantur* [egregia ſane ratio]. „Et ratio eſt, quia utramque ſibi, & aliis „conſulendam opinionem tanquam probabi- „lem amplecti poſſunt, etſi alteram probabiliorem credant. Ita Vaſquez &c.

Con-

Digitized by Google

Conſectarium Decimum.

X. Poteſt, ac debet Confeſſarius abſolutionem illi impertiri, qui amplectitur, & adhærere vult propriæ opinioni, quam invenit in aliquo Doctore juxta dicta, & judicat *probabilem*, adverſus illam, quam Confeſſarius judicat aut probabiliorem, aut unice veram, *ut* [verba ſunt P. Sanchez loc. cit. n. 27.] *Confeſſarius contractum eſſe uſurarium judicet, & pœnitens probabiliter eſſe licitum*. Nec doctrina hæc ampliore indiget probatione: quia *ultro*, & libentiſſime a Probabiliſtis cummuniter admittitur: qui præterea addunt, Confeſſarium poſſe, ac teneri abſolutionem pœnitenti elargiri, nedum quando pœnitentis opinionem falſam reputat, ſed etiam quando conſtat eſſe *ſibi improbabilem*. *Si Pœnitens* (ita Laymanus tract. 1. de Conſc. c. 1.) *in praxi bona fide ſequatur ſententiam, quæ a quibuſdam Doctoribus tanquam probabilis, ac tuta defenditur: Confeſſarius vero ſive ordinarius, ſive delegatus, eamdem ſpeculative improbabilem cenſeat, non obſtante ſua perſuaſione, tenetur abſolutionem conferre*. Atque hæc, aliaque conſectaria videri poſſunt fuſius expoſita in aliis meis operibus de hoc argumento.

CAPUT III.

Pluribus oſtenditur, ſyſtema Probabiliſticum jam expoſitum uberrimum fontem eſſe, unde innumeræ fluunt morum corruptelæ, laxitates, & abſurdæ opiniones.

I. *Non ſpectrum aliquod eſſe, ut Probabiliſtæ ajunt, ſed certiſſimam veritatem, a Probabiliſtico ſyſtemate innumeras effluere corruptelas, ac laxitates, duplicis Epiſcoporum Conventus teſtimonio probatur.*

II. *Eadem veritas validiſſimo ratiocinio evincitur.*

III. *Clarius eidem argumentum proponitur, & confirmatur.*

IV. *Expenditur ad præfatum argumentum a P. Lacroixio allata reſponſio, eaque oſtenditur magis confirmare aſſertionem noſtram.*

V. *Aſſertio eadem amplius roboratur doctrina ab ipſo Lacroixio jam tradita circa licitum Probabilitatis uſum.*

VI. *Alia ejuſdem doctrina de licito uſu tum opinionis ſolum* probabiliter probabilis, *tum etiam, in quibuſdam ſaltem caſibus, opinionis* tenuiter ſolum probabilis, *viam latiſſimam aperit innumeris abſurdis, & inconvenientibus.*

I. CONSECTARIA, quæ Capite ſuperiore ex ſyſtemate Probabiliſtico deduximus, & ad ipſum ſyſtema intime pertinent, Probabiliſtæ minime refugiunt admittere; nec certe ea inficiari poſſunt, quin illud funditus deſtruant, & a fundamentis evertant. Nunc ſtatim ſub oculos exponere lubet maximum illud, quod ipſi quidem negant, aut offuciis, ac tenebris celare contendunt, ſed vi juſti, ac legitimi ratiocinii tandem concedere compelluntur, nimirum Probabiliſmum fontem eſſe uberrimum malorum, & corruptelarum plane incredibilium in tota Ethica Chriſtiana, & in moribus hominum. Quare illud ſerio animadvertendum eſt, hoc ſyſtema non unam, aut alteram ſpectare duntaxat moralem quæſtionem, ſed prorſus innumeras, quæ in tota hac diſciplina morali continentur, ut ipſi fatentur Probabiliſtæ, Martinus de Eſparza, & Lacroixius, qui illud vocant *regulam univerſaliſſimam circa omnes concluſiones practicas*, nec illas ſolum, quæ ab Authoribus definiuntur in libris, ſed quæ operantis frequenter occurrunt. Unde in has omnes laxitatem effundit, aditumque liberum aperit. Spectrum quidem hoc eſſe Probabiliſtæ inclamant ab Adverſariis confictum ad vanum, & inanem terrorem incutiendum. At meram veritatem eſſe vel ex hoc perſua-

dexi-

Digitized by Google

deri, atque convinci quiſque deberet, quod ita indubitanter affirment viri procul dubio *omni exceptione majores*, quos audire in anteceſſum oportet.

Itaque præter alios plures Epiſcopos doctrina, & pietate ſpectatiſſimos, qui ſæculo proxime elapſo *in Apologia Caſuiſtarum* Probabiliſmum hoc maxime titulo, quod januam laxitatibus omnibus aperiret, confixerunt, atque damnarunt, duo habemus hujuſce ſæculi generalia Epiſcoporum Comitia, qui veritatem hanc conceptiſſimis verbis aſſeverant. Horum primum anno 1700. Pariſiis celebratum in condemnatione probabiliſtici ſyſtematis illud advertendum duxere juxta oraculum Summi Pontificis Alexandri VII. poſt invectum hocce ſyſtema, quod expreſſum fuiſſe illis verbis: *Modus opinandi irrepſit alienus* &c. diſerte teſtantur, *non modo errores increviſſe*; *verum etiam, quod caput eſt*, inquiunt, (Pontifex) *adnotari voluit, ipſam rei tractandæ rationem eam introductam eſſe, unde videremus* CORRUPTELAM *morum ſecuturam, verum etiam facto velut impetu irrupturam, quam vix cohibere poſſimus. Incredibile dictu eſt*, pergunt illi, *ex peſſimis principiis, tota licet Eccleſia reluctante, quanta malorum incrementa provenerint . . . . . Quare tot errorum experientia victi neceſſe habuimus, malorum radicem excindere, eam ſcilicet opinandi rationem, quæ ignota Sanctis Patribus* &c. Ac ſubinde Probabiliſmum damnant.

Idem de Probabiliſmo judicium a ſe latum Archiepiſcopi, & Epiſcopi Hiſpani in libello ſupplici Clementi XI. oblato anno 1717. expoſuerunt fuſo ſermone, ubi pluribus deploratis malis, & Chriſtianæ Moralis corruptelis ita concludunt: *Probabiliſmum ut hodie ad praxim ploramus redactum*, noſtris ſcilicet temporibus, quibus nonnulli illum jactant caſtigatum, & anguſtioribus limitibus coarctatum, *cauſam per ſe tot malorum eſſe, certo certius eſſe fatemur. Unde hanc eſſe fœcundiſſimam radicem, ex qua tot virulenta germina immediate procedunt, procul dubio exiſtimamus*: alia, ut plura id genus, quibus hanc veritatem luculentiſſime confirmant.

Hæc duo ſola, omiſſis aliis pluribus, quæ afferre poſſem, teſtimonia validiſſima duplicis Eccleſiaſtici Conventus ex illuſtrioribus Eccleſiæ Epiſcopis omni veneratione digniſſimis facile cuique cordato ſuadere poterunt, non larvas eſſe, aut chimæras, nec orationis cauſa conficta graviſſima mala, & corruptelas, quæ ex probabiliſtico fonte affatim profluere affirmamus. Verum id quoque validiſſimo ratiocinio comprobemus.

II. In primis igitur ad memoriam revocemus, & accurate perpendamus expoſitam Probabiliſtarum doctrinam, tum qua parte concedit facultatem amplectendi tuta conſcientia nedum opinionem libertati, & cupiditati humanæ faventem, dum æque probabilis eſt opinio contraria, quæ legem exiſtere prohibentem, aut imperantem affirmat; ſed etiam, dum hæc majore probabilitate munitur; tum qua parte authoritatem tribuit tribus, quatuorve Theologis *doctis, ac piis*, & etiam uni ex *claſſicis*, quod nimirum efficiant *probabiles*, ac in praxi ſecuras opiniones omnes, quas docent, vel *probabiles* judicant: quoniam ex hac doctrina argumentum conſurgit penitus invincibile, cui nihil ſolidi reponi valet. Etenim cum in his Authoribus procul dubio ſint plurimæ, ac plurimæ ſententiæ, quæ falſæ ſunt, quæ legem relaxant, & ipſi legi adverſantur, hæ omnes licitæ redduntur, & regulæ humanarum actionum.

Ulterius, cum hoc ſyſtema, ut notavimus, ſit *regula univerſaliſſima circa omnes concluſiones practicas*, non ſolum complectitur eas opiniones, quæ inveniuntur in Authorum libris, quæ plane ſunt innumeræ, ſed etiam illas, quæ cuique homini occurrunt in agendis, aut omittendis: nam ſæpe ſæpius contingit, homines incertos eſſe, ac dubios circa quæ implere debeant, aut quænam omittere licite poſſint in ſuis officiis, ac

ſtatu

Digitized by Google

ſtatu ſuo: e. g. num hic contractus licitus ſit, an uſura infectus: num hæc emptio, vel venditio æqua ſit, an iniqua: num hæc, vel illa agendo, aut omittendo peccent, nec ne; & alia, quæ in humana vita frequentiſſime occurrunt. Neceſſitas agendi, anguſtiæ temporis non patiuntur illuminatos adire viros, vel conſulere libros, qui veritatem oſtendant, ſed oportet, ut ſua ex proprio penu dubia reſolvant, ſolumque interrogent lumen, quo ipſi gaudent, quod ſæpe numero nonniſi argumenta pro utraque parte probabilia illis ſuppeditat: atque adeo dubii, ancipites, in ſuſpenſo ut prius, maneant, oportet. Fingamus itaque hos probabiliſticis imbutos principiis ad illorum normam actiones ſuas componere, dubia reſolvere, ac proinde ſemper amplecti partem cupiditatibus, genioque indulgentem, licet clare perſpiciant, ſe probabilius falſitatem amplecti, ac divinam legem violare ob argumenta, quæ ipſis apparent firmiora pro contraria parte legem indicente; nonne conſequens eſt, hos neceſſario in errores, & deceptiones proruere, ſæpiſſime legem tranſgredi, & innumeras opiniones ad praxim deducere falſas omnino, perverſas, atque laxas? Dixi *laxas*, & *perverſas*. Nam, ut optime advertit Camargo, in morali materia perinde eſt, opinionem *benignam falſam eſſe*, *& laxam*: nam ſi *falſa*, jam divinæ legi contraria eſt, quæ intra juſtos terminos humanam reſtringit libertatem.

Hoc plane abſurdum conſequatur etiam neceſſum eſt, quoties qui agere debet, viros Theologos conſulere queat, & conſulat aliques doctrinis probabiliſticis eruditos. Si enim Doctores inter ſe diſſideant, ac diviſi ſint, illam amplecti opinionem licebit, quæ magis placet, quamvis contraria majore fulciatur Theologorum numero, & authoritate, vel etiam tot circumeundo Doctores interrogare, donec aliquem inveniat, qui probabilitatis ſubſidio illum ab onere levat ſive jejunandi, ſive reſtituendi, ſive aliquid aliud agendi, vel omittendi, quod validioribus momentis, & authoritate ſibi minime licere novit, *an forte*, ut ait Lacroixius, *inventurus ſit aliquem probabiliter excuſantem v. g. ob obligatione reſtitutionis*. Porro in tanta Theologorum, ac Magiſtrorum frequentia nihil facilius eſt, quam aliquem reperire, qui *probabilem* judicet ſententiam genio faventem, & cupiditati. Si igitur rudis homo talem ſequatur doctrinam, & ad ejus amuſſim actiones ſuas eliciat, quis non videt, quam frequenter neceſſe ſit, ut divina præcepta violet, & opinionibus adhæreat falſis, perniciosis, morumque corruptelam inducentibus?

Verum ut vel in ſolis opinionibus ſiſtamus, quæ proſtant in Probabiliſtarum libris, qui fere ſemper in decidendis caſibus conſuluntur, ingenuum neminem negaturum crediderim, in his pravas multas extare opiniones, quæ *probabiles* habeantur, iiſque affectæ ſunt conditionibus, quas ad hoc exigunt Probabiliſtæ. Innumeræ ſunt de rebus ad divinum, humanumque jus attinentibus quæſtiones, quas verſant Diana, Tamburinus, Eſcobarius, aliique plurimi magni nominis Scriptores, qui & utriuſque partis momenta proferunt, earumque patronos laudant. Fagnanus ter mille quæſtiones recenſet, quas Diana in utramque partem ceu probabiles diſputat: totidem apud Leandrum, & Eſcobarium invenias, & apud alios. Card. de Lauræa *in proem. ad Epiſt. Can.* vehementer conqueritur, *probabilitatis involucro ita cohoneſtari ſingula, ut nullum jam ſuperſit agibile, in cujus gratiam bivium non ſit paratum certiſſimum, & quæ perpetuo huc uſque pugnantia prædicata fuere, veri honeſtique paritate, opinatorum beneficio gaudeant coiviſſe*. Criſpinus quoque Borgia *in Select. Mor. C. 9.* affirmat, *vix dari caſum, in quo non ſint duæ opiniones contradictoriæ probabiles*. Quis vero addubitet innumerabilium harum opinionum plurimas falſas eſſe, pravas, bonisque moribus exitio-

. *Patuzzi Theol. Mor. T. I.*

ſas ? Tercentum , & triginta a venerando Epiſcoporum , & Archiepiſcoporum Hiſpaniarum Conventu dignæ habitæ ſunt, quæ ab Eccleſia proſcribantur. Complures ejuſdem furfuris proximo evoluto ſæculo, & hoc ipſo ineunte a Galliarum Epiſcopis proſcriptæ fuere, aliæque plurimæ a Scriptoribus diligentiſſimis collectæ, & ſub omnium oculis poſitæ reperiuntur. Ego quoque primum in meo tractatu *De regula proxima* &c. ſupra tercentum collegi, ac deinde in *Epiſtolis ad Miniſtrum Status*, alias item ſupra tercentum ex quibuſdam duntaxat Theologiæ Tractatibus decerptas propoſui, quas omnes vi principiorum ſuorum *practice probabiles* agnoſcere Probabiliſtæ compelluntur, quibuſque palam eſt, quam incredibile, & horrendum ſit præjudicium, quod illi inferunt poteſtati, juribus, & ipſis perſonis Principum, ac Regum.

III. Ut res adhuc clarior fiat, & innumera cernantur abſurda, abuſus, laxitates ex Probabiliſtico fonte manantes, conſiderandum attentius eſt, omnia onera, præcepta, obligationes morales actus afficientes a triplici lege, naturali, divina poſitiva, & humana juberi. Præcepta, quæ hiſce legibus perſpicue, & conceptis verbis præſcribuntur, generalia ſunt, ac numero pauciſſima, ſi præſertim cum actibus conferantur, qui quotidie ſunt eliciendi, & quos evidenter noverimus a lege vel præcipi, vel vetari. Hinc vero innumerabilis illa exoritur opinionum contrariarum multitudo, quæ etiam viros doctos, & illuminates dividit in partes oppoſitas, dum inquirunt, num hæc, vel illa actio ſub lege cadat. Omnes hæ opiniones juxta probabiliſticum ſyſtema, ſi vel *gravi aliqua*, ut ait Laymanus, *nitatur ratione, vel authoritate*, idest aliquot Theologorum, vel etiam, ut dictum eſt, unius tantum, qui *Claſſicus* cenſeatur; *probabiles* ſunt, & regulæ ſecuræ conſcientiæ, ſicuti docent, adeout unicuique liceat eam ſequi, quæ genio, & cupiditati favet. In tanta porro, ac pene infinita opinionum copia, plurimæ ſaltem falſæ ſint oportet, legique repugnantes: neque enim quiſquam aſſerere audebit illas potius eſſe veras, quæ a legis onere liberant, quam quæ legem vigere ſtatuunt, præſertim cum ex illis etiam *minus probabiles* ſeligi poſſe decernant. Cum igitur Probabiliſticum ſyſtema omnes has opiniones licitas, & honeſtas declaret, viam ſternit, & patentem portam aperit tranſgreſſionibus legum divinarum, atque humanarum, adeoque laxitatibus, corruptelis, abuſibus. Atque hoc motivum eſt, cur merito P. Gonzalez Probabiliſmum vocaverit *laxarum omnium opinionum animam, quæ promptum omni ferme licentiæ præſtat patrocinium*; cui ſuccinens P. Eſtrix: *Sine illa doctrina*, ſubdit, *pernicioſiſſimæ ipſæ opiniones non magnopere nocerent in praxi: nulli enim auderent in praxi uti, niſi judicarent eſſe veras, qui eſſent pauci. At animatæ anima illa, expeditæ ſunt ad praxim etiam apud illos, qui judicant eſſe falſas: quandoquidem eas ſaltem probabiles vident, & omne ſic probabile eſſe uſu licitum audiunt.*

Expenditur ad allatum argumentum Lacroixii reſponſio.

IV. Propoſiti argumenti vim, qua tota labefactatur Probabiliſmi machina, & execratione digniſſima demonſtratur, ſenſit P. Lacroixius: ſed, dum illud infringere conatur, magis ipſo ſuo reſponſo confirmat. *Secundum hanc ſententiam*, ſibi objicit lib. 1. n. 365. *licebunt omnia ſcelera, quia pro omnibus invenitur aliqua opinio probabilis*. Quid vero reſpondet Audi: *Nego ſequelam: quia certum eſt non dari opiniones vere probabiles pro omnibus ſceleribus. Fides enim docet multa prohiberi velut illicita, & habemus moralem evidentiam de multis in ſe illicitis; item moralem certitudinem de multis præceptis, has, vel illas actiones prohibentibus: ergo non poteſt*

Digitized by Google

teſt eſſe probabile , quod illa ſint licita .

Lectorem enixe rogo , ut hanc Lacroixii reſponſionem ſerio perpendat . Negat ille *ſcelera omnia* , admiſſo ſyſtemate probabiliſtico , licere : *Quia certum eſt* , inquit , *non dari opiniones vere probabiles pro omnibus ſceleribus* . At vero quis unquam ita relaxationem morum a Probabiliſmo inductam objecit , ut *omnia* omnino *ſcelera* permittat, ac *licita reddat* ? Nimia profecto , & intoleranda prorſus eſſet Probabiliſmi licentia , ſi eouſque proveheretur , idque ſatis ſuperque eſſet , ut ipſum efficeret deteſtabilem , atque abominandum vel ab ipſis dyſcolis quibuſcunque , ac depravatis hominibus . Ultro fatemur Probabiliſtas nequaquam aſſerere tanquam probabiliter licita *omnia ſcelera* , cujuſmodi ſunt blaſphemiæ , odium Dei , homicidia , impudicitiæ , adulteria , & ſimilia tenebrarum opera , quæ nimium aperte nativo lumini adverſantur , nec ea a peccato excuſare , ſaltem dum advertenter committuntur . At dicimus , alteque enunciamus , illos doctrina ſua verſatili , ac probabiliſtica viam ſternere , & oſtium latiſſimum pandere plurimis aliis peſſimis actionibus , & omiſſionibus , quæ non minus pugnant cum divina lege . At quænam hæ ſunt ? Longius eas inquirere minime opus eſt . Siquidem ex ipſa Lacroixiana reſponſione nota nobis , compertaque ſatis fiant . *Nego* , ait , *ſequelam : quia fides nos docet multa prohiberi velut illicita , & de multis illicitis habemus moralem certitudinem ; item moralem certitudinem de multis præceptis : ergo non poteſt eſſe probabile , quod illa ſint licita* . Bene optime. *Dantur ergo* [ſubinfero ego] *opiniones vere probabiles* , ac tutæ in conſcientia , *pro iis omnibus ſceleribus* , quæ evidenter , certoque non conſtat fidei , & rationi adverſari . Atqui iſta extra omnem prorſus controverſiam innumerabilia ſunt , ut facile videre eſt , in tanta ſententiarum varietate circa morales quæſtiones . Ergo innumerabilia ſcelera, probabilitatis fuco linita , licita , & honeſta fiunt : atque hoc nobis ſatis eſt , ut ſidenter pronunciemus : Probabiliſmum fontem eſſe virulentum corruptelarum , & laxitatum . Profecto , admiſſis præſertim tot Probabiliſtarum doctrinis , paucæ admodum ſunt actiones , quæ aut fidei , aut rationi *certo* , *&* *evidenter* adverſæ deprehendantur , ſi præcipue cum illis conferantur , quarum pravitas , ac malitia, ob offuſas mentibus per peccatum tenebras , obſcura eſt , atque incerta . Si igitur ad eas licitas efficiendas ſola ſatis eſt opinio *probabilis* , nimirum aut alicujus momenti ratio , aut *Claſſici* unius Theologi authoritas, adverſum etiam alios innumeros ; nonne neceſſum eſt , nos plerumque prolabi in actiones , aut omiſſiones , quæ in ſeipſis *vera ſcelera* ſint , & divinæ legis violationes ? Nonne practice utamur , oportet plurimis iis propoſitionibus , quas *damnatione digniſſimas in Theologorum libris* cordati quique cognoſcunt ? Si enim uni , aut paucis Theologis illæ probantur , ſunt reipſa *probabiles* : ſi *probabiles* , neque *certum* , neque *evidens* eſt , opponi illas fidei , vel rationi , adeoque erit earum uſus licitus , & honeſtus ; & , *ſi non licebunt omnia ſcelera* , quoniam nimium apertum eſt plura Dei lege vel præcipi , vel vetari , plurima , immo innumera *ſcelera licebunt* probabilitatis obtentu .

Aſſertio poſita amplius firmatur ex jam adducta Lacroixii de Probabilitate doctrina .

V. Paulo attentius in ea animadvertendum eſt, quæ tradita ſunt a P. Lacroixio de probabilitate opinionum , quæ nos jam ſupra attigimus, cujus liber præ manibus multorum eſt , ut horribilia , quæ Probabiliſmus parit , mala ceterius perciplantur . Ut enim omittamus cætera , quæ communia habet cum omnibus Probabiliſtis , eaque tantum

Xxx2 ſon-

ponderemus, quæ peculiariter affert, & plurium præſidio munit; ſi licet cuique, prout docet ille, ope dictaminis *reflexi* ſequi in praxi opinionem, quam quiſpiam *falſam* novit, dummodo alii probabilem cenſeant; jam vi hujuſce doctrinæ non eſt neceſſe, ut quis directo judicio *probabili* approbet, quam amplecti vult, opinionem; ſed retento etiam judicio *directo* de falſitate ipſius, ejuſque repugnantia cum divina lege, ſatis eſt ut judicium *reflexum* eliciat de ſola probabilitate ab aliis opinioni illi tributa. Hinc qui ſuis indulgere velit cupiditatibus, remoto ſcrupulo offenſæ divinæ, inquirere poterit, an in Caſuiſtarum libris, aut in aliquorum ſententiis opinio, quæ ſibi arridet, ab aliquo *probabilis* dicatur, vel in eam conſpiret aliquis Author *gravis*, qui ſibi faveat: ſtatim vero tutiſſima conſcientia eam ad praxim deducat, licet ipſi *falſa* videatur, *& improbabilis*; & ſic habitam etiam videat ab aliis Authoribus non minus *gravibus*, & *claſſicis*.

VI. Hoc magis perſpicuum fit ex alia, quam adjungit, doctrina; *probabile* nempe *ſibi eſſe*, etiam tuto nos poſſe ſequi opinionem, quæ ſolum *probabiliter probabilis* eſt, nec oportere de ejuſdem probabilitate haberi *certitudinem*; quod perinde eſt, ac aſſerere, non licite amplecti poſſe opiniones, de quibus, *num ſint probabiles*, diſputant inter ſe Theologi, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Et quod adhuc deterius eſt, addit quoque ſequi interdum licere opinionem ſolum *tenuiter probabilem*. Quibus doctrinis an aperiri poſſit latior ad motum depravationem via, plane me fugit. Audiamus quid de his cenſuerint laudati Hiſpaniæ Præſules in cenſura, qua eaſdem propoſitiones ex alio Probabiliſta depromptas perculerunt §. 12. *n.* 128. " Hoc eſſe viam, inquiunt, ad
,, omne *improbabile* amplectendum aperire,
,, ex multis capitibus patet. Primo ex Cap.
,, præced. allato, quod nimirum hoc cæco
,, modo, abſque debito examine procedendi,
,, propoſitiones *improbabiles a probabili-*
,, *bus* ſecerni minime poſſent, præſertim ex
,, regulis ab Authore ad fundandam proba-
,, bilitatem traditis (quæ eædem teipſa ſunt
,, cum iis, quas ex Lacroixio indicavimus):
,, unde æque improbabiles, & probabiles ad-
,, mitti poſſent. Secundo, quia cum innu-
,, meræ ſint opiniones communi ſenſu Doc-
,, torum ut improbabiles rejectæ, quæ licet
,, adhuc non ſint ſub terminis ab Eccleſia
,, proſcriptæ, exiſtimantur tamen vel in aliis
,, propoſitionibus damnatis contentæ, vel
,, leviſſima, aut nulla ratione fundatæ, quæ
,, tamen ab uno, vel pluribus edocentur,
,, licet demonſtrative oſtendi nullum eorum
,, valeat, nec quod in propoſitionibus dam-
,, natis contentæ ſint, nec quod nulla, vel
,, levi fundentur ratione . . . . . Tertio quia
,, cum Author directe aſſerat, quod *in caſu*
,, *urgentiſſimæ neceſſitatis* opiniones *tenuis pro-*
,, *babilitatis* amplecti poſſunt (en quod aſ-
,, ſerit & Lacroixius); & certum ſit aliun-
,, de omnes opiniones *tenuiter probabiles*,
,, poſt earum damnationem *improbabiles*, ſal-
,, tem in praxi, prorſus remanere; procul
,, dubio ex hac doctrina opiniones *improba-*
,, *biles* aliquando amplecti poſſemus, imo
,, *frequentiſſime*: quandoquidem judex quiſ-
,, que ſui conſtitutus, quaſcunque id genus
,, opiniones amplecteretur, quum ſuadere
,, ſibi facillime valeret, in urgentiſſima ſe
,, eſſe neceſſitate conſtitutum, ut opinione
,, *tenuiter probabili* operari, vel conſulere
,, poſſet, præſertim in caſibus occurrentibus,
,, qui præſentibus temporibus *frequentiſſimi*
,, ſunt [ut dolenter experimur], in quibus
,, *vel diſplicere cum aliqua ſua jactura poten-*
,, *tibus timetur*, ſi ab eorum placito diſſen-
,, tiatur, vel detrimentum aliquod in ho-
,, nore, fama, vel bonis temporalibus alio-
,, quin ſecuturum prævidetur, vel conjicitur."
Hactenus docti, piique Præſules, qui ſubjiciunt abſurda hæc tam eſſe perſpicua, ut

cæ-

cæcus plane ſit oportear, qui ea non perſpiciat.

CAPUT IV.

Conſectaria praecedentis Doctrinæ, ſive Expoſitionis laxitatum inductarum a ſyſtemate Probabiliſtico.

I. *Vi principiorum ſyſtematis probabiliſtici etiam modo ad praxim reduci poſſunt fere omnes proſcripta propoſitiones.*

II. *Si vel una opinio falſa innumerabilium moralium actionum regula eſt, conjectari licet, quot mala ex plurimis, quæ in Probabiliſtarum libris inveniuntur, proficiſcantur.*

III. *Fucum plane faciunt imperitis Probabiliſtæ, qui jactant, Probabiliſmum nunc moderatum eſſe, juſtiſque finibus circumſcriptum.*

IV. *Hinc colligi debet, quam verum ſit teſtimonium ab Hiſpaniarum Epiſcopis editum de laxitatibus a Probabiliſmo, prout modo viget, in mores hominum inductis.*

V. *Exemplum laxitatum, quas induxit opinio* probabilis, *de neceſſitate actualis advertentiæ ad malitiam, ut peccatum ad culpam imputetur.*

VI. *Aliud exemplum ex ſententia pariter* probabili *ſpectante obligationem Confeſſarii admonendi eos, qui peccatorum ſuorum ignorantia laborant.*

VII. *Exempla alia malorum, quæ licita ſiunt ope ſyſtematis probabiliſtici.*

VIII. *Ex doctrina de Probabilitate a Lacroixio tradita conſequitur, plures litere opiniones, quæ damnatæ fuerunt in Summorum Pontificum Decretis.*

Consectarium Primum.

I. OMNES laxæ, abſurdæ, ac pernicioſæ tum privatis hominibus, tum Principibus propoſitiones, quas in libris meis citatis ex iis Authoribus, qui opiniones ſuas *probabiles* reddunt, ſupra quingentas deſcripſi, Conſectariorum loco probabiliſticæ doctrinæ haberi poſſunt, ac debent. Sed ne nimio tædio afficiam Lectores, eas hic afferre prætermitto, paucis duntaxat exceptis, quas ſolum ad ſpecimen aliquod attuliſſe ſuffecerit; ſed prius generalia duo, vel tria Conſectaria ob oculos ponamus. Ac primum illud ſit, quod nempe etiam num poſt plures Eccleſiæ Cenſuras, falſo Probabiliſtis negantibus adhuc traduntur, & in uſum reduci poſſunt juxta ipſorum principia, fere omnes propoſitiones, quæ continentur in Probabiliſtarum libris: atque adeo vitare illos minime poſſe tot illa abſurda, ac mala, quæ in animarum perniciem profluere ex *novo opinandi modo*, aperte declaravit in ſuo Decreto Alexander VII. Summus Pontifex. Quæ notata ſunt, potiſſimum ex Lacroixio, tem in propatulo conſtituunt.

Consectarium Secundum.

II. Si vel prava una, atque falſa moralis opinio, quæ hominum animos occupatit, innumerabilium regula eſt pravarum actionum, quas homines ea imbuti ad illius normam eliciunt, ut Parochi Pariſienſes ſapienter obſervarunt; quid de non una, aut altera, ſed plane *innumeris* iis *opinionibus* perverſis, atque periculoſis ſententiendum, quarum uſui *probabilitas* honeſtatem concillat, atque ſecuritatem? Quis complecti animo, aut ſermone explicare poterit, quantam moribus humanis perniciem importent?

Consectarium Tertium.

III. Atque hinc colligere pronum eſt, verba dari, fucumque credulis, & incautis fieri ab iis, qui ſcriptitant, Probabiliſmum hodiernum tam moderatum eſſe, *tamque juſtis, quos ipſi*, ut ait P. Zaccheri-us

us, *ſtatuerunt Jeſuitarum Primores*, *finibus* circumſcriptum, ut plane ſit innocens, & ab omni pravitate ſemotus. Nam certe *inter Jeſuitarum Primores* locum habet inſignem P. Lacroixius, qui non ſolum opus ſuum edidit poſt damnationem plurium, ac plurium propoſitionum factam a Summis Pontificibus, verum etiam aliorum opiniones; quas hodie ſequi licet, in ſuam Theologiam corrivavit. Porro quis dicat, Authorem hunc *juſtos fines ſtatuiſſe Probabiliſmo*, qui deſcriptas perabſurdas doctrinas ætate fere noſtra vulgavit, confirmavitque *Primorum Societatis*, aliorumque, qui ante jactatam hanc ſyſtematis temperationem floruerunt, authoritate? Si ergo ille *fines* Probabiliſmi eo protulit, ut etiam *probabile* judicaret, poſſe nos amplecti opiniones ſolum *probabiliter probabiles*, & illas quoque, ſaltem in urgentibus, gravibuſque neceſſitatibus, quæ ſola *tenui* probabilitate potiuntur; an non extremæ audaciæ eſt dictitare, *hodiernum Probabiliſmum* ab eo, qui olim tradebatur, jam alium eſſe, innocentiſſimum, nec quidquam ſecum afferre periculi, ac perniciei?

CONSECTARIUM QUARTUM.

IV. Ex his facile conſtat, quam vere ſenſerint, ſcripſerintque laudati ſupra Epiſcopi Hiſpani hoc eodem ſæculo, " *Opinandi licentiam adeo percrebuiſſe* conſpici,
„ *ut laxitate per omnes materias graſſante*,
„ cunctaque tranſcendente, vix ſanitas in
„ doctrina *morum* hodie inveniatur .... *Hodie in praxi*, ut dolentes experimur,
„ ſufficit, quod ab Authore gravi, præcipue probo doctrina quævis, etſi recens,
„ doceatur, ut pro regula certa morum
„ amplecti non dubitetur .... *Probabiliſmum*
„ equidem, ut *hodie* [ætate ſcilicet noſtra,
„ qua ejus Patroni illum jactitant *moderatum*, *juſtiſque finibus circumſeptum*) ad
„ praxim ploramus redactum, *cauſam per*
„ *ſe tot malorum certo certius eſſe fatemur....*
„ Quis non videat, quam numeroſæ ſint
„ animæ, quæ turmatim aufugio hujus
„ Probabiliſmi laxiſſime vivunt? Heu nobis
„ miſeris! Leges Divinas, & Eccleſiaſticas *confugio hujus practici Probabiliſmi hodie vigentis* paſſim violari cernimus, Authoritatem Eccleſiæ, Romanorumque Pontificum novis opinamentis continuo minui, Decreta Apoſtolica, & Conſtitutiones ſive ad fidem, ſive ad mores,
„ ſive ad gubernium Eccleſiæ pertinentes,
„ totumque inſuper jus Canonicum, imo
„ & Sanctiſſima Tridentinæ Synodi Decreta libris Interpretationibus, quas *probabiles* vocant, temere illudi; Sacramenta
„ ipſa, etiam quæ neceſſaria ad ſalutem
„ ſunt, periculo nullitatis multis *probabilibus*, ut vocant, paſſim exponi; leges
„ civiles pro minimo jam haberi, & a
„ tributis non ſolvendis, etſi juſtis, ſine
„ ullo remorſu, quia multa *probabilia* circa hæc inveniuntur, quam plurimos
„ ſe excuſare; Epiſcoporum edictis, & mandatis, etſi ſub præcepto formali obedientiæ, quin imo adhuc ſub pœna cenſuræ latæ editis publice, & palam *eodem confugio* Probabiliſmi non obediri;
„ Prælatis inferioribus, etſi Regularibus,
„ ſuo modo idem accidere; Cenſuras Eccleſiaſticas etiam Pontificias, etſi Sanctæ Sedi reſervatas, *probabilium prætextu*
„ non timeri; nominatim excommunicatos opinionem, quam vocant *probabilem*, pro ſe habentes, ſuam declarationem irridere; in nullo genere contractuum, & negotiationum, emptionibus,
„ & venditionibus, utcumque fiant, hiſce
„ *probabilibus* fere nullam læſionem inveniri, nec obligationem reſtituendi agnoſci, contractum nullum ut uſurarium
„ (mutatis nominibus) ut accidit in contractu ſatis hodie pro certa regula vigente, jam haberi, & alia id genus".
His fuſius enumeratis demum concludunt:

Hic

Digitized by Google

„ Hic eſt præſens Reipub. Chriſtianæ ſta-
„ tus : hæc & alia inumera , & quidem
„ majora , quæ *hodie* patitur .... Hoc , de
„ quo omnes , qui in Politico , & Eccle-
„ ſiaſtico clavum tenent , merito conque-
„ runtur , quod *Probabiliſmo* , *ut hodie in*
„ *praxi eſt* , ſtante , nullis legibus popu-
„ los gubernare valent . Hi uberes , ſed
„ exitioſi fructus , quos *arbor hujus novi*
„ *practici Probabiliſmi* producit , & nutrit .
„ Hæ utilitates , quæ populo Dei ex illa
„ eveniunt , ut facilis via [ut ajunt] ,
„ quæ ducit ad vitam , eis oſtendatur. Et
„ hæc omnia *adeo certa ſunt* , ſicut &
„ quod ut plurimum *ex Probabiliſmo*, *prout*
„ *in uſu eſt* , procedunt , quod nulls ſit ,
„ qui de eo ambigat , qui id negare me-
„ rito queat, quum tot fideles teſtes in propoſi-
„ tionibus delatis ex illo , tanquam ger-
„ minibus procedentibus habeamus . Unde
„ merito de arbore tam exitioſa dicere va-
„ lemus , quod de ſpuriis filiis in metaphora
„ adulterinæ , venenatæ, luxuriantiſque ar-
„ boris *Sap.* 4. legimus : *Spuria vitulamina*
„ *non dabunt radices altas* , *nec ſtabile fir-*
„ *mamentum collocabunt* : *confringentur enim*
„ *rami inconſummati* , *&* *fructus illorum inu-*
„ *tiles* , *&* *acerbi ad manducandum* , *&* *ad*
„ *nihilum apti* „ . Quid ad hæc noſtri Pro-
„ babiliſtæ ? Quid ad præclarum hocce teſ-
timonium ſpectabilium virorum , quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam ſuam* , cujuſque authoritas magis facienda eſt, quam mille Sanchez , Eſcobarii , Vivæ , Lacroixii &c. ? Num ipſis ita de Probabiliſmo loquentibus fidem temere abnuent ? Nom dicent eos exceſſiſſe moderationis terminos in hac contexenda malorum iliade, quæ ex Probabiliſmo , *prout hodie in praxi eſt* , proficiſcuntur ? Quin potius dicamus omnes Venerabiles Præſules larvam hodierno Probabiliſmo detraxiſſe , illumque , qualis revera eſt , oſtendiſſe monſtrum horrendum , abominabile , ex quo clades nimium lugendæ in Ethicam Chriſtianam , moreſque hominum affatim proveniunt .

CONSECTARIUM QUINTUM .

V. Quoniam brevitas mihi propoſita non patitur , ut omnes oculis exponam propoſitiones laxas , & abſurdas , quas ut *probabiles* admittunt , & coguntur admittere Probabiliſtæ vi principiorum ſuorum ; idcirco uno , vel altero exemplo contentus ero . Ac primum illud ſit deſumptum ex advertentia , ſive congnitione *actuali malitiæ* , quam , ut ſuperius dictum eſt , neceſſariam contendunt ad peccatum coram Deo contrahendum ; ſive ut actio prava imputetur ad culpam , & pœnam . Hæc ſententia apud Probabiliſtas adeo invaluit, & communis eſt , ut plusquam ſexaginta Authores numerentur , qui illam defenduor, ex quibus ſaltem duodecim , aut quindecim ſunt , quorum vel unus tantum *probabilem* juxta probabiliſticam doctrinam efficit opinionem , quam tradit : adeoque ſi hæc ſententia *probabilis* negetur (quod certe nemo *Probabiliſtarum* negaturus eſt) nullam aliam profecto aſſerere poſſunt *probabilem* . Ex hac igitur ſola ſententia videant quæſo omnes , quot mala , quot abuſus , & corruptelæ in mores hominum deriventur ; ea namque , ut in loco perſecuti ſumus , de medio tollunt peccata ignorantiæ veri nominis , quæ ſine cogitatione actuali malitiæ perpetrantur . Ea pariter excuſantur a culpa delicta , quæ committuntur ab iis , qui ex aliqua inveterata conſuetodine, aut ex paſſione, quæ mentem abſorbet , impediuntur , ne actualiter conſiderent vel pravitatem eorum, quæ peragunt , vel offenſam Dei , quam incurrunt &c. & innomera alia peccata , quemadmodum illic probatum eſt .

CON-

Conſectarium Sextum.

VI. Idem quoque dicendum de alia jam recenſita ſententia, quæ ſpectat obligationem, qua Confeſſarii tenentur, admonendi ſuos pœnitentes. Hanc enim plures Probabiliſtæ negant in tot caſibus, quos jam enumeravimus, afferendo ipſorum textus, ac verba: ac authoritas ipſorum ac talis, tanta eſt, ut *probabilis* omnino apud cæteros cenſeri debeat. Pro ea ſiquidem opinione militant Authores *Claſſici*, *& omni exceptione majores*, & alii ſaltem *pii*, *ac docti*, qui abunde ſufficiunt ad illam *probabilem*, & pluſquam probabilem reddendam. Colliget igitur prudens Lector, quot damna inde proficiſcantur tum privatis, tum Reipublicæ, quot perverſiones morum hominum, qui permittuntur prætextu ignorantiæ invincibilis plurima peccata committere, & in ipſis, dum a Confeſſariis non admonentur, obſordeſcere.

Conſectarium Septimum.

VII. Item poſito ſyſtemate probabiliſtico licebit uti æquivocationibus, reſtrictionibus, & aliis amphibologicis locutionibus etiam in judicio publico; licebunt fœnera, fraudes in emptionibus, & venditionibus, furta plurima, detractiones famæ proximi ſibi nocumentum inferentis; licebit vitam adimere tum privatis, tum Principibus, ſi forte adverſum vitam noſtram aliquid moliantur, aut nos lædant, ſive in honore, ſive rebus temporalibus alicujus momenti. Siquidem plures de his habentur opiniones, quæ vere *probabiles* judicantur, & judicari debent juxta Probabiliſtarum doctrinam, quemadmodum a me demonſtratum eſt in duobus Voluminibus Epiſtolarum *ad Miniſtrum Status*, quibus hactenus nihil ſolidi invenerunt, quod poſſent opponere.

Conſectarium Octavum.

VIII. Ne plura perſequar, ex doctrina jam allata P. Lacroixii, quam *probabilem ſaltem eſſe* nullus Probabiliſtarum diffitebitur, quod ſcilicet aliquando etiam uti liceat opinione *tenuis probabilitatis*; conſequitur non raro ad praxim ſecura conſcientia reduci poſſe propoſitiones ipſas a Summis Pontificibus proſcriptas; adeoque licere, ad alienum ſcelus conferre operam, alienum compenſationis nomine ſurripere, calumnias ſtruere, abortum procurare, adverſarium perimere, aliaque multa ejuſmodi admittere, quoties aliquis putat gravi multum, aut urgente neceſſitate ſe cogi, actum ſuum *ad tenuem*, quæ facillime occurrit, *probabilitatem* dirigere.

CAPUT V.

Argumenta plura a ratione deprompta, quibus Probabiliſtica ſententiæ falſitas demonſtratur, breviter perſtringuntur.

I. *Præloquium ad argumenta contra Probabiliſmum.*

II. *Primum argumentum deductum ex lumine ipſo humanæ menti impreſſo ab Authore naturæ.*

III. *Argumentum ex ipſa Probabiliſtarum confeſſione confirmatur.*

IV. *Alia confirmatio ex authoritate Gentilium.*

V. *Lacroixii, & Carpanii reſponſio refutata.*

VI. *Secundum argumentum deſumptum ex obligatione, qua urgemur, conformandi actiones noſtras ad legem Dei.*

VII. *Idem argumentum magis declaratur.*

VIII. *Argumentum tertium ex eo ductum, quod Probabiliſtæ & ipſam falſitatem certo cognitam veluti regulam humanarum actionum admittere cogantur.*

IX. *Quartum argumentum depromptum ex agendi ratione apud homines prudentes in rebus temporalibus uſitata.*

X.

X. *Reſponſio ad hoc argumentum a Lacroixio adhibita quam vana, & inepta ſit, oſtenditur.*

I. QUÆ paulo fuſius expoſita ſunt, ut oculis ſubjiceremus mala horribilia, corruptelas, laxitates, ac depravationes tum in Chriſtiana Theologia, tum in moribus hominum, quas novellum de Probabilitate ſyſtema inducit, validiſſimum ſuppeditant falſitatis ipſius argumentum; neque enim fructus adeo exitiales pareret, ſi vera eſſet operandi norma. Nunc ex aliis capitibus ſyſtema ipſum aggrediamur, ejuſque falſitatem demonſtremus ex ea parte, quæ totius ſyſtematis fundamentum eſt, qua ſcilicet conſtituit poſſe omnes licite ſequi opinionem propriæ libertati faventem etiam in conflictu alterius, quæ legem in oppoſitum exiſtere affirmat, quamvis hæc ſit æque probabilis, ac altera, immo etiamſi ſit probabilior. Cum autem plura argumenta ſparſim in antecedentibus ſat fuerint indicata, ideo aliis tantum ad rem, quæ in manibus eſt, comprobandam utemur, iiſque breviore, ac alibi præſtitimus, ſermone propoſitis.

§. I.

Argumentum Primum

Falſitatis ſententiæ Probabiliſticæ ex lumine ab Authore Naturæ humanæ menti impreſſo deductum.

II. Hoc argumentum ſequenti ſyllogiſmo complector. Illa profecto rejicienda eſt ceu norma, & regula falſa humanarum actionum, quæ conformis non eſt, imo diſformis notionibus naturalibus, ſive lumini ab Authore Naturæ menti hominum intime impreſſo. Hujuſmodi porro eſt regula actionum humanarum, quam in moralem doctrinam invexere Probabiliſtæ: quod luculenter oſtendo rationis momento, quo nihil vividius, nihil fortius, & aptius ad diſcernenda principia, & veritates naturales, ſive ſpeculativas, ſive practicas fortaſſis habemus; videlicet unanimi conſenſu bonorum omnium, quos non in tranſverſum abripiunt aut anticipata judicia, aut inordinatæ affectiones. Hi ſiquidem in rebus dubiis, quæ ſæpiſſime occurrunt circa honeſtatem, vel pravitatem alicujus actionis, aut omiſſionis, ſequuntur, ac ſequi teneri ſibi perſuaſi ſunt operandi normam ab ea omnino diverſam, quam ingerunt Probabiliſtæ. Quod judicium nonniſi ex nativis notionibus, quas intimis præcordiis inſculptas perſentiunt, proficiſci poteſt. Ut enim optime notavit, & ſcripſit Tullius: *Omni in re conſenſio gentium lex naturæ putanda eſt.*

Quod vero hujuſmodi ſit judicium, atque ſenſus omnium, qui honeſti, ac probi audiunt, facile eſt cognoſcere, ſi perpendere velimus, quam adhibent normam, quam ſectantur regulam in dubiis dirimendis, quæ ſibi interdum occurrunt de honeſtate, vel pravitate alicujus actionis. Interrogemus, ſi lubet, ruſticum probum, aut negotiatorem timoratæ conſcientiæ, quid ſibi agendum putet, quid conſilii capiendum arbitretur, quotieſcunque inituro contractum, puta emptionis, aut venditionis, dubium occurrit, ſit ne licitus, an illicitus; ac rationes, & argumenta intuetur æqualia pro parte utraque adeoque hæret anceps, neſcitque ſe determinare, viroſque in promptu non habet doctos, ac pios, quos conſulat, ut dubium deponat, vel, ſi quos conſuluerit, illos inveniat in diverſam abire ſententiam, alios ſcilicet pro honeſtate, & juſtitia contractus, alios pro injuſtitia pronunciantes. Hunc ſane ſi interrogemus, ſtatim nihil hæſitans reponet arbitrari ſe in hujuſmodi caſu, imo

imo pro certo habere, ab illo ſibi eſſe contractu abſtinendum : quod multo magis ratum, firmumque tenebit, ſtatuetque tanquam omnino certum, ſi momenta, quæ injuſtitiam contractus oſtendunt, ac probant, efficaciora, & validiora eſſe perſpexerit, & pleroſque ex Sapientibus, ac Doctoribus, quos in conſilium adhibuit, pro iniquitate præfati contractus reſolvere. Ita profecto probi iſti ſe gerunt ſolum naturale lumen, & rectum conſcientiæ dictamen ſectantes; nec aliter agere, & operari, quotquot ſunt rectæ mentis, & integri animi, quotidiana conſtat experientia; adeo ut affirmare minime verear inter innumeros timoratæ conſcientiæ homines, ac rationis lumen ductum ſequentes, neminem repertum iri, qui aliter ſe gerat, aut ſe gerere ſine peccato poſſe arbitretur; nec ulli unquam in mentem veniunt *principia* illa *reflexa* a Probabiliſtis excogitata, quibus ſe ad ineundum contractum tuto determinare poſſe docent.

III. Hunc bonorum, & a probabiliſticis præjudiciis vacuorum conſenſum nec ipſi diſſimulare poterunt Probabiliſtæ. Nam Paulus Segnerius *Epiſt.* 1. *n.* 23. ingenue faſſus eſt, *plurimos a Probabiliſtarum doctrinis alienos eſſe, quod eas audiant minus eſſe oppoſitis probabiles*. Cur vero alieni ſunt, niſi quia interiore quodam lumine perſpiciunt, in rebus dubiis tutam non eſſe regulam conſcientiæ, quam tutam Probabiliſtæ faciunt? Sed hac in re nullum luculentius teſtimonium eſt, quam quod a confeſſione P. Blanchi *Diſſert.* 4. *C.* 2. apud P. Ballerinum deſumitur: " Adverte, inquit „ ille, quod *experientia* didici, indoctorum ſcilicet, eorumque omnium, qui „ minus in re morali verſati ſunt, *Pro- „ prium eſſe, in quolibet dubio* confugere „ *ad tutiorem* : *ſolum* quippe *lumen ratio- „ nis oſtendit*, quod tutius eſt ". Si *rationis lumen in dubiis*, ſeu quando gravia utrinque momenta concurrunt, *ſolum oſtendit, quod tutius eſt*: inferendum ergo, huic lumini in mente hominum effulgenti oculos claudere, qui in partem declinat libertati, ac cupiditati faventem. Id quidem affirmat ille *de indoctis*, deque iis, *qui in re morali minus verſati ſunt*, quorum nempe animus recentiorum doctrinis, & ſpeculationibus non eſt impeditus: hoc ipſum tamen & de doctis, & doctiſſimis inter Catholicos, qui Probabiliſmum rejiciunt, æque affirmare potuiſſet: quemadmodum & inter ipſos Heterodoxos, qui, ſicut commendant, ac laudant Catholicos, qui Probabiliſmum inſectantur, atque confutant; ita, qui illum defendunt, tanquam rationis lumine deſtitutos irrident, & execrantur.

IV. Quid plura? Ipſimet Gentiles, licet denſiſſimis obvoluti errorum tenebris, hujuſce naturalis veritatis fulgorem conſpexere, videlicet in rebus dubiis ad vitam ſive moralem, ſive civilem ſpectantibus, ſemper, quod veriſimilius, ac tutius eſt, præeligendum, & ab actione ceſſandum, quotieſcunque de ejus honeſtate, vel turpitudine dubitatio ſuboritur. Ex iis teſtimonia tantum produco duorum inter Græcos, & Latinos Philoſophorum Principum, Platonis nempe, ac Ciceronis, quorum primus Dialogo in Phœdone ex interpretatione Joannis Serarii ita ſcribit: *Hoc vero unum illis in rebus* (dubiis) *ſtudioſe eſt elaborandum, ut aut diſcamus, quomodo hæ ſe habeant, aut inveniamus: aut ſi hoc fieri non poteſt, humanarum ſaltem rationum ea, quæ melior, firmiorque ſeu quæ minus refutari poſſit, delecta, et quaſi inſideamus, ut illa tanquam rate vecti, vitæ iſtius pericula, difficultateſque enavigemus*. Clarius loquitur alter *in lib. de Officiis* inquiens: *Recte præcipiunt, qui fieri vetant, quod dubites, æquum ſit, vel iniquum*. Et rationem affert: *æquitas enim lucet ipſa per ſe*:

Digitized by Google

ſe : dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ . Quæ verba conſiderans Vincentius Baronius Theologus doctrina clarus , temperare ſe non potuit , quin exclamaret , ſe & rubore ſuffundi , & maximo angi dolore , dum cernit : quod *Catholici Theologi eas ſummæ æquitatis leges corrumpant , quas Ethnici religioſe ſanciverunt . Quid enim dolendum magis , ac Theologo indignius, quam ex dubitatione , an res æqua ſit, aut iniqua , Ethnicos inferre eſſe illicitam , & ipſam dubitotionem habere nocendi cogitationem : Ex iis vero capitibus ideſt ex probabilitate utriuſque partis , Theologos deducere nos a lege exemptos , & licere, quidquid libuerit , etiam illa , quæ probabilius eſt honeſto adverſari* ? Nec ita ſenſiſſe putandum eſt ex Gentilibus ſolum illos Philoſophos , qui *dogmatici* vocabantur ; ſed & ipſos *Academicos*, qui veritatem dicebant cuique imperviam . De his etenim loquens Tullius ipſe *lib. 4. qq. Academ.* ſic loquentes exhibet : *Quidquid acciderit ſpecie probabile , ſi nihil* (N. B.) *ſe offeret, quod ſit probabilitati contrarium , utetur eo ſapiens : ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur* . Porro Gentiles Philoſophi in his ſtatuendis non alio lumine regebantur , niſi illo , quod alta mente inſixum a ſummo Naturæ Conditore ſentiebant . Quid igitur colligendum ? Non aliud profecto , niſi nativo huic lumini , adeoque legi naturæ adverſari Probabiliſtarum ſyſtema , dum docent inter opiniones probabiles minus etiam tutam , minuſque probabilem amplecti nos licite poſſe ; ſibique confingunt *principia reflexa* , queis ad hoc ſe determinent , quæ vana omnino ſunt , & commentitia , utpote ex proprio cerebro educta , omnibuſque ante ipſos penitus ignota : quod ſolum ſatis eſſe deberet ad ea rejicienda . Nam , ut Bovius ipſe confeſſus eſt , *rectum formandæ conſcientiæ modum doctis , & indoctis perſpectum eſſe debere , natura ipſa nos docet* .

V. Quid vero ad hoc argumentum plane ineluctabile adverſarii reponunt Lacroixius *lib. 1. de Conſc. n.* 272. reſpondet audacter , quin immo eo propriam conſtabiliri ſententiam : *Si lex* , inquit , *illa daretur, eſſet lex naturæ , & quidem generaliſſima : ergo non deberet latere pleroſque homines , qui bona fide judicant , eam non dari* &c. *Eſſet autem ſumme temerarium , velle omnes eos , qui defendunt* , vel docent *ſententiam benignam , damnare erroris culpabilis* . Paria ſcribit etiam P. Carpanius *pag.* 73. reſpondens ſocio ſuo Antoine idem argumentum objicienti ; dicens , *Eſſe præceptum naturale , lumine ipſo naturæ notum, in rebus moralibus incertis , atque probabilibus utrinque ſemper ſequendum eſſe id , quod eſt tutius , intolerabile dictu eſt* .

Mirandum ſane , quod Adverſarii tanta præſidentia , tamque elata voce loquantur in re , de qua evidentiſſimum eſt , nonniſi futilia , & falſa eſſe , quæ proferunt . Dicant , amabo , inficiari ne ipſi poſſunt , viros probos , & honeſtos, quos nulla obnubilant præpoſtere concepta judicia , in ea omnes eſſe perſuaſione , in rebus dubiis , & opinionibus æque probabilibus, ut credant obſtringi ſe ad ſectanda tutiora , ſive opinionem , quæ legem exiſtere affirmat , multoque magis , ſi hæc ſit etiam probabilior ? Neutiquam profecto . Efficaciſſima quippe ſunt , quæ inſinuavimus, hujuſce conſenſus, & perſuaſionis momenta. At vero ſi conſenſionem hanc negare minime poſſunt , niſi experientiæ , & veritati nimium apertæ pervicaciter refragari velint, nec negare ullatenus , *Præceptum eſſe naturale , lumine ipſo naturæ notum , in rebus moralibus incertis , aut æque probabilibus utrinque ſequendum eſſe , quod eſt tutius* . Quandoquidem ad naturales veritates demonſtrandas aliud nobis forte validius , & efficacius haud ſuppetit argumentum, quam quod ex communi hominum in his con-

ſenſione repetitur.

At infractus reponit Carpanius: *Quis enim vero tam audax ſit, ut cenſeat lumine naturali notum principium aliquod, quod Summos ipſos Pontifices in relaxandis &c. deinde integras Academias Catholicas, ac præſtantiſſimos Theologos in Morali Diſciplina verſatiſſimos latuit?*

Verum hujuſce Scriptoris *nimiæ audaciæ* notam, quam perperam aliis impingit, minime pertimeſcens & dixi, & dicam, alteque prædicabo, *dari hujuſmodi præceptum lumine naturali notum*. Et quoad argumenta, quæ contra opponit, infra clariſſime compertum erit, immane quantum a vero abierit, tam præfidenter Summos Pontifices, & Catholicas Academias in ſuæ doctrinæ præſidium allegando. Solos modo illi relinquimus Theologos plures, & quidem Probabiliſtas, duobus circiter abhinc ſæculis enatos, quos ipſi faventes non abnuimus. Quid vero iſti præ omnium ſæculorum Theologis, Philoſophis, ac probis, honeſtiſque viris, niſi exigua hominum manus reputanda eſt, quæ non ſolum non convellere, ſed nec leviter quidem concutere noſtrum argumentum valet? Sicut enim obſervant D. Thomas, ac Sapientiores, ut lex aliqua naturalis, ipſoque naturæ lumine nota cenſenda ſit, univerſim, & conſtanter in ea agnoſcenda neceſſe non eſt ita homines convenire, ut nullus eam neget, aut in dubitationem vocet: alioquin nec naturalis dicenda foret notitia Dei, nec furti pravitas, nec tot aliæ veritates, cum non deſint nedum plures homines, ſed & integræ nationes, ac populi, qui illas vel in toto, vel in parte ignoraverint. Ad hoc itaque ſatis ſuperque eſt, ſi maxima, meliorque pars, a præjudiciis præſertim immunis, legem illam, vel præceptum noverit, & fateatur, *Sicut*, inquit Doctor Angelicus 1. 2. q. 84. art. 1. ad 3. *in rebus naturalibus non quæritur, quid ſemper fiat, ſed quid in pluribus accidat, eo quod natura corruptibilium rerum impediri poteſt, ut non ſemper eodem modo operetur; ita etiam in moralibus conſideratur, quod ut in pluribus eſt, eo quod voluntas non ex neceſſitate operatur;* licet in aliquibus oppoſitum contingat, quia ipſimet homines ſibi impedimenta objiciunt, ne veritatis lumen ſuis mentibus reſplendeat. Legendus quoque S. Thomas q. 94. *art.* 4. ubi de lege naturæ diſſerit.

Poſita ergo hac firmiſſima doctrina, præceptum legis jubentis, amplectendas eſſe ſententias probabiliores, ac tutiores in caſu, de quo diſputatio eſt, in naturali ipſo lumine, & dictamine eſt ſtatuendum: quoniam experientia ipſa comperimus, hujuſmodi legem agnoſci, & admitti, *ut in pluribus*, a cordatis videlicet omnibus, cunctiſque viris probis, ac bene moratæ conſcientiæ; licet alioquin *deficiat in paucioribus*, idest in pluribus Theologis, qui duobus hiſce poſtremis ſæculis emerſere, *propter impedimenta*, ut ait S. Thomas loc. cit. *q.* 94. quæ oppoſuerunt; opponuntque luci veritatis. Quænam vero hæc *impedimenta* ſint, quæ veritatis lumen ab eorum oculis arcent, meum non eſt penitius inquirere, aut diſtinctius enarrare. Hoc unum dicam, quin limites honeſti Scriptoris tranſiliam, nonnullis impedimento fuiſſe vel exiguum veritatis ſtudium: aliis nimium præpoſteram ſolicitudinem ſternendi benignioribus doctrinis viam planam, facilemque ad cælum; reddendique leve, ac ſuave Chriſtianæ legis onus etiam hominibus terrenis rebus plus nimio addictis: aliis partium ſtudia, præjudicia, & immoderatum affectum erga proprium Cœtum, ſive Scholam; nec non nimiam, & quæ a veritatis, ac juſtitiæ tramite longe abducit, erga quoſdam Authores venerationem, qui veluti omnino infallibiles habentur; & ſi quæ ſunt alia his ſimilia. Utut res ſe

habeat,

Digitized by Google

habeat, communis proborum omnium, naturæ lumen, inſitaſque in animo notiones conſectantium, conſenſio principii, quod poſuimus, veritati conſtabiliendæ pluſquam ſatis eſt; eique cedant oportet Probabiliſtarum omnium authoritas, ſpeculationes, atque cavillationes ad illud infirmandum excogitatæ; ſicut & illa *principia reflexa* ab ipſis inventa, quæ cum certum ſit, a ſimplicibus omnibus, & indoctis penitus ignorari, nequeunt obtrudi pro regula in dubiis determinandis, utpote quæ perſpecta omnibus, & exploráta eſſe deberent, *natura ipſa duce*, ut ait Bovius ipſe Probabiliſta.

§. II.

Argumentum Secundum

Deſumptum ex obligatione, qua urgetur homo conformandi actiones ſuas ad voluntatem, legemque divinam.

VI. Ut hujus argumenti vis, & efficacitas luculentius appareat, & facile ab omnibus intelligatur; ſerio perpendenda eſt diſtinctio illa peccati in *materiale*, & *formale*, quæ tam frequens eſt in ore, & in libris Probabiliſtarum, & qua eludere validiora adverſariorum ſuorum argumenta arbitrantur. Norunt itaque Probabiliſtæ, ac ultro fatentur, facile admodum eſſe, ut qui operantur juxta ipſorum ſyſtema, divinam legem violent: quandoquidem, cum ſequi permittant quamcunque opinionem *probabilem* humanæ faventem libertati, & cupiditati, fieri minime poteſt, ne perquam frequenter contingant divinorum præceptorum, ſive legis Dei violationes. Verum violationes hujuſmodi nonniſi *materialia* peccata eſſe contendunt, quæ nullam Dei offenſam continent, nec imputantur ad culpam: ſibique idcirco perſuadent, non ita ſolicitum eſſe Deum *materialium* harum violationum, ut ipſi diſpliceant, quoties contingunt ex eo, quod homines in concurſu duarum opinionum probabilium potius eam amplectantur, quæ favet hominis libertati, licet etiam minus probabilis ſit, quam quæ favet æternæ ſuæ legi, etiamſi magis probabile ſit legem ipſam violari: uno verbo Probabiliſtæ credunt, curam majorem habere Deum in hiſce dubiis caſibus, quod impleatur humana voluntas, quam ſua propria expreſſa per legem; illam quippe ſuæ legi præferri permittit, nec quod præferatur, ad culpam imputat; ſolumque adeo requirit, ut pareant ſuis legibus *certis*, & *evidentibus*, non autem cum hominum judicio *incertæ* ſunt, & *inevidentes*. Si itaque ego oſtendam, ſatis nequaquam habere Deum, nec ipſum probare poſſe hunc agendi modum: ut in rebus dubiis majorem habeamus curam favendi libertati, & voluntati noſtræ, quam voluntati ſuæ, ſive legi a ſe promulgatæ; jam apertum, manifeſtumque ſit, tranſgreſſionem legis non eſſe ſolum *peccatum materiale*, ſed etiam *formale*, videlicet veram Dei offenſam juſta punitione dignam. Hoc ergo oſtendamus.

Ac primum quidem quæramus a Probabiliſtis omnibus, quo fundamento ipſi affirment, aut affirmare queant, ſatis habere Deum, nec aliud ab homine exigere, niſi ut nihil agat adverſum ſanctiſſimam legem ſuam, cum certum omnino eſt, actionem, quam exequitur, eidem adverſari; nec ſibi curæ eſſe, quid agat, aut non agat adverſus illam, quoties tranſgreſſio eſt incerta, vel dubia. Afferant quæſo, ſi poſſunt quidem, hoc fundamentum vel ex ſacris Scripturis, vel ex Eccleſiæ Traditione: Hoc enim afferre prorſus debent; alioquin totum eorumdem ſyſtema dirutum omnino, & everſum eſt. Sed illud nondum attulerunt, nec afferre unquam poterunt. Quod enim ex Scriptura producunt: *Jugum meum ſuave eſt* &c.

Digitized by Google

& onus meum leve, adeo eſt ad hoc probandum ineptum, ut plane eos pudere deberet, illud amplius producere, poſtquam futilitas ipſius luce meridiana clarius demonſtrata eſt: adeo ut nemo ſapiens ex Probabiliſtis hodie exiſtat, qui illud ad ſolidam probationem adhibendum putet.

Verum ſupervacaneum eſt, ut in ſacris litteris ſolidum ullum fundamentum perquirant, cui ſuperſtruere valeant opinationem ſuam: quoniam ſi eas conſulamus; oppoſitum ex iis potius aperte colligimus: neque enim Deus validioribus, & clarioribus uti poterat locutionibus, ut manifeſtam faceret curam ſuam, atque ſolicitudinem pro divinæ ſuæ legis exacta, & accurata obſervantia. En aliqua ex pluribus, quæ adduci facile poſſent, teſtimonia. Ex Deuteronom. *Præcepit tibi Deus tuus, ut facias mandata hæc, & cuſtodias, & impleas ex toto corde tuo*. In Proverb. *Serva mandata mea, & vives, & legem meam quaſi pupillam oculi tui*. In Eccleſiaſt. *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime aſſiduus eſto*. In Pſalmis: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, ideſt ſedulo, ac diligenter, quoad fieri ab homine poteſt; quod & pluries habetur in pſalmo eodem 118. qui totus circa graviſſimum hoc argumentum verſatur. Ad Epheſios: *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei*. Et, ut alia ſexcenta mittam, ad Theſſalon. *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete: ab omni ſpecie mali abſtinete vos*. Porro quis non videat, quam perſpicue hæc teſtimonia nobis manifeſtent, & inculcent voluntatem Dei, præcipientem nobis ſolicitudinem, ſtudium, curam, quam a nobis requirit, ut lex ſua accurate obſervetur, adeo ut illa unica norma ſit, ad quam præ cæteris omnibus actiones noſtras componere debeamus?

Hiſce poſitis ſenſum, bonamque fidem omnium appello, ut ingenue reſpondeant, num hæc tam ſedula cura, atque ſolicitudo conciliari queant cum eo, quod ſæpe replicant adverſarii, ſatis habere Deum, quod unuſquiſque legem ſuam, & præcepta obſervet, dum *certa*, & *clara* ſunt; nihil vero curare, an eadem obſervet, aut transgrediatur, dum ſunt obſcura, vel incerta, ſive quando certo cognoſcit Dei voluntatem, & legem, num autem ſi hanc cognoſcat ſolum *probabiliter*, immo etiam *probabilius*? Edifferant quæſo, num qui inter duas opiniones probabiles alteram eligit, quæ favet appetitui ſuo, alteram deſerit, quæ favet legi, & voluntati divinæ; vere dicere queat, ſe mandata Dei implere *ex toto corde ſuo*; *ſe maxime aſſiduum eſſe, ne quid in legem committat*; *ſe legem ſervare quaſi pupillam oculi ſui*; *ſe cuſtodire mandata nimis*, ſive tota diligentia, ac ſolicitudine? Reſpondeant quæſo, iterum rogo, num qui ita ſe gerit, dicere ex intima conſcientia valeat, ſe magis æſtimare voluntatem Dei, quam propriam: num *abſtineat ab omni ſpecie mali*, qui id peragit, quo nedum *ſpeciem* ſolam *mali* habet, ſed ſolidam etiam, ac prudentem mali veriſimilitudinem; imo & adverſa probabilitate majorem? Quod ſi hoc ex intimo corde dicere nequaquam poſſunt, fateantur oportet Probabiliſtæ, ſuum agendi modum pugnare cum Divinis Scripturis, Divinæque voluntati adverſari; quin & ipſi rectæ rationi nobis nimium aperte edicenti, majorem nos gerere debere curam, ut prima, ac ſuprema voluntas potius impleatur, quam noſtra.

VII. Lubet hoc argumentum palmare, & obvium paritate, & exemplis magis exponere. Quoties ad alicujus finis conſecutionem duo præſto ſunt media, quis ſibi perſuadebit, vere, ſerioque finem ab eo obtineri velle, qui, quod oppert unius

ad

Digitized by Google

ad illud aſſequendum , efficaciuſque judicat , meditato prætermittit , illudque eligit , quod minus putat idoneum ; immo , quum alteri adverſetur , finis conſecutionem impediturum potius agnoſcit ? Nemo profecto erit , qui hunc arbitretur ad finem conſequendum ſerio animo tendere , ſive ejuſdem conſecutionis curam habere , aut ſolicitudinem . Sic nullus cordatus exiſtimabit , vera , ac ſincera illum ſolicitudine tangi adeundi Romam , qui de via , qua probabilius judicat , ſe eo perventurum , conſulto declinat in eam , quam , ſi ſequatur , longius Roma abſuturum intelligit . Similiter nemo credet, ægrotum ex animo exoptare , & quærere ſalutem, qui pharmacum eligit , quod probabilius putat nociturum ſibi potius , quam profuturum: idemque dicas de eo , qui ad aliquem dignitatis gradum vult aſcendere . Quis enim ſentiet illum ſincere , & ex animo velle , ſi aptioribus mediis prætermiſſis ea ſeligat , quæ minus apta cognoſcit ? Porro ſcopus , aut finis , quem ſibi præfigere debent homines in hac vita , hic ſolus eſt , ut omnes ſuas actiones primæ regulæ totius honeſtatis conformes ſint , adeoque legi , & voluntati divinæ . Ad hunc finem duæ opiniones ſeſe offerunt , quarum altera firmioribus argumentis , & majori authoritate ſuffulta actum divinæ legi repugnare decernit : altera negat quidem , ſed momentis a ratione , & authoritate depromptis, quæ vel homo ipſe cognoſcit minoris ponderis eſſe. Quis negare poſſit opinionem probabiliorem medium eſſe ad finem obtinendum aptius, minus vero probabilem non eſſe ſolum medium minus aptum , ſed ab aſſecutione finis impediens ? Qui ergo probabiliori poſthabita minus probabilem eligit , evidens eſt ipſum ſerio non ſatagere , ut actum ſuum ad Dei legem exigat , adeoque potius eam ſpernit , ac negligit , quam curet . Hoc argumentum ipſi Eſparzæ Probabiliſtæ adeo efficax viſum eſt , ut fateatur , omne Probabiliſtis , qui *Reflexiſtæ* dicuntur , eo præciſum effugium . Quare aliam ipſe Probabiliſmi defendendi viam inivit , quæ cum recentiorum Probabiliſtarum nulli probetur , non eſt in ea refutanda terendum tempus .

§. III.

Argumentum Tertium

Ex eo ſumptum , quod Adverſarii ſtatuere coguntur veluti regulam humanorum actuum ipſam falſitatem certo cognitam .

VIII. Tertium hocce argumentum ſequenti ſyllogiſmo concludimus . Illud ſyſtema opinandi tanquam falſum , antievangelicum, dignumque omnium reprobatione dicendum , quod illud conſtituit tanquam regulam humanorum actuum , quod nullatenus eſſe poteſt ; ſcilicet ipſam falſitatem certo cognitam . Atqui hanc regulam Probabiliſmus conſtituit . Igitur tanquam falſum , antievangelicum , dignumque omnium reprobatione dicendum eſt . Propoſitio major evidens eſt : nam qui falſam regulam actuum humanorum conſtituit , non poteſt non repugnare Evangelio , Ipſique lumini naturali ; cum regula , ſi regula eſt , nonniſi recta eſſe poſſit , & veritati conformis . Minorem autem evinco : Probabiliſtæ ad unum omnes juxta illorum ſyſtema docent , in moralibus quæſtionibus dubiis , & inevidentibus ſequi licere ut actionis regulam alterutram opinionem contradictoriam : hoc enim eſt illorum in opinabilibus ſyſtema . Porro alterutra iſtarum opinionum neceſſario falſa ſit oportet juxta legem propoſitionum contradictoriarum omnibus compertam . Ergo Probabiliſtæ , dum pro regula humanarum actionum utramque opinionem ſtatuunt, pro regula *falſitatem* ſibi notam , atque compertam ſtatuant neceſſe eſt . Dico *ſibi notam , atque compertam* . Nam tametſi in dubiis propoſitionibus contradictoriis ignoremus ,

quæ-

Digitized by Google

quænam ex illis determinate vera ſit, quænam falſa; *determinate* tamen novimus, & certi ſumus, ambas non poſſe veras eſſe, ſed veram unam, alteram falſam. Hinc cum ambæ pro regula humanæ actionis aſſignantur, jam non ſola *veritas*, ſed & *falſitas* regula conſtituitur actionis humanæ: eo ferme pacto, quo duobus datis horologiis inter ſe diſcordantibus, licet illorum alterum conforme foret primæ temporis regulæ, aut menſuræ, nempe Soli, qui tamen utrumque pro regula temporis aſſignaret, neceſſario falſitatem, & quidem ſibi notam pro regula conſtitueret.

§. IV.

Argumentum quartum

Ex agendi ratione apud homines in rebus temporalibus uſitata.

IX. Quoniam de argumento, quod ex regulis prudentiæ promitur, ſatis alibi dictum eſt, ideo ſolum hic proferemus, quod illud validiſſime confirmat, promiturque ex agendi ratione cordatorum hominum in rebus temporalibus uſitata. Exploratum ſiquidem omnibus eſt, eam ſaltem a nobis ad divinam legem implendam adhibendam eſſe diligentiam, & operam, quæ in rebus terrenis adhiberi ſolet. Quis enim id inficiari auſus fuerit? Quotquot autem ſunt ſapientes, & prudentes in ſæculo, ſemper in negotiis omnibus temporalibus ſententias amplectuntur veriſimiliores, minuſque probabiles reſpuunt. Hanc viam ſectantur Regna, Reſpublicæ, Magiſtratus, Collegia, Communitates. Hinc ſæpe in Jure Cæſareo ea conſulentium reſponſa: *Reſpondi ſecundum ea quæ proponebantur, rectius, verius, probabilius &c.* Hinc celebre illud, receptumque ab omnibus veluti axioma: *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt*. Hinc omnium perpetuus mos, & conſtantiſſimum inſtitutum, ut res majori ſuffragiorum numero tranſigentur, illudque probabilius habeatur, in quod plures convenerint. Hoc & in more eſt apud omnes, quis a ratione deſerti non ſint. Viator aliquo pergens viam illam ingreditur, quam probabilius putat latrociniis infeſtam non eſſe. Æger a pharmaco abſtinet, a quo, etſi probabiliter ſanitatem ſperare jubeatur, probabilius tamen interitum timet. Sic Dux exercitus, ſi duo obtinendæ victoriæ, aut expugnandæ arcis modi ſe offerant, num hæſitat in eo deligendo, quem cenſuerit aptiorem? Ad navigandum nonne & tempus opportunius, & firmius navigium eligitur? Ad perſequendam litem gravis momenti nonne peritior cauſæ patronus adſciſcitur? Domus, ager, fundus nonne conductori locatur, qui probabilius conductionis pretium ſoluturus eſt? Nullus denique niſi mentis inops non illud eligit, quo veriſimilius exiſtimat ſe futurum ſui propoſiti compotem. In iis ergo duntaxat, quæ ad Deum, ejuſque legem *attinent*, ſecus operari licebit? Placere ne Deo unquam poterit ejuſmodi agendi ratio? Quis plane id ſibi perſuadeat?

X. Hoc ſibi argumentum opponit Lacroixius n. 491. *Omnis prudens in rebus temporalibus eligit partem tutiorem v. g.* &c. Sed quodnam ejus reſponſum? *Nego*, inquit, *conſequentiam. Diſparitas eſt manifeſta: nam in negotiis temporalibus idem damnum ſequitur, ſive error meus ſit vincibilis, ſive invincibilis; ſive formalis, ſive materialis tantum; neque eſt aliquid, per quod removeatur periculum talis damni* &c. *E contra in via ſalutis, & in negotio animæ habeo aliquid, per quod removetur periculum damni, ſive peccati formalis: quia ſuppoſita probabilitate opinionis faventis libertati, & ignorantia invincibili legis contrariæ, formo dictamen conſcientiæ, ex quo licite operor.*

Certe Lacroixius, aliique Probabiliſtæ aut non intelligunt, aut intelligere potius nolunt

lunt

ſunt, quid argumento reſpondeant. *Diſparitas* hæc *manifeſta* aliud non eſt, niſi *manifeſta petitio principii*, ac verborum luſus, quo decipiuntur incauti, minuſque ad illum percipiendum idonei. Quid enim in quæſtione eſt? Quorſum viatoris, ægri, Ducis &c. exempla proferimus? Nonne ut probemus, ſi viri prudentis eſt, cui temporariæ res cerdi ſunt, viam ingredi, quæ ad finis, quem ſibi præſtituit, aſſecutionem veriſimilius, tutiuſque perducit, poſthabita minus tuta, & periculis magis obnoxia; multo magis idem prudentiæ lege præſcribi, quoties de moribus, animæque ſalute agitur, atque adeo ſecus operari ab imprudentia, & temeritate ſejungi minime poſſe? Temere autem, & imprudenter agere nonne ſemper vituperandum? Nonne ſemper rectæ rationi repugnat, ideoque in culpa ponendum? Cur *in negotiis temporalibus idem damnum ſequitur, ſive error ſit vincibilis, ſive invincibilis, ſive formalis, ſive materialis tantum*; non autem *in via ſalutis, & in negotio animæ*? Quid *materiale peccatum* vocas, quod argumentum convincit eſſe *formale*? Nonne ſic operans in divinæ legis violandæ periculum ſciens, prudenſque ſe conjicit, quod ſemper *formale* peccatum eſt? Quid ignorantiam legis invincibilem obtrudis, quæ ſemper *vincibilis* eſt? erroris quippe periculo vitando via patet; eligendo ſcilicet alteram partem, quæ tuta eſt. Quæſo te, ſi ductor exercitus, cui duo modi præſto ſunt expugnandi arcem, alter magis ad hunc finem idoneus, & ſecurus, alter minus, & incertus, poſſet ne ſe excuſare, ſi arcem non expugnet, dum hunc potius, quam alium amplectitur, allegando *ignorantiam invincibilem*, ac dicendo errorem ſuum eſſe *materialem*? Quis niſi ſtultus, & amens hoc afferat? Et tu a peccato excuſatum putabis, qui, dum opiniones duæ illi ſe offerunt, altera veroſimilior, ac tutior, altera minus veriſimilis, & periculo violandæ legis expoſita, ſi hanc potius eligat, altera prætermiſſa? Quare hac reſponſione, ſive diſtinctione, quæ communis, & frequentiſſima eſt inter Probabiliſtas, peccati nempe *materialis*, & *formalis*, ludunt ipſi profecto, illuduntque imperitos. Quandoquidem modus agendi, quem conſectantur, ſanæ prudentiæ regulis, ac reverentiæ, quæ divinæ legi debetur maxima, aperte adverſatur, nec proinde Deo placere ullatenus poteſt: quod ſatis eſt, ut peccandi periculum, cui voluntarie ſe exponunt, nedum *materiale* peccatum, ſed etiam *formale*, & *formaliſſimum*, ſi mihi ita loqui fas eſt, vere conſtituat.

C A P U T VI.

Argumenta adverſus Probabiliſmum ex Jure Canonico, & Eccleſiæ definitionibus derivata.

I. *Argumentum primum ex definitione facta in Concilio Viennenſi coram Clemente V. celebrato.*

II. *Argumentum ſecundum ex Deciſione Caſus cujuſdam edita ab Innocentio III.*

III. *Tertium argumentum ex damnatione propoſitionum de Probabilitate*,

IV. *Quartum argumentum ex damnatione primæ propoſitionis in Decreto Innocentii XI. contentæ.*

V. *Alia animadverſio ad confirmationem ejuſdem argumentis.*

VI. *Argumentum quintum ex damnatione propoſitionis de Judice juxta minus probabilem judicante.*

VII. *Adverſariorum effugia præcluduntur.*

VIII. *Argumentum ſextum ex damnata propoſitione tertia* de tenui Probabilitate.

IX. *Septimum argumentum ex damnatione quartæ propoſitionis, de infideli in ſua ſecta manente vi opinionis minus probabilis.*

X. *Argumentum octavum ex animadverſione in quatuor propoſitiones ſub uno aſpectu propoſites, deducta ex iis, quæ ab Adverſariis conceduntur, & concedenda omnino ſunt.*

XI. *Reflexio*,

Digitized by Google

ARGUMENTUM PRIMUM

Ex regula a Summo Pontifice Clemente V. conſtituta in Viennenſi Concilio, quoties de uſu agitur opinionis probabilis.

I. POTISSIMAM regulam a Summis Pontificibus circa præſentem materiam traditam; *In dubiis* ſcilicet *tutiorem partem eſſe eligendam*, quam conſtantiſſime tenuerunt, tenentque, cum plures oſtenderunt, tum ego ipſe ſuperius jam oſtendi, atque illuſtravi. Duæ aliæ modo afferendæ ſuperſunt illi omnino affines: quarum prima petitur ex definitione facta in Concilio Viennenſi circa uſum opinionis probabilis; eamque propono iiſdem verbis, quibus eam propoſuit Vir. Cl. Epiſcop. Boſſuetus in Comitiis Cleri Gallicani anno 1700. celebratis, ubi *de regula* diſſerens neceſſaria *ad vincendum dubium ratione probabili*, ſic habet: Vincendi, aut explo-
,, dendi dubium ratione probabili regula non
,, alia eſt, quam ut illa ſit *probabilior*, ſeu
,, ſententiam, quæ deligenda eſt, faciat
,, *probabiliorem*. Regulam hanc Clemens V.
,, in generali Viennenſi Concilio præſcripſit:
,, quum enim duas oppoſitas de gratiæ, vir-
,, tutumque infuſione in baptiſmate ſenten-
,, tias recitaſſet, addidit: *Nos autem atten-*
,, *dentes generalem efficaciam mortis Chriſti*,
,, *quæ per baptiſma applicatur omnibus bapti-*
,, *zatis, opinionem ſecundam, quæ dixit, tam*
,, *parvulis, quam adultis conferri in baptiſmo*
,, *informantem gratiam, & virtutes, tam-*
,, *quam probabiliorem, & dictis Sanctorum,*
,, *& modernorum Theologorum magis conſonam,*
,, *& concordem, Sacro approbante Concilio, du-*
,, *ximus eligendam*."

,, En regulam [ſubdit Illuſtriſſimus Vir],
,, qua dubium vincitur ratione probabili, mo-
,, do tamen *probabilior* ſit, dictiſque Sanc-
,, torum, ac recentium S. Theologiæ Docto-
,, rum *magis conſona*; alioquin deligi non
,, poſſet, niſi imprudenter, nec dubitatio
,, tolleretur, quum nulla eſſet ratio, quæ
,, præſtaret. Hanc agendi legem Eccleſia te-
,, net, nec ſibi integrum putat, quum de
,, obſcuris agitur, *minus probabilem* ſenten-
,, tiam *eligere*, ſed *probabiliorem* ſemper abs
,, ſe judicat præferendam; tantumque majo-
,, ri probabilitati defert, ut Œcumenica Sy-
,, nodus omnibus palam ſignificet, ſe proba-
,, bilitatem ſectari unice, quæ ſit illa ma-
,, jor. Quare qui minori etiam probabilitati
,, ſe committit, regulam ſpernit ab univer-
,, ſali Concilio conſtitutam.

,, Sane non video, pergit eximius Præſul,
,, quid ſolidi reponi poſſit. Si enim forte
,, quis dixerit, de *ſpeculativis* rebus hic agi,
,, non de *practicis*: primo manifeſtum eſt,
,, eamdem eſſe utriuſque dubii vincendi ratio-
,, nem. Præterea patet hoc Concilii Decre-
,, tum ad agendum quodammodo pertinere,
,, ad eligendam ſcilicet, profitendamque al-
,, terutram ſententiam maxime cum ſalutis
,, æternæ periculo, ſi ab ea quiſpiam aude-
,, ret parte recedere, quam Concilium cen-
,, ſuit præferendam.

,, Hinc corrigendus docentium error, quum
,, rationes utrinque æquales ſunt, animum
,, a voluntate pro libito determinari. Au-
,, ſcultandum enim potius Apoſtolo dicenti:
,, *Rationabile obſequium veſtrum*. Hinc non
,, ad voluntatis libidinem deligendæ ſenten-
,, tiæ, & ferenda judicia, ſed ad rationis
,, normam: neque Concilium tantum ait:
,, *Nos hanc ſententiam duximus eligendam*; ſed
,, adjecit: *eligendam duximus ut probabilio-*
,, *rem, magiſque conſonam* &c. Sentit ergo
,, non *ad libitum*, ſed ratione ſolum permo-
,, vente animum, quoties de opinionibus
,, probabilibus ſermo eſt &c.". Hactenus
Boſſuetus, qui hujuſce regulæ æquitatem ſubinde confirmat eo juris communis effato, *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri conſuevit*. Nam,

cum

cum veritas latet, tenendum eſt, quod veriſimilius, aut vero propius videtur, quodque plerumque contingit, quod nonniſi veriſimilius eſt.

Argumentum Secundum

Ex reſponſo Innocentii III. ad dubium ſibi propoſitum.

II. Aliud ejuſdem rei argumentum habemus in Jure Canonico ex deciſione Innocentii III. ad quoddam ſibi propoſitum dubium, quod omnia quæſtionis hujus noſtræ adjuncta complectitur, ut ſupra etiam obſervavimus. Propoſitum ei fuerat, mulierem nuptam poſt initum matrimonium in dirimenti impedimenti ſuſpicionem veniſſe. Quid vero Pontifex? In C. *Inquiſitioni* primo conſtituit ſi mulieri impedimentum *certo* conſtet, debere illam a petendo, reddendoque debito prorſus abſtinere: ſi vero non conſtet, ſed dubitat, ſubdit: " *Diſtinguimus*, utrum habeat con-
,, ſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, &
,, temeraria, *an probabili*, *& diſcreta*. Et
,, quidem ad ſui Paſtoris conſilium conſcien-
,, tia *levis*, ac *temerariæ crudelitatis* exploſa,
,, licite poteſt non ſolum reddere, ſed &
,, exigere debitum. Verum cum conſcientia
,, pulſat animum ex credulitate *probabili*, *ac*
,, *diſcreta*, quamvis non evidenti, & ma-
,, nifeſta, debitum quidem reddere poteſt,
,, ſed poſtulare non debet, ne in alteru-
,, tro vel contra legem conjugii, vel con-
,, tra judicium (ideſt non omnino fir-
,, mum, ſed *probabile*) conſcientiæ com-
,, mittat offenſam.

Hanc Innocentii ſententiam D. Thomas *in 4. ſentent. q. 38.* in fine *expoſ.* litt. ita clarius exponit: " Si oriatur dubitatio ali-
,, qua de vita prioris viri ex aliqua cauſa,
,, quæ etiam certitudinem facere poſſit, non
,, debet nec reddere, nec exigere debitum: ſi
,, autem cauſa iſta facit probabilem dubita-
,, tionem, debet reddere, ſed non exigere:
,, ſi autem ſit levis ſuſpicio [ſive ſcrupulus]
,, poteſt utrumque licite fieri: quia debet il-
,, lam cauſam potius abjicere, quam ſecundum
,, hoc conſcientiam formare ". In hac ergo quæſtione tria ſpectari poſſunt. Primo ſi impedimentum *moraliter certum* ſit, abſtinere a petendo, & reddendo debito mulier debet. Secundo, ſi levis ſit, ac inanis dubitandi, vel ſuſpicandi ratio, abjecta dubitatione, reddere poteſt, ac petere. In duobus iſtis convenimus omnes, nec ulla eſt opinandi diverſitas. Tertium, quod ad rem præſentem facit, attentius conſiderandum eſt. *Quum conſcientia*, inquit Summus Pontifex, *pulſat animum ex credulitate probabili*, *& diſcreta*, *quamvis non evidenti*, *& manifeſta*, *debitum quidem reddere poteſt*, *ſed poſtulare non debet*: Quare *reddere poteſt*, & quare *poſtulare non debet*? Reddere poteſt, *ne contra legem conjugii committat offenſam*. Quum enim vir petendi jus habeat, & quidem *certum*, non poteſt ab uxore ob incertam cauſam ſuo jure fraudari. *Poſtulare* tamen mulier nequit, *ne committat offenſam contra judicium conſcientiæ*, cui probabilis opinio dubitationem injicit de impedimento. Probabiliſtæ utrumque mulieri in hoc caſu *dubii probabilis* licitum faciunt, ſcilicet *& reddere*, *& petere debitum*. Sed non ita definit Summus Pontifex, qui *reddere* quidem permittit viro bona fide impedimentum neſcienti, adeoque jus certum petendi habenti; ſed negat mulierem in dubio de impedimento conſtitutam poſſe *poſtulare debitum*, ne conſcientiam ſuam offendat. Nonne hæc Pontificia reſponſio plane controverſiam dirimit? Nonne Pontificis oraculum aperte repugnat Probabiliſtarum ſententiæ, docentium in ſimilibus caſibus licere cuilibet, quam maluerit, opinionem eligere?

Argumentum Tertium

Ex propoſitionum, quæ de probabilitate erant, damnatione.

III. Quatuor, quæ directe de probabilitate erant, propoſitiones Innocentius XI. Decreto ſuo edito an. 1679. damnavit; primæque ſunt, quæ in eo Decreto proſtant: ex quarum damnatione argumentum conficitur adverſus integrum ſyſtema probabiliſticum profecto firmiſſimum, quod ita propono. Certum apud omnes eſt, conſecutionem ex quocunque principio legitime deductam falſam eſſe non poſſe, niſi & ipſam, ex quo deducitur, principium falſum ſit; unde axioma illud logicum: *Ex vero nunquam ſequitur falſum*; ſicut ex oppoſito: *ex falſo nunquam ſequitur verum*. Porro priores quatuor præfati Decreti propoſitiones ad Probabiliſmum pertinentes damnatæ ab Eccleſia, ſunt conſecutiones legitime deductæ ex principiis, ſeu doctrina probabiliſtica. Quandoquidem hæc eſt præcipua baſis, & fundamentalis doctrinæ Probabiliſtarum: *Tunc aliqua opinio eſt probabilis*, ſeu, ſi mavis dicere, *ſolide probabilis*, adeoque regula tuta conſcientiæ; *quoties vel nititur gravi authoritate, vel aliquo ſolido rationis momento*, quod ſemper præſumitur, ſi gravis non deſit authoritas: & hæc juxta Probabiliſtas *gravis* dicitur etiam comparate, ſi opinionem illam doceant tres, aut quatuor, vel, ſi lubet, ſex etiam, aut octo ex modernis Scriptoribus *doctis*, ac *piis*, & præſertim quotieſcunque in horum numero quiſpiam recenſeatur illorum, qui *Claſſici* habentur, & *omni exceptione majores*, ut oſtenſum eſt. Atqui dictas quatuor propoſitiones ad Probabiliſmum pertinentes docuerunt Authores plurimi: nam quædam ad uſque ſeptuaginta Theologorum authoritate nitebatur; alia triginta, aut quadraginta, alia ſaltem viginti, quemadmodum diligentia aliquorum comperium fuit: & omnes procul dubio *docti*, ac *pii* reputantur, immo & nonnulli *Claſſici*, *&* *omni exceptione majores*. Igitur, ſi hiſce non obſtantibus damnatæ fuerunt, & proſcriptæ; damnata & in ipſis, & cum ipſis doctrina illa eſt, ac principium, quo innitebantur, & quod eas *probabiles* reddebat: atque ita disjectum ſyſtema Probabiliſticum.

Major huic argumento vis accedit, ſi animadverterimus, totam Probabiliſmi machinam *reflexis principiis* inniti, quorum unum ex præcipuis, ac veluti cæterorum caput illud eſt; *Quotieſcunque lex certa, & evidens non eſt, ſed incerta, & dubia ob opinionum diverſitatem, lex vere, ac proprie dici nequit, cum deſit promulgatio ſufficiens, & neceſſaria*: quia, ut ſcribit Segnerius ex Tirillo, *quis unquam legem dubiam pro lege habuit? Quamdiu lex in controverſiam vocatur, nondum eſt lex, ſed opinio: &, ſi opinio, amplectatur quilibet, & ad praxim deducat, quam voluerit. Quantumvis lex probabiliter adſtruatur, lex nunquam vere erit*. At vero quatuor dictarum propoſitionum damnatio hocce principium omnino diruit, totumque Probabiliſmum ſubvertit. Quandoquidem ante Pontificium Decretum in controverſia erat, num darentur leges, ſive præcepta præcipientia, aut vetantia, quod in damnatis propoſitionibus concedebatur; nec deerat numerus Authorum ad eas *probabiles* reddendas requiſitus, qui nullam adeſſe legem contendebant. Igitur juxta probabiliſticum ſyſtema nulla lex erat, quæ vetaret, quod in damnatis propoſitionibus permittebatur. At vero hoc falſiſſimum fuiſſe, ex illarum propoſitionum proſcriptione evidenter conſequitur. Nam, licet inter ſe digladiarentur Theologi, lex tamen extabat, quæ interdicebat earumdem uſum. Non enim legem illam de novo tulit Eccleſia, ſed adeſſe tantummodo declaravit. Falſum itaque eſt capitale illud principium a Tirillo, Segnerio, cæteriſque poſ-

ſitum;

tum atque adeo tota penitus ruit probabiliſtica moles illo ſuperſtructa.

Argumentum Quartum

Ex damnatione primæ ex quatuor propoſitionibus de Probabilitate proſcriptis ab Innocentio XI.

IV. Prima ex quatuor de Probabilitate damnatis propoſitionibus hæc eſt: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.* Hæc propoſitio, quam ipſiſmet verbis, aut prorſus æquivalentibus docuere inter alios Sanchez, Vaſquez, Tamburinus, Pontius, Merolla, Diana &c. damnata fuit ob irreverentiam, quæ in ejus uſu erga Sacramenta committebatur, ut patet ex propoſitionis verbis, & conſentiunt Probabiliſtæ ipſi Scriptores, qui eam explicarunt, & præſertim Cardenas, qui etiam hac de cauſa retractavit, quod antea docuerat, P. Viva in Comment. ejuſdem, & Lacroixius, qui expreſſe declarat, *ex motivo Religionis erga Sacramenta prohiberi praxim opinionis oppoſitæ*, lib. 6. p. 1. n. 104.

His igitur præſuppoſitis hoc robuſtiſſimum argumentum deducimus adverſus totum probabiliſticum ſyſtema. Quoties idem omnino militat rationis momentum & pro hac peculiari propoſitione damnata, & pro tota univerſim probabiliſtica doctrina, procul dubio in unius proſcriptione alterius damnatio continetur: in quo vel ipſe P. Viva aperte conſentit. Evidens porro eſt, eamdem omnino rationem militare tum in Sacramentorum materia, tum in cæteris omnibus divinæ legis præceptis. Siquidem Deus non minus eſt author Sacramentorum, quam Legislator omnium præceptorum, quæ in lege continentur ab eo lata. Quemadmodum ergo irreverentiæ reatum incurrit erga Deum, qui in Sacramentorum adminiſtratione opinionem amplectitur probabilem, tutiore relicta; pari modo irreverentiæ erga ipſum Deum reus erit, qui ita ſe gerit in præceptorum, & divinæ legis adimpletione. Et revera hoc eodem prorſus argumento uſus eſt Sanchez, ut damnatam propoſitionem probaret, inquiens: *Sicut credens probabiliter aliquid non eſſe contra præceptum divinum, & ob id illud faciens, minime injuriam præcepto divino irrogat; ſic non irrogat Sacramento, qui probabiliter credit, illum eſſe convenientem miniſtrandi modum, & nulli ſe contravenire præcepto.* Haud poterat Sanchez clarioribus verbis fateri, idem omnino rationis momentum æque militare & pro reverentia Sacramentis, & pro divinis præceptis, exhibenda: utrorumque ſiquidem author eſt Deus.

V. Argumentum confirmamus alia animadverſione. Quamquam propoſitio damnata nonniſi de Sacramentis *conferendis* expreſſe loquatur; conſentiunt tamen Probabiliſtæ omnes, vetitum nunc eſſe etiam propoſitionis probabilis uſum in *Sacramentis ſuſcipiendis*; non ob aliam cauſam, niſi quia eadem in utriſque militat ratio, ut docent, ac teſtantur Viva, & Lacroixius, qui loco cit. n. 105. decernit, ita tenendum: quia etiam in ſuſcipiendis committit (homo) *irreverentiam in authorem Sacramenti*: Et cum ſibi objeciſſet: *Damnatum non eſt, quod ſuſcipiens licite ſequatur talem opinionem probabilem*, reſpondet: *Damnatum non eſt formaliter, concedo: virtualiter, nego. Illa autem propoſitio dicitur damnata formaliter, quæ damnatur expreſſe in ſuis terminis: illa damnatur virtualiter, cujus falſitas legitime infertur ex damnata formaliter: & talis eſt propoſitio de ſuſcipiente.* Nihil ſane præclarius. At liceat & mihi

Digitized by Google

mihi pariter inferre. Ergo damnatus Probabiliſmus eſt ab Eccleſia, ſin *formaliter*, ſaltem *virtualiter*: quoniam ejuſdem damnatio, & falſitas *legitime infertur ex propoſitione damnata formaliter*. Id manifeſte conſtat ex Lacroixii doctrina. Si namque ex damnatione propoſitionis permittentis uſum opinionis probabilis *in conferendis Sacramentis*, recte infertur & damnatio aſſerentis uſum licitum *in ſuſcipiendis*: quia eadem prorſus militat ratio; cum eadem quoque militet *ratio irreverentiæ* erga Deum Legiſlatorem non minus, quam Sacramentorum authorem: in omni alia materia ex illius propoſitionis condemnatione legitime infertur Probabiliſmi proſcriptio.

Argumentum Quintum

Ex damnatione propoſitionis de Judice ſequente opinionem minus probabilem.

VI. Altera propoſitio damnata hæc eſt: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Hæc ſurculus eſt ex probabiliſtica radice, ideſt ex generalis ſyſtematis doctrina ſuccreſcens. Illam propterea adoptarunt, & docuerunt circiter ſeptuaginta Authores, &, uti notant ipſi Salmanticenſes, illi omnes, qui *coherenter* ad ſyſtema ſcripſere: adeoque, ſi nihilominus proſcripta, & jure quidem ac merito fuit, damnata & illa cenſenda doctrina eſt, a qua vitam, & incrementum accepit. Verum quidem eſt poſt latam anathematis ſententiam excogitaſſe Probabiliſtas leges aliquas, ſive rationes, quibus ſpeciale debitum judicibus impoſitum fuiſſe oſtenderent eligendi probabiliorem. Verum ſi hæc momenta penitius introſpiciantur, ſi quid probant, non minus Judicis, quam aliorum eligendi probabiliorem onus, & debitum evincere, clariſſime conſtabit. Judex, inquit recentiſſimus Probabiliſta Carpanius, per jus Canonicum ad probabiliorem in judicando opinionem præeligendam obſtringitur, ob illam regulam: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius.* Sed unde, amabo, colligis in jure Canonico ad ſolos Judices præfatam regulam coarctari, cum potius ex ipſo textu, ex præcedentibus, & conſequentibus manifeſte eluceat, generalem regulam eſſe ex naturæ lumine profectam in omnibus quæſtionibus dubiis, & obſcuris tenendam?

VII. Judex, ſubdit idem Author, ad probabiliorem ſeligendam adigitur juris Civilis lege præcipiente. *Credendum eſt, quod naturæ negotii convenit, confirmabitque Judex motum animi ſui ex argumentis, quæ & rei aptiora, & vero proximiora eſſe comperit.* Verum quis negaverit hanc regulam juxta ipſum rationis lumen non eſſe reſtringendam ad eos dantaxat, qui Judices ſunt negotiorum publicorum, ſed & applicandam privatis Judicibus, ac moderatoribus actionum ſuarum? Si enim amplectendum eſt, *quod convenit naturæ negotii*, puta ſaluti, & incolumitati vel famæ, vel bonorum, eligendo, quod illi veriſimilius utile dignoſcitur; cur non idem ſervandum & in negotiis animam ſpectantibus, ſeligendo, quod ipſis probabilius profuturum creditur?

Tandem, concludit, tenetur Judex probabiliorem amplecti, *attento jure naturæ: in ſuſceptione enim muneris intervenit contractus implicitus cum Republica, cui judex ſe obligat ad ponderandum æqua lance* (N. B.) *merita cauſarum, & ad litem adjudicandam illi, cui magis jus favet: alioqui non bene conſultum eſſet publico bono, & periculum immineret, ne pauperes opprimerentur*, ſi Judex non ſequeretur in judicando ſententiam probabiliorem.

Singulari digna obſervatione eſt hæc reſponſio. Quando igitur Judex officium accipit, *implicitum* contractum init cum Republi-

Digitized by Google

blica, per quem adſtringitur *ad ponderandum æqua lance merita cauſarum*. At cur *implicitus* iſte *contractus*, qui ex ipſo jure naturali oritur, non erit admittendus inter Deum, & Creaturam relate ad judicia proferenda circa opiniones morales, quæ ad praxim deducendæ ſunt? Nonne demonſtratum evidenter eſt, legem hanc ex ipſis naturæ principiis, notionibuſque boni, & mali oriri? Naturali jure Judex obſtringitur *ad ponderandum æqua lance merita cauſarum*, & *ad adjudicandam litem illi, cui magis jus favet*: ergo qui idem non præſtat in propriis dijudicandis actionibus, *nec ponderat æqua lance merita rerum*, contra naturæ jus peccat, haud ſecus ac Judex, *qui æqua lance cauſarum merita non ponderaret*, ex ipſo naturæ principio, quo jubemur omnia juſtis librare ponderibus. *Alioquin*, concludit Carpanius, *non bene conſultum eſſet bono publico, & periculum immineret* &c. Egregie quidem. At regero ego: *Non bene conſultum eſſet bono publico*, ſi judici in ferenda ſententia fas eſſet minus probabilem probabiliori opinioni anteferre: ergo nec privato ſuo bono conſulet, qui probabiliorem opinionem minus probabili poſponet: utrobique enim par eſt proportionis ratio. Quid ſolidi reponi poſſit, plane me latet.

Quod ſi triplici inſpecto jure, Canonico, Civili, & Naturali, poſt damnatam ſecundam propoſitionem Judicem ſpectantem, evidenter conſtat, locum amplius non eſſe Probabiliſmo concedendum, multo magis hæc veritas aperta fit, ſi rationis attendamus momentum, quo jura illa innituntur, & cujus vi, & efficacia Judici vetant probabilem opinionem probabiliori præferre. Quodnam enim eſt hoc rationis momentum? Non aliud aſſignari valet præter injuſtitiam, & iniquitatem, quæ committeretur, ſi Judex illi parti faveret, quæ minus juris, authoritatis, & rationis pro ſe allegat in concurſu alterius, qui ſe potiori titulo, ac jure gaudere oſtendit in alicujus fundi ex. gr. ſive alterius rei poſſeſſione aut retinenda, aut comparanda. Si hæc itaque eſt tota ratio, cur omnia jura, omneſque leges vetant Judici uſum opinionis minus probabilis, affirmandum omnino eſt eumdem uſum prohiberi, vetitumque eſſe cuicumque privato etiam non Judici: quoniam non deſinit eſſe injuſtum in privato, quod eſt iniquum in Judice, cum perſonarum diverſitas rerum eſſentiam mutare nequeat, nec illud juſtum, & licitum efficere, quod in ſe, & natura ſua iniquum, & illicitum eſſe dignoſcitur, prout latius a me explicatum eſt in Opere citato.

Argumentum Sextum

Ex tertia ab eodem Pontifice Innocentio XI. damnata propoſitione.

VIII. Tertia propoſitio damnata ad Probabiliſmum pertinens hæc eſt: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a Probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Vi itaque hujuſce condemnationis certiſſimum eſt, prudenter non operari, adeoque peccare *formaliter*, qui aliquam amplectitur opinionem genio indulgentem, *tenuiter* quidem *probabilem*, ſed quæ tamen intra limites veræ probabilitatis continetur, quæ juxta ipſos Probabiliſtas varios majores, minoreſve gradus admittit. Confixum ergo anathemate eſt axioma generale probabiliſticum: *Licet ſequi opinionem vere probabilem*: quandoquidem proſcripta propoſitio de opinione loquitur *vere probabili*, & quæ extra limites *veræ probabilitatis non excurrit*, ut ex ipſis proſcriptæ propoſitionis verbis apparet manifeſte. Vis ſolidiſſimi, & indeclinabilis hujuſce argumenti amplius emicat, ſi animadvertamus, propoſitionem deſumptam eſſe ex Tamburino, apud quem conceptis terminis legitur, quique eam legiti-

gitima conſecutione deducebat ex communi illa Probabiliſtarum doctrina : *Licet cuilibet amplecti opinionem benignam etiam minus probabilem in concurſu, dummodo ſit vere probabilis* : quod confirmabat illo apud Probabiliſtas firmiſſimo principio : *Qui probabiliter agit, prudenter agit*. Quapropter, licet qui *probabiliter* operatur, juxta gradus probabilitatis magis, minuſve *prudenter operatur*; ſemper tamen vere operatur, ac poſitiva prudentia. Hæc autem doctrina, quæ fundamentum Probabiliſmi eſt, falſa, & erronea declaratur ab Eccleſia : quippe quæ in damnatione recitatæ propoſitionis involvitur. Cavillationes omnes, quas adinvenere Probabiliſtæ, ut vim argumentationis eludant, facile detegentur, & evaneſcent, ſi ſincero animo, & candore proſcriptæ expendantur propoſitionis verba.

Quod enim reponere ſolent Gagna, Bovius poſt Cardenam, Lacroixium, alioſque, ideo propoſitionem illam damnatam fuiſſe, quia *tenuis probabilitas* non eſt *vera probabilitas*; ſed potius *improbabilitas*, ſicut tenuis aptitudo eſt potius ineptitudo, tenuis prudentia eſt vera imprudentia, tenuis ſanitas vera ægritudo &c. Hæc, inquam, reſponſio vana eſt, & ad eam ut futilem repellendam appellare ſufficit bonam omnium fidem, rectumque intimum ſenſum. Si enim ingenuo animo conſiderentur damnatæ propoſitionis verba, perſpicuum eſt a Summo Pontifice damnatam opinionem illorum, qui prudentem, & licitam docebant actionem, quæ *tenui* quidem regebatur probabilitate, ſed quæ *vera* eſſet *probabilitas*, & intra limites *veræ probabilitatis* contenta [*modo a probabilitatis finibus non exeatur*]; de qua ſolum locuti ſunt Authores, qui talem propoſitionem docuerunt : neque enim adeo dementes fuerunt, ut de adeo *tenui probabilitate* loquerentur, quæ potius eſſet *improbabilitas*. Hoc adeo clarum, & evidens eſt, ut ex induſtria oculos claudere opus ſit, ne veritas cernatur.

Argumentum Septimum

Ex quarta, quæ de probabilitate damnata eſt, propoſitione.

IX. Quarta propoſitio de probabilitate ab Eccleſia damnata ſic efferebat : *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*. Hæc quoque propoſitio ſurculus eſt plantæ probabiliſticæ, a qua totum virus haurit, quod illam peſtilentem efficiat, dignamque anathemate, quo ab Apoſtolica Sede perculſa eſt, ut manifeſte liquet ex ipſo, cui nitebatur, fundamento; nimirum, ut teſtatur P. Dominicus Viva in Comment. *quia prudenter operatur, quicunque accommodat ſe opinioni probabili, etiam in conflictu probabilioris oppoſitæ : atque adeo, ſicut non peccat in aliis humanis actionibus, qui ſequitur opinionem minus probabilem, ita nec peccat infidelis, ſi ductus opinione probabili non deſerat ſectam ſuam*. Perculſis igitur anathemate præfatis omnibus propoſitionibus, penitus corruat neceſſe eſt fundamentum, & baſis, qua nititur ſyſtema probabiliſticum in omni alia quacunque materia : neque enim major ratio eſt, cur in una corruat, in altera vero ſubſiſtat. Nihili autem facienda eſt diſtinctio, quam ad illud ſuſtinendum in aliis materiis adhibet ipſe P. Viva, *probabilitatis ſpeculativæ, & practicæ* : quippe quæ locum non habet nec in præſenti, nec in alia quacunque materia. Siquidem doctrina eſt communis Probabiliſtarum, opinionem probabilem, quæ *vel alicujus momenti ratione, vel gravi authoritate* fulcitur, regulam eſſe tutam humanarum actionum, & *practice* eam nos ſine ſcrupulo ſequi poſſe. Ita aperte Tamburinus teſtatus eſt, *ejuſmodi locutionem communem eſſe bonis Doctoribus*, ſive Probabiliſtis, *ex illo principio; quia, qui probabili ratione ductus aliquid agit, prudenter ſe gerit*. Ergo, cum hæc ſit tota ratio, cui innititur & propoſitio, quæ infideli *proba-*

babilis propoſitionum ductum ſequenti in ſua ſecta perſeverantiam concedit, & cæteræ omnes propoſitiones probabiles in alia quacumque materia; vel illa prior & *ſpeculativa* ſimul, & *practica* ſit oportet, vel cæteræ omnes propoſitiones probabiles nullo modo *practica* ſunt, ſive ad praxim deduci poſſunt, cum omnes uno, eodemque nitantur ſyſtematis principio.

Argumentum Octavum

Ex animadverſione in quatuor propoſitiones ab Eccleſia de probabilitate damnatas.

X. Liceat mihi argumenta, quæ contra Probabiliſmum ex damnatis ab Eccleſia de probabilitate propoſitionibus deduxi, veluti colligere, ejuſdemque falſitatem, atque improbabilitatem, quæ ex his neceſſario conſequitur, ſub uno aſpectu collocare. Ut igitur demonſtrationem efficaciſſimam conficiam, ad memoriam revocanda ſunt duo illa principia, & axiomata plane inconcuſſa, & apud omnes extra controverſiam poſita, quorum primum eſt: Ut aliqua doctrina ab Eccleſia Catholica, Summorumque Pontificum oraculis rejecta, ac reprobata cenſeatur, ac cenſeri ab omnibus debeat, neceſſe nequaquam eſt, ut reprobatio, & damnatio *formalis* ſit, ut ajunt, & *expreſſa*, ſed ſufficit *implicita*, & *virtualis*; ſive, quod perinde eſt, ut legitima conſecutione ex damnatis ſentenliis inferatur. Hoc inficiari non poſſunt, ſed neque inficiantur Probabiliſtæ, qui ultro fatentur nonnullas propoſitiones rejiciendas ut falſas, & improbabiles, quia *virtualiter*, & *implicite* damnatæ, ac reprobatæ ſunt. Nonnulla in hanc rem ipſorum teſtimonia adduximus. Illud unum modo ſufficiat ex P. Viva in *prop.* 54. Innocentii n. 16.: *Ex regula alias tradita, quando eadem ratio, quæ militat pro theſi proſcripta, militat pro alia conſimili; hæc etiam implicite* *redditur improbabilis*: quæ doctrina quam vera ſit, & ipſum naturale lumen, & recta ratio cuique manifeſtat. Quare ſe omnibus deridendum propinavit nuperus quidam Scribillator, qui in quadam Epiſtola conceſſit quidem damnatum eſſa, reprobatumque Probabiliſmum *implicite*, & *virtualiter*: at nihilominus licitum ipſum, & ſecurum in praxi aſſeruit; quia nondum ab Eccleſia *expreſſa*, & *formalis* ejuſdem condemnatio manavit: quo quid ſtultius poteſt cogitari?

Principium alterum jam inſinuatum non minus certum, ac perſpicuum eſt. Tunc aliqua doctrina *virtualiter*, & *implicite* reprobata, ac damnata dicenda eſt, quoties neceſſaria, ac legitima conſecutione ex alia *formaliter*, & *expreſſe* damnata derivatur. Hoc item aperte fatetur Lacroixius verbis illis: *Illa propoſitie damnatur virtualiter, cujus falſitas legitima infertor ex damnata formaliter*: legitime autem *inſertur*, ut ait P. Viva, *quando eadem ratio, quæ militat pro theſi proſcripta, militat pro alia conſimili.*

His itaque præjactis, ad evincendum Probabiliſmum *implicite*, & *virtualiter* fuiſſe damnatum in quatuor illis propoſitionibus recenſitis, adeoque falſum eſſe, & improbabilem abſolute judicandum, ſatis eſt oſtendere, rationum momenta, queis dictæ propoſitiones innitebantur, eadem omnino eſſe, quibus innititur Probabiliſmus, ac inter baſim illarum propoſitionum, & ſyſtematis Probabiliſtici fundamentum neceſſarium prorſus, & intimum nexum eſſe, & colligationem. At vero hoc ſatis ſuperque oſtenſum eſt argumentis ſingillatim ex quatuor propoſitionum condemnatione deductis, idque futurum ſpero, ut neque ipſi Adverſarii negaturi ſint, ſi ea ex animo, & bona fide, ſemotis præjudiciis, perpenderint. Nam revera inficiari ne poſſunt primam propoſitionem ideo damnatam, quia ejus uſus irreverentiam irrogat Sacramentis? Non equidem arbitror, cum id ſponte fateantur ipſi Proba-

babiliſtæ celebriores. Porro nonne eadem plane ratio militat etiam reſpectu divinæ legis, quum Deus non minus ſuorum præceptorum Author, quam Sacramentorum ſit? Quam etiam paritatem agnovit, & confeſſus eſt Sanchez, *Princeps*, ut vocant, *omnium Theologorum Moralium*. Similiter negare non poſſunt, eadem rationis momenta, quæ Judici in ſententiis ferendis minus probabilis opinionis uſum illicitum oſtendunt, æqualiter valere in quocunque privato Judice actionum ſuarum. Tandem quomodo negare poterunt, quæ deduximus argumenta ex tertia, & quarta propoſitione, neceſſariam patefacere, atque legitimam colligationem cum principio, & baſi probabiliſtici ſyſtematis, a quo damnatæ propoſitiones pullulant, ac venenum hauriunt? Bona fides, iterum dicam, ſanuſque intellectus requiritur, nihilque præterea, ut quiſque clariſſime videat intimum nexum inter proſcriptas propoſitiones, & ipſum Probabiliſmum, adeoque concludat hunc generatim ſaltem *virtualiter*, & *implicite* ab Eccleſia damnatum fuiſſe, proindeque falſum eſſe, improbabilem, & penitus abjiciendum ab iis omnibus, quibus cordi eſt doctrinis adhærere Eccleſiæ, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.

REFLEXIO.

XI. Opportune ſe hic nobis locus exhibet ſubjiciendæ reflexionis in quorumdam Authorum Probabiliſtarum audaciam, qui, dum Eccleſia mentem ſuam manifeſtam fecit, longiſſime a Probabiliſmo alienam, pro ut ex dictis modo ſatis conſtat, conſtabitque evidentius ex pluribus aliis argumentis, quæ poſtea afferemus; non verentur tamen aſſerere, Eccleſiam ſuum approbare ſyſtema, hoc vaniſſimo argumento, quod illud nondum expreſſe damnaverit. Inter alios, qui hoc argumentum obtrudunt, nullum fortaſſe legi audaciorem, quam modernum quemdam Authorem, cujus nomini parco, qui præ ceteris pueriliter exultans, & ovans ita diſcurrit: *Eccleſia univerſa*, inquit, *ſuffragatur noſtræ ſententiæ, nullamque dari legem generatem, quæ præcipiat, ut in rebus moralibus incertis ſequamur opinionem probabiliorem, ſatis ſuo ſilentio manifeſtat. Nam ſi hæc daretur, utpote quæ pertineret ad jus naturale, & eſſet primaria regula morum .... ignorantiam illius bonis moribus pernicioſam ad hæc uſque tempora non permiſiſſet*.

Dum hæc lego, ingenue fateor, me commiſerationis ſimul, & juſtæ indignationis affectibus non leviter commoveri. Quis enim ita ferreus ſit, ut teneat ſe, nec exclamet: *Proh ſuperi! Quantum mortalia pectora cæcæ noctis habent! Eccleſia igitur univerſa probabiliſtica ſententiæ ſuffragatur?* Et hoc audent palam ſcribere, quin erubeſcant, poſtquam, ut omnibus notiſſimum eſt, tota, quanta eſt, Eccleſia Gallicana, ſumma Epiſcoporum conſenſione poſt diligens, & accuratum examen, Decretis ad hoc editis, a toto illo ampliſſimo, & florentiſſimo regno probabiliſticam doctrinam exterminavit? Et hoc audent pronunciare, poſtquam tot aliæ Eccleſiæ, ut infra oſtendemus, cunctis plaudentibus, probabiliſticum ſyſtema rejecere, & a ſuis Diœceſibus exulare juſſerunt? Et hoc audent aſſerere, poſtquam plures Summi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Univerſitates, Academiæ, Religioſi Cœtus, innumerique celeberrimi & pietate, & doctrina viri, qui profecto & maximam, & nobiliorem conſtituunt Eccleſiæ partem, non clanculum, ſed coram toto mundo Catholico, abjecerunt, oppugnarunt, deteſtati ſunt probabiliſticam doctrinam veluti fontem virulentum, ex quo tot, ac tantæ in Chriſtiane Moralis perniciem laxitates, corruptelæ, monſtruoſæ opiniones effluxerunt? Et hoc denique audent, poſtquam Summus Pontifex Innocentius XI. ſolemni proteſtatione notum omnibus, compertumque voluit, mi-

nime

nime approbatas conſendas eſſe alias quaſcunque ſententias, ſive opiniones ſuo Decreto minime comprehenſas, licet etiam ad ſanctam Sedem delatas? Quis igitur cordatus, & prudens juſta non commoveatur indignatione, dum audit & alte jactatum, & typis confidenter impreſſum, *Eccleſiam univerſam probabiliſticæ ſententiæ ſuffragari*? Multoque magis juſtiſſimus augeri zelus debet, dum animadvertimus audax ita ſcribentium aſſertum ſola inulti patenti falſitate; nimirum non eſſe ab Eccleſia reprobatum Probabiliſmum eo ſaltem pacto, ut quilibet obediens, ac fidelis Eccleſiæ filius noviſſe poſſit, Eccleſiæ judicio rejiciendum eſſe ut *falſum* omnino, & *improbabilem*: quandoquidem & adductum in poſtremo argumento, & quæ in præcedentibus adducta ſunt, firmiſſima fundamenta, adeo ad evidentiam uſque ejus proſcriptionem evincunt, ut qui adhuc inficiatur, in ſola poſſint invenire pertinacia, & cæcitate perfugium.

At clamabunt Probabiliſtæ, meque fortaſſis præfidentiæ damnabunt, qui doctrinam, quam tot pii Catholici tuentur, Eccleſia ſciente, ac diſſimulante, damnatam eſſe *implicite* ſaltem, & *virtualiter* contendam. Verum nec unus ego certe, nec primus id effero, quod ante me complures Docti, & Illuſtres Scriptores, qui rem penitus excuſſerunt, immo & Epiſcopi, pronunciarunt. Quid vero, ſi aliter multi ſentiant? Momenta, quæ proferunt, libranda ſunt, quorum ſi ea vis ſit, quæ mihi plane, & aliis innumeris videtur, ſecus opinantium numerus, & qualitas nihili pendenda ſunt. Sint adverſarii Catholici, pii, paratique animo ad parendum Eccleſiæ definitionibus, earumque legitimis conſectariis per me licet. At *mali ſunt Logici*, ut ſcite Camargus ait, quibus falſa præjudicia, & nimium tuendi Probabiliſmi ſtudium impedimento ſunt, ne videant, quod ſponte in oculos eorum incurrit, & ex confixis propoſitionibus ea inferant, quæ naturaliter inde fluunt.

At non latet Eccleſiam, multos etiam poſt confixas quatuor propoſitiones a Probabiliſmo ſtare, eoque uti. Quid, ſi id novit Eccleſia? Inferri ne ergo legitime poteſt, damnatum illum non eſſe *implicite* ſaltem, & *virtualiter*, adeoque evaſiſſe *improbabilem*, quum hujuſmodi damnatio evidenti ratione probetur? Id novit Eccleſia, ſicut & novit tot alias, quas expreſſe damnavit, propoſitiones futili aliqua exceptione, diſtinctione, aut interpretatione limitas adhuc defendi, atque in uſum aſſumi; quemadmodum & probe ſcit, in plurium Caſuiſtarum libros, qui aut iterato vulgantur, aut primo eduntur, eaſdem ipſas a ſe damnatas propoſitiones inſertas eſſe, aut ſi in quibuſdam aliqua ad illas notatio apponitur, prava tamen earumdem principia, & peſſima conſectaria prorſus intacta relinqui, omniumque oculis ſubjici. Nonne cordatis omnibus exploratum eſt, a Scriptoribus multis, iiſque ipſis, qui damnatarum propoſitionum interpretationem ſibi ſumpſerunt, eas non ſemel explicationes adhiberi, quibus earumdem damnatio ad nihilum recidit; adeo ut ſcribere P. Alpharo Jeſuita potuerit, poſt ejuſmodi interpretationes *res pene in eodem ſtatu eſſe ac prius*? Qui in veritatem unice intentus, Vivæ, Hurtado, aliorumque Commentarios legerit, nonne perſpiciet, ad damnatas propoſitiones non ſemel eas exceptiones, aut interpretationes apponi, quæ damnantis Eccleſiæ mentem prorſus eludunt? Earumdem vero principia, & legitima conſectaria nonne multa in omnibus fere recentium Probabiliſtarum libris occurrunt, etſi una cum damnatis propoſitionibus damnata fuiſſe inferendum omnino ſit? Hæc omnia ſcire putatur Eccleſia: quid inde? Colligendum ne ergo, doctrinas illas non ita jam ab Eccleſia improbatas, & exploſas, ut ab omnibus *falſæ*, & *improbabiles* habendæ ſint? Affirmare jure poſſumus om-

nes ſimul ea cenſura fuiſſe perſtrictas, qua Alexander VII. propoſitionem 27. perculit: *Si liber ſit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*. Si in ſingulas propoſitiones falſas ſpecialia ferenda eſſent Decreta, operoſiſſimum, & perarduum negotium imponeretur Eccleſiæ, quod forte nec ante Mundi finem conficeret. Poſtquam illa propoſitiones aliquas anathemate perculit, in recta filiorum ſuorum fide conquieſcit, puratque mentem ſuam ſinceris, & obſequentibus eſſe perſpectam, eaque a Decretis ſuis inferri, quæ inde naturaliter fluunt, ſingularium ſcilicet propoſitionum damnationem iis omnibus doctrinis communem eſſe, quæ aut cum iis intime conjunctæ ſunt, aut quarum eadem ratio eſt, cur damnatæ intelligantur; quod in Probabiliſmo locum habere contendo. Alias vero doctrinas nondum tametſi pravas, ac perniciosas, *expreſſe*, aut *implicite* condemnatas, ſed condemnatione dignas tum Eccleſia configet, quum vel ad ſe delatæ fuerint, vel ei per tempus, & magni momenti negotia licuerit in eas accuratius inquirere, vel demum quum ei viſum fuerit opportunum. Interim per Innocentium XI. palam, ut innuimus, teſtata eſt, non ſe *alias propoſitiones, ſibi quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare*. Hac de re legendum eſt inſigne Decretum D. Saporiti Archiepiſcopi Januenſis alibi a me relatum. Paulo fuſius in hac *Reflexione* immoratus ſum: quoniam audire mihi contigit, quoſdam Probabiliſtas fuiſſe, qui perlecto opere meo *de Reg. Prox. &c.* nihilque habentes, quod reponerent, huc confugerunt, ut ſe tuerentur, quod *Eccleſia nondum damnaverit Probabiliſmum*; & abſque hac damnatione nolle unquam a ſententia ſua recedere.

CAPUT VII.

Argumenta ex eo deducta, quod impoſſibile ſit, Probabiliſtam in actionibus ſuis de earum honeſtate moraliter certum eſſe.

I. *Quædam præmittuntur certa, & indubitata apud omnes.*

II. *Quid ad certitudinem judicii conſcientiæ Probabiliſtæ requirant.*

III. *Exponuntur principia* reflexa *Probabiliſtarum ad certitudinem judicii conſcientiæ requiſita.*

IV. *Generales quædam animadverſiones in* principia *Probabiliſtarum* reflexa, *quibus nedum incertitudo, ſed etiam futilitas ipſorum oſtenditur.*

V. *Examen primi principii reflexi Probabiliſtarum ex incertitudine legis deprompti. Ejus inſubſiſtentia demonſtratur.*

VI. *Alterum principium ex ignorantia invincibili ductum vanum prorſus eſſe convincitur.*

VII. Duo alia *principia Probabiliſtarum reflexa paucis confutantur.*

I. ARGUMENTUM hoc tum a Doctiſſimo Petro Ballerino in Opere inſcripto: *Moralium Actionum regula &c.*, tum a me ipſo copioſe tractatum eſt in duobus libris nuper editis adverſum D. Alphonſum Liguorium, quorum alter titulum habet: *Cauſa Probabiliſmi &c.*, alter *Obſervationes Theologicæ &c.* Quare opus non eſt, niſi quæ latius dicta ſunt, in pauca contrahere. Tria igitur præmitto certa apud omnes, & explorata. Primum quidem, ut honeſta ſit operatio, & a culpa immunis coram Deo, oportet, ut conſcientiæ judicium, quo proxime actio, aut omiſſio dirigitur, *ſaltem moraliter certum ſit*, & prudentem quamcunque de ejuſdem pravitate dubitationem exclu-

eludat ; in quo Probabiliſtæ omnes nobiſcum conveniunt. Secundo, ut hoc judicium *certum* ſit, oportet ut nitatur non probabilibus ſolum, aut aliqua ratione incertis principiis, ſed omnino firmis, nec ulli dubitationi obnoxiis. Si enim firma omnino non ſint, ſed incerta, aut etiam probabilia tantum, judicium *certum* parere nullatenus poſſunt: *Nequit enim*, inquit ipſe Bovina, *ex incerta propoſitione concluſio certa profluere*; idemque docent Cardenas, & cæteri Probabiliſtæ, & res ipſa evidens eſt ex regulis Dialecticæ. Tertio neceſſe eſt, ut judicium de principiis, & de *practica* concluſione, quæ ex iis ducitur, *certum prudenter* ſit, & ex ſincera veri diſquiſitione oriatur: neque enim a culpa purgare hominem apud Deum poteſt, ſi certitudo illa inducta fuerit ex negligentia, aut affectione, aut pertinacia, aut temeritate, aut alia hujuſmodi culpa: unde non excuſantur hæretici, & infideles, qui frequentius *certam* habent errorum ſuorum perſuaſionem. Nam juxta illam S. Thomæ indubitatam doctrinam, *ignorantia*, ſive *error*, *qui cauſatur ex culpa*, *non poteſt ſubſequentem culpam excuſare*.

II. Tria hæc in confeſſo ſunt apud omnes. Quomodo igitur conſiſtit, quod *judicium* conſcientiæ, quo immediate dirigitur actio, certum ſit juxta Probabiliſtas, ſi principia, ex quibus fluit, certa non ſunt, ſed *probabilia*, & aliquando etiam *minus probabilia*? Diſtinguunt ipſi duo illa principiorum genera, quæ jam notavimus; *directa* ſcilicet, quæ ſunt momenta rationis, vel authoritatis, quibus hæc, vel illa ſententia confirmatur, ejuſque veritas, aut falſitas oſtenditur: & hæc fatentur eſſe juxta eorum ſententiam ſolum *probabilia*, & etiam *minus probabilia*, adeoque ſatis non eſſe, ut judicium conſcientiæ *certum* ſit; & qui hæc ſola in agendo ſequeretur, ſe exponeret *probabili periculo* peccandi, & *peccaret*. Alia igitur ſunt principia, ad quæ confugiunt, ut firmum, certumque ſit conſcientiæ judicium, adeoque operans a peccato excuſetur; nempe *reflexa*, quæ ideo ponunt eſſe *certiſſima*, ex quibus illud judicium certitudinem haurit. Quare ſi hæc quoque principia *reflexa certa non ſint*, quamvis etiam *probabilia* forent, non ſufficiunt, ut quis etiam juxta ipſos in agendo non peccet, totuſque corruit Probabiliſmus.

III. Quænam porro ſunt hæc principia *reflexa*, quæ a Probabiliſtis recentioribus *certa* præſumuntur? Potiſſima hæc ſunt. Primum, illudque præcipuum, hoc eſt: *Quoties utrinque probabiliter diſputatur, an lex exiſtat, quæ aliquid aut præcipiat, aut vetet, lex non eſt promulgata, ideoque lex non eſt, quæ obliget: nam ad rationem legis promulgatio requiritur*. Secundum: *Quoties poſita in lege invenienda diligentia, perſpicue lex non cognoſcitur, ſed utrumque probabile ſit, legis ignorantia invincibilis eſt, adeoque a culpa excuſatur*. Tertium: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis: ſeu ex duabus probabilibus opinionibus integrum eſt homini eligere, quam mavult*. Poſtremum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit, adeoque non peccat*. Quatuor hæc principia, quæ ſunt moderni Probabiliſmi fundamentum, certiſſima ſunt apud Probabiliſtas, & eſſe debent; alioquin totum eorum ſyſtema non ſubſiſtit, nec excuſatur a culpa, qui, dum agit, ea tanquam certa non habet, etiamſi *probabilia* crederet, quia careret certitudine neceſſaria ad ultimum conſcientiæ dictamen; nihil enim aliud eidem ſupereſſet ad habendam neceſſariam certitudinem. Quapropter fictitiam eſſe hanc certitudinem, quam tribuunt iis principiis, oſtendamus oportet, nulloque ſolido fundamento ſubnixam. Neque vero ad id demonſtrandum opus eſt certis, & omnino evidentibus argumentis: nam *probabilia* etiam ſatis ſunt: nec enim poteſt nulli-

piam

Digitized by Google

piam *certum* eſſe, cui, quod opponitur, eſt *probabile*, ut & ipſi conſentiunt. Quæ ego præmitto, non momentorum, quæ producturus ſum, certitudini, & evidentiæ diffidens, ſed ut intelligant Adverſarii, *reflexorum principiorum*, quam jactant, certitudinem, ſatis disjectum iri, etſi momenta, quibus appetuntur, *probabilia* duntaxat haberentur. Multus in hoc non ero: ſpero etenim fore, ut paucis animadverſionibus id ſatis ſuperque efficiam, quod contendo. Qui plura cupit, adeat laudatos libros, aliosque, qui principia illa excuſſerunt.

§. I.

Generales aliquæ animadverſiones, quibus quatuor illorum, quæ Probabiliſtæ reflexa dicunt, principiorum vanitas evincitur.

IV. Generalia, quæ ad futilitatem *principiorum reflexorum* Probabiliſtarum oſtendendam argumenta ſuppetunt, hæc ſunt. 1. Jactata illorum principiorum certitudo locum habere nequit, niſi Probabiliſtæ prius demonſtraverint, rationum momenta, queis Probabiliſticum ſyſtema oppugnatur, non ſolum *certa* non eſſe, ſed neque *probabilia*, adeoque rejicienda ceu falſa, vana, & ad intentum prorſus inepta; quod hucuſque non præſtiterunt, nec unquam, ut pro certo habeo, præſtituri ſunt. Unde non ſufficit quævis ad ea reſponſio, ſed talis ſit oportet, quæ illa de omni probabilitate dejiciat, & *improbabilia* manifeſtet.

2. Hujuſmodi *reflexa principia* minime nota ſunt, atque comperta omnibus tum peritis, tum imperitis, ſive æque doctis, & indoctis *ex ipſo naturæ lumine*, prout eſſe deberent, ut quilibet poſſet ex ipſis rectum formare conſcientiæ dictamen. Sicut enim animadvertit Bovius Probabiliſta: *Neceſſarium omnino eſt, ut nulli deſit rectus modus ſuos dirigendi, & ad rectam ſibi efformandam conſcientiam*. Profecto ſi rudes, & imperiti interrogentur, quam regulam in dubiis a natura ſibi præſcriptam agnoſcant, reſpondebunt, nullam aliam agnoſcere, &, ſi probi, & honeſti ſint, ſectari, quam *in dubiis ſibi eligendam partem tutiorem*; ea vero, quæ a Probabiliſtis obtruduntur, ignorare penitus.

3. Horum principiorum nec vola, nec veſtigium ullum apparet in Sacris Eccleſiæ Canonibus, ubi ſolum illa invenitur regula: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: nec apud Sanctos Patres, nec apud Theologos omnes, qui elapſum proxime ſæculum præceſſere, ulla de ipſis mentio facta eſt. Fieri autem minime potuiſſet, quin illa principia, ſi nedum *certiſſima*, ut volunt, eſſent, ſed etiam duntaxat *probabilia*, in aliquorum ſaltem mentem veniſſent, aut eorum meminiſſent, dum dubias præ manibus morales quæſtiones habebant: quemadmodum meminerunt, pro ſola tamen materia Juſtitiæ, illius regulæ, quæ habetur in jure Civili: *Melior eſt conditio poſſidentis*.

4. Probabiliſtæ conſentiunt, nullam ſententiam judicari poſſe *moraliter certam*, niſi communis Doctorum judicium in ea ita judicanda conveniat. Quare, ſi id affirment alii, alii vero æque graves Doctores negent, non ſolum docent illi, ſententiam non eſſe *moraliter certam*, neque *certo probabilem*, ſed ut ſummum *probabiliter probabilem*, ut patet ex Lacroixio *p. 1. n. 125.* id expreſſe affirmante. Cum igitur principia illa *reflexa* Antiprobabiliſtæ omnes nedum negent eſſe *moraliter certa*, ſed neque ſolidam ullam ipſis probabilitatem concedant; quidquid dicant in oppoſitum Probabiliſtæ, nunquam erunt *moraliter certa*, adeoque nec regula judicii conſcientiæ, quæ *certa moraliter* eſſe debet.

§. Tan-

5. Tandem, etſi quatuor a Probabiliſtis adducta *reflexa principia* formandi judicii certi conſcientiæ aſſignentur, ad primum tamen demum omnia rediguntur, cum quo ſunt neceſſario connexa, &, quo ſublato, ſtatim corruunt. Hoc diſerte probavit Camargus *p.* 1. *lib.* 1. *Contr.* 6. idemque ex doctrina Lacroixii *n.* 312. ſatis aperte colligitur. *Judicium reflexum*, inquit, *ſic dicit, quamvis ſit, & maneat tantum probabile, quod pingere in die feſto ſit illicitum, tamen, quia eſt etiam probabile, eſſe licitum,* " lex prohibens pingere non eſt „ certa, nec nobis ſatis promulgata (*en* „ *primum*]: hinc eam invincibiliter igno„ ro (*en ſecundum*): & ideo contra eam „ poſſidet libertas mea &c. (*en tertium*): „ ergo hic & nunc prudenter judico, li„ cere pingere, quod eſt *quartum* ". Quare cum tria hæc ultima *principia* a primo pendeant, nec ſine illo conſiſtere queant, idcirco illud paulo accuratius refellam.

§. II.

Ad examen vocatur primum, ac præcipuum reflexum *principium Probabiliſtarum.*

V. Primum itaque, ac præcipuum *reflexum* Probabiliſtarum principium, quo in dubiis ſe determinant ad formandum dictamen *certum conſcientiæ*, adeoque & hoc ipſum certum, ac certiſſimum præſumunt, ita proponitur a P. Terillo, qui prior ejus inventor merito haberi poteſt: *Nulla lex obligat, niſi ſit ſufficienter promulgata: at, quoties adſunt rationes probabiliter fundantes, partem minus tutam eſſe licitam; lex præcipiens partem tutiorem, non eſt ſufficienter promulgata: ergo neminem obligat.* Hinc P. Segneri, cui adhæret Liguorius, ac cæteri communiter: *Quum eſt*, inquit, *inter Doctores concertatio, an lex extet, utut ſit illa probabilis, non eſt lex, cum ſatis promulgata non ſit. Regeret aliquis, legem dubiam eſſe. At legem dubiam quis dixerit eſſe legem? Quamdiu controverſa eſt, nondum eſt lex, ſed opinio: ſi opinio, eligat quilibet, quod maluerit.* Hæc itaque hujuſce principii ſumma: *Lex dubia non eſt lex: quia non ſatis promulgata*, ſicuti requiritur, ut *legis* rationem obtineat.

Ut quiſque clare percipiat, hoc Probabiliſtarum principium non ſolum non eſſe *certum*, ſed potius frivolum, & ineptum, diſtinguamus oportet notitiam legis a promulgatione legis tum poſitivæ, tum naturalis. Et quidem promulgatio proprie dicta requiritur, ut lex omnis vim legis obtineat, & obliget ſubditos; non autem notitia legis, ut conveniunt omnes, & convenire prorſus debent etiam Probabiliſtæ. Hinc ſi loquamur de promulgatione legis poſitivæ humanæ, ſatis eſt, ut a Principe fiat aliquo ſigno externo publico, ſive affigendo legem ſcriptam in publico loco &c. & hoc poſito jam lex in ratione legis completa eſt, & ex ſe vim habet obligandi ſubditos: atque hoc etiam requiritur, & ſatis eſt pro lege divina poſitiva. Notitia autem legis relate ad omnes neceſſaria non eſt ad legis eſſentiam; *Alias enim*, ut bene ait modernus Probabiliſta Raslerius, *ſi ad eſſentiam legis requireretur, ut Legislatoris voluntas a ſubditis omnibus cognoſceretur, leges pleraque vel omnino nunquam, vel nonniſi tardiſſime in ratione legis complerentur, nec moraliter ſciri poſſet, quando eſſent completæ; eo quod in majoribus præcipue Communitatibus pleræque vel omnino nunquam, vel nonniſi poſt longum temporis lapſum in ſubditorum ſingulorum notitiam actualem devenirent, & ex accidenti facile poſſit hoc in multis impediri, nec moraliter conſtare queat, quando tandem omnibus, ac ſingulis innotuerint.*

Itaque leges poſitivæ humanæ, ut proprie leges ſint, non eſt opus, ut omnibus innoteſcant, ſed ſufficit earum promulgatio facta a Principe Communitatis ex-

externo

eterno , & publico ſigno , quo fieri conſuevit . Similiter & leges poſitivæ divinæ exigunt quidem externam denuntiationem publice factam , ut complectantur in ratione legis ; ſed non requirunt , ut ad notitiam cujuſque devenerint , atque omnes eas cognoſcant . Ita lex vetus publice promulgata eſt in Monte Sinai , & lex nova in ſolemni die Pentecoſtes . Quod ſi ſermo ſit de lege naturali , hujus *promulgatio* , ut docet S. Thomas , & cum eo Theologi, *facta eſt ex hoc ipſo , quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam* in ipſa animæ creatione , ut alibi inſinuat idem S. Doctor , & exponunt ejus Interpretes : unde ſemper hæc hominibus ſatis promulgata eſt , & in ratione legis conſtituta : immo nulla lex alia eſt , quæ ſit magis promulgata , adeoque veræ legis rationem obtineat & obligationem inducat, quam lex naturalis . Quapropter baſilice falluntur omnes Probabiliſtæ , dum aſſerunt legem , circa quam dubia contingunt, aut diſſenſiones inter Theologos utrinque probabiliter de lege diſputantes , non eſſe ſufficienter promulgatam : hoc enim falſiſſimum eſt . Solum quippe dubiatio verſatur circa caſus ad legem pertinentes , non autem circa ipſam legis exiſtentiam , quæ jam completa ſupponitur in ratione legis de ſe obligantis . Hoc amplius explicare neceſſarium duco ad æquivocationem Adverſariorum de medio tollendam , qua miſere falluntur ipſi , falluntque alios . En igitur.

Quoties inter Theologos diverſitas opinionum probabilium eſt , an hæc , vel illa actio , aut omiſſio licita , aut honeſta ſit, quid , proprie loquendo , *dubium* , aut incertum eſt ? Num forte lex ipſa , v. gr. *Non occides* , *non furtum facies* , *non falſum teſtimonium dices* &c. ? Minime profecto . Immo hæc certa ſupponitur , ac ſatis promulgata , proindeque obligatoria . Quod ſub controverſia , ac dubitatione cadit , caſus ſpectat , & actiones peculiares : nam lex loquitur in communi , nec exprimit caſus omnes , qui ad illam poſſunt pertinere . Dubium igitur ſolum eſt , an hic , vel ille caſus , hæc , vel illa actio circumſtantias, aut qualitates , ſive characteres habeat , ob quas legi adverſetur , nec ne . Qui defendunt partem affirmativam , conantur oſtendere , in eo caſu , aut actione tales occurrere circumſtantias &c. ratione quarum legi opponatur . Qui tuentur negativam , probare ſatagunt eas non occurrere , adeoque actionem legi non opponi , & eſſe licitam . Unde tota controverſia , & dubitatio eſt de caſu , aut actione particulari, non autem de lege , quæ ab utraque parte ſupponitur exiſtere . Sic , ut exemplo rem magis declarem , controverſia eſt inter Theologos , num contractus , quem *triplicem* vocant , *licitus* ſit , an *illicitus* . Omnes in hoc conveniunt , exiſtere , ſatiſque promulgatam eſſe legem , quæ prohibet *injuſtitiam* . Quare conveniunt etiam contractum , ſi huic legi opponatur , eſſe *illicitum* , nec celebrari poſſe citra peccatum . Quid ergo in diſputatione eſt ? Non aliud plane , niſi , an in hoc triplici contractu inveniantur eæ qualitates , aut characteres , quibus *juſtitiæ* legi adverſetur , aliis affirmantibus , aliis negantibus ; ſed in hoc omnibus convenientibus , quod, ſi illæ inveniantur , jam illicitus ſit , & peccaminoſus : Idemque dicas de innumeris aliis caſibus , & actionibus . Unde nunquam dubia lex eſt , aut non ſatis promulgata, ſed ſemper certa : adeoque in auras abit totum , illudque præcipuum *principium reflexum* Probabiliſtarum ex incertitudine legis derivatum , neque ullam non dicam jam *certitudinem* , ſed neque *probabilitatem* communicare poteſt judicio conſcientiæ , quo actio dirigitur .

Præter hæc , ſeptem abſurda graviſſima , ac prorſus intoleranda deduxi in *Cauſa Pro-*

babi-

Digitized by Google

babiliſmi &c. adverſus Liguorium, & in *Obſervationibus* &c. vindicavi ab ejuſdem vaniſſimis cavillis, ita ut *ſeptem Demonſtrationum* loco jam habitæ ſint a vitiis doctis, quæ ibi, ſi lubet, legi poſſunt: ſed hic brevitati conſulens ab iis afferendis abſtineo. Et pauca curſim duntaxat adjungam circa alia *principia reflexa*, quæ minoris momenti ſunt, &, ut vidimus ex Lacroixio, ab eo, quod excuſſimus, omnino dependent; adeoque eo proſtrato alia quoque ſimul cum ipſo corruant neceſſe eſt.

§. III.

Tria alia Probabiliſtarum reflexa principia breviter refutantur.

VI. Secundum principium Probabiliſtarum *reflexum* in hoc conſiſtit, quod, dum probabiles utrinque ſunt opiniones, tunc detur ignorantia legis invincibilis, quæ excuſat a peccato: quia tunc operans non habet certam, & evidentem legis cognitionem. Ut hujus principii vanitatem oſtendam, ponamus exemplum alicujus, qui vult inire contractum, de quo perpenſa ratione, & authoritate, putat quidem eſſe licitum; ſed ſimul ex ratione, & authoritate, etiam graviore dubitat eſſe illicitum. Docent Probabiliſtæ, in eo caſu ipſum laborare ignorantia legis *invincibili*. At quis, amabo, hanc concipiat ignorantiæ *invincibilis* notionem, penitus ignotam & Eccleſiæ Patribus, & antiquis omnibus Theologis? Nonne ignorantia ex ſuo eſſentiali conceptu privatio cognitionis eſt? Qui igitur fieri poteſt, ut dicatur ille cognitione legis *privatus*, qui cognoſcit *probabile* eſſe, quin & *probabilius*, quod legem tranſgrediatur uſuram vetantem, dum contractum celebrat? Caret, inquiunt, non cognitione *probabili*, immo & *probabiliori* exiſtentiæ legis, ſed cognitione *certa*, & *evidenti*, quæ cum probabilitate contrariæ opinionis non conſiſtit. Egregie. At quomodo probas, cognitionem *certam*, & *evidentem legis* requiri, ut ignorantia abſolute ſit *invincibilis*? Nonne Theologi omnes ad ignorantiam invincibilem exigunt, ne operans ullam habeat ſuſpicionem, aut dubitationem peccandi? At quomodo ſuſpicionem, aut dubitationem peccandi non habet, qui habet Probabilitatem, & etiam probabilitatem majorem peccati ſui? Si in concurſu opinionum probabilium non habetur *certa*, & *evidens cognitio exiſtentiæ legis*, nonne habet operans *certam*, & *evidentem* cognitionem periculi, cui voluntarie ſemet exponit, violandi legem, quod poſſet vitare amplectendo opinionem tutam? Et hujuſmodi cognitio periculi nonne ſatis eſt, ne ignorantia dici queat *invincibilis*, & culpam incurrat? Qui hebetiori eſt oculorum acie, novitque, ſi viam hanc ingrediatur, ſe veroſimilius lapſurum in foveam, periculum ne unquam *invincibiliter* ignorare dicetur, quia illud *certo* non novit, nec foveam *perſpicue* videt? Venatorem, cui poſt adhibitam diligentiam certo quidem non conſtat, hominem inter dumeta latere, ſolide tamen probabile eſt, ac etiam probabilius hominem ibi eſſe, non feram; quis *invincibili* dixerit ignorantia laborare, ſi emiſſo jaculo hominem ibi latitantem occidat, eo quod ejus cognitio probabilis quidem, & probabilior ſit, certa tamen omnino non fuerit? Qui plura cupit, Opera citata adeat.

VII. Æque falſum, & improbabile eſt ad intentum Probabiliſtarum tertium illud principium *reflexum*: *Melior eſt conditio poſſidentis*, ad quod probandum Lacroixius cum aliis vitioſo plane circulo utitur, & in primum reſilit, inquiens n. 272. *Ratio, cur libertas ſit in poſſeſſione, hæc eſt, quia lex non eſt ſufficienter promulgata, vel applicata.* Optima

ſane ratio probandi veritatem hujus principii ex illo priore, quod falſum eſſe demonſtratum eſt. Cæterum hoc omiſſo adnotare ſufficiat, deſumptum eſſe hoc principium ex Jure Civili, a quo pro dirimendis litibus in materia juſtitiæ rectiſſime conſtitutum eſt: nam duobus de aliquo fundo litigantibus, ſi aliquis præter rationes æquales gaudeat etiam fundi poſſeſſione, hæc novum titulum præbet, cur ipſi potius, quam alteri adjudicari debeat. Sed quam perperam illud Probabiliſtæ extendant ad omnes materias conſcientiæ, vel hoc ſolo argumento oſtendi poteſt, quod illud juxta etiam propria principia habere nequeant tanquam *certum*, adeoque minime ſufficiens, ut certitudinem communicet dictamini conſcientiæ: quod ſic evinco. Nam cum opinio aliqua inter graves Authores utrinque controvertitur, & alii quidem eam defendunt, alii eam negant, ac falſam reputant, nunquam *certa* dicenda eſt, ſed ad ſummum *probabilis*. Porro omnes Antiprobabiliſtæ principium illud: *Melior eſt* &c. in iis duntaxat, quæ ad commutativam juſtitiam attinent, locum eſſe conſtituunt, ac probant; quin & ipſi Probabiliſtæ inter ſe ipſos diviſi ſunt. Siquidem Lacroixius *n.* 592. plures ex ipſis laudat, negantes extendi poſſe ad alias materias; & Honoratus Fabri *Dial.* 2. ſcribit: *Multi graviſſimi Authores extra materiam juſtitiæ nec præſumptionis, nec poſſeſſionis rationem habendam eſſe cenſent*, ut Vaſquez, Azorius, Perez, Saytus, Salas &c. Horum ergo *graviſſimorum*, qui Probabiliſtæ ſunt, Authorum opinio ſaltem *probabilis* erit, Quod ſi *probabilis*, non ergo *certum* huic principio locum eſſe extra limites juſtitiæ, adeoque, cum *certitudine* deſtitutum ſit hocce *principium reflexum*, ſufficiens non eſt ad judicium *certum* conſcientiæ.

Ulterius, ſi principium illud: *Melior eſt* &c. univerſim etiam valere concedamus, legi potius favere deberet, quam libertati humanæ. Quandoquidem jam animadvertimus, controverſias, quæ de rebus moralibus ſunt inter Theologos, non eſſe de legis exiſtentia, quæ ſupponitur, & communiter adeſſe cognoſcitur; ſed de ſingularibus caſibus, & actionibus, num ſcilicet in iis tales circumſtantiæ, aut characteres inveniantur, qui legi conformes ſint, aut diſſentanei: atque adeo cum lex in poſſeſſione ſit, principium illud favere ipſi potius deberet, quam humanæ libertati. Adde, in legis favorem militare aliud principium *reflexum*, quod omnem anteverrit libertatem hominis, & ab ipſa natura proſiſcitur, nempe: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*; quibus, aliiſque momentis permotus recens Probabiliſta Raſlerius præfatum principium nedum incertum, ſed neque *probabile* eſſe affirmavit.

De quarto, & ultimo principio Probabiliſtarum reflexo: *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, ne verbum quidem dicam. Quæ enim prudentia eſſe poteſt, in concurſu duarum opinionum eam amplecti, quæ minus probabilis eſt, minuſque tuta, ea poſthabita, quæ & tutior eſt, & probabilior? Videantur, quæ jam de hac re dicta ſunt ſupra. En quomodo Probabiliſtæ judicium conſcientiæ fidunt principiis *reflexis*, quæ, cum deberent eſſe *certiſſima*, ne *probabilia* quidem ſunt.

CAPUT VIII.

Argumenta adverſus Probabiliſmum ex authoritate deprompta ſummatim expediuntur.

I. *Primum argumentum ex novitate Probabiliſmi in Eccleſiam invecti.*

II. *Teſtimonia Theologorum etiam Probabiliſtarum Probabiliſmum novum eſſe in Eccleſia opinandi ſyſtema aſſerentium.*

III. *Alterum argumentum: Veterum doctrina eo ipſo tempore viguit, quo elapſo ſeculo novi-*

novitium ſyſtema inter privatos Theologos dominium uſurpavit.

IV. *Sententia V. Cardinalis Bellarmini ſpecialiter expenſa.*

V. *Tertium argumentum ex generali conſpiratione Eccleſiæ adverſus Probabiliſmum ſtatim ac, quid reapſe foret, manifeſte innotuit.*

VI. *Zelus Parochorum Galliæ adverſus hoc ſyſtema inſurgentium.*

VII. *Argumentum quartum ex Decretis, & legibus plurium Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum contra Probabiliſmum editis.*

VIII. *Expenditur peculiare Decretum Cleri Gallicani* an. 1700. *qui Probabiliſmum damnavit, & a Galliarum Regno proſcripſit.*

IX. *Praecedens argumentum confirmatur authoritate aliorum Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Orbis Chriſtiani.*

X. *Quintum argumentum ex Eccleſiæ Romanæ, Summorumque Pontificum in ſyſtemate Probabiliſtico improbando conſenſione.*

XI. *Verba Decreti Summi Pontificis Alexandri VII. perpenduntur.*

XII. *Cura, & ſolicitudo Innocentii XI. in exterminando Probabiliſmo.*

XIII. *Quid egerit adverſus ipſum Innocentius XII. & Clemens XI.*

XIV. *Quid in Concilio Romano ſub Benedicto XIII. ſtatutum ſit.*

XV. *Benedicti XIV. Encyclicæ litteræ, in quibus improbatur novus opinandi modus.*

XVI. *Poſtremum argumentum ex authoritate privatorum Theologorum. Oſtenditur, Theologos adverſantes Probabiliſmo numero, & authoritate longe praecellere.*

PLURA hactenus adverſum ſyſtema Probabiliſticum argumenta propoſui, ex rationibus Theologicis præſertim deprompta. At plura etiam promenda ſuperſunt, & illa quidem graviſſima, ex authoritate tum Eccleſiæ, & Doctorum ejus, tum Summorum Pontificum, & Epiſcoporum, tum etiam Theologorum recentiorum, de quibus omnibus fuſe in meo Tractatu *de Regula Proxima* &c. integra tertia parte ejuſdem diſſerui. Verum ne prolixior ſim, ea hic compendio colligam, Lectorem remittens ad hunc Tractatum, ſi eadem penitus diſcuſſa, multiſque comprobata legere cupiat. Ut autem clarior fiat vis, & efficacia argumentorum, quæ ex his petuntur, quæ dicturus ſum, quibuſdam fere ſyllogiſmis complector, & exordium duco ex argumento, quo veluti viam ſterno ad cetera omnia, quæ proferenda ſunt. Sit itaque

§. I.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex novitate Probabiliſmi in Eccleſiam invecti.

I. Principium eſt apud Theologos receptiſſimum: *Quæcunque doctrina vel dogmata fidei, vel regulas morum reſpiciens, noviter in Eccleſiam invecta, tamquam certo falſa, & erronea dicenda eſt. Atqui ſyſtema Probabiliſticum morum regula eſt recentiſſime in Eccleſiam invecta. Ergo tanquam falſum, & erroneum certo eſt habendum.*

Prima propoſitio ex Theologiæ principiis conſtat: ratum ſiquidem, firmumque ſemper fuit penes Eccleſiæ Doctores hoc axioma: *Quidquid in doctrinis ad fidem, aut mores ſpectantibus novum eſt, ex certa traditione error certiſſimus eſt.* Neque enim, ut fatentur omnes, ad hoc requiritur Decretum aliquod vel Concilii Œcumenici, vel Summorum Pontificum. Unde ſolum ad axiomatis intelligentiam notabimus, ſermonem hic non eſſe de regulis meram diſciplinam Eccleſiæ ſpectantibus, quas mutationi obnoxias omnes conſentiunt, ſicut nec de privatis opinionibus hunc, vel illum caſum reſpicientibus

Bbbb 2

Digitized by Google

bus: quippe quæ ſive inſpectis circumſtantiis, ſive novis obſervationibus ſupervenientibus mutationem, aut novitatem patiuntur; ſed de regulis & quidem generalibus Chriſtianos mores dirigentibus, quæ & immutabiles habentur, & ſemper in Eccleſia habitæ fuerunt, & intactæ uſque ad conſummationem ſæculi juxta Chriſti promiſſiones cuſtodiendæ ſunt.

Solum igitur minorem propoſitionem, ut arbitror, negabunt Probabiliſtæ; videlicet *Probabiliſticum ſyſtema regulam morum continere recenter in Eccleſiam invectam*. At hanc & Patrum teſtimoniis oſtendimus, & Doctoris Angelici clariſſimis documentis adverſus Liguorium, & hic duplici argumento confirmamus. Primum a pluribus, qui data opera Patrum traditionem perſecuti ſunt, & noviſſime a Viro nunquam ſine laude nominando Epiſcopo Boſſueto comprobatum, ita proponitur. Non aliam ab omnibus retro Eccleſiæ ſæculis venerabilis antiquitas agnovit, docuit, cuſtodivit in rebus dubiis, ſive quæſtionibus maxime utrinque probabilibus regulam præter illam, quæ directe doctrinæ Probabiliſtarum adverſatur; nimirum: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Hanc, aut æquivalentem profecto adſtruunt Sacri Canones, perpetua traditio fidelium, Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum doctrina. Probabiliſtarum e contra *principia reflexa* ad ſe tuto determinandum in dubiis de honeſtate, & pravitate actionum ignoravit ſemper Eccleſia, nec illorum veſtigium, aut umbram reperire eſt vel apud Patres, vel in Conciliis, vel in tota Sacra Antiquitate. *Ex eo* (ita ratiocinatur Clariſſimus Præſul Boſſuetus, veſtigia premens celeberrimi Viri Thyrſi Gonzalez), *quod nulla mentio hujus doctrinæ de licito uſu opinionis minus tutæ in occurſu tutioris, & operanti ipſi probabilioris apud Patres reperiatur, neque a Sacris Scholaſticis, qui a Patribus ſuam doctrinam acceperant* &c. *conficitur manifeſte, illam eſſe novam, & in Eccleſia ignotam uſque ad finem XVI. ſæculi. Hinc autem elicitur, illam eſſe falſam: quia incredibile eſt, Deum per tot ſæcula occultaſſe omnibus antiquis Theologis doctrinam veram adeo proficuam ad facilitandam Cæli viam; & permiſiſſe, ut omnes priſci Theologi, qui hoc punctum attigerunt, per tot ſæcula erraſſent*.

II. Alterum argumentum, quod idem amplius confirmat, ſumitur ex teſtimonio celebriorum, & doctiorum Theologorum, tum qui *Probabilioriſtæ* dicuntur, tum qui *Probabiliſtæ*. Ex prioribus præter duos mox laudatos Boſſuetum, & Gonzalez, teſtes habemus eximios duos Cardinales de Aguirre, & de Laurea; deinde Proſperum Fagnanum, Stephanum Gradium Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, Antonium Cordubenſem, Chriſtophorum a S. Joſeph, Philippum Fabri, Ægidium, Eſtrix, Antonium Mariam Corazium, & plurimos alios, qui hac de re vel obiter, vel ex inſtituto ſcripſere. Ex poſterioribus vero, ſcilicet *Probabiliſtis*, ſpontaneam habemus, & ingenuam antiquiorum, & celebriorum confeſſionem. Nullus enim omnino eſt, qui probabiliſticæ ſententiæ epocham ante ſæculum decimum ſextum deſignet, nec alium adſtruat illius Authorem, aut Doctorem ante Medinam, vel, ſi lubet etiam, ante ejuſdem ſæculi puriſſimos Theologos. Teſtimonia recitavi Gabrielis Vaſquez, Lopez, Azorii, Leſſii, Thomæ Sanchez, Peſantii, Dianæ, Amici, Oviedi, Joan. Sanchez, Filliucii, Laymani, Caſtropalai, & aliorum, qui hoc candide, & aperte teſtantur, nec ullum eſt invenire, qui vel negaverit, vel in dubium revocaverit, niſi poſtquam recentiores animadverterunt hocce ſyſtema ab omnibus impugnari hoc ex capite, quod *novum contineret opinandi modum toti retro venerabili antiquitati ignotum*. Hoc notarunt plures ex noſtratibus, ac præſertim Doctus Palanco, qui ſic *Tract. de Conſcient. q. 29. art. 4.* ſcribit: " Antequam in-

„ inſurgerent Theologi RR. qui Probabiliſmo noviter invecto bellum indicerent, uſus non erat Probabiliſtis pro ſua ſententia Theologos , aut Summiſtas antiquos allegare : immo contra ſuam ſententiam de minori probabilitate ſequenda in conſpectu probabilioris contradicentis ingenue citabant S. Antoninum , Sylveſtrum , Cajetanum , Conradum , Cordubam , Adrianum , Armillam, Sotum , Navarrum , Gabrielem , Majorem , Comitolum , & alios. At poſtquam Deo , ut exiſtimo , inſpirante , cœperunt noſtri Sæculi Theologi vehementius invehi *in illam novitatem* , antiquorum Theologorum authoritatem contra magnum Caſuiſtarum numerum , & RR. Theologorum in dies exſurgentium catalogum in ſubſidium ſibi adſciſcere , *videntes Probabiliſtæ , novitatem jure debere antiquitati cedere* , cœperunt contentioſe antiquitatem nobilem Theologorum in ſui favorem compellare : factumque eſt , ut Authores , quos antea ingenue pro noſtra ſententia citabant , impoſterum pro ſua jam contra noſtram militare contendant . At quis cordatus , & prudens non contemnat hoſce inutiles conatus aliquorum recentiorum , quum aperte perſpiciat doctiores , & accuratiores Probabiliſtas antiquiores nec ullum allegaſſe Authorem , ſcribentem ante Sæculum XVI. ſuæ ſententiæ faventem , immo ingenue omnes pro adverſa ſententia laudaſſe?

§. II.

Veterum doctrina eo ipſo tempore viguit , quo novitium ſyſtema magis inter plures privatos Theologos dominatum eſt .

III. Ut vanam jactantiam retunderem Probabiliſtarum , qui ſibi nimium confidenter arrogant , ſyſtema ſuum integro ſæculo pacifice regnaſſe in tota Eccleſia , *in omnibus Univerſitatibus , Scholis , & penes omnes Epiſcopos , ac Theologos* , ut ait Ghetius ; tres *in majori* opere diſtinxi Probabiliſticæ ſententiæ ſtatus , quos obtinuit , ab anno nempe 1577. quo in lucem prodiit , uſque ad annum circiter 1620. ; alterum ab hoc anno ad uſque 1656. ; tertium denique , qui ab eo anno ad noſtra uſque tempora protenditur . In hoc poſtremo certiſſimum eſt , nemoque jure inficias iverit , magnos Probabiliſmum nactum eſſe , & acerrimos hoſtes , atque oppugnatores, qui ipſi bellum indixerunt , totque inflixere lethalia vulnera , ut jam omnino confectus eſſet , niſi quidam in ſuo ſenſu nimium obfirmati adhuc illum ſuſtinerent . In duplici vero alio ſtatu jam oſtendi , probabiliſticam doctrinam per triginta annos, & ſupra ignotam in Eccleſia latuiſſe, aut vix cognitam apud aliquos fuiſſe ; ab anno vero 1620. uſque ad 1656. non modicos feciſſe in Scholis progreſſus , & in libris multorum Scriptorum traditam frequentius eſſe . Verum in toto hujuſce temporis intervallo nunquam obtinuit , ut ad ſe traheret communem ſive Scholarum , ſive Confeſſariorum , ſive Paſtorum animarum conſenſum , multoque minus Epiſcoporum , & Summorum Pontificum , ſine quorum approbatione nulla unquam opinio , ſive doctrina dici poteſt doctrina Eccleſiæ . Hinc etiam oſtendi , nullum ex Epiſcopis hactenus allegari potuiſſe , qui *ut Paſtor , & Doctor ſui gregis* , ſive in aliqua publica Paſtorali *Inſtructione*, novi ſyſtematis regulam populo ſibi commiſſo tradiderit : immo ex illorum temporum , quæ adhuc perdurant , monumentis , aperte colligitur , omnes conſtanter antiquæ adhæſiſſe doctrinæ , quam ſemper docuerunt , quoties populum inſtruebant .

Ex hac veritate , quæ pluribus oſtenſa eſt, liceat argumentum mihi conficere contra Probabiliſmum, & hoc ſyllogiſmo concludere : *Illa humanarum actionum regula falſa omnino , & Evangelio contraria habenda eſt , quam nun-*

quam

quam amplexati ſunt, aut docuerunt ex officio ſuo Eccleſiæ Paſtores, eo etiam tempore, quo maxime apud privatos Theologos invaluerat. Hujuſmodi eſt regula, ſeu doctrina Probabiliſmi: ergo ceu falſa, & Evangelio contraria habenda eſt.

In majori propoſitione admittenda nulla occurrere poteſt difficultas: quandoquidem Sacri Præſules ii ſunt, qui Hierarchicum Eccleſiæ corpus conſtituunt, qui ſanæ doctrinæ depoſitum intactum, & intemeratum cuſtodiunt, quos *poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei*, ad dirigendos greſſus fidelium in viam ſalutis. Hinc quoties manifeſte conſtat, aut omnes, aut pleroſque in Synodis, in Concionibus, in Paſtoralibus Inſtructionibus unanimiter convenire in aliqua tradenda doctrina, hæc certo vera, ac ſana exiſtimanda eſt; præſertim ſi id agant, & præſtent, etiam quando norunt oppoſitam opinionem apud privatos Doctores, & Theologos vigere, & invaleſcere: quoniam hanc contemnendo, & negligendo, ſatis clare palam faciunt illam tamquam tutam minime habere, immo doctrinam credere doctrinæ Chriſti, & Eccleſiæ repugnantem.

At vero non minus certa minor propoſitio dicenda eſt, quam argumenta tum poſitiva, tum negativa plane efficaciſſima confirmant. Ut hoc manifeſtum fiat, animadvertendum primo eſt, Probabiliſtas nullum adhuc aſſignaſſe, ſed nec aſſignare poſſe Prælatum, aut Epiſcopum, qui *Doctoris*, & *Paſtoris* Eccleſiæ gerens officium, videlicet in aliqua Synodali Conſtitutione, aut Paſtorali Inſtructione, ſive Homilia, Decreto, Monito, ad ſuum Populum, Clerum, Miniſtros, ſeu Confeſſarios probabiliſticam docuerit ſententiam, aut doctrinam, ſive Probabiliſtarum *reflexa* principia, quæ ab illis ſtatuuntur, aut laudaverit, aut approbaverit. Quod & affirmandum de Univerſitatibus, Academiis, Scholiſque Catholicis: licet enim afferri poſſint etiam non pauci Theologi hujus, vel illius Univerſitatis, hujus, vel illius Scholæ, aut Academiæ ſectatores, qui probabiliſticum ſyſtema vel adoptarunt, vel propugnarunt; nullum tamen produci hactenus potuit totius Univerſitatis, vel Scholæ, aut Religioſi Cœtus Decretum, ſeu ſtatutum, quo Theologos ſuos vel hortentur, vel obſtringant ad Probabiliſmi viam conſectandam tanquam faciliorem ſimul, ac tutam ad ſalutem obtinendam.

Sed & præterea animadvertendum, quamplures extitiſſe clariſſimos Viros, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Doctores, qui ſub idem tempus, quo vel exordium cœpit, vel etiam inter privatos Theologos dominabatur Probabiliſtica doctrina, aliter docuerunt, & ad animarum regimen contrariam plane doctrinam tradidere, aut Probabiliſmum ipſum veluti falſam, ac perniciosam morum regulam rejecerunt. Hi vero ſunt Eminentiſſimus, ac Venerabilis Bellarminus in ſua ad Epiſcopum Theanenſem admonitoria Epiſtola, & duo Reverendiſſimi Societatis Jeſu Præpoſiti Generales Claudius Aquaviva, & Mutius Vitelleſchi in ſuis ad Societatis Religioſos Encyclicis Litteris, Cardinalis Bona in lib. *de principiis Vitæ Chriſtianæ*, S. Carolus Borromæus, S. Franciſcus Saleſius, Flaminius Filonardus Epiſcopus Aquinas, Gabriel Cardinalis Palæotus Archiepiſcopus Bononienſis, Aloyſius Molinus Epiſcopus Tarviſinus, Marcus Maurocenus ejuſdem Eccleſiæ Præſul, Marcus, & Georgius Cornelii Epiſcopi Patavini, Cyprianus Pavoni Epiſcopus Ariminenſis, Auguſtinus Priolus Epiſcopus Bergomenſis, Marinus Georgius Epiſcopus Brixienſis, Andreas Perbenedetti Epiſcopus Venuſinus, Ven. Joannes de Palafox Epiſcopus Angelopolitanus, Jacobus Boonem Archiep. Mechlinienſis &c. qui omnes qua Synodis, qua Decretis, qua Paſtoralibus litteris, & monitis oppoſitam Probabiliſmo doctrinam tradiderunt: quibus addendi ſunt tres illi Epiſcopi Hiſpani, quos Doctiſſimus Cardinalis de Agui-

guirre referr tunc temporis vehementer obtitiſſe graſſanti Probabiliſmo ; nec non quatuor alii Archiepiſcopi , ac duodecim Epiſcopi Galliarum , qui , reſte eodem Eminentiſſimo Cardinali , anno 1644. datis ad Urbanum VIII. efficaciſſimis litteris , efflagitarunt , ut pro ſuprema ſua authoritate ſtrenue laboraret , ne in Eccleſiam irrumperent laxitates , & corruptelæ , quas Probabiliſtarum doctrina jam invehere cœperat . Porro hi, aliique Epiſcopi novitias probabiliſtici ſyſtematis doctrinas exagitantes , non alia profecto regula utebantur in dubiis , & probabilibus caſibus præter illam , ſcilicet amplectendam , tenendamque ſententiam probabiliorem, atque tutiorem . Patet igitur maniſeſtiſſime Eccleſiæ ſpiritum , & doctrinam ſemper in Paſtoribus ſuis inconcuſſam perſtitiſſe, ſemperque Eccleſiam probabiliſticis principiis adverſatam eſſe , eo etiam tempore , quo probabiliſticum ſyſtema penes multos Theologos invaluerat .

IV. Ut hujuſce veritatis ſpecimen aliquod exhibeam , ſat erit teſtimonium afferre præfati Vener. Card. Bellarmini , quod vel ſolum ad omnem dirimendam controverſiam ſufficere poſſet . Hic in ea celebri admonitione ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem , poſt allatas in calce Præfationis ſolidiſſimas ſententias *SS.* Joan. Chryſoſtomi, & Auguſtini , hiſce verbis vere auro , cedroque dignis concludit : *Quare ſi quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare , & ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi , is omnino debet de novem controverſiis certam veritatem inquirere. & non reſpicere , quid multi hoc tempore dicant , vel faciant : & , ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere , debet omnino* [N. B.] *tutiorem partem ſequi , & nulla ratione , nullius imperio , nulla utilitate temporali propoſita , ad minus tutam partem declinare . Agitur enim de ſumma rei , cum de ſalute æterna tractatur , & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere : & eo modo , conſcientia non remordente , ad eum locum deſcendere , ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur .*

Hæc piiſſimi ſimul ; & doctiſſimi Cardinalis verba lucida adeo ſunt , & ſplendida , ac ſi ipſius Solis radiis deſcripta fuiſſent . Diſertiſſime edicit cuicunque ſerio cupienti *in tuto ſalutem ſuam collocare* , & ut in illis novem controverſiis, de quibus interrogatus Nepotem ſuum edocebat , & in aliis omnibus (nam de omnibus eadem prorſus eſt ratio) ſollicito ſtudio unice inquirat *veritatem certam* ſaltem moraliter ; nec acquieſcat iis , qui aliter docent , ſeu qui probabilitatem ad verum , & falſum indifferentem poſſe nos licite ſequi aſſerunt : urgetque , cum *veritas certe non apparet* , ut tunc ſolam *tutiorem partem* ſequamur , & *nulla ratione* ad partem *minus tutam* declinemus ; nec reſpiciamus , *quid multi hoc tempore dicant , vel faciant* ; nempe qui docent , aut ſectantur probabiles opiniones *minus tutas* : facillimum quippe eſt ex aliorum doctrina , aut exemplo *erroneam conſcientiam induere* ; atque ita etiam *ſine conſcientiæ remorſu* in ſempiternam damnationem deſcendere . Hoc monitum piiſſimi Cardinalis ſcriptum , datumque fuit , ut ex Præfatione colligitur , poſt annum 1615. quum nempe jam in Theologorum libris adverſa Probabiliſtarum ſententia cœperat diſſeminari ; ideoque conſulto notatum voluit , *non eſſe reſpiciendum , quid multi hoc tempore dicant , aut faciant* . Teſtimonium hoc adeo luculentum viſum eſt cuidam moderno Probabiliſtæ , ut non aliam adverſus illud exceptionem adhibere auſus ſit , niſi dicendo , Bellarminum *Tutioriſtam* fuiſſe : quod quidem verum eſt , ſi de *Tutioriſmo* intelligatur, non ab Eccleſia proſcripto , ſed quod omnes Antiprobabiliſtæ docent , in concurſu nempe duarum opinionum probabilium , præeligendam eſſe *tutiorem* .

§. XI.

Digitized by Google

§. III.

Tertium Argumentum

Adverſus Probabiliſmum ex conſpiratione generali Eccleſiæ contra ipſum, quum reducto velo, qualis reapſe erat, omnibus apparuit.

V. Quod propoſui, efficaciſſimum argumentum ſequenti ſyllogiſmo complector: *Illud doctrinæ ſyſtema veluti falſum, & principiis Chriſtianæ Ethices contrarium reputandum eſt, quod vix detectum fuit, & fucis omnibus ſemotis, nativo ſuo vultu palam innotuit, ſtatim ab Eccleſiæ Proceribus rejectum eſt, & a probis fidelibus concorditer reprobatum. Id contigit probabiliſticæ doctrinæ: ergo falſa dicenda eſt, & Chriſtianæ Moralis principiis adverſa.*

Omnes poſiti ſyllogiſmi propoſitiones palam evidentes ſunt. Evidens *major*. Quandoquidem unum ex clarioribus ſignis, & argumentis, ex quibus deprehendere licet doctrinam aliquam non a Chriſto, & Eccleſia traditam, ſed humanum commentum eſſe, illud eſt, quod dum proponitur ſine fuco, & nativis ſuis expreſſa coloribus, ſtatim horrorem quemdam ingerat fidelibus, & adverſus illam ſtatim conſpirent Doctores, & Præſules, qui ardenti zelo ſanæ doctrinæ depoſitum cuſtodiunt. Quod evidenter conſtat in hæreſibus Arianorum, Pelagianorum, cæterorumque Eccleſiæ hoſtium: vix enim ſubducto velo detecti fuerunt illorum errores, adeo commoti ſunt probi fideles Eccleſiæ doctrinis inſtructi, & ſanæ doctrinæ Paſtores excitati, ut eos confeſtim ceu Catholicis Dogmatibus repugnantes execrati ſint.

Nec minus evidens eſt propoſitio *minor*. Vix enim Probabiliſtica doctrina circa dimidium elapſi ſæculi omnium oculis objecta fuit, nudata facie, fucisque, quibus liniebatur, detersis, adeo mentes animoſque commovit tum fidelium, tum Procerum Eccleſiæ, & animarum Paſtores, ut bellum ipſi acerrimum e veſtigio indixerint, & a Chriſtianorum finibus expellere moliti ſint. Alexander VII. Summus Pontifex Probabiliſmum deteſtatus eſt, eumque in Decreto ſuo notavit tamquam *novum opinandi modum ab evangelica ſimplicitate, & a Patrum doctrina alienum*, ac Theologis Ordinis S. Dominici mandavit, ut inconcuſſa Doctoris Angelici doctrina pernicioſis laxitatibus per illum in Eccleſiam irrumpentibus obſiſterent. Hi, qua par eſt, reverentia juſſioni obtemperantes eumdem undequaque impugnarunt. Supra mille Galliarum Paſtores adverſus novam doctrinam inſurrexere, & validis poſtulationibus, efficacibuſque denunciationibus ab Eccleſiæ Regni illius Epiſcopis ejus condemnationem, & proſcriptionem efflagitarunt. Ex omni etiam parte Chriſtiani Orbis Doctores, ac Theologi ad Probabiliſmum oppugnandum arma ſumpſerunt, bonis omnibus plaudentibus. Uno verbo, ne quod fuſe laudato loco expoſuimus, hic exſcribamus, tanta, tamque univerſalis extitit omnium conſpiratio, & adeo acriter pugnatum eſt adverſus hoc opinandi ſyſtema, ut P. Antonius Terillus, ſi quis alius, Probabiliſmo addictiſſimus, qui paucos poſt annos opus ſuum edidit, pugnam hanc, & conſpirationem diſſimulare minime potuerit, immo & ingenue confeſſus ſit, ſcripſeritque, non ſine ingenti admiratione animadvertiſſe, *probabilitatem opinionum moralium, quæ non ita pridem ab omnibus pro ſecura conſcientiæ regula habita fuerat, a paucis annis, mutatione plane repentina, non ſolum in dubium vocatam, ſed plurium cenſuris, ut morum, & omnis honeſtatis venenum, atque ut errorem grandis periculi, imo certi exitii plenum damnatam fuiſſe* &c. Quis huic Probabiliſtæ omnium Principi tantam teſtanti, & ingenue confitenti mutationem, & conſpirationem

nem, quam ipſe viderat, adverſus Probabiliſmum. quis, inquam, contradicere audeat?

VI. Hujus tamen confeſſioni, ac teſtimonio unum tantum ex multis, quæ attuli, mihi liceat illuſtre documentum addere, illudque fit, quod ex ſollicitudine, & zelo Parochorum Galliæ deſumitur. Hi cæteras inter laxas opiniones Probabiliſmo potiſſimum, qui eas licitas in praxi reddebat, bellum moverunt, primumque Præſulum Sacro Conventui habito anno 1656. detulerunt, qui ad finem præfixi ſibi temporis cum jam perveniſſet, opus, quod in votis habebat, damnandi ſyſtematis perficere nequaquam potuit. Sed annis proxime ſequentibus acrius bellum exarſit, occaſione infamis libri in lucem editi *Apologiæ Caſuiſtarum*, qua reprobatæ doctrinæ una cum Probabiliſmo, a quo vitam, & uſum recipiebant, vindicabantur. Tunc enim majori zelo Parochi flagrantes arma denuo ſumpſerunt, & velut agmine facto in ſyſtema probabiliſticum irruerunt. Pariſienſes, & Rothomagenſes veluti pugnæ duces plura in lucem protulerunt doctiſſima ſcripta, & expoſtulationes ſaluberrimis doctrinis refertas, atque argumentis validiſſimis munitas, ſtatimque per totum Galliarum regnum evulgatas, queis cæterorum Parochorum ingens turba ad prælium quoque pro tuenda ſana doctrina excitata eſt. Inter alias vero opiniones, quas ſuis Epiſcopis detulerunt anathemate configendas, fuit in primis Probabiliſtarum ſententia de licito uſu opinionis *minus probabilis*, *&* *minus tutæ in concurſu probabilioris*, *&* *tutioris*; ſicut & alia, quæ aſſerit, *in dubiis minime nos teneri eligere*, *quod tutius eſt*. Quas propoſitiones notarunt veluti abominatione, & execratione digniſſimas ob Chriſtianæ Moralis corruptelas, & morum laxitates, quas inducunt. Videantur, quæ latius alibi dicta ſunt.

§. IV.

Quartum Argumentum

Ex Decretis, & legibus plurium Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, quæ Probabiliſmum damnarunt, ejuſque uſum interdixerunt, quæque ejus falſitatem, ac pravitatem validiſſime adſtruunt.

VII. Si, quam propoſuimus, ab Eccleſiæ Præſulibus ſemper conſervata doctrina, & praxe Probabiliſtico ſyſtemati prorſus adverſa, & unanimis bonorum omnium conſpiratio ad illud reprobandum, validiſſimum ſuppeditant ejus falſitatis argumentum; quanto validius ad hoc evincendum erit argumentum deſumptum ex decretis, & legibus latis a pluribus Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui poſt accuratum examen, & ſeveriſſimam rei diſcuſſionem ſententiam probabiliſticam damnarunt, ejuſque uſum interdixerunt fidelibus omnibus ſuæ curæ concreditis? Ut hujus argumenti robur dilucidius appareat, ſyllogiſmo opus non eſt: Conſtat enim cuicunque Catholico Epiſcopos, & Archiepiſcopos legitimos eſſe cuſtodes doctrinæ Eccleſiæ, veroſque Judices tum dogmatum fidei, tum regularum morum, eorumque peremptorium eſſe judicium, ſi præſertim acceſſerit conſenſus Romanorum Pontificum, de quibus poſtea. Solum itaque, quod propoſui, nunc probandum eſt.

Probabiliſticam itaque doctrinam in primis ſupra viginti Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Primates Regni Galliarum poſt accuratum, & diligens examen, adhibitis in conſilium peritioribus Theologis, & invocata Spiritus Sancti luce, circa medium elapſi ſeculi vel Synodalibus Decretis, vel Paſtoralibus edictis, & inſtructionibus ceu oppoſitam regulis in Evangelio, & traditione conſtitutis, ac veluti continentem errores animarum ſaluti in-

li ſenſiſſimos reprobarunt, damnarunt, execrati ſunt. En ſpecimen aliquod harum Cenſurarum. Vicarii Generales Cardinalis de Retz Archiepiſcopi Pariſienſis in ſuo Decreto edito contra doctrinam Probabiliſmi: *Illam*, inquiunt, *reprobamus*, *&* *damnamus uti falſam*, *temerariam*, *periculoſam*, *apertam inducentem confuſionem in Chriſtiana Morali*, *præpedientem inquiſitionem*, *&* *adinventionem veritatis*, *ac tribuentem cuicumque liberam facultatem aſſentiendi cupiditatibus corruptæ naturæ*. Henricus de Gondrin Archiepiſcopus Senonenſis Galliarum, & Germaniæ Primas eam damnat *ceu falſam*, *periculoſam*, *aditum aperientem innumeris corruptelis*, *evertentem omnino ſecundam regulam humanarum actionum*, *doctrinam erroneam*, *adverſantem doctrinæ*, *&* *præceptis S. Pauli*, *&* *inducentem certam perniciem ſalutis animarum*. Quinque Epiſcopi in unum congregati, nimirum Alectenſis, Apamienſis, Convenenſis, Vaſatenſis, & Conſeranenſis eam reprobant *ceu doctrinam falſam*, *contrariam ſimplicitati*, *&* *candori Chriſtiani ſpiritus*, *&* *doctrinis traditis ab Apoſtolis*, *&* *ſſe*, *ac promiſſione fallacis ſecuritatis trahentem animas in certam perniciem ſuæ ſalutis æternæ*. Euſtachius de Cheri Epiſcopus Nivernenſis eam proſcribit *ceu doctrinam pernicioſam*, *ſolo humano*, *ac corrupto ratiocinio innixam*, *doctrinam ſumme impiam*, *errorem maxime periculoſum*, *&* *venenum ſummopere lethale Evangelicæ Moralis*. Henricus Epiſcopus Andegavenſis eam execratur *ceu doctrinam tenebroſam*, *lumen fidei*, *&* *rectæ rationis extinguentem*, *ſcandaloſam Eccleſiæ*, *pernicioſam Reipublicæ*, *abominabilem coram Deo*, *&* *dignam communi omnium hominum execratione*. Nicolaus Vidame de Gerberois Epiſcopus Bellovacenſis illam damnat, ac prohibet *ceu fontem pernicioſum*, *&* *periculoſum in Moralem Chriſtianam invectum*, *convertentem Chriſtianam doctrinam in ſectam Academicorum*, *&* *Pyrrhonicorum*, *ſubvertentem*, *&* *detorquentem conſcientias fidelium*. Anna de Levy de Vantadour Patriarcha Archiepiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas pluribus editis decretis eam notat tamquam *Doctrinam novam*, *temerariam*, *abſurdam*; jubetque gravioribus interminatis cenſuris omnibus ſuis ſubditis, & Regularibus ſuæ Diœceſis, ut eam omnino rejiciant, minimeque ſectentur. Pari zelo alii ejuſdem Regni Præſules eamdem doctrinam deteſtantur, & damnant non abſimilibus cenſuris notantes: nonnulli ſiquidem appellant *radicem*, *originem maximarum laxitatum*, *virus univerſale*: alii *ſeditioſum principium ad plures in humanam ſocietatem inducendas perturbationes*, *&* *ſcandala*: quidam *fontem corruptelarum cæteris omnibus virulentiorem*: alii vero *doctrinam Chriſtianæ Moralis corruptricem*, *&* *omnium errorum*, *qui in Caſuiſtis reperiuntur*, *ſcelestam genitricem*: nonnulli demum vocant *peſtiferam ſcaturiginem*, *unde tot novitiæ opiniones ſcandaloſæ plane*, *&* *laxiſſimæ dimanarunt*, *quam Satanas pater mendacii adinvenit*, *doctrinam*, *quæ Evangelium in problematum congeriem convertit*, *&* *Redemptoris*, *ac Magiſtri noſtri Scholam in quamdam veluti Academiam immutat*, *quæ proinde neque ex Deo eſt*, *nec ex Jeſu Chriſto*, *nec ex Apoſtolis*, *nec ex Eccleſia*. Hæ notæ ſunt, atque cenſuræ elapſo proxime ſæculo a Sacris illis Eccleſiæ Præſidibus Probabiliſticæ doctrinæ inuſtæ. Nec diſſimilibus uſi fuere in ea proſcribenda alii Epiſcopi Hiſpaniarum, Belgii, & Italiæ, quorum ſtatuta alibi attulimus.

VIII. Præterire tamen minime poſſum, quin paulo attentius Decretum in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani adverſus probabiliſticam doctrinam ſolemniter latum anno 1700. perpendam. Duobus præcedentibus Comitiis materiam hanc ad examen revocaverant Gallicani Præſules, ſed quibuſdam impedimentis emergentibus ad op-

pra-

opeatum finem rem perducere minime potuerant, donec tandem præfato anno hocce negotium communi conſenſione in Conſeſſu Pariſiis habito Præſules totam Eccleſiam Gallicanam repræſentantes feliciter perfecerunt. In his celeberrimis Comitiis Patres primum in memoriam revocant Alexandri VII. querimonias, animadvertentes Summum illum Pontificem nedum plures falſas, erroneas, & ſcandaloſas propoſitiones in ſuo Decreto damnaſſe, ſed ulterius ipſum etiam novum opinandi modum, ſcilicet Probabiliſmum reprobaſſe, tamquam *Evangelicæ ſimplicitati contrarium &c.* Deplorant deinde laxitates, & corruptelas, quas hoc male feriatum ſyſtema invexerat; atque inde colligunt neceſſitatem excidendi hanc tot malorum peſtilentem radicem. Tum vero præmiſſis plurimarum propoſitionum, quarum aliquæ probabiliſticam doctrinam reſpiciunt, cenſuris, & damnationibus, ad ipſum tandem ſyſtema reprobandum, & proſcribendum deveniunt, quod ſpeciali decreto præſtiterunt. Nec ſolum reprobarunt ſyſtema, qua parte permittit, ut licitam opinionem *minus probabilem in concurſu probabilioris, ac tutioris*; ſed etiam qua parte licitum facit, *ex duabus propoſitionibus probabilibus eligere minus tutam*. Quoad iſtud, caput ita loquuntur, ac ſtatuunt, *ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſe offerunt rationum momenta, ſequamur id, quod tutius, ſive quod eſt in eo caſu unice tutum: nec id conſilii, ſed præcepti loco habeamus &c.* Quoad primum vero veluti horrore quodam doctrinæ perculſi inclamant: *Hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis Authoribus poſtremo demum ſæculo proditum, & ab iiſdem pro morum regula poſitum repugnat huic effato*: quod ubique, quod ſemper, quod omnibus; *nec habere poteſt Chriſtianæ regulæ ſecuritatem: hoc initium malorum eſſe, atque omnium antedictarum corruptelarum caput: hoc in confutatis Apologia Caſuiſtarum ab Anteceſſoribus noſtris viris fortibus, ac religioſis cenſorie notatum: hoc ſæpe reprehenſum, hodieque reprobandi nullo ceſſante, imo bonis probantibus, diffiteri nemo poteſt.* Quod quam verum ſit, oſtendunt dictis, & teſtimoniis ex libro Sapientiæ, ex Evangelio, & ex Epiſtolis D. Pauli deductis.

Ex his omnibus jam quiſque cordatus intelligit, quam firma, ac ſolida ſit poſita propoſitio, multoque evidentius conſtabit vis, & efficacitas argumenti, ſi nonnullæ accuratius adnotentur circumſtantiæ, quæ occurrunt in damnationibus, cenſuriſque a tot eximiis Præſulibus latis adverſus probabiliſticum ſyſtema. Primo enim extra omnem dubitationis aleam conſtitutum eſt, hujuſmodi cenſuras, & damnationes legitime, canoniceque fuiſſe prolatas, ad normam ſcilicet, & juxta Sacrorum Canonum ſtatuta. Quandoquidem prædicti Epiſcopi, & Archiepiſcopi ſive ſeorſim, ſive collectim judicantes nec cenſuras, nec ſententiam condemnationis pronunciarunt, niſi iis omnibus præmiſſis, quæ ad Canonicum judicium, legitimamque actionem erant præmittenda. In Conciliis quippe ſuis ſive privatis, ſive Synodalibus, nec non in Generalibus Comitiis opera, & ſtudio uſi ſunt virorum pietate, & doctrina ſpectatiſſimorum, accitis ad hoc magno numero Abbatibus, Prioribus, Doctoribus in Sacra Theologia, qui exquiſita diligentia & doctrinam expenderent, & fundamenta utriuſque partis probe diſcuterent, Sacram conſulentes Scripturam, Patrum, & Eccleſiæ traditionem, invocata etiam Spiritus Sancti gratia, & lumine, indictis publicis fidelium precibus ad eam impetrandam, nullis denique prætermiſſis illorum, quæ ex Eccleſiæ more præmitti conſueverunt, quum de aliquo errore

reprobando agitur, aut de aliqua veritate definienda.

Adnotare præterea oportet tum numerum, tum dignitatem, ac meritum undequaque ſpectabile ſummorum virorum, qui unanimi conſilio in damnationem, & cenſuram probabiliſticæ doctrinæ conſpirarunt. Si enim illos ſpectemus, qui eam doctrinam in *Caſuiſtarum Apologia* contentam proſcripſerunt; hi ſunt (præter maximum pliſſimorum ſimul, & ſapientiſſimorum Doctorum numerum, qui *in ampliſſimis Civitatibus*, ut habetur in Encyclica Cleri an. 1700. *non ceſſarunt exaltare vocem ſuam in plateis Sion*) Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi ampliſſimarum Urbium Galliæ; ideoque jure, ac merito Pariſienſes Parochi in quodam ſcripto effari potuerunt, tot Præſulum conſenſum, & conſpirationem *Concilii Nationalis* authoritati æquipollere. Si vero oculos convertamus in Comitia Generalia Galliarum Eccleſiam repræſentantia, licet illa annorum 1656. & 1682. nonnullis præpedientibus cauſis extremam manum operi, ut optabant, apponere nequiverint, palam tamen omnibus ferere, quid molirentur, quidve ſentirent plerique Patres in iiſdem congregati adverſus novitium ſyſtema; donec tandem in Comitiis anno 1700. celebratis res omnino confecta eſt, in quibus quot, quantique viri, ac Præſules interfuerint, nemini non eſt perſpectum. Vel ſolus clariſſimus Boſſuetus, etiamſi alii doctiſſimi defuiſſent, ad maximam illis conciliandam authoritatem ſufficeret.

Tertio illud etiam eſt advertendum, in præfatis Decretis tum privatorum Epiſcoporum, tum Comitiorum generalium omnia probabiliſticæ doctrinæ capita rejecta, reprobata, damnata fuiſſe. Reprobatum illud caput: *Inter duas opiniones æque probabiles eligere licere etiam minus tutam*; reprobatum & aliud: *Licere amplecti opinionem probabilem faventem libertati, etiam in occurſu contrariæ probabilioris legem aſſerentis*; & rejecta auctoritas a Probabiliſtis tributa privatis authoribus, reddendi ſcilicet opiniones, quas docebant, *probabiles*. Priora duo damnata fuiſſe ex indicatis documentis luce clarius elucet. Tertii autem reprobatio ex pluribus illorum Epiſcoporum Decretis, & ex regulis in Comitiis Generalibus conſtitutis manifeſta apparet. Statuunt ſiquidem Patres, [ut, quæ dicta fuſius ſunt, paucis complectar], *in Theologicis doctrinis ad fidem, moreſque pertinentibus Theologos quidem etiam modernos audiendos, quoties tamen doctrinas tradant conformes menti, doctriniſque Sanctorum Patrum, & antiquiorum Theologorum: & quando ab illis diſcedunt, aut diſcrepant*, jubent, *non ſolum contemnendam eorum doctrinam, & flocci faciendam authoritatem, ſed etiam ipſis obſiſtendum eſſe*, ne tractu temporum eorum opiniones vim, & authoritatem acquirant. Decernunt pariter, *nemini licitum eſſe eam amplecti opinionem, quæ ſibi probabilior nequaquam videtur, veritatique conformior, quamquam a pluribus Caſuiſtis probabilis, aut probabilior dicatur, & prædicetur.*

Poſtremo animadvertendum, præfatas probabiliſticæ doctrinæ cenſuras, & damnationes expreſſo, vel tacito cæterorum omnium Præſulum, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſu confirmari. Et quidem pervagatas, omnibuſque compertas cenſuras illas, ac ſolemnes condemnationes confeſtim approbarunt, confirmaruntque ſuis Decretis, Inſtructionibus, aut Epiſtolis Paſtoralibus ampliſſimi Regni Galliarum Epiſcopi, quibus nullus obſtitit ſive Italiæ, ſive Belgii, ſive Hiſpaniarum, aut aliorum Regnorum: neque enim vel unus tantum deſignari poteſt, qui contradixerit. Satis etiam confirmavit omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra Eccleſia Romana, tum quia infamem *Caſuiſtarum Apologiam* & ipſa damnavit

navit

Digitized by Google

navit, ac prohibuit; tum quia, quum Decretum Comitiorum Generalium anni 1700. editum, vulgatumque fuerit in tota Eccleſia, nihil omnino contradixiſſe compertiſſimum eſt. Quis enim non videt, Summos Pontifices, qui maxima vigilantia doctrinæ depoſitum cuſtodiunt, nunquam permiſſuros fuiſſe, ut ſolemne illud Decretum ubique evulgaretur, niſi illud Scripturis, Traditionis veritati, atque ipſi Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinæ omnino conforme deprehendiſſent? Fateor equidem, lubentique animo aſſentior, Sedem Apoſtolicam aliquando ob rationes nobis minime cognitas errores aliquos, aut falſas doctrinas a privatis Magiſtris traditas diſſimulaſſe. At nullo prorſus exemplo fas erit oſtendere ipſam ſilentio toleraſſe, veras damnari doctrinas, & falſas approbari, ſpecialibuſque Decretis ab Epiſcopis ſive in privatis Synodis, ſive generalibus Sacris Comitiis latis fidelibus juberi, ut eas amplectantur, approbent, ſequantur. Concludendum itaque eſt Probabiliſticum ſyſtema præfatis cenſuris, & condemnationibus penitus dirutum, everſumque fuiſſe. Hinc P. Qualdus Theatinæ Familiæ Clericus Regularis, qui ſub adſcititio nomine *Nicolai Peguleti* probabiliſticam doctrinam propugnaverat, ob nobiliſſimi Cleri Gallicani Conventus authoritatem ſponte tandem confeſſus eſt, ſe non audere pronunciare licitum ejuſdem uſum; quippe qui inducere ſibi in animum minime poterat, tot doctrina, & pietate Clariſſimos Præſules erraſſe, nimiæque audaciæ eſſe tantæ, ac venerabili authoritati adverſari. *Ego* (ſic candide ait) *ob reverentiam, quam ſummam Cetui Gallicano profiteor, non audeo definire, opinionem noſtram in praxi licere. Non enim concipere poſſum, Congregationem tantarum & numero, & dignitate, & doctrina Prælatorum potuiſſe errare ita ut certo verum judicaverint certo falſum.... Ideo in praxi ob reverentiam Illuſtriſſimi Cleri opinione probabiliore utemur.*

§. V.

Confirmatio præcedentis argumenti ex authoritate cæterorum Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum orbis Chriſtiani.

IX. Ne ſuſpicari quis, aut opponere valeat judicium de ſyſtemate probabiliſtico peculiare eſſe Epiſcoporum Galliæ, in majori Opere per duo integra Capitula oſtendi, in eo quoque judicio alios convenire orbis Catholici Epiſcopos. Hanc univerſalem conſenſionem invicte, & luce clarius demonſtrant Acta, Decreta, Ordinationes hac de re editæ a Sacris Prælatis Hiſpaniarum, Belgii, & Italiæ. In Hiſpania ſtatim quatuor occurrunt Præſules pietate, doctrina, & dignitate præclari, nimirum Cardinalis Balthaſar de Moſcoſo, & Sandoval Toletanus Archiepiſcopus, Bernardus de Ontiveros, Venerabilis Joannes de Palafox, & Ludovicus Creſpi, qui, ut ſcribit Cardinalis de Aguirre *cœperunt communi conſilio exagitare Probabiliſmum tunc longe graſſantem.* Pari zelo ſuccenſos alios quoque illorum regnorum Præſules, ſtrenuos probabiliſticæ doctrinæ oppugnatores, ex eodem Eminentiſſimo Scriptore colligimus. Præſenti ſæculo teſtes habemus impugnatæ ejuſdem doctrinæ, & quidem omni exceptione majores præter Franciſcum Perez de Prado, & Cuſchæ, Epiſcopum Terulenſem, & Andream Majoral Archiepiſcopum Valentinum, omnes illos Præſules, qui unanimi conſenſu, opem ferente Cardinali Belluga, libellum ſupplicem Sanctæ Sedi obtulere adverſus probabiliſticum ſyſtema, *ut hodie in praxi eſt*, de quibus ſupra jam mentionem fecimus. In eo libello hi zelo flagrantes Epiſcopi rejiciunt in primis, damnantque propoſitiones plures, & quaſdam inter alias, quæ hoc periculoſæ doctrinæ

capax

Digitized by Google

caput ſpectant, ex quibus illam, cui, ut audio, nunc maxime fidunt Probabiliſtæ, & quo veluti fortiſſimo clypeo utuntur ad omnes ictus retundendos adverſariorum. Hujuſmodi autem ex ea propoſitione deſumunt, quam cenſura notandam propoſuit Venerabilis ille Conventus, ſcilicet: *Si, Eccleſia ſciente, inter Theologos varietas opinionum permittitur, perinde eſt, ac ſi Eccleſia dicat:* unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet; *dummodo fidei veritas, & Eccleſiæ Catholicæ authoritas defendatur.* Hoc unum eſt perfugium, quod ſibi extruxere Probabiliſtæ, quod plane inutile, ac ineptum eſſe jam vidimus. Interim, quodnam de ipſo Sacri Præſules judicium ferant, audiamus: *Eſt clarior*, inquiunt, *& latior explicatio illius abſurditatis cenſura digna* (quam retulerant], *quam notavimus circa tertiam partem primæ propoſitionis, ad illa verba, dummodo oppoſitum non definiatur; id reprobando ex Decreto Innocenti XI. & ex damnatione propoſitionis 27. ab Alexandro VII. ut per ſe patet.*

Quod ſi ex Hiſpania ad Belgium tranſeamus, hic quoque nobis occurrunt clariſſimi Præſules probabiliſticæ doctrinæ impugnatores acerrimi; Jacobus Boonem Archiepiſcopus Mechlinienſis, qui minime contentus ademptæ poteſtatis audiendi Confeſſiones pluribus ex Societate Jeſu, qui laxas, & ſcandaloſas opiniones ad praxim deducebant, quas Probabiliſmi fulcro tuebantur, interdicta voluit in tota ſua Diœceſi Opera Caramuelis celebris probabiliſticæ ſententiæ defenſoris. Deinde Antonius Trieſt Epiſcopus Gandavenſis, qui, ut e ſua Diœceſi radicitus probabiliſticas laxitates extirparet, ſatis amplam earum collectionem a ſe factam Lovanienſi Univerſitati examinandam detulit, ut earum reprobationem, ac damnationem per ſe latam calculo ſuo firmiorem redderet. Sacra Univerſitas, commendato zelo piiſſimi Præſulis, poſt accuratum examen ſibi tranſmiſſas omnes propoſitiones reprobavit; adjecitque, eaſdem eſſe a principiis orthodoxæ doctrinæ alienas, boniſque moribus adeo pernicioſas, ut operæ pretium foret eas a quotquot ſunt in orbe Catholico Epiſcopis a ſuis Diœceſibus exterminari. Hæc eadem Sacra Univerſitas una cum Pariſienſi integrum ſyſtema Probabiliſticum diris devovit in damnatione hujus propoſitionis, nempe: *In quæſtionibus de bono, vel malo, de licito jure divino, vel humano poteſt quis ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam, relicta probabiliore, & magis tuta, etiam ſibi nota ut tali.* Præter laudatos Epiſcopos zelum quoque ſuum acuit ſub finem elapſi ſæculi D. Quidus de Seve de Rochecouart Epiſcopus Atrebatenſis in ſuis editis Conſtitutionibus, ubi inter alia ad morum regulam præſtituit illud Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini monitum jam adductum: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare &c.*

Ecquid de conſenſu omnium pene Italiæ Epiſcoporum tum elapſi, tum hujuſce ſæculi dicam? Nos iſtorum in majori Opere plurima recitavimus Decreta, Ordinationes, Edicta in hanc rem ab ipſis promulgata, & quidem pleraque in Synodis Diœceſanis, ad quas accerſiri, & convenire magno numero ſolent Parochi, & ſapientiores Theologi, ut maturo examine, & exactiſſima diſcuſſione eæ ſtatuantur leges, quæ Diœceſum utilitati, & animarum ſaluti opportunæ aut neceſſariæ judicantur. In his itaque Synodis, ut cuique legenti patebit, vel conſtitutis regulis ſyſtemati probabiliſtico contrariis, vel latis legibus præcipientibus, ut in caſuum; vel dubiorum occurrentium reſolutione ſeligantur opiniones, quæ probabiliores, aut veriſimiliores, magiſque tutæ dignoſcuntur, vel etiam aperta proſcriptione, & reprobatione, doctrina probabiliſtica rejicitur, &

ubique

ubique exulare jubeat. Hic ego, ne prolixus ſim, tria tantum, & quidem temporum noſtrorum Italiæ Præſulum ſtatuta proferam. Ex his duo, quos ſolum curſim attingam, ſunt Joſeph Maria Saporiti Januenſis, & Franciſcus Cajetanus Incontri Florentinus Archiepiſcopus. Prior in erudita ſua, doctaque Paſtorali Inſtructione ad Confeſſarios ſuæ Diœceſis anno 1750. data, quantum a doctrina, & regula probabiliſtica abhorreat, clariſſime patefecit. In ea ſiquidem inter alia ſanctiſſime conſtituta illud ratum, firmumque haberi jubet, authoritate etiam adducta SS. Pontificis Benedicti XIV., *In opinionum conflictu ſemper eligendam opinionem, cui rationum momenta, & majoris authoritatis pondus favere deprehendatur*. Alterius vero duo habentur volumina Paſtoralium Inſtructionum ad Clerum, & populum, quas tantopere commendavit laudatus Summus Pontifex, & in his invenire quiſque poterit, quanto zelo, & uberi eruditione novum opinandi modum inſectetur.

At lubet aliorum duorum Præſulum paulo fuſius ſententiam exponere. Primus eſt Eminentiſſimus Ignatius a Lance, qui duabus Synodis a ſe collectis, altera quidem anno 1745., altera 1752. non ſolum regulas, doctrinaſque præfixit probabiliſtico ſyſtemati plane contrarias, ſed data opera illud expreſſe rejecit, reprobavitque. Brevitati conſulens, quæ in prima Synodo ſanxit, ſolum proferam: " Si dubitent „ (inquit) Parochi, & Confeſſarii, utram „ e duabus opinionibus alteri præponere „ debeant, præſcriptam a Summo Ponti„ fice Benedicto XIV. regulam ſequantur, „ ſcilicet evolvant non unum, ſed plures „ libros; inter iſtos conſulant præſtantio„ res: poſtea illam amplectantur ſenten„ tiam, *cui magis ſuffragari rationem, & „ authoritatem* favere cognoverint. Deni„ que ſi poſt diligens, accuratumque exa„ men, necdum majus probabilitatis pon„ dus dignoſci poſſit, ſed adhuc dubitatio „ ſuperſit, quæ favet legi, præferant. Me„ minerint arctam eſſe, anguſtamque viam, „ quæ ducit ad vitam " &c.

Alter vero, nimirum Auguſtinus Spinola Epiſcopus Savonenſis duas dedita opera adverſus Probabiliſmum exaravit Paſtorales Inſtructiones, alteram latino idiomate inſcriptam: *Monitum Paſtorale ad dilectiſſimos Alumnos Seminarii Epiſcopalis, & RR. Sacerdotes &c.* alteram vernaculo ſermone, quæ univerſo gregi accommoda foret, atque utilis. In immenſum abirem, ſi ſolum etiam præcipuas harum ſalutarium Inſtructionum partes, & documenta recenſere vellem: ſatis proinde erit nonnulla duntaxat delibare ex ultima, quæ notior, & vulgatior eſt. Sic itaque ſcribit piiſſimus Præſul: " Inter monſtroſa portenta ex pro„ babiliſtico derivata ſyſtemate illud maxi„ me pernicioſum, & horribile apparet, „ quod omnes plane leges naturales, di„ vinas, humanas penitus corrumpit, & „ labefactat. Propterea illius doctrina no„ xia eſt, & exitioſa nedum paci, & tran„ quillitati privatæ, ſed univerſo generi „ humano, quum minoris probabilitatis „ ſubſidio obvium ſit cuique depravatæ men„ tis rationum adinvenire momenta, queis „ fas eſſe ſibi perſuadeat genio indulgere, „ & ſuperbiæ, avaritiæ, injuſtitiæ cri„ mina excuſare, & cauſas venari, ne „ legibus, ac Decretis Eccleſiaſticis parere „ teneatur. Unicuique præceptum latum „ eſt inquirendæ veritatis, & adinventam „ ſequendi, & amplectendi: & hoc eodem „ præcepto, quo ſequi veritatem adſtrin„ gimur, ad illud etiam, quod veritati „ proximius novimus, amplectendum urge„ mur. Hinc ſponte fluit, in moralibus „ quæſtionibus, quod a veritate remotius „ apparet, amplecti nequaquam licere, il„ las nimirum opiniones, quæ minus pro-

babi-

Digitized by Google

„ babiles cognoſcuntur : cum hoc plane „ contrarium ſit axiomatibus illis in utro„ que jure Civili , & Canonico tanquam „ firmiſſimis conſtitutis , videlicet : *Inſpici„ mus in obſcuris , quod eſt veriſimilius : In „ his , quæ dubia ſunt , quod certius exiſ„ timamus , tenere debemus* ". Hæc & alia plurima profert ſapientiſſimus Præſul principiis , & argumentis , quæ fuſo calamo urget , & dilucide comprobat, confirmatque.

Ex his itaque omnibus hic curſim prælibatis validiſſimum conſurgit argumentum, quo novitii ſyſtematis falſitas invicte demonſtratur . Quoniam licet Paſtorum , & Synodorum particularium Edicta ex ſe pondus , & privilegium infallibilitatis haud obtineant ; nemo tamen inficiabitur , magni eſſe momenti , ac authoritatis , quippe quæ ab illis prodiere , *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei* , quod ultro confitentur Probabiliſtæ , quos inter Zacherius docet ex Diœceſanis Epiſcoporum Synodis validum elici argumentum , ut ad fidei dogmata perſuadenda , ita ad doctrinas , quæ mores ſpectant, conſtabiliendas: quod argumento confirmat ab ipſa experientia deducto , inquiens : *Hujus rei vel illud abunde magnum argumentum eſt , quod ex innumeris Conciliis ejuſmodi pauciſſima reperiuntur , quæ a recta doctrina declinaverint.* En igitur argumentum , quod inde colligimus : " Inter innumera ſive Provincialia , „ ſive Diœceſana Concilia hactenus in Ec„ cleſia celebrata , pauca , immo *pauciſſima*, „ teſtibus ipſis Probabiliſtis , *ſunt* , quæ „ in aliquem errorem doctrinæ fidei , & „ morum contrarium prolapſa ſint . At „ vero plurima enumerantur Concilia, quæ „ aut doctrinas , aut regulas probabiliſtico „ ſyſtemati adverſa tradidere , aut illud a„ perte , & directe ceu divino verbo ſive „ ſcripto , ſive tradito repugnans , & om„ nino falſum rejecerunt , nullo alio con„ tradicente . Ergo nemo affirmare audebit , „ tot Concilia , vel Synodos , ſive Epiſco„ pos in hujuſmodi condendis Decretis , „ tradendiſque regulis in errorem incidiſſe, „ & a vera Eccleſiæ doctrina defeciſſe, quin „ potius quiſque fateatur oportet , veram „ doctrinam ab ipſis traditam eſſe ".

§. VI.

Quintum Argumentum

Ex Eccleſiæ Romanæ , Summorumque Pontificum in ſyſtemate probabiliſtico improbando conſenſione .

X. Sed jam ad Eccleſiæ Romanæ, Summorumque Pontificum in improbando Probabiliſmo conſenſionem accedamus , ex qua invictiſſimum falſitatis ipſius argumentum peti , nemo Catholicorum negaverit . Ut jam vidimus , Recentior quidam jactare ſumma , & incredibili confidentia , immo potius audacia non erubuit , Summos Pontifices ſuffragari ſententiæ ſuæ , atque ita etiam alii Probabiliſtæ non verentur aſſerere ; ſed quibus demum argumentis ? Ludicris plane , ac vaniſſimis , quæ ne memorare quidem deberent ; & in hoc unum tandem reſolvuntur , quod nempe nonnulli Pontifices Summi aliquando matrimonia ſolverint , vel vota relaxaverint in iis caſibus, in quibus Theologi diſputant , num hæc ipſis poteſtas conveniat : ex quo inferunt, in caſibus probabilibus ſecutos eſſe vel opinionem minus tutam , vel etiam minus probabilem . Et hoc objicere non reformidant in conſpectu tot Canonum , in quibus perpetuo ipſi aperte præcipiunt : *In dubiis ſemper tutiorem partem eſſe eligendam*, quemadmodum oſtenſum eſt . Quid igitur ad futile illud , quod opponunt , argumentum reſpondendum ? Ut vim aliquam illud obtineat , tria ab ipſis in primis probanda forent , quæ nunquam probaturi ſunt : 1. in cauſis diſpenſationum concedendarum Romanos Pontifices nunquam falli poſſe , aut

Digitized by Google

aut decipi ; adeoque nullas aut datas fuiſſe , aut dari poſſe diſpenſationes hujuſmodi irritas , & inanes ex vitio *obreptionis* , aut *ſubreptionis* , ut vocant . 2. Nunquam poſſe Pontifices in agendo a rectitudinis ſemita declinare , & in his , ſicut in cæteris, aliquid humanæ fragilitatis pati : quod immunitatis ab omni labe , & culpa privilegium tantum abeſt , ut ſibi arrogent , ut potius in titulo *de Reſcript. in 6.* ingenue profiteantur , verbis utentes D. Bernardi , quod aliquando *aut mendacio decepti , aut importunitate victi nonnulla concedant, quæ injuſtitiam continent* . 3. Demum probare debent , Summos Pontifices in diſpenſationibus concedendis , aut votis relaxandis eam opinionem amplexatos eſſe , quam *minus probabilem* cernebant , eamque *probabiliori prætuliſſe ita cognita , & judicatæ*; quod nunquam Adverſarii demonſtrabunt : ſiquidem nonne opinio , quam deligebant , videri illis poterat , ſpectatis circumſtantiis, *probabilior* , aut in quæſtionem propoſitam ea adjuncta concurrere , quæ opinioni , quam ſequebantur , majorem afferrent probabilitatem ? Quum ergo poſitionibus his aut falſis , aut commentitiis eorum argumentatio nitatur , non poteſt non eſſe inepta , atque ridicula .

At miſſis tam frigidis argumentis , jam noſtra , quæ longe alterius ſunt rationis , promamus , aut ſaltem ex iis , quæ fuſius in majori Opere dicta ſunt , aliqua colligamus . Et in primis Eccleſiam Romanam in hac , quam verſamus , diſputatione , in membra ibidem diſtinxi nobiliora, cujuſmodi ſunt Cardinales , & Prælati , qui ad ipſam pertinent , & Romanis Pontificibus adjumento ſunt in regimine univerſæ Eccleſiæ . Hos omnes a probabiliſtica doctrina alienos , præter alia documenta, teſtis eſt locupletiſſimus Em. Cardinalis de Aguirre , qui *in Præf. Conc. Hiſp.* ita fidem facit : *Inter tam multos Cardinales , qui uſque modo ſanctitate , aut doctrina inſigni floruerunt , vix inveniri aliquem , qui aliter ſenſerit , aut docuerit : immo ex iis , qui ſuo tempore ſuperſtites erant , tam intra , quam extra urbem præſtanti pietate , & eruditione conſpicui , ac toti orbi Chriſtiano noti , quorum judicia , atque ſententiæ ipſi frequenti colloquio , ac variis congreſſibus innotuerant , neminem fuiſſe , qui tam in theoria , quam in praxi non cenſuerit , ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem , vel ſaltem longe veriorem, & probabiliorem* .

Diſtinxi præterea in eadem Eccleſia Sacras Congregationes , quæ in rebus maximi momenti vicarium operam præſtant Summis Pontificibus , a quibus totam hauriunt authoritatem , & teſtibus omni exceptione majoribus adductis , oſtendi , illas omnes , eaſque præſertim , quas *Concilii* , & *Sacræ Pænitentiariæ* vocant , in opinionum delectu non aliam amplecti ſententiam , aut amplectendam eſſe pro certo habere, quam *probabiliorem* , ſi clare deprehendatur , ſin minus *tutiorem* . Duo hic teſtimonia ſpeciminis gratia ſolum afferam: alterum mox laudati Cardinalis de Aguirre , qui eodem citato loco ita ſcribit : *In Sacris Romanæ Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ cauſæ , quarum deciſio ex Sacris Conciliorum Canonibus pendet . Ubi autem Authorum occurrunt ſententiæ , illa omnibus præfertur , quæ omnibus hinc inde conſideratis tutior videtur , aut juri , aut æquitati conformior* . Alterum vero Emin. Cardinalis Petra , qui in lib. *de Sacra Pænit. Apoſtolica* ſic teſtatur : *In opinionum electione Sacra Pænitentiaria eas amplectitur , & ſequitur , quæ ſaluti animarum obeſſe non poſſunt : ac propterea non ſe credit cuicunque Authorum judicio , niſi veritate fulciatur . Quod ſi inter oppoſitas ſententias verſetur , ut vere ambiguum , ac dubium maneat , tutiorem partem præeligit , a qua omnino diſtet qualibet-*

Digitized by Google

ſet ruina ſpiritualis ſuſpicio .

XI. Sed poſtremo ad Romanos ipſos Summos Pontifices convertamus oculos. Horum voces, & ſenſa, licet non ſemper aut definitionibus, aut Decretis ſolemnioribus munita prodeant, ſumma tamen ſemper animi demiſſione, & obſequio excipienda a nobis ſunt. Ut enim acute ſimul, & lepide notat Euſebius Amort, *Chriſtus jubet, ut oves audiant vocem Paſtoris; non ait Chriſtus audiendam eſſe vocem Bullatam, aut Breviatam, ſed abſolute Paſtoris vocem, & Paſtori eſſe obediendum*. In primis igitur, quam deteſtatus fuerit Alexander VII. probabiliſticum ſyſtema, ſatis declaravit ignominioſa illa loquendi formula, qua uſus eſt in ſuo Decreto, quo multas proſcripſit laxas, & ſcandaloſas recentiorum propoſitiones, inquiens: *Modus opinandi irrepſit* in rebus ad conſcientiam pertinentibus, *alienus omnino a ſimplicitate Evangelica, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela*. His autem verbis Sanctiſſimum Pontificem non aliam indicaſſe doctrinam præter Probabiliſmum & verba ipſa ſatis evincunt, & teſtes ſummæ authoritatis confirmant. Sic enim primo teſtatur Stephanus Gradius Vaticanæ Bibliothecæ tunc Præfectus, tota urbe audiente, quin timeret, ſe ab aliquo poſſe falſitatis redargui, ſcribens: *Hæc orta cenſura eſt, ut ego propter fidelem illius temporis notitiam (neque enim obſcura res erat) compertum habeo, adjectaque Præfatio, quæ licet ſub involucro verborum, vere manifeſtum facit decernentis animum, ab ea philoſophandi de moribus ratione alienum, quem propterea, vides* (P. Honoratum Fabri alloquitur, qui deſignatum illis verbis *Probabiliſmum* a Summo Pontifice abnuebat), *appellavit modum opinandi contrarium Evangelicæ ſimplicitati, Sanctorumque Patrum doctrinæ*. Hanc eamdem fuiſſe Alexandri VII. mentem teſtata ſunt etiam Comitia Generalia Cleri Gallicani habita anno 1700., quæ ideo eadem prorſus verba adoptarunt, ut probabiliſticum ſyſtema declararent, fontem eſſe virulentum innumerabilium corruptelarum. Idem quoque ſenſit in ſua Encyclica anni 1749. Benedictus XIV. ea verba adducens, præter plurimos alios Authores, quorum teſtimonia prætereo.

XII. Quid dicam de cura, ſollicitudine Innocentii Papæ XI., ut Probabiliſmum a Societate Jeſu, & a toto Chriſtiano orbe penitus expelleret? Hujus veritatis teſtem luculentiſſimum damus Decretum illud, quo tum Clariſ. Viro P. Thyrſo Gonzalez, ut probabiliſticum ſyſtema totis viribus impugnaret, tum Reverendiſſimo P. Generali Olivæ juſſit, ut liberam concederet facultatem omnibus ſibi ſubjectis illud oppugnandi, & toti Societati hanc eſſe mentem ſuam, atque ſententiam Encyclicis litteris ſignificaret. En Pontificii Decreti tenor.

DIE 27. JUNII 1680.

,, Facta relatione per P Lauriam contentorum in litteris P. Thyrſi Gonzalez Soc. ,, Jeſu Sanctiſſimo noſtro directis, Eminentiſſimi dixerunt ſcribendum per Secretarium Status Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum, ut ſignificet dicto P. Thyrſo, quod ,, Sanctitas Sua, benigne acceptis, & non ,, ſine laude perlectis litteris, *mandavit*, ut ,, ipſe libere, & intrepide prædicet, & ,, doceat, & clamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter *impugnet ſententiam aſſerentem, licitum eſſe* ,, *ſequi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ, & judicatæ*, ,, eumque P. Thyrſum certum faciat, quod ,, quidquid favore *magis probabilis* egerit, ,, & ſcripſerit, gratum erit Sanctitati Suæ ,,&c.

Digitized by Google

„ &c. *Injungendum* pariter P. Generali Soc. „ Jeſu de ordine Sanctitatis Suæ, ne ullo „ modo permittat Patribus Soc. ſcribere pro „ opinione minus probabili, & impugnare „ ſententiam aſſerentium, licitum eſſe ſe- „ qui ſententiam minus probabilem in con- „ curſu magis probabilis ſic cognitæ, & „ judicatæ; verum etiam relate ad omnes „ Univerſitates Societatis mentem Sancti- „ tatis Suæ eſſe, ut quilibet pro ſuo libi- „ tu libere ſcribat pro opinione magis pro- „ babili, & impugnare contrariam præ- „ dictam, eiſque ſcribat, ut mandato Sanc- „ titatis Suæ omnes ſe ſubmittant".

DIE 8. JULII 1680.

„ Intimato prædicto ordine Sanctitatis „ Suæ P. Generali Soc. Jeſu per R. P. D. „ Aſſeſſorem, reſpondit, ſe in omnibus „ quanto citius pariturum: licet nec per „ ſe ipſum, nec per ſuos Prædeceſſores fu- „ erit unquam interdictum ſcribere pro opi- „ nione magis probabili, eamque docere."

Porro ex recitato Decreto in primis evidenter apparet, Sanctiſſimum Pontificem verum impoſuiſſe præceptum P. Thyrſo prædicandi, docendi, & calamo propugnandi opinionem probabiliorem, & pro viribus impugnandi opinionem illorum, qui licere docebant amplecti opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ, & judicatæ, quæ eſt procul dubio ſententia recentiorum Probabiliſtarum: ulterius addidiſſe Pontificem certiorem faciendum eſſe eumdem Gonzalez ſibi admodum placiturum, quidquid ille aggrederetur, perficeret, ſcriberet *in favorem opinionis probabilioris*.

Evidenter etiam conſtat, Summum Pontificem juſſiſſe, ut aliud præceptum indiceretur [quod reapſe indictum fuit per Aſſeſſorem Congregationis S. Officii] Reverendiſſimo Patri Generali Olivæ, ut non ſolum ſubditis ſuis facultatem tribueret, tuendi ſcripto, & libris editis ſententiam ſyſtemati probabiliſtico adverſam: ſed ulterius, ne ullo modo permitteret ut quiſquam Religioſorum ſuorum ſcriberet in favorem probabiliſticæ doctrinæ, & impugnaret oppoſitam, *ne ullo modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentem &c.* Juſſit inſuper præfato P. Generali, ut omnibus Univerſitatibus Societatis notum faceret, mentem, & voluntatem Summi Pontificis eſſe, ut pro virili, & lubitu ſuo liceat omnibus docere, & ſcribere pro defenſione probabilioris doctrinæ, nec non contrariam docentes refellere, & confutare, cui Sanctitatis Suæ præcepto omnes, quotquot ſunt in Societate, obſequi debeant. Poterat ne Summus Pontifex clarius mentem ſuam patefacere a Probabiliſmo penitus alienam? Poteratne Chriſti Vicarius hiſce præceptis evidentius oſtendere ſtudium, ac ſolicitudinem ſuam pro extirpanda a toto orbe Catholico hac tam ſibi inviſa doctrina? Siquidem ſi ſola Societas Jeſu eam tandem dereret, ut plane deberet, nulli dubium eſſe poteſt, quin, ut ajebat pius ille vir apud Camargum, nullibi amplius in tota Eccleſia conſiſteret. At pergamus.

Pro eadem re, quam impenſe deſiderabat, obtinenda Innocentius idem operam ſuam adhibuit, ut P. Gonzalez acerrimus Probabiliſmi impugnator, Oliva vita functo, a Congregatione Generali eligeretur in ſuperiorem, & caput totius Societatis, quod & conſecutus eſt. Illum ſubinde adſcitum graviſſimis verbis admonuit, ut ſerio adverteret, ſe a Deo ad hoc officium delectum eſſe, ut Societatem ab illo eriperet *præcipitio*, in quod ruere videbatur, amplectendi ut propriam Probabiliſmi doctrinam, prout teſtatur idem P. Gonzalez in libello ſupplici, quem obtulit Clemen-

ti XI. *n.* 1. his verbis : *Quum Sanctiſſimus Prædeceſſor Beatitudinis Veſtræ Innocentius XI. mihi dixiſſet , me factum fuiſſe Generalem in illum finem , ut Societatem averterem a præcipitio , in quod ruere videbatur , de amplectenda ſcilicet ut propria ejuſdem Societatis ſententia laxiore circa uſum probabilium , dictum illud Vicarii Chriſti tanquam ejuſdem Chriſti dictum accepi , & omni ope adnixus ſum , ne ſpem optimi Pontificis irritam facerem &c.* Agnoſcebat ergo, & profitebatur Sanctiſſimus ille Pontifex horribile ſibi *præcipitium* aperire Societatem , dum ut propriam [quod ſin decreto aliquo , praxi tamen communiore effecit) adoptaret , & amplecteretur probabiliſticam doctrinam . Quod ſi hic *præcipitium* eſſe eſſerebat univerſæ Societati futurum , ſi illam amplexa fuiſſet , certe nonniſi quoque *præcipitium* eſſe poteſt privato cuilibet , qui ipſam amplectitur , ut nemo non videt .

XIII. Innocentii XI. veſtigiis alii duo inhæſerunt Pontifices Innocentius XII. , & Clemens XI. Prior , reluctantibus licet Probabiliſtis , juſſit , ut in Urbe Roma Opus Antiprobabiliſticum P. Gonzalez typis ederetur , quod juſſum a ſe factum fuiſſe *Spiritu Sancto impellente* teſtatus eſt . Alter vero Societatis Prælatis ſignificatum voluit , *rem gratiſſimam Sanctitati Suæ facturos, ſi præſtent, ut Jeſuitæ abſtineant a docenda , & defendenda ſententia , quæ aſſerit , licitum eſſe uſum opinionis minus probabilis , & minus tutæ ; quum Sanctitati Suæ compertum ſit ita omnino expedire ad incolumitatem , & honorem Societatis .* Præterea juſſit , ut in Italia Theologia Moralis Genetti Epiſcopi Vaſionenſis recuderetur , quæ Probabiliſmo quam ſit adverſa , nemo neſcit ; voluitque præterea , ut P. Chriſtophorus a S. Joſeph Procurator Generalis PP. Carmelitarum Excalceatorum Romæ ederet inſigne opus ſuum , quo data opera , & ampliſſima eruditione probabiliſticam doctrinam impugnat , & evertit a fundamentis .

XIV. In Concilio quoque Romano anni 1725. cui præfuit Benedictus XIII. *tit.* 5.*c.* 5. ſtatutum legitur , ut in Congregationibus Epiſcoporum *Caſus conſcientiæ proponantur* , & *practice exerceantur* , *methodo ſervata ſynodali* , quæ habetur in *Append.* , in qua *n.* 7. ſic injunctum eſt : *Poſt diſcuſſionem , qui præeſt , ſive aliquis alius , propoſitum caſum reſolvet ſolum ad normam doctrinæ , quam veriorem , & magis fundatam exiſtimaverit* . In qua definitione illud præſertim obſervandum occurrit , Sacrum illud Concilium non ſolum definiviſſe in caſibus reſolvendis doctrinis verioribus , & firmioribus eſſe inhærendum, verum etiam ad hanc regulam , ſeu normam , praxim etiam , & uſum conformandum , *conſcientiæ caſus proponantur, & practice exerceantur* . En igitur in tam celeberrimo Concilio , cui nedum Pontificis ſummi acceſſit authoritas , & approbatio , ſed & ipſa præſentia , aſſiſtentibus eum ipſo ſupra centum Epiſcopis , & celebrioribus urbis Theologis , ea indicata , & præſtituta humanarum actionum regula , quæ ab illa , quam Probabiliſtæ tradunt , toto cælo diſtat , adeoque rejectum , reprobatumque eorum ſyſtema eſt .

XV. Tandem glorioſæ memoriæ Benedictus XIV. firmitatem omnem , ſi qua deeſſet, argumento imponit & factis , & ſcriptis . Siquidem in primis ordinavit , in Collegio propagandæ fidei ad Eccleſiaſticorum in Moralibus Inſtructionem legi , & explicari opus Antiprobabiliſticum P. Gabrielis Antoine . Deinde præter alia mentem ſuam palam fecit duabus Encyclicis Epiſtolis ad omnes Patriarchas , Archiepiſcopos , & Epiſcopos Apoſtolicæ Sedi communione conjunctos , quod perinde eſt , ac ad totam Eccleſiam Catholicam , datis , in quarum prima hanc præſtituit omnibus Confeſſariis , & Conſultoribus ſervandam regulam : *Priuſquam reſponſum reddant* [in obſcuris caſibus] , *plures Scriptores examinent , qui magis inter cæteros prædicantur . Deinde eas partes ſuſcipiant , quas tum*

ratio.

Digitized by Google

ratione, *tum authoritate plane confirmatas intelligent*. In altera vero, qua modum tradit, quo præparentur fideles ad Anni Sancti Indulgentias lucrandas, de Confeſſario hæc habet, Italico ſermone in latinum, prout ſonat, fideliter verſo: " Quoties in quæ-
,, ſtionibus dubiis, vel quarum ſolutionem
,, ignorat, Moraliſtarum libros Confeſſarius
,, adire cogitur, illi nec novum eſſe debet,
,, nec inauditum, ex tanta Authorum, &
,, Scriptorum farragine non deeſſe, qui mo-
,, dum in docendo, & ſcribendo ſequuntur,
,, *ab Evangelica ſimplicitate*, *& Patrum doc-*
,, *trina prorſus alienum* (quæ verba refert
,, ex Alexandro VII.). Verum omiſſis peni-
,, tus iis, quæ ſpecialiter dici poſſent de
,, ſingulis Authoribus, & de eorum peritia,
,, authoritate, exiſtimatione, & doctrinis,
,, id unum obſervandum indicimus, pruden-
,, tes nimirum Confeſſarios non debere pro-
,, priæ tantum opinationi, & ſententiæ in-
,, niti, ſed antequam dubia, ad difficulta-
,, tes ſibi occurrentes reſolvant, non unum,
,, aut alterum, ſed plures adeant, conſu-
,, lantque Theologorum libros, eos præcipue,
,, qui majori digni ſunt veneratione: dein-
,, de ſeligant, & amplectantur ſententiam,
,, *cui rationum momenta*, *& authoritatis pon-*
,, *dus magis favere deprehenderint*. Hæc ea-
,, dem indiximus etiam in alia Encyclica
,, noſtra *de Uſuris*: quod & modo repeten-
,, dum ducimus, & inculcandum, quippe
,, quod doctrina hæc non in ſolis uſuris, ſed
,, in quacunque alia morali materia ad Sacra-
,, menta, vel forum conſcientiæ pertinente
,, locum habere debet &c.

Plura quidem occurrerent in hoc luculentiſſimo ſummi animarum Paſtoris, & ſupremi Fidelium omnium Patris teſtimonio notanda, prout alibi præſtitimus: at unum duntaxat hic Lectorum oculis ſubjicimus, quippe quod ad Probabiliſtas revincendos magis idoneum cenſeums, utpote doctrinis eorum innixum. Aſſentiuntur hi, & unanimiter docent, Summorum Pontificum *ex Cathedra* fideles docentium in rebus, ſive ad fidem ſive ad mores pertinentibus oracula eſſe infallibilia, eorumque doctrinam obſequio ſummo excipiendam ceu doctrinam Chriſti, & Eccleſiæ. Bene eſt: at quando dicendum, Pontificem *ex Cathedra* loqui, vel docere? Id nobis ex communi Authorum ſententia declarat Lacroixius *lib. 1. de conſc. n. 302.* ita ſcribens:
,, Tunc dicitur Pontifex loqui *ex Cathedra*,
,, quando poſt maturam deliberationem, &
,, debitum examen circa rem ſpectantem ad
,, fidem, & mores, ut Caput Eccleſiæ edit
,, Decretum pro univerſali Eccleſia, quod ab
,, omnibus fidelibus vult indubitanter admit-
,, ti, & obſervari, uti communiter expli-
,, cant Authores cum Cardena &c. Et ratio
,, eſt, quoad quæſtiones morum: ſi enim
,, Pontifex in his erraret, vel approbando
,, turpia, vel reprobando honeſta, erraret
,, etiam Eccleſia, quæ probat, & damnat
,, idem, quod Pontifex,

His itaque conſtitutis unum illud videndum ſupereſt, num videlicet Summus Pontifex Benedictus XIV. in laudata Encyclica, in qua docuit ad normam ſententiæ noſtræ, vere *ex Cathedra* locutus ſit, & docuerit *ut Paſtor*, *& Caput Eccleſiæ*. Verum quis de hoc ambigat, cum utrumque evidenter conſtet ex eadem Encyclica? Primo ſiquidem ex ſolo ejuſdem titulo ſit manifeſtum, in ea Summum Pontificem Eccleſiam docere, cum data ſit omnibus illis, qui totam Hierarchiam Eccleſiaſticam conſtituunt, nempe *Patriarchis Archiepiſcopis &c.* Inſuper certum omnibus, compertum eſt, præfatam Encyclicam primo ſcriptam, & vulgatam italico idiomate fuiſſe, & poſtea ab incerto Authore in latinum converſam propter Tranſalpinos Præſules, licet non omnino exacta ſit hæc latina verſio: unde ad proprietatem cujuſdam vocis ad Italicum textum recurrendum eſt, quem ego accurate ſervavi. Porro

in

Digitized by Google

in ejuſdem Encyclicæ periodo Italica (ſicut & in Latina verſione, quamvis non omnimoda claritate) adeo aperte, & dilucide Summus Pontifex noſtram docet, ac jubet ſequendam ſententiam eſſe in caſibus dubiis, & obſcuris, adeoque adverſam Probabiliſtarum rejicit, ut nulli ſuperſit dubitationi locus. Itaque præſtitutis principiis inhærentes jure, ac merito colligimus, & colligere quiſque debet, Pontificem Summum *ex Cathedra* locutum eſſe, noſtramque docuiſſe doctrinam, & probabiliſticam reprobaſſe. Eſt igitur doctrina a nobis tradita tanquam certa, & infallibilis, a Catholicis omnibus excipienda, & oppoſita ceu erronea, & Eccleſiæ contraria omnino rejicenda.

Ad pleniorem hujuſce rei probationem conſpirat recens Sacræ Congregationis S. Officii Decretum editum anno 1761. & ſuprema ſua authoritate confirmatum a Summo Pontifice Clemente XIII. quo prohibentur, atque damnantur Theſes de Probabiliſmo Aviſii Oppidi Tridentinæ Diœceſis expoſitæ, ac defenſæ, tanquam continentes propoſitiones reſpective *falſas*, *temerarias*, *& piarum aurium offenſivas &c.*; quarum prima totum ſyſtema probabiliſticum continebat, ex qua aliæ propoſitiones deducebantur. De hoc argumento fuſiſſime egi in poſtremo meo libro adverſum D. Alphonſum Liguorium, ubi, diſſipatis omnibus ejus cavillationibus, oſtendi, damnationem totius Probabiliſmi adeo eſſe nunc ſaltem manifeſtam, ut nemo amplius poſſit illum defendere, quin Decretis Apoſtolicæ Sedis aperte reluctetur. Legantur, quæ ibi dicta ſunt.

§. VII.

Poſtremum Argumentum

Ex Theologorum authoritate deſumptum.

XVI. Tametſi luculentiſſima, quæ hactenus ex authoritate produximus, argumenta ſatis eſſe deberent ad falſitatem ſyſtematis probabiliſtici penitus evincendam: attamen, quia Probabiliſtæ continuo jactant numerum, & authoritatem eorum, qui illud tuentur, huicque baculo ficulneo pene hodie cauſam fidunt ſuam; ideo quædam etiam non abs re futurum judico animadvertere circa Theologorum, tum qui noſtram, tum qui adverſam ſententiam defendunt, numerum, & authoritatem. Spartam hanc abunde adornavimus majoris Operis C. 3. §. 4. & Cap. 9., ex quibus aliqua tantum obſervo. Et primo quidam quoad ingentem numerum Theologorum, quem in favorem ſententiæ ſuæ Probabiliſtæ proferunt, præterquamquod non pauci perperam tanquam fautores recenſeantur, nullius authoritatis eſſe jam declararunt Gallicani Epiſcopi, qui eos vel *recentes Phariſæos Chriſtianæ legis corruptores* dixere, ut eos vocat Epiſcopus Tullenſis Aloyſius de Rechevoiſin: vel *tenebroſam nebulam ad Eccleſiæ cælum obtenebrandum poſtremis hiſce temporibus exortam*, ut loquitur Cardinalis Janſonius Epiſcopus Dinienſis: vel *pernicioſos Scriptores*, *ſanam moralem doctrinam temerariis*, *& imprudentibus deciſionibus corrumpentes*, ut Gondrinus Archiepiſcopus Senonenſis: vel *Moralis phariſaicæ doctrinis ſcatentes*, ut D. de Chery Epiſcopus Nivernenſis: vel Authores, *qui vanitate proprii ſenſus innixi deplorandam illam invexere corruptelam*, *quæ bonorum omnium gemitus extorquet*, ut D. de Vialat Epiſcopus Cabillonenſis. Sic etiam D. de Montignon Epiſcopus Lexovienſis eos appellat *genus hominum omni prorſus in Eccleſia authoritate deſtitutum*, *quod celebritatem nominis ſibi conſcivit*, *perniciem intentando ſanæ*, *& Chriſtianæ morum doctrinæ*. Paria habent adverſus recentes hos Scriptores D. Boonem Archiepiſcopus Mechlinienſis, D. de Triest Epiſcopus Gandavenſis, D. de Vantadour Archiepiſcopus Bituricenſis, Eminentiſſimi Cardinales Aguirre, & le Camus Epiſcopus Gratiano-

nopolitanus, & ipſemet Alexander VII., qui de hiſce Theologis maximopere conqueritur; quippe qui intolerabili licentia veterum laxas opiniones antiquatas iterum ſuſcitarunt, & alias noviter invectas ſpargere non ceſſant. Horumce autem Theologorum quanti quæſo pendenda authoritas eſt in favorem Probabiliſmi?

Sed ulterius legendum, & accurate perpendendum P. Antonii Terilli teſtimonium in Præf. Operi ſui *de Conſcientia probabili*, ubi pondus authoritatis expendit Scriptorum Probabiliſtarum, qui eum præceſſerunt; & ex iis, quæ de illis ſcribit, nec non ex regulis alibi conſtitutis ad Theologorum diſcernendam authoritatem liquido conſtabit, nihili faciendum eorum numerum. Prima namque ab eo poſita regula eſt, ne Theologus doceat opiniones falſas, laxas, improbabiles. Porro vix unum reperias Probabiliſtam, qui hujuſce generis opiniones, & quidem haud paucas non doceat, aut adoptet. Altera: ne Theologus in ſubmovendis, aut minuendis legis oneribus ſolicitus ſit. At quis ſtudioſius ad onera legis tollenda, aut minuenda incumbit, quam qui veluti principium habent, *legem, de qua dubitatur, aut inter Theologos diſſenſio eſt, non eſſe legem, nec conſcientiam obſtringere*, ut docet ipſemet Terillus, & ex illo fere cæteri Probabiliſtæ? Tertia tandem: ut Theologus data opera, ſerioque animo controverſias ponderet, & utriuſque partis fundamenta diſcutiat. Verum hic quoque quam rari occurrunt Probabiliſtæ, qui quæſtiones, quas pertractant, & doctrinas, quas tradunt, ſerio, accuratoque examine perpenderint, & utriuſque ſententiæ momenta diſcuſſerint, ſi cum illorum conferatur maxime numero, qui inſtar avium, & ovium præceſſorum ſemitas ſecuti ſunt; ſive, ut ait Camargus, qui *per meram dumtaxat ſubſcriptionem, nulloque rei examine præmiſſo* alienæ adhæſere ſententiæ? Quid igitur ponderis probabiliſtico ſyſtemati accedit ex tot Theologis, qui in ipſorum libris laudari ſolent?

Nec hanc in Theologos quoque noſtros invidiam regerere ſibi poſſe arbitrentur Probabiliſtæ. Hi etenim, ſive eorum ſpectetur numerus, ſive eorum conſideretur authoritas, ſive adjunctæ circumſtantiæ ponderentur, authoritate pollere maxima ſapiens quiſque fatebitur. Quandoquidem eam fulciunt integri Sacri Ordines, qui vel latis legibus ab eorum cœtu probabiliſticam doctrinam eliminarunt, vel regulas indixere ſervandas illi, ex diametro oppoſitas, ut jam alibi oſtenſum eſt. Accedunt celebriores Univerſitates Sorbonica, Lovanienſis, Pictavienſis, Toloſana, Bituricenſis, Colonienſis, Juvavienſis, aliæque. Accedit denique Scriptorum contra Probabiliſmum pugnantium numerus, qui nunc temporis [effari mihi liceat] longe ſuperat Scriptorum cenſum a Probabiliſtis jactatum. Vix enim hodie alicujus nominis reperire eſt Scriptorem, qui Probabiliſmum non impugnet. Sed quod maxime horum æſtimationem adauget, peculiares ſunt animi dotes, & ornamenta, quæ in pleriſque horum elucent, & examen accuratiſſimum a pluribus inſtitutum hujus controverſiæ. Ex his Theologis, qui dedita opera quæſtionem in ſuis operibus mihi notis examinandam ſuſcepere, ſupra ſexaginta jam enumeravi, præter illos, quorum rumor tantum ad me pervenit; & alios ſupra ducentum indicavi Antiprobabiliſtas; quibus nunc plurimos alios accenſere fas eſſet.

In quibuſdam ex his illud etiam ſummopere notandum exiſtimo, quod, cum Probabiliſmum jam in Scholis, aut libris didiciſſent, illum ſubinde, quæſtione attente examinata, ejurarunt, publicamque fecere retractationem, & adverſus ipſum ſtrenue decertarunt; quorum paucos non eſſe PP. Gonzalez, & Camargo teſtantur. Nos duodecim Scriptorum pluribus nominibus illuſtrium exempla produximus, quorum nonnulli vel

S. R.

S. R. E. Cardinales, vel Archiepiſcopi fuerunt: alii publici Profeſſores in Univerſitatibus: alii Generales, aut Provinciales Sacrorum Ordinum: alii ſive doctrina, ſive pietate, ſive libris editis ſpectabiles, omnique æſtimatione digniſſimi. Quis hæc ſerio animo perpendens tali mutatione non commoveatur vehementius? Verendum quippe non eſt, ne mentem, & ſententiam mutaverint ex animi levitate, aut non bene perſpecta, probeque diſcuſſa controverſia, aut aliquo alio temporali motivo ducti: quum potius, ſi ad rationes terrenas reſpexiſſent, tenacius, ac fortius ſemel imbibitæ opinioni adhæſiſſent. Hinc, ut ingenue quidam ex his proteſtantur, diu ſecum ipſis pugnandum fuit, & graves moleſtiæ devorandæ, quas haud facile ſuperaſſent, niſi ſolius veritatis lux fulgentiſſima mentis oculos perſtringens, & æternæ damnationis diſcrimen, & metus eorum repugnantiam non ſuſtuliſſet, & ad pernicioſum ſyſtema deſerendum adduxiſſet. Quis itaque ex Probabiliſtis etiam ſententiæ ſuæ tenaciſſime addictis hujuſmodi non concutiatur exemplis, nec timeat nimium patens ſempiternæ ſalutis ſuæ periculum, quod tot viri ingenio præſtantes, ſapientia clari, ſublimioribus ornati animi dotibus probe perſpexerunt, & exhorruerunt?

CAPUT IX.

Trium Capitum præcedentium

CONSECTARIA.

I. *Syſtema probabiliſticum certo falſum haberi debet.*

II. *Quamquam argumenta adverſus Probabiliſmum producta, ſolum probabiliter ipſius falſitatem oſtenderent, regulam tamen humanarum actionum eſſe non poſſe evidenter convincitur.*

III. *Non eſt tutus in conſcientia, qui probabiliſticum ſyſtema in agendo ſectatur.*

IV. *Quamvis aliquis probabiliſticam ſententiam in agendo ſequeretur, perſuaſus de certitudine ipſius, non idcirco peccatum evitat.*

V. *In æterna damnationis periculo verſantur, quotquot ad aliorum conſcientias dirigendas probabiliſtica doctrina utuntur.*

VI. *De æterna ſalute periclitantur, qui ſe Confeſſariis, aut Theologis Probabiliſtis dirigendos committunt.*

VII. *Doctrina P. Ghetti, aliorumque, qui excuſant a culpa errores, in quos labuntur, qui ſe dirigi ſinunt a Probabiliſtis, prætextu ignorantiæ invincibilis, tanquam falſa rejicienda eſt.*

VIII. *Probabiliſtarum libri de Morali Theologia nonniſi cum peculiari cautione, & circumſpectione legendi ſunt.*

IX. *Quotquot Theologiam docent, criminis rei ſunt, ſi Auditoribus ſuis probabiliſticam doctrinam tradant.*

X. *Epiſcopi, & Eccleſiæ Prælati invigilare debent, ne ſuæ curæ ſubjecti probabiliſticis doctrinis dirigantur.*

XI. *Commune Reipublicæ bonum, & ſumma jura poſtulant, ut ſeculares Principes pro virili nitantur, ut a Ditionibus ſuis Probabiliſmus eliminetur.*

Reflexio.

CONSECTARIUM PRIMUM.

Syſtema Probabiliſticum certo falſum haberi debet.

I. HOC eſt primum conſectarium, quod elicimus ex argumentis productis in tribus Capitibus præcedentibus. Argumenta namque, quæ in his propoſuimus, adeo clara, firma, & efficacia ſunt, ut mentem omnem a præjudiciis vacuam plane convincere valeant de falſitate probabiliſtici ſyſtematis. Perpendantur, quæſo, tum quæ a ratione theologica, tum quæ ab authoritate deprompta ſunt; & nemo erit, ut

Digitized by Google

ut quidem arbitror, qui refragetur. Quæ enim a ratione deduximus, e principiis omnino certis, & firmiſſimis derivantur; ab ipſis nempe notionibus ab Authore naturæ Deo nobis impreſſis, a cura, ac ſollicitudine, qua tenemur ad divinam legem exacte obſervandam, ab ipſis Chriſtianæ prudentiæ præſcriptis, a principiis in Jure Canonico conſtitutis, a propoſitionibus ab Eccleſia damnatis, &c. quæ profecto non niſi certitudinem pariunt de falſitate regulæ operandi a Probabiliſtis inductæ. Quod ſi ea, quæ ab authoritate ſumpta ſunt, attendamus; quænam gravior, aut excellentior authoritas, quam quæ allata eſt, afferri a me poterat ad omnem dubitationem penitus amovendam? Ea namque non ex judicio petitur privatorum duntaxat Theologorum, ſed Eccleſiæ nobis loquentis ore tot Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & ipſorum Romanorum Pontificum, qui vel doctrinas Probabiliſmo adverſas conſtanter tradiderunt, vel hunc opinandi modum abominati ſunt, vel etiam Decretis palam editis rejecerunt, proſcripſerunt, condemnarunt tanquam falſum, perniciosum, a Chriſti doctrina alienum, deplorandam morum corruptelam inducentem, & a Patre mendacii ad fidelium perniciem inventum.

Hæc omnia ſingillatim etiam inſpecta ſatis abunde ſunt, ut quiſquis bene moratus, ac animo probe diſpoſitus perſuaſus omnino ſit de Probabiliſmi falſitate: ſed multo magis eam ſibi perſuadere quiſque debet, ſi adducta argumenta collective ſumat, atque attente, & uno veluti aſpectu conſideret. Ex his namque omnibus ſimul junctis demonſtratio moralis conficitur, quæ nulli dubium aliquod de hac re prudens relinquit. Ut enim obſervat Lacroixius *lib. 1. de Conſc. n. 183.* ex Cardena, certitudo moralis reſultare poteſt *ex multis conjecturis ſimul ſumptis*: quod etiam jam docuit S. Antoninus cum aliis, nec præſertim Fagoano ita aſſerente: *Etſi argumenta ſeorſim conſiderata non concludant omnino, nec ſint evidentia, ſed tantum probabilia; tamen ſi ſimul jungantur, & ſint multi ponderis, ſunt apta nata generare talem certitudinem, ut virtus apprehenſiva agnoſcat, vel apprehendat abſque ulla trepidatione, rem ita ſe habere.* Quapropter, tametſi argumentorum, quæ propoſui, & quæ in majori Opere latius explicata, & propugnata ſunt, ſingula Probabiliſmum falſum eſſe, ut ego exiſtimo, certo conficiant, fingamus tamen, aut concedamus *conjecturarum tantum probabilium* loco illa habenda eſſe; nonne ſaltem ſimul juncta, uti laudati Authores, docent, ad probandam probabiliſticæ doctrinæ falſitatis *moralem certitudinem* idonea ſunt? Nemo, qui rem ſemotis præjudiciis expenderit, id inficiabitur.

Consectarium Secundum.

Quamquam argumenta producta falſitatem Probabiliſmi probabiliter ſolum *oſtenderent, regula tamen humanarum actionum nullo modo eſſe poſſet.*

II. Ut hujus Conſectarii veritas evidenter conſtet, ac demonſtratio formetur, quæ totum Probabiliſmum ſubruit, & a regula ſecura humanarum actionum penitus excludit, placet hoc ſyllogiſmo argumentum concludere: *Probabiliſmus nec eſt, nec eſſe poteſt regula ſecura humanarum actionum, quotieſcunque non ſit, nec prudenter haberi poſſit ſententia certa, omnemque de ſua falſitate prudentem dubitationem excludens: atqui Probabiliſmus non eſt, nec prudenter haberi poteſt ſententia certa, omnemque de ſua falſitate prudentem dubitationem excludens: ergo non eſt, nec eſſe poteſt ſecura humanarum actionum regula.* Conſequentia legitima eſt juxta Dialecticæ regulas probe de-

ducta : atque adeo illam nemo negare valet, ſi præmiſſæ veræ ſint. Eas itaque demonſtro.

Et quidem propoſitio *major*; quod probabiliſmus *non ſit, nec eſſe poſſit regula ſecura humanarum actionum, ſi non ſit, nec reputari prudenter poſſit ſententia certa, prudentem omnem de falſitate ſua dubitationem excludens*; res eſt in confeſſo nedum penes Antiprobabiliſtas, ſed etiam penes ipſos Theologos Probabiliſtas, qui communiter docent, ad licitam actionem neceſſarium eſſe, ut judicium conſcientiæ, quo proxime actio dirigitur, de illius honeſtate *certum ſit*, omnemque prudentem dubitationem excludat de ejus pravitate; cumque hoc judicium conſcientiæ non poſſit eſſe *certum*, niſi *certum* quoque ſit principium, cui innititur, & ex quo totam ſuam certitudinem recipit, concedunt quoque, & concedere omnino tenentur, ipſum Probabiliſmum, ſive ſententiam probabiliſticam debere eſſe *certam*, ut ſuam certitudinem refundere poſſit in dictamen, ſive judicium conſcientiæ proxime dirigens actionem. Unde hunc veluti ſyllogiſmum practicum in agendo formant: *Licet ſequi, & in praxi amplecti opinionem, probabilem, faventem libertati in concurſu opinionis æque, vel etiam minus probabilis faventis legi: atqui hæc ſententia favens meæ libertati eſt probabilis &c.: ergo eam licite ſequor, & in praxi amplector*. Hæc conſequentia, quæ continet judicium conſcientiæ dirigentis actionem, eſt, & debet eſſe *certa* juxta Probabiliſtas, & ideo certa eſt, quia nititur propoſitioni *majori certæ*; neque enim, ut expreſſe ait Probabiliſta Bovius, *ex antecedente incerto certa concluſio profluere poteſt*. Porro major illa propoſitio eſt ipſe Probabiliſmus, ſive ſententia probabiliſtica, ut patet. Quare ſi hæc certa non ſit, ſive non excludat prudentem omnem dubitationem de falſitate ſua, concluſio inde deducta, ſive dictamen conſcientiæ proxime dirigens actionem nullo modo poteſt eſſe *certum*. En igitur propoſitio *major* poſiti a nobis ſyllogiſmi evidenter probata. Ad minorem.

Minor propoſitio hæc erat: *Probabiliſmus nec eſt, nec haberi prudenter poteſt ſententia certa, omnemque de ſua falſitate dubitationem excludens*. Hanc ſolam propoſitionem negare poſſunt, negabuntque Probabiliſtæ: & hæc mihi probanda eſt. Ut igitur invictiſſime illam evincam, præmitto doctrinam apud omnes certiſſimam, & infallibilem; ex duabus nempe propoſitionibus *contradictoriis* alteram eſſe non poſſe *certam*, & ſimul ejus contradictoriam *probabilem*: cujus hæc maniſeſtiſſima ratio eſt; quia nimirum *certitudo* unius neceſſario alterius *probabilitatem* excludit, & vice verſa *probabilitas* unius non patitur *certitudinem* alterius. Equidem inter opiniones, ſive propoſitiones *diſparatas* contingit, alteram eſſe *probabilem*, alteram *certam*; ſicut accidit duas eſſe medicinas, quarum altera *probabiliter*, altera *certo* effectum producit. Sed hoc in propoſitionibus *contradictoriis* locum habere nequit, nec fieri poteſt, ut quis judicare valeat hanc propoſitionem eſſe *probabilem*, & ſimul aliam contradictorie oppoſitam judicet *certam*. Nec eſt, cur in hoc probando laboremus: tum quia res omnibus Sapientibus explorata eſt, tum quia Adverſarii noſtri conceptis verbis id fatentur, & docent. Unde P. Cardenas in Criſi *p. 1. tract. 1. diſp. 2. n. 14.* ſcribit: *Implicat contradictionem, unam propoſitionem eſſe certam, & contradictorie oppoſitam eſſe probabilem*. Et P. Carpanius pag. 171.: *Ubi concurrit certitudo, & evidentia pro parte oppoſita, neque minor, neque major probabilitas locum habet* [in alia].

His igitur poſitis argumentum conficio, quod evidentis demonſtrationis loco habendum eſſe contendo, ut certiſſime omnibus conſtet, Probabiliſmum nullatenus eſſe poſſe ſecuram actionum noſtrarum regulam. Ut

ut

ni Adverſarii agnoſcere nolint, argumenta jam producta *certa* eſſe, adeoque nec *certo* evincere Probabiliſmi falſitatem, induci tamen minime poſſum, ut credam, ipſos ne quidem ut *probabilia* agnoſcere velle, ita ut nec ſeorſim inſpecta, nec etiam ſimul juncta probationem aliquam *probabilem* ſuppeditent pro falſitate propriæ ſententiæ; ſed omnia vel collective conſiderata meras eſſe ratiunculas aſſerant parvi pendendas, quin potius contemnendas. Neque enim ſatis eſt, ut qualemcunque ipſis ſolutionem adhibeant, ut argumenta poſita de ſua ſaltem *probabilitate* dejiciant, ſed talis omnino debet eſſe, ut clare oſtendat eorum futilitatem, ita ut indigna reddantur aſſenſu ſapientum, & cordatorum hominum; quod plane impoſſibile eſt, cum ipſimet videant tot jam ſapientes, doctiſſimoſque his adeo permoveri, ut nedum *probabilia* judicent, ſed & *penitus certa* habeant, & extra dubitationem omnem conſtituta.

Verum ut propriis ſuis principiis Probabiliſtas urgeamus, nonne omnes in hoc conveniunt, ad *probabilem* opinionem ſufficere, ut cum Laymano loquamur, *vel gravem authoritatem, vel non modici momenti rationem*? Quod igitur ad rationem attinet, ſi ſententiæ, quam aſſerimus, omnem *probabilitatem* prudenter negare velint, oportet, ut evidenter demonſtrent, omnes a nobis, & ab aliis adductas rationes contra ſuum ſyſtema *nullius eſſe momenti*, adeoque improbabiles: quod certe adhuc non præſtiterunt, nec ſunt præſtituri, quum & ipſi doceant non eſſe quidem *certa*, ſed tamen *probabilia* ea argumenta, quæ *alii Sapientum habent ut certa, alii negant*. Si igitur ex eorum confeſſione admittere ſaltem tanquam *probabilia* coguntur argumenta noſtra, *probabilem* ſaltem efficient falſitatem ſuæ ſententiæ, adeoque incertam, & ineptam ad communicandam certitudinem judicio practico conſcientiæ. Si autem *gravem authoritatem* ſpectemus, multo minus ſententiæ noſtræ *probabilitatem* detrahere, aut negare poſſunt, juxta ab eis ſtatuta principia, quod ſcilicet vel unus author Claſſicus, vel tres, aut quatuor docti, & pii, aut etiam, ſi mavis, decem, viginti, triginta, quinquaginta &c. reddant opinionem *probabilem*. Nam pro falſitate Probabiliſmi non unus, non decem, non quinquaginta, ſed ſupra tercentum & quingenti occurrunt Scriptores, quorum ſaltem plures doctrina, & pietate eximii ab omnibus æſtimantur, qui etiam data opera diſputationem verſarunt, & maximo ſtudio, ac attentione perſcrutati ſunt, ut ex. gr. Gonzalez, Elizalda, Camargo, Boſſuetus, Balletinius, aliique permulti, quos jam alibi recenſui. Verum hæc authoritas tanquam minoris ponderis habenda eſt, ſi cum ea conferatur, quæ deſumitur ex iis, qui clavum Eccleſiæ tenent, nempe Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus totius ferme orbis Chriſtiani, quorum plures nedum docuere ſententiam Probabiliſmo contrariam, ſed ipſum quoque reprobarunt, prohibuerunt, condemnarunt, & e finibus ſuis expulerunt veluti falſum, pernicioſum, & omnium execratione dignum. Quibus ſi addas, quæ a Summis Romanis Pontificibus producta ſunt, jam authoritas pro falſitate Probabiliſmi nedum *gravis*, ſed & *graviſſima* omnino dicenda eſt. Unde non jam imprudentis, ſed inſani plane hominis eſſet, negare huic ſententiæ non ſolum *certitudinem*, ſed vel ipſam *probabilitatem*. Admiſſa autem etiam ſola *probabilitate* hujus ſententiæ, ex poſitis principiis demonſtrative ſequitur, Probabiliſmum eſſe non poſſe ſecuram humanarum actionum regulam.

Hoc idem argumentum uno abhinc ſæculo propoſitum fuit ab Authore *Defenſionis Cenſurarum*, quas Univerſitas Pictavienſis in Probabiliſmum pronunciaverat. Quod ſi tunc adeo efficax viſum eſt, ut ad ſilentium coege-

gerit Adverſarios, quanto nunc efficacius erit, quum innumera jam acceſſerint momenta rationis, & authoritatis in illius confirmationem? Sic igitur ratiocinabatur *Cenſurarum* Defenſor: " Hocce dogma, *licere* nempe *opi-*
„ *nionem probabilem ſequi in concurſu &c.*,
„ quod baſis eſt, & fundamentum *certitudi-*
„ *nis*, & *ſecuritatis* conſcientiæ veſtræ, vel
„ *eſt certum*, *vel incertum*, *&* *ſolum proba-*
„ *bile*. Si *incertum* dicitis, ac ſolum *proba-*
„ *bile*, en tota confeſtim *practica* illa *certi-*
„ *tudo conſcientiæ* funditus everſa; quippe
„ quæ fundamento, aut principio nititur *in-*
„ *certo*, & tantum *probabili* quod certitu-
„ dinem tribuere nequit judicio conſcientiæ.
„ Si prius aſſeritis, oportet, ſententiam op-
„ poſitam prorſus *improbabilem*, certo fal-
„ ſam, errorisque plenam eſſe. Tantum au-
„ tem abſurdum nec cuiquam veſtrum in
„ mentem venire, nec a quoquam coram
„ ſapientibus efferri poſſe crediderim: præter
„ enim jam recitata Patrum, D. Thomæ
„ &c. teſtimonia, ſola Epiſcoporum, Doc-
„ torumque, a quibus novitium hoc dog-
„ ma veſtrum erroris perniciosiſſimi loco ha-
„ bitum eſt, & damnatum, authoritas ob-
„ eſſe debet, ne ſententiam oppoſitam *impro-*
„ *babilem* judicetis. Sane, ut dictum per ſæ-
„ pe eſt, ſi ad opinionis *probabilitatem* tres,
„ quatuorve Doctores ſatis eſſe cenſetis, non-
„ ne vel inviti fateamini oportet tot Docto-
„ rum, atque Epiſcoporum opinionem *pro-*
„ *babilem* a vobis judicandam eſſe? Si *opi-*
„ *nionum probabilitatem* ex authoritate dedu-
„ citis, quantum hi, qui primas in Eccleſiaſti-
„ ca Hierarchia partes obtinent, vobis præſtant,
„ qui in eadem nullas habetis? Ii ſiquidem Pa-
„ ſtores ſunt; vos autem oves; ii Judices, vos au-
„ tem ſubditi, qui illorum debetis & judicium
„ attendere, & ſententiis acquieſcere ". Ita ratiocinabatur præfatus Theologus, quin Adverſarii quidquam invenerint, quod reſponderent. Quod ſi argumentatio illius tunc invicta, & irrepugnabilis fuit, videat quæſo, prudens quiſque, & conſideret, quodnam roboris incrementum nunc aſſecuta ſit, poſtquam illorum Epiſcoporum judicium confirmarunt, præter innumeros Theologiæ Doctores, tot Univerſitates, tot, tamque illuſtres alii Præſules ex toto orbe Catholico, duo Epiſcoporum Galliæ, & Hiſpaniarum Conventus, tot Summi Pontifices, qui vel Probabiliſmum damnarunt, vel rejecerunt, aut deteſtati ſunt? Uno verbo tot, ac tanta tum rationum, tum authoritatum momenta, ut vix jam pene nemo ſit ex vere doctis & ſapientibus viris, qui Probabiliſtarum ſententiam non jam amplius impugnandam, ſed contemnendam potius, & irridendam arbitretur.

En igitur paucis contracta invictiſſima demonſtratio. *Probabiliſtæ* non poſſunt habere ſententiam ſuam *tanquam regulam certam* humanarum actionum, niſi ſibi perſuadeant, ſententiam contrariam nedum *certam* non eſſe, ſed neque *probabilem*. Atqui impoſſibile eſt, ut hoc prudenter, ac bona fide ſibi perſuadeant. Ergo non poſſunt habere ſententiam ſuam tanquam regulam certam humanarum actionum, prout eſſe deberet juxta ſua ipſa principia, atque doctrinas. Ergo (hanc etiam conſequentiam addimus] miſere decipiunt ſe ipſos, & decipiunt alios, dum vel in praxi ſequuntur ſententiam ſuam, vel ſequendam alios docent. Omnes, quotquot ſunt Probabiliſtæ, obteſtor, ut hoc argumentum ſerio meditentur, & attente perpendant. Hoc enim ſatis eſſe poteſt, ut de falſitate ſyſtematis ſui pleniſſime convincantur, nec ſecuram eſſe poſſe humanarum actionum regulam clariſſime perſpiciant.

CON-

Consectarium Tertium.

Tutus non eſt in conſcientia, qui probabiliſticam doctrinam ſequitur in agendo.

III. Ex iis, quæ dicta ſunt, ſponte fluit hoc Conſectarium, quod adeo certum, & evidens eſt, ut plane ſupervacaneum videri queat aliquid ulterius addere ad illud amplius explicandum. Quandoquidem ſi probabiliſtica doctrina nequit eſſe tuta agendi regula, ut perſpicue, & ſi miſſime oſtenſum eſt, qui illam in operando ſequitur, contra prudentiæ, rectæque rationis normam operari convincitur, adeoque peccat, & juxta materiæ conditionem lethaliter, adeo ut nullam apud Divinum Judicem excuſationem peccati ſui afferre valeat. Lubet tamen rem paulo amplius declarare ex adductis doctrinis.

In eo conſentiunt Theologi omnes, ut non ſemel monuimus, ad culpam vitandam in noſtris actionibus neceſſariam eſſe ſaltem moralem certitudinem judicii conſcientiæ de honeſtate actionis, qua omne dubium prudens, & rationabile peccandi excludatur. Porro fieri nequaquam poteſt, ut ſine dubio prudenti, & rationabili operetur, qui in concurſu opinionis probabilis, ac tutæ contrariam amplectitur, vel æque, vel minus probabilem. Siquidem ut judicium conſcientiæ prudens, & rationabile formaretur, neceſſaria foret certitudo ſaltem moralis de hoc generali principio: *Licere in concurſu opinionum probabilium eligere minus tutam, & minus probabilem*, quod eſt ipſemet Probabiliſmus: quæ certitudo haberi nequit, ut ſupra demonſtratum eſt. Igitur legitima, & neceſſaria conſecutione peccat, qui in agendo ſequitur probabiliſticam ſententiam.

Idem argumentum alio modo lubet proponere. Omnes ſive Probabiliſtæ, ſive Antiprobabiliſtæ docent, peccare *formaliter*, qui *probabili* peccandi periculo voluntarie ſe exponit: hoc enim agendi modo, ut ipſi ajunt, legem contemnit, ac ita ſe gerit, ac ſi diceret: *Quidquid ſit de honeſtate, vel turpitudine hujus actionis, quam elicio, vel omitto, agere eam, vel omittere volo, & nulla mihi de lege cura eſt*: quod profecto ſine contemptu legis Dei concipi nequit. Hinc colligunt, non ſufficere judicium, ſive dictamen conſcientiæ tantum *probabile*, ſed *certum* eſſe oportere, ut dubium prudens abjiciatur: *Qui operatur*, inquit Lacroixius lib. 1. de Conſc. n. 48. *ex judicio practico tantum probabili, ſcit judicium, quo nititur, poſſe eſſe falſum: ergo non eſt certus, ſe non peccare formaliter: ergo ſic operando ſe exponit periculo peccandi formaliter, & virtualiter contemnit legem: ergo peccat*. Hac igitur ſuppoſita doctrina, ſemper peccatum incurrit, qui in agendo probabiliſticam ſententiam amplectitur: neque enim abigere poteſt dubium prudens, & rationabile de falſitate ipſius, atque adeo de honeſtate ſuæ operationis.

Consectarium Quartum.

Quamvis aliquis in agendo probabiliſticam ſententiam ſequatur, perſuaſus de certitudine ipſius, non ideo peccatum evitat.

IV. Ratio eſt: quia cum falſitas probabiliſticæ regulæ demonſtrata ſit, perſuaſio illa de Probabiliſmi *certitudine* non poteſt eſſe prudenter inducta, ſed ex aliqua culpa profecta ſit oportet, nempe vel ex negligentia in examinanda quæſtione, vel ex animi pertinacia, vel ex præjudiciis ſine ſufficienti ratione formatis, vel ex aliquo inordinato affectu, vel ex nimia adhæſione ad propriam Scholam, aut Magiſtros, vel demum ex alia prava cauſa ignorantiæ ſuæ, quæ culpabilis eſt, *nec poteſt*, ut inquit Angelicus, *ſubſequentem culpam excuſare*. Obvium habemus hujuſce rei exemplum in infidelibus, &

Digitized by Google

hæreticis. Quis neget, inter hos nonnullos ſaltem eſſe, qui ita ſuis dogmatibus, & erroribus tenaciter adhærent, tanquam veritatibus omnino certis, ut ne leviſſima quidem ſuſpicione tangantur, ſe falli, & viam perditionis decurrere? Nihilominus tamen quis affirmaverit, eos tali certitudine innixos, coram Deo excuſandos? Nullum arbitror: nec alia ſane de cauſa, niſi quia certitudo illa, atque ſecuritas, in qua vivunt, ab aliqua oritur culpa, quæ illam efficit imprudentem, arbitrariam, inexcuſabilem. Eamdem itaque, ſimilemve pertimeſcere merito debent Probabiliſtæ in ſua opinione obfirmati, culpam eſſe, quæ inexcuſabilem quoque reddat certitudinem ſententiæ ſuæ, & ſecuritatem conſcientiæ, quam jactant. In hæreticis, & infidelibus culpabilis cauſa frequenter pertinacia eſt, qua Catholicæ Eccleſiæ definitionibus, vel Chriſtianæ Religionis ſplendidæ luci reſiſtunt, aut oculos claudunt. Quandoque etiam cupiditas, & præoccupatus animus in cauſa ſunt, cur evidentiam, & certitudinem ſibi confingant, ubi nec eſt, nec eſſe poteſt: ſæpe ſæpius, immo plerumque præcipitatio judicii, & imprudentia ſunt funeſtiſſimæ cauſæ, cur aſſentiantur, aut diſſentiant, nullo præmiſſo examine, nulla ſeria adhibita conſideratione erga imbecilliora erroris ſui argumenta, vel erga fundamenta firmiſſima, quæ veritati favent, quam ipſi temere nimis rejiciunt. Porro aliquam ex hiſce criminoſis cauſis locum habere puto, imo habeat neceſſum eſt in iis Probabiliſtis, qui in ſuo ſectando ſyſtemate certitudinem ſe habere gloriantur. Siquidem vel illos obfirmat damnabilis pertinacia, quæ eorum claudit oculos, ne inſpiciant veritatis lumen, quod undequaque refulget: vel vinctos detinent partium ſtudium, & animi præoccupatio, queis lubentius adhærent doctrinæ molliori, & cupiditatibus humanis conſentaneæ, idoneæ proinde ad conciliandam gratiam, authoritatem, & favorem illorum omnium, qui latam, & ſpatioſam viam quærunt, & amant: vel denique impedimento eſt ſupina illa negligentia, qua falſam doctrinam ſemel edocti retrahuntur ab accurato illius examine, & a ſeria ponderatione momentorum, & rationum utriuſque ſententiæ. Quæcunque ſit ex hiſce cauſis, quæ certitudinem illam inducat, aut ſecuritatem, quam ſibi promittunt probabiliſtici ſyſtematis ſectatores, cum culpa non careat, non poteſt ipſos in divino judicio excuſare; adeoque nihil eſt, unde de ſua ſibi ſalute blandiantur. Quod ego plurium illuſtrium Virorum authoritate confirmare poſſem; Sed duorum, vel trium contentus ero, ſcilicet Clariſſ. Boſſueti, ajentis, *luce clarius eſſe diligentiſſime præcavendam opinionem, quæ minori probabilitati favet, quippe quæ animas inducat in laqueum, ſecuritate falſo oſtenſa, non autem præſtita, & inevitabilis damnationis judicio conſecuto*. Eminent. Cardin. de Aguirre, qui fatetur, *deprehendiſſe ingens periculum ſalutis in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliſmo*; Cardinalis de Laurea, qui diſcuſſa probabiliſtica doctrina demum concludit: *Hinc cenſeo, operantem cum probabili opinione, relicta probabiliore, periculo formali ſe exponere, & ignorantiæ vincibilis errore laborare*: & quinque Epiſcoporum, quos ſupra laudavimus, *Alectenſis*, *Apamienſis* &c., qui hanc propoſitionem in primis damnarunt: *Nullum eſſe periculum damnationis, quotieſcumque inter duas propoſitiones æque probabiles illa præeligitur, quæ magis arridet*.

CONSECTARIUM QUINTUM.

In æternæ damnationis periculo verſantur, quotquot ad aliorum conſcientias dirigendas probabiliſtica doctrina utuntur.

V. De iis loquor omnibus, qui in dirigendis aliorum conſcientiis doctrinas proba-

bili-

Digitized by Google

biliſticas ſequuntur, non qui ſola oſtentationis ingenii gratia Probabiliſmum defendunt, aut *ſpeculative* dumtaxat ſuſtinent, in *praxi* vero eum deſerunt, & ſaniores doctrinas conſectantur: quorum non paucos eſſe non dubito. De illis ergo ſolum loquentes conſtanter aſſerimus, *in æterna damnationis periculo verſari*. Cum enim animas dirigant juxta doctrinam, *quæ*, ut ajebat Archiepiſcopus Bituricenſis D. de Vantadour, *Dei non eſt*, *nec Jeſu Chriſti*, *nec Apoſtolorum*, *nec Eccleſiæ*, nonniſi *a patre mendacii* prodire potuit, adeoque certo falſa, antievangelica, pernicioſiſſima animabus, quas regunt, & quæ via illa eſt *lata*, & *ſpatioſa*, quam *ad perditionem ducere* Divinus Magiſter Chriſtus admonuit. Unde Directores hujuſmodi in eorum *cæcorum* numero collocandi ſunt, quos Evangeliſta deſignat, qui alteri *cæco* manum porrigentes ſimul ambo in æternæ gehennæ foveam miſerrime prolabuntur: *Cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*.

Sunt eo quoque nomine culpabiliores Confeſſarii, quia doctrinas ſectantes probabiliſticas, & laxas a triplici illo munere deficiunt, quod in Sacro *Pœnitentiæ* Tribunali exercent, *Medici* videlicet, *Judicis*, & *Magiſtri*, ſive Doctoris. A *Medici* ſpiritualis munere deficiunt, dum ægrotis animabus medicinas propinant, quæ earum infirmitates non curant, ſed potius augent, & benignioribus opinionibus inordinatas, a quibus illæ prodeunt, animi paſſiones demulcent, & fovent: unde inſanabiles plane fiunt, atque lethales. Deficiunt & a *Judicis* Miniſterio. Quandoquidem, ſi Judex temporalis, poſt damnatam hac de re propoſitionem, tenetur ſententiam proferre juxta probabiliorem opinionem, multo magis ad hoc idem obſtringitur Judex ſpiritualis, qui non de rebus caducis, leviorique momenti, ſed de maximis, ac æternis judicia pronunciat. Deficiunt denique & in miniſterio *Doctoris*, ſive *Magiſtri*, quippe qui præcepto Divino, & naturali ad ſe confugientes docere tenentur ſanas, tutaſque doctrinas, queis inſiſtentes per viam plane regiam veritatis ad cælum tendant; minime vero divendere incertas, dubiaſque opiniones, quæ per ſemitam fallacem Probabiliſmi in ſempiternam perditionem præcipites agant: quod certo præſtant laxæ illæ doctrinæ, quas per erronea ſua *reflexa* principia licitas, ac ſecuras reddi poſſe falſiſſime ſibi blandiuntur.

CONSECTARIUM SEXTUM.

De æterna ſalute periclitantur, qui ſe Confeſſariis, aut Theologis Probabiliſtis dirigendos committunt.

VI. Ut, qua decet, claritate hocce magni momenti Conſectarium exponam, nec importunum cuiquam timorem ingeram, vel ſcrupulos imprudentes, placet prænotare, Chriſtianos ad tres claſſes poſſe facile revocari. Alii namque ita perverſi ſunt, ac ſceleſti, ut nec Deum timeant, nec ulla propriæ ſalutis ſollicitudine tangantur; propterea vel ad Sacramenta nunquam accedunt, vel ſi quando accedunt, non deſiderio animæ propriæ conſulendi moventur, ſed ne invidiam communem ſubeant, & vituperationem. De iſtis nullus mihi ſermo, cum de eorum ſalute actum eſſe nemo dubitet. Alii ex oppoſito ſunt, ſed pauci quidem numero, qui de æterna ſalute impenſe ſoliciti ſedulam Chriſtianis virtutibus operam navant, pravis affectibus viriliter obſiſtunt, propria munia exacte implent, Sacramenta debita animi præparatione ſuſcipiunt, bonis operibus indeſinenter inſiſtunt; &, licet in ſeculo verſentur, a pravis tamen ejus moribus, & conſuetudinibus abhorrent, ejuſque blanditiis, & voluptatibus ſe allici non patiuntur

tur

Digitized by Google

tur. De his quoque nihil dicam, quibus timorem incutere mihi non eſt animus, licet fortaſſis a Confeſſariis, ac Theologis Probabiliſtis dirigantur; neque enim hos jam perditæ conſcientiæ futuros credimus, ut illos ab arcta, & ſecura via, qua incedunt, avocent, ut in latam, & ſpatioſam ſuis opinionibus pertrahere velint.

De tertia itaque claſſe Chriſtianorum loquor duntaxat, media veluti inter haſce duas, quæ omnium eſt frequentiſſima, illorum ſcilicet, qui bonam quidem præſeferunt voluntatem, & deſiderium æternæ aſſequendæ ſalutis nutriunt; ſed ea non adhibent efficacia media, quæ ad tantum, arduumque opus neceſſaria ſunt: qui cælum vili emere cupiunt, & contra Evangelica monita, atque præcepta Deo, & mundo ſervire: qui Sacramentorum frequentiam cum ſæculi moribus, & conſuetudinibus conſociant: qui vitam agunt voluptuoſam inter oblectationes, & gaudia: qui ſatis habentes turpiora quædam vitare crimina, pro nihilo ducunt alia occultiora, minuſque obvia: qui cupiditates, pravaſque affectiones minime compeſcunt, imo his liberius indulgent, & obſecundant: qui theatra, ſpectacula, feſta frequentant, tempus in aleis, ludis, & converſationibus promiſcuis terunt: qui in veſtitu, ornatu, & pompis vanitatem oſtentant: qui nonnullis quotidianis precatiunculis, aut levioribus quibuſdam pietatis officiis contenti, graviora proprii ſtatus officia negligunt, & præcepta Dei ſæpe violant. De iis etiam loquor, qui terrenis rebus ſolum inhiantes, & ſæculi corruptelis, frequentius in peccata labuntur ſive iræ, & ultionis, ſive injuſtitiæ, & turpis lucri, ſive impuritatis, & obſcœnarum delectationum: qui juxta proprium ſtatum, quæ pauperibus debentur, non erogant: qui mercede operarios fraudant: qui æs alienum non ſolvunt: qui per vim, & potentiam, quam in alios affectant, authoritatem vel tueri, vel augere ſtudent. De his itaque, ſimilibuſque loquor, qui, cum divinorum judiciorum metum non omnino a corde abjecerint, delicta ſua identidem confitentur, nec tamen ea deſerunt, aut ſerio reſipiſcunt; putantque, quia facile abſolvuntur, ſuam in tuto ſalutem eſſe, nihilque cogitant amplius. Hos maximo in æternæ damnationis periculo verſari pronuncio, Divini Eloquii, Sanctorum Patrum, omniumque Chriſtianæ vitæ Magiſtrorum authoritate fretus: etſi Confeſſarii Probabiliſtæ aut eos ſinant hujuſmodi vitam agere ab Evangelii regula alienam, aut a peccatis, quæ confitentur, paſſim abſolvant. Ex pluribus, quæ in majore Opere attuli, pauca ſeligam in hujuſce veritatis confirmationem.

Et primo quidem in Divina Scriptura hæc formidanda verba legimus: *Eſt via, quæ videtur homini recta: noviſſima autem ejus ducunt ad mortem*; vel ut legitur apud LXX. *Eſt via, quæ apud homines certa videtur: interim noviſſima ejus ad inferorum fundum deducunt*. Quæ via hæc adeo periculoſa, etſi *recta*, aut *certa* videatur, ac tuta? *Via hæc*, interpretatur Cornel. a Lapide, *error accipi poteſt vel in fide, vel in moribus . . . Error in moribus eſt, quo quis licitum putat, & honeſtum, legique Dei conforme, quod difforme eſt. Id autem crebro accidit, cum quis nimis indulget judicio vel ſuo, vel imperitorum, aut pravorum Conſiliariorum, Magiſtrorum, Confeſſariorum*. Fieri ergo poteſt, & *crebro accidit*, ut quis *per viam* incedat, quæ *tuta* videtur, & talis aſſeritur a Confeſſariis imperitis, aut fallacibus doctrinis præventis quæ tamen in fine ad inferna deducat. At ſi res ita ſe habet, nonne una, ac præcipua ex iis ſemitis dicendus erit Probabiliſmus, cujus uſum Confeſſarii non pauci tantum jactitant, alioſque ad ejus regulam dirigunt; quem tamen *falſam regulam* eſſe tot invicta momenta evidenter evincunt?

Æque

Digitized by Google

Æque ad rem noſtram confert Chriſti jam memorata ſententia : *Si cæcus cæco ducatum præſtet , ambo in foveam cadunt* . Quæ verba expendens S. Auguſtinus *lib. de Paſt. c.* 10. ait : *Terret Dominus non ſolum cæcum ducentem , ſed & cæcum ſequentem . Non enim cadit in foveam cæcus ducens , & non cadit ſequens : ſed cæcus cæcum ducens , ambo in foveam cadunt* . Quum hoc veriſſimum ſit , an non ſibi vehementer timebit ille , qui Probabiliſtæ Ductori ſe permittit per viam ingrediens , quæ ſalutis eſſe nequit , quum veritatis via non ſit ? Tot , quæ jam producta ſunt , momenta graviſſima nonne ſatis abunde oſtendunt , *cæcum* illum eſſe , & maleſidum *ducem* ad exitium ſempiternum ?

Matthæi *c.* 7. admonet Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos , omneſque in ipſis fideles : *Intrate per anguſtam portam : quia lata porta , & ſpatioſa via eſt , quæ ducit ad perditionem ; & multi ſunt , qui intrant per eam*; ſtatimque ſubdit : *Attendite a falſis Prophetis* . Princeps vero Apoſtolorum Petrus *Epiſt. 3. cap.* 2. animadvertit, quod , ſicut in veteri lege non defuere Prophetæ populum decipientes , ita & in nova non deerunt Pſeudomagiſtri, a quorum doctrina cavendum ſit , ne decipiamur : *Fuerunt vero Pſeudoprophetæ in populo , ſicut & in nobis erunt Magiſtri mendaces* . At quinam erunt hi *pſeudoprophetæ , & pſeudomagiſtri* , quos fugere debemus , niſi qui homines non *per anguſtam , quæ ducit ad vitam , ſed per ſpatioſam , quæ ducit ad perditionem , viam deducunt* , quam multi ſectantur , & pereunt ? Opportune hic obſervat doctiſſimus P. Elizalda 2. *part. lib.* 6. *q.* 4. §. 4. , in pſeudoprophetis veteris legis non deſignari duntaxat Doctores hæreticos , ſed & Theologos Catholicos, qui in doctrina morum falſitatem docent , & ſectandam proponunt : *Sciatur hoc* , ait , *in Eccleſia eſſe Magiſtros falſos, & mendaces , quod in populo fuerunt pſeudoprophetæ . . . . . Rurſus , ut Hieronymus obſervat , prophetarum nomen bonis , & malis , veris , & falſis commune eſt* : quod etiam affirmant S. Auguſtinus , & Chryſoſtomus . His porro Doctoribus , atque Prophetis non fidere populum monet Deus per Hieremiam dicens : *Prophetæ tui viderunt tibi falſa , & ſtulta , nec aperiebant tibi iniquitatem tuam , ut te ad pœnitentiam provocarent . Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas , & ejectiones* . Ad quæ verba ſic ait S. Hieronymus : *Unde cavendum eſt , ne pro veritate ſequamur mendacium , ac pro lumine tenebras : multæ enim ſunt viæ , quæ videntur hominibus rectæ , & noviſſima eorum perveniunt ad infernum* .

Alia mitto Divini Eloquii , Patrum , & Epiſcoporum teſtimonia , quæ idem declarant ; tantumque adducam argumentum obvium ſimul , atque efficax ad veritatem hanc omnibus perſuadendam . A Summis Pontificibus Alexandro VII. , & Innocentio XI. ſupra 100. propoſitiones ad mores attinentes confixæ ſunt *tamquam ſcandaloſæ , animarum perniciem inferentes , & in praxi perniciosæ* ; ut , quemadmodum prior ait , *oves ſibi creditas a ſpatioſa , lataque , per quam itur ad perditionem , via pro paſtorali ſolicitudine in viam arctam evocaret* : ut & a Benedicto XIV. variæ de Jejunio , Uſuris , Monomachia &c. opiniones proſcriptæ fuere . Hæ omnes , aut ſaltem ferme omnes priuſquam ab Apoſtolica Sede configerentur , erant procul dubio *probabiles* : atque his propterea Confeſſarii Probabiliſtæ utebantur , vel uti poterant ceu regulis , ad quas alios tuto dirigerent . Num vero ipſæ tutæ erant ; ut eis utentes vacarent crimine , & ab æternæ perditionis periculo procul abeſſent ? Quis hoc afferat , quum eas laudati Pontifices aſſerant *ſcandaloſas fuiſſe , animarum perniciem inferentes , in praxi perniciosas* ; ſeque in illas cenſuram ferre , *ut oves ſibi creditas a via , quæ itur ad perditionem , avocarent* ? Si ergo illæ etiam , antequam damnarentur , erant *ſcandali , & perniciei plenæ* ; quid inde conſe-

quitur ? Peccaſſe certe illos, & damnationis æternæ periculum adiviſſe, quos hujuſmodi doctrinis Probabiliſtæ dirigebant, & ſecuritatis promiſſione fallebant: v. g. *Judicem, qui, relicta opinione probabiliore, minus probabilem ſequebatur*; atque ita de aliis. Si autem ita periculoſæ erant confixæ illæ opiniones, non minus ſane periculoſæ dicendæ ſunt aliæ plurimæ, quæ licet nondum expreſſe damnatæ, damnatione tamen dignas eſſe Sapientes quique conveniunt, & inter has generalem Probabiliſmi doctrinam, quam certo falſam, & virtualiter ſaltem damnatam eſſe demonſtravimus. En itaque manifeſtum, in quo verſantur, periculum perditionis æternæ, qui ſe Probabiliſtis, quibus omnium uſus ſecurus eſt, regendos in ſummo animæ negotio committunt. Sicut enim, ſi laudatis Pontificibus credendum eſt, in periculo verſabantur, quorquot benignis conſcientiæ moderatoribus utentes ſuas ad probabiles opiniones poſtmodum ab Eccleſia damnatas actiones exigebant; ita de iis omnibus idem pronunciandum, qui benignis æque eidem doctrinæ addictis moderatoribus aures præbentes tot ſibi licere putant laxiores opiniones, quibus probabilitas honeſtatem conciliare dicitur, atque ſecuritatem.

CONSECTARIUM SEPTIMUM.

Adverſus doctrinam P. Nicolai Ghetii, aliorumque excuſantium eos, qui ſequuntur Probabiliſtas Directores prætextu ignorantiæ invincibilis *errorum, in quos labuntur*.

VII. Pater Nicolaus Ghetius Societatis Scriptor in ſuo libro paucis ab hinc annis edito *de principiis Philoſophiæ Moralis*, agens de Probabiliſmo inter alias, quas ſcripſit, abſurdas propoſitiones, locum non extremum obtinet, quæ ſequitur; nimirum: *Error pœnitentis ductum Confeſſarii Probabiliſtæ ſequentis nullo ipſi detrimento eſſe poteſt: quoniam hujuſmodi ſequendo ducem, ac directorem conſcientiæ a legis tranſgreſſione excuſatur beneficio ignorantiæ invincibilis*. Hac ſpe, & fiducia alii Probabiliſtæ jactant, ſibique devinctos tenent pœnitentes ſuos ſæpe auribus eorum inſuſurrantes, ſibi Deo reddendam eſſe rationem de iis, quæ docent, aut conſulunt, aut fieri permittunt, non iis, quos dirigunt: nihil enim iſtis timendum eſſe perſuadent, quoniam, etiamſi errent, a culpa ob invincibilem ignorantiam excuſantur.

Quam falſa ſit hæc doctrina, ex iis quæ præcedenti Conſectario dicta ſunt, ſatis apparet. Verum ad majorem hujuſce rei claritatem quædam addenda cenſeo. Et quidem novi ego, ac lubentiſſime aſſentior, illis omnibus, qui, perito ſibi delecto Confeſſario, ſincero corde ſolam ab eo veritatem exquirunt, ejus dictis, & deciſionibus acquieſcendum, illique fidentes nimias anxietates, & ſupervacaneos timores abjicere poſſe. Hoc, inquam, verum puto: modo tamen in Confeſſarii electione culpabilis error locum non habuerit. At, ſi in eo deligendo erratum ſit, & Animæ rector ex illis fuerit, qui juxta probabiliſticas, laxaſque doctrinas animarum conſcientias moderantur; conſtanter ajo, non poſſe hominem tranquillo animo eſſe, etſi omnem ille promittat ſecuritatem. Hic enim merus miniſter eſt, qui polliceri quidem poteſt, at non conferre ſecuritatem. Audiendus Auguſtinus in rem noſtram præclare diſſerens: *Ecce*, inquit ſerm. 40., *dat tibi ſecuritatem Procurator: quid tibi prodeſt, ſi Pater familias non acceptet? Procurator ſum: ſervus ſum. Vis dicam tibi: vive ut vis: Dominus te non perdet. Securitatem tibi Procurator dedit. Nihil valet ſecuritas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, & ego te ſolicitum facerem. Domini enim ſecuritas valet, etiamſi nolim: mea autem nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuri-*

tas

tas , fratres , vel mea , vel veſtra ? niſi ut Domini juſſa intente , ac diligenter audiamus . Alibi quoque iis reſpondens , qui in Paſtores falſos , ſi ab eis decepti fuiſſent , totam regerentes culpam dictitabant : *Illi de nobis reddent rationem* , ſi nos fefellerint , reponit : *Reddent plane rationem de morte veſtra . De morte ovis maligna reddet malus Paſtor malam rationem*: interim ovis cum Paſtore peribit .

Quid igitur Gherlus , aliique Probabiliſtæ ſecuritatem promittunt ſuis pœnitentibus ? Quid fidenter jactant *Confeſſarii Probabiliſtæ , errorem nullam afferre poſſe pœnitenti perniciem prætextu ignorantiæ invincibilis ?* Si nec mox laudatis Auguſtini verbis , aliorumque Patrum ſententiis moventur, nec minis nedum in pſeudoprophetas decipientes , ſed in populum deceptum a Domino latis , cur ſaltem non conſiderant Summorum Pontificum apertas declarationes , qui profecto quum dixerunt , falſas opiniones a ſe damnatas fuiſſe ceu *ſcandaloſas , & animarum perniciem inferentes* , haud utique credebant , quod iis utentes etiam ex Probabiliſtæ Confeſſarii directione *ignorantia invincibili* laborarent , quæ ipſos a culpa coram Deo excuſaret . Recolant , quæſo , animoque alte defigant pœnitentes , & Probabiliſtas Theologos conſulentes , quibus animam ſuam nimium facile fidunt , & ipſi quoque Confeſſarii , & Conſultores , qui benignioribus doctrinis illos decipiunt , D. Thomam quodl. 3. art. 10. conſtanter , & explicate docentem . *Dicendum , quod diverſæ opiniones Doctorum &c. , ſi quidem non pertineant ad fidem , & bonos mores , abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt : in his enim locum habet illud Apoſtoli* unuſquiſque in ſuo ſenſo abundet . *In his vero, quæ pertinent* [N. B.] *ad fidem , & bonos mores , nullus excuſatur , ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat* , Num hæc doctrina cum Gherii , aliorumque Caſuiſtarum doctrina pugnare evidentius poteſt ?

Hæc porro D. Thomæ ſententia eo magis ſuſcipienda eſt , ac tenenda , quo ex communi Patrum doctrina deprompta eſt , imo ex ipſis Chriſti monitis decerpta . Nam , ut ſapienter animadvertit Elizalda , *Dominus non dixit ; Si vos fallant* [Magiſtri] , *nihil eſt : Si Doctores ſint , magnaque etiam apparentia boni , verique videantur , nihil eſt : Nam ignorantia erit invincibilis . Non hoc dixit ; ſed vigilare , & attendere nos jubet .*

Consectarium Octavum .

Probabiliſtarum libri de Morali Theologia tractantes vel non legendi , vel nonniſi peculiari cautione , & circumſpectione adhibita legendi ſunt .

VII. Ex rerum moralium Tractatorum libris ſuam plerumque Parochi , & Confeſſarii doctrinam hauriunt . Ut horum autem hodie immanis eſt numerus ; ita plerique pravarum , exitialiumque opinionum fermento turgent . Quare in his ſtudium ponens magna cautione opus habet, ne venenum ebibat , doctrinaſque addiſcat , quæ ſibi , & aliis poſſint exitio eſſe . Probabiliſtarum maxime de rebus Moralibus libros ejuſmodi eſſe , jam a multis animadverſum eſt , & longis præpoſterarum , quæ inde exſcriptæ ſunt , propoſitionum indiculis confirmatum ; unde id nequit in dubitationem adducere , niſi qui aut Evangelicæ doctrinæ vera notione careat , aut quorumdam Authorum nimium ſtudioſus nolit veritatem in omnium oculos inſilientem agnoſcere . Ex horum libris centum , & amplius illæ propoſitiones excerptæ ſunt , quas Romani Pontifices condemnarunt : ex iiſdem a præſtantiſſimis Epiſcopis , accuratiſque Scriptoribus aliæ multæ depromptæ , quæ etſi nondum ab Apoſtolica Sede proſcriptæ , communi tamen Sapientum judicio dignæ ſunt , quæ damnentur . In iiſdem *deteſtanda laxitatis zizania , opti-*

Digitized by Google

mo ſeverarum opinionum tritico abunde ſato, ab humani generis hoſte ſuperſeminata fuiſſe per Probabiliſtas, qui a 30. annis eum præceſſerant, & ſummis caſuum, rerumque moralium tractatibus Bibliothecas impleverant, confeſſus eſt in *operis ſui Præf*, Probabiliſtarum facile princeps Terilius, illos ajens *in opiniones laxiores oculos, animumque conjeciſſe gnaros eas præ omnibus vulgo placituras; in rebus ſummi momenti ad Dei legem, & conſcientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium ſententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinaſſe, in laxis reſolutionibus ad alias laxiores iter ſibi, imo ſibi, & aliis præcipitium aperuiſſe; laudi ſibi vertiſſe laxiores ſententias in unum colligere, eaſque tamquam legitimas conſcientiæ regulas ſub ſpecioſo probabilitatis tegmine venditare &c.* Num vero Terilio poſteriores Probabiliſtæ ex agro Evangelico deteſtanda hæc zizania extirparunt! Num Theologiam a tot peſtilentium opinionum ſordibus expurgarunt? Qui poſteriores cum prioribus contulerit, eaſdem poſteriorum pravas, laxioreſque ſententias eſſe, quæ in priorum libris occurrunt, haberique ſaltem ut *probabiles* ob ſuperiorum, a quibus traditæ ſunt, Theologorum auctoritatem, nullo negotio deprehendet.

Hinc propoſiti *Conſectarii* veritas patet. Primo enim omnes eorum libri generale illud principium continent, ex quo tot quæſtionum deciſio pendet, quodque falſum, abſurdum, ac pernicioſum eſſe evidentiſſime jam demonſtravimus, *Probabiliſmum* videlicet. Præterea reſperſi ſunt propoſitionibus multis aut jam damnatis, aut certe dignis, quæ condemnentur, quibus uti homines nequeunt abſque aperto æterni interitus diſcrimine. Quid, ſi in eorum nonnullis nota aliqua ad damnatas propoſitiones appoſita eſt, ut ab iis ſibi legentes caveant, quum tot aliæ in iis extent æque ſcandali plenæ, & damnatione perinde dignæ, nec earum, quæ expreſſe damnatæ ſunt, prava, ex quibus ducuntur, principia, nec alia, quæ inde profluunt, conſectaria notentur? Nonne enim exploratum eſt una cum aliqua propoſitione ab Eccleſia damnata, & principium, unde ducitur, & alia quævis cum ea neceſſario connexa, vel ſolis verbis, non re, diverſa, aut quarum eadem ratio eſt, virtualiter ſaltem eſſe proſcripta? Sic E. C. duas tantum de amphibologiis, ſive æquivocis, aut reſtrictionibus propoſitiones ex Summa Sanchez depromptas Eccleſia damnavit. Quot aliæ vero tum ejuſdem, tum aliorum Probabiliſtarum de eodem hoc argumento ſimul damnatæ cenſendæ ſunt, quum ſit unum omnium principium, & par ratio? Parochi, & Pœnitentiæ Miniſtri minus cauti, ac periti libros ejuſmodi legentes noxia omnia non percipiunt, vel ad ea animum non advertunt, adeoque inſigniter haud raro falluntur, variaſque hauriunt adhuc ſententias ceu veras, aut probabiles, quæ virtualiter damnatæ quum ſint, non poſſunt eis, aliiſque, quos dirigunt, non graviſſimam afferre perniciem. Aut ergo hujuſmodi libri non legendi, aut multa cautione legendi ſunt, ne Lectoris animus pravis, pernicioſiſque opinionibus imbuatur.

Pluribus inſignium Virorum textibus in Opere Majori Conſectarium hocce comprobavi, quos hic brevitatis cauſa prætereo, tantumque objectionem diluam, quæ afferri frequentius ſolet: nimirum ſine horum Scriptorum ſubſidio, ac doctrinis minime poſſe pleroſque Confeſſionum excipiendarum munus obire, & occurrentes quotidie caſus reſolvere. At quamvis non ille ego ſim, qui omnino negare velim, fructum aliquem reperi poſſe ex nonnullis etiam Probabiliſtis Scriptoribus, tum in iis præſertim, quæ jus poſitivum Eccleſiaſticum ſpectant, tum in caſibus quibuſdam obſcurioribus & implicatis propter claras aliquando rerum notiones, & cognitiones peculiares, quas ſuppeditant, & Authorum hinc, atque inde diſputantium.

Digitized by Google

tium opiniones, quas referunt; nihilominus abſolute falſum eſſe contendo, quod tam fidenter aſſeritur, neminem ſcilicet poſſe Confeſſiones excipere, aut occurrentes difficultates dirimere ſine Caſuiſticorum librorum ſubſidio, eorum præſertim, qui ex probabiliſtica officina prodiere. Quod quam verum ſit, teſtimonio confirmo P. Pauli Segneri celeberrimi Probabiliſtæ, ſive Authoris *trium Epiſtolarum*, quæ ſub ejus nomine circumferuntur. Hic Canonico ſuo in ſcenam adſcito ita ſcribit *pag.* 68. " Controverſia (ut rem ,, tibi clare pandam), quæ noſtris hiſce ,, temporibus adeo fervet, num videlicet in ,, aliquo caſu opinioni minus probabili liceat, nec ne, adhærere, eſt ita in Scho- ,, las recenter invecta, ut ſolum elapſo ſæ- ,, culo in lucem prodierit: quindecim enim ,, retro ſæculis non magis illa cuiplam in ,, mentem venerat, quam ante Columbi na- ,, vigationem de Antipodis cogitaverimus ,, (en clara ex ore Probabiliſtæ *novitatis Probabiliſmi* confeſſio): & nihilominus tunc ,, temporis & optime ſervabantur pietatis ,, Chriſtianæ regulæ, ſicut & modo, & du- ,, bia reſolvebantur, & edebantur conſilia, ,, & excipiebantur Confeſſiones, omnia de- ,, nique illa adimplebantur charitatis officia, ,, quæ in noſtrum quoque ſæculum transla- ,, ta ſunt ". Si ergo, antequam probabiliſticum ſyſtema prodiret, & tot inundarent Eccleſiam Probabiliſtarum libri, omnia implebantur officia; cur & modo idem præſtare fas non erit, abjecto prorſus probabiliſticorum librorum uſu, ac lectione, imo & nunc longe melius, atque felicius? Quandoquidem Dei munere, & gratia plurima non deſunt ſubſidia librorum, in quibus Antiprobabiliſticæ ſanæ doctrinæ traduntur, optima conſtituuntur, ac firma principia, & opiniones defenduntur Divinarum Scripturarum oraculis, SS. Patrum, Canonumque Sacrorum ſententiis, & in quibus etiam de pertinentibus ad jus Eccleſiaſticum, & Civile rectiſſime diſſeritur.

Consectarium Nonum.

Quotquot Theologiam docent, criminis rei ſunt, ſi auditoribus probabiliſticam doctrinam tradant, aut typis edant.

IX. Evidens adeo, tamque naturaliter ex dictis fluere mihi videtur hoc Conſectarium, ut multa non ſit in ejus confirmatione opera collocanda. Quum enim tot rationum, authoritatiſque momentis demonſtratum fuerit, ab omnibus ſententiam Probabiliſmo contrariam ſaltem *ut probabilem* habendam eſſe, atque adeo Probabiliſmum eſſe non poſſe regulam *certam* agendi, ut eſſe deberet; quicunque novum hoc ſyſtema alios docet, docet uſum, aut praxim *doctrinæ certo falſæ* ſaltem in praxi, diſcipuliſque regulam agendi tradit, quæ nec tuta eſt, nec eſſe poteſt; ſed fallax quum ſit, in apertum peccati, æternæque damnationis diſcrimen utentes adducit: quare violari in re graviſſima, & pluribus exitioſa officii reus eſt. Quidquid etenim ſit de præcepto Magiſtros, & Profeſſores urgente, docendi veras, aut ſaltem veriſimiliores ſententias in aliis materiis, exploratum tamen eſſe debet in hujuſmodi, de quo loquimur, argumento tale urgere præceptum; eoque urgentius eſſe, quo majoris ſunt momenti, magiſque periculoſæ doctrinæ, quas tradunt. Error enim in illis ſemper pernicioſus eſt, & qui funeſtiſſima mala affert, adeoque a gravi crimine excuſandus non eſt Profeſſor ille, ſive Magiſter, aut Scriptor, qui, cum facile poſſit, ac debeat noviſſe, probabiliſticam doctrinam nec eſſe, nec eſſe poſſe regulam tutam humanarum actionum, nihilominus eam docet, ac defendit. Decipit namque auditores, vel lectores ſuos, qui & ejus auc-

the-

thoritati innixi, & ſophiſmatis illuſi, illam ſanæ ſententiæ loco habent, eaque pro re nata uti non verentur.

Hecce argumentum validiſſime urget, & inculcat Reverendiſs. P. Thyrſus Gonzalez Generalis S. J. ut ſubditos ſuos a tuenda, & docenda Probabiliſmi ſententia deterreat, tum in peculiari *Diſſert.* edita ab Euſeb. Eranist. *Tom.* 2. *Obſerv.* in Append., tum in libello ſupplici Clem. XI. oblato, ex quibus, aliis omiſſis, hæc ſolum profero ex priore n. 10. „ Quamvis, ait, ſententiam probabiliſtarum ſpeculative ſecuti ſunt multi bona fide, „ quando res erat in alio ſtatu; at in ſtatu „ præſenti jam non erit facile, quod alii „ Jeſuitæ illam *inculpate, & bona fide teneant, ac doceant*. Sed quare? Antea non „ affulgebat illa lux, quæ poſtea orta eſt ex „ Pontificiis Decretis, neque deventum erat „ ad fundum graviſſimæ controverſiæ; neque patefactæ ingentes æquivocationes, fallaciæ, & falſæ ſuppoſitiones, quibus unice innititur Probabiliſmus: neque collecta „ tot, ac tanta, & tam manifeſta abſurda: neque occurrerant Authoribus Probabiliſtis efficaciſſima argumenta authoritatis, „ & rationis, quæ poſtea aliis occurrerunt. „ Quæ omnia nunc ſunt examinanda, niſi „ quis velit ignorantia voluntaria laborare, „ & veritatis curam omittere: quod & in „ *Magiſtris* præſertim, & in omnibus non „ contingeret ſine graviſſimo peccato, quod „ eſſet cauſa plurium aliorum peccatorum & „ ſuorum, & alienorum. Et quando ex „ omnibus Eccleſiæ gradibus, & Ordinibus „ tam multi ſunt, qui animadvertentes periculum receptui canunt; fœda nimium „ res eſſet, quod Jeſuitæ ſeſe, & alios in „ præcipitium urgerent: præſertim cum ab „ ipſo Societatis ortu, & in corpore *Inſtituti* „ ſui præſcriptum voluerit N. optimus Pater „ *Sanctus Ignatius &c.*: *Sequantur in quavis* „ *facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam*: unde S. Pater non ſuſtineret minus ſecuram, & ſimul minus approbatam. "

Demiſſe efflagito, ut hocce piiſſimi, & ſapientiſſimi P. Generalis teſtimonium, ac monitum attento animo, & ea, qua par eſt, ſinceritate, & ſimplicitate legant, ac meditentur non ſolum RR. Patres Societatis, quos ſpeciatim alloquitur, ſed quilibet alius Theologus, qui animo præoccupatus probabiliſticum ſyſtema vel docet in Scholis, vel libris editis propugnat. Si tunc etiam temporis, nempe circa finem elapſi ſæculi, quum P. Gonzalez ſcribebat, jam Pontificiorum Decretorum fulgentiſſima lux undequaque emicabat; ſi jam funditus diſcuſſa erat magna controverſia, & in propatulo poſitæ æquivocationes, fallaciæ, falſæ ſuppoſitiones, & detecta abſurda perniciosa ſententiæ probabiliſticæ, totque adverſum ipſam authoritatis, & rationum momenta, adeo ut nonniſi voluntaria, & culpabilis habenda eſſet illorum ignorantia, qui illam tunc docebant in Scholis, aut ſcriptis publicis tradebant; quid dicemus noſtris hiſce temporibus poſt ſeptuaginta circiter annos? noſtris, inquam, temporibus, quibus lux illa fulgentiſſima veritatis, quæ tunc emicabat, jam crevit uſque ad perfectum diem: quum, quæſtione accuratius adhuc diſcuſſa, disjecta, & profligata ſunt ſophiſmata, & vanitas argumentorum, quibus Probabiliſtæ nituntur, principiorumque falſitas luce clarius oſtenſa; quum graviſſima, quæ ſyſtema illud conſequuntur, abſurda ad evidentiam demonſtrata fuere; quum denique Sedis Apoſtolicæ, totque Synodorum, & Epiſcoporum, ac duplicis horum Conventus ad illud diruendum acceſſit authoritas, & conſpiratio Religioſorum Ordinum, ac innumerabilium pene doctiſſimorum Scriptorum, adeo ut ſapientes Viri jam ſibi perſuaſum habeant, non amplius eſſe inſumendum tempus, & operam

in

in confutanda ſententia, quæ modo ſola damnabili aliquorum pertinacia ſubſiſtit. Quid, iterum repetam, noſtris hiſce temporibus dicendum eſt? Perfugiumne amplius exquiret in ignorantia invincibili Theologus, aut Profeſſor, qui eam doctrinam ex cathedris dictare, aut libris propagare non timet? An non potius fatendum omnino eſt, gravis ſe culpæ reatu obſtringere, dum falſam, & ſcandali plenam ſententiam tuetur, ex qua tanquam ex virulenta radice tot eorum, quos docet, peccata proficiſcuntur?

Consectarium Decimum.

Epiſcopi, & Eccleſiæ Prælati invigilare tenentur, ne ſua curæ ſubjectus Chriſtianus populus probabiliſticis dirigatur doctrinis.

X. Ad Conſectarium hoc demonſtrandum ea præmittam, quæ ſupra laudatus Anna de Levi de Vantadour Archiepiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas habet in Cenſura, qua *Caſuiſtarum Apologiam* perculit, in qua primum declarat muneris ſui eſſe ſacrum depoſitum attente cuſtodire, & pro virili incumbere, ne prava doctrina violaretur. " Funeſto, inquit, corrupti „ hujus ſæculi experimento docemur, in „ luctuoſa illa incidiſſe nos tempora a D. „ Paulo prænunciata, quibus *exurgent in* „ *vobis loquentes perverſa, ut abducant diſci-* „ *pulos poſt ſe*; & in dies illos periculo- „ ſos, quibus futuros idem ad Timoth. „ ſcribit, qui *coacervabunt ſibi Magiſtros* „ *prurientes auribus*, qui fideles *a via ve-* „ *ritatis avertent, & ad fabulas, ac men-* „ *dacia convertent*. Ut hoc peſſimum eſt Ec- „ cleſiæ malum, & tempus fidelibus per- „ nicioſiſſimum, ita Apoſtolus Timotheo „ ait: *Tu vero vigila, in omnibus labora,* „ *opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum im-* „ *ple*: quod implere tunc Epiſcopus præſer- „ tim debet, quum quædam prodeunt abo- „ minationes, quæ nonnihil cum ea con- „ veniunt, de qua Chriſtus in Evangelio, „ *abominatione deſolationis ſtante in loco ſan-* „ *cto*, quam, quum viderint fideles, ju- „ bentur ad montes fugere, & in ſolitu- „ dinem ſe proripere flendi, atque precan- „ di gratia: Paſtores vero illud exequi, quod „ ait Apoſtolus: *propter quod vigilate*. Hoc „ ſane tempore Pſeudoprophetæ prodierunt, „ perſuadere hominibus conari Chriſtum eſ- „ ſe ubi vere non eſt: *Ecce hic eſt Chriſtus*, „ *dicentes bonum malum, & malum bonum*, „ *dicentes: pax, & non eſt pax*. Vere affir- „ mare poſſumus Authorem libri inſcripti, „ *Apologia Caſuiſtarum &c.* ex horum iniqui- „ tatis miniſtrorum, & Pſeudoprophetarum „ numero eſſe ". Et poſt plura animadverſa illud ſub oculos ponit Chriſti Domini: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*; ſubditque: " Dominus, quemadmodum omnes „ interpretantur, malos eos Doctores no- „ tat, qui ſua benignitate legem Dei per- „ vertunt. Hi, ut ad Titum Paulus ſcri- „ bit, acriter ſunt objurgandi: *Increpa il-* „ *los dure*: quia alios a veritatis ſemita „ abducunt; noſque id nunc præſtare co- „ gimur, ut eidem Apoſtolo pareamus: „ *Argue, obſecra, increpa*, non alio ta- „ men ſpectantes, quam ut ad meliora „ revocemus, noſque in ſana morum doc- „ trina contineamus, *ut ſitis ſani in fide* „ *&c.* ". Exin memoratum librum ſolemni cenſura perculit.

Se vero Primatem, ac Metropolitam intelligens, datis ad Archiepiſcopos, Epiſcopoſque omnes ſuæ juriſdictioni ſubjectos litteris, eos commonefecit, ut ſuum eſſe munus cogitarent, errores a Probabiliſtis diſſeminatos una cum pravo ſyſtemate inſectari, atque convellere: ad quod plura affert, & proprii cujuſque officii obligationem

nem eſſe ad memoriam revocat, circumſpicere undique, ut longe abigant ab ovibus ſibi commiſſis Eccleſiæ hoſtes, qui vel fidem, vel mores inficere poſſunt. *Hoſtium Eccleſiæ*, inquit, *præcipui ſunt hæretici, & pravi Doctores; illi, quod nitantur ſuis erroribus fidei principia labefactare: hi, quod perverſis doctrinis fidelium mores corrumpant. Utroſque debemus cominus intueri, nec ab iis oculos unquam alio convertere, ut a prava eorum doctrina populum conſervemus ..... Enimvero Sacerdotes non ad gratiam, ſed ad pompam dici cognoſcimur, ſi quos docere nobis convenit, ſequi contendimus, ſi quos corrigere debemus, ſaltem verbis paſtoralibus non terramus. Merito diceremur a Propheta canes* muti, non valentes latrare; *iiſque verbis Ezechielis eſſemus coarguendi:* Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. *Animum advertite ad immanes, quas in Eccleſiam novi Doctores inferunt, depravationes. Nos quidem mala hæc conſiderantes Nicolai I. Summi Pontificis verba uſurpamus: ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut temporibus noſtris vel falſo inſimulari Sanctam Eccleſiam permittamus, vel leges ſanctas, & traditiones, quas antiquas a Patribus noſtris ſuſcepimus, pro libito errantium infringi patiamur*. Hæc ille, aliaque plura, quæ brevitati litamus.

Præſules omnes, quibus Dominus Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem, animarumque curam commiſit, humillime rogo, atque obteſtor, ut hæc ſerio meditentur. Laudatus Archiepiſcopus Collegas ſuos graviſſime monet cuſtodiendas ab omnibus diligentiſſime veritates, quibus morum regulæ continentur, reos alioqui coram Deo futuros illos, quorum in hoc graviſſimo negotio ſocordia in cauſa fuiſſet, cur commendati ſibi populi æternum periiſſent, ſi permiſerint falſis eos, perniciofiſque opinionibus dirigi, quibus fallax fovetur ſecuritas, quæ demum funeſtiſſima eſt: quod & ipſi alte perſuaſum habuerunt, ut conſtat ex tot damnationibus, quæ tunc prodierunt, *Apologia Caſuiſtarum* tot referta pravis opinionibus, quarum præcipua erat Probabiliſmi doctrina, quæ licitas illas omnes reddebat. Si hoc ergo Epiſcopi munus eſſe cenſebant illi gliſcenti novitati ſeſe ſtrenue opponere, ne latius ſerperet; an non & idem hodie cenſeant alii omnes Epiſcopi, ſi in ſuis Diœceſibus pravis opinionibus, & Probabiliſmi uſu corrumpi hominum mores perſpiciant? *Cum Caſuiſtarum Apologia*, & præpoſteris ejus opinionibus, quas Galliarum Præſules adeo exhorruere, tot, quæſo, conferantur recentiorum Probabiliſtarum libri, qui Parochis, & Pœnitentiæ Miniſtris maximo uſui ſunt, ad quorum doctrinam a multis conſcientiæ diriguntur: an non utrobique idem Probabiliſmus, eadem pravæ opiniones, quin immo in nonnullis & plures, & etiam pernicioſiores deprehendentur? Nonne Venerabilis ille, cujus ſæpe meminimus, Hiſpanienſium Epiſcoporum cœtus amariſſime conqueſtus eſt, *hodie opinandi licentiam adeo percrebuiſſe, ut laxitate per omnes materias impune graſſante, vix ſanitas in doctrina morum inveniatur, & Probabiliſmum, ut hodie ad praxim ploraba nt redactum, cauſam per ſe tot malorum eſſe &c.*? Si ergo *hodie* peræque neceſſarium eſt Probabiliſmum, & quæ ex eo fluit, Chriſtianæ Ethices, morumque depravationem compeſcere, tantamque animarum perniciem avertere; cur non, ut officium ſibi concreditum impleant Sacri Eccleſiæ Paſtores, ſua utantur authoritate perinde oportebit, omnique ſtudio nitantur his malis occurrere?

Quid vero ad hoc præſtare Epiſcopi valeant, aut quænam adhibere remedia, meum non eſt definire. Nonnulla tamen in majori Opere media indicavi, quæ opportunio-

Digitized by Google

tuniora, & efficaciora mihi viſa ſunt, quæ ibidem legi poſſunt. Unum illud hic non omnino prætermitto, quod fortaſſe cæteris efficacius exiſtimo; ut nempe Epiſcopi invigilent, ne ullus admittatur ad Sacros Ordines, aut approbetur pro Confeſſionibus audiendis, ſive etiam pro beneficiis, quibus adnexa eſt animarum cura, qui Probabiliſmum, & opiniones ab hoc veneno ſonte profluentes ex animo non rejecerit, & ſaniores ſententias continenter ſequi non promittat, & exequatur.

Postremum Consectarium.

Communa Reipublicæ bonum, & ſumma jura poſtulant, ut Principes pro virili nitantur e ditionibus ſuis Probabiliſmum eliminare.

XI. Non æternæ duntaxat hominum ſaluti, ſed & civili Reipublicæ bono, populorum tranquillitati, atque felicitati, Principum etiam juribus, atque ſecuritati, Probabiliſmus infeſtus eſt tot præpoſteris, ſeditioſis, atque ſanguinolentis opinionibus, quas fovet, quarumque uſum a culpa excuſat, honeſtumque efficit. Quare legitimum eſt expoſitum Conſectarium, quum Principum, & Magiſtratuum ſit publico ſubditorum bono conſulere, & Principatus jura ſarta tecta ſervare. Veritatem hanc facile ſibi perſuadebunt Chriſtiani Reges, & Principes; modo advertere animum velint ad varias hujuſmodi opiniones, a quibus Probabiliſmus omnem culpæ labem abſtergit. Nos in *Epiſtolis ad Miniſtrum Status* duobus voluminibus comprehenſis fuſe de hoc argumento egimus, & ſupra tercentum a Probabiliſtarum libris propoſitiones fideliter depromptas in medium produximus, quas nemo non intelligat, quam ſint communi Reipublicæ bono admodum pernicioſæ, & Principum auctoritati, juribuſque infenſæ; qualque novi ſyſtematis cultores *probabiles* habeant, oporter vi principiorum ſuorum, eiſque uti licere concedant. Prolixior eſſem, ſi illas hic referre vellem: unde ſummam tantum in titulorum capitibus expoſitam attingam. Poſt adumbratam probabiliſtici ſyſtematis imaginem primum attuli doctrinas, quas novi Caſuiſtæ tradunt circa homicidium, deinde circa calumnias, tum vero circa injuſtitias in bonis temporalibus, privatas compenſationes, & furta, poſtea circa mentales reſtrictiones, æquivocas voces, ſive amphibologias. Quid permittant quarumdam perſonarum generibus ſummo cum Reipublicæ detrimento ſubinde enarravi: quid etiam circa leges humanas ipſi ſentiant, non omiſi: ac demum opiniones eorum plurimas propoſui, quæ lædunt Principum, & Regum poteſtatem; licitumque faciunt quoque vel ipſum Tyrannicidium.

Ex iis omnibus argumentis fuſe pertractatis, & uberi pernicioſarum propoſitionum relatione confirmatis, oſtendi idem judicium ferendum eſſe a Magiſtratibus, Principibus, ac Regibus de Probabiliſmo, ac Auctoribus, qui hoc exitioſum ſyſtema connectantur, quod jam elapſo ſæculo tulerunt Parochi Pariſienſes de P. Tamburini Operibus; videlicet, " doctrinis, quas aut „ docet, aut *probabiles* efficit, totum ci„ vilis juſtitiæ ordinem, omnia humanæ „ ſocietatis vincula, familiarum pacem, „ honorem, atque ſecuritatem abſolute con„ velli, atque ſubverti propter *homicidia*, „ *calumnias*, *infidelitates*, *furta*, *uſuras*, „ *præpoſteras*, *& ſcandaloſas nuptias*, quibus „ ille variis nominibus conciliat honeſtatem: „ generalia ejus principia [quæ eadem ſunt, „ ac reliquorum Probabiliſtarum] tam va„ ſta, atque immania eſſe, ut nullum ſit „ tam horribile malum, cui aditum, & „ præſidium ejus doctrina non præſtet ....

abſque ulla veritatis injuria efferri poſſe, „ ejus Ethicen *Chriſtianam* non eſſe, quum „ ſpiritum Chriſtianæ Religionis extinguat; „ nec mere *humanam*, & *philoſophicam*: nam „ juſtitiam, naturalemque æquitatem, ſinceritatem, bonam fidem, & communem „ ipſum hominum ſenſum evertat; neque etiam *civilem*, atque *politicam*, quum „ omnia, quibus humana ſocietas nititur, „ fundamenta deſtruat, ita ut, ſi ejus doctrina adoptaretur, exularet ab humana „ ſocietate fides, lex, ordo, ſecuritas, „ & ſolæ apud omnes obtinerent mutuæ „ fraudes, latrocinia, cædes &c. ". Hæc præſtantiſſimi illi Parochi de citati Probabiliſtæ Operibus aperte pronunciarunt; & non abſimilia jure, meritoque dici valent de omnibus Probabiliſtarum operibus, & libris, & quidem eo potiori jure, quo hæc eadem mala, damna, abſurda ex probabiliſtico ſyſtemate profluere ſponte, & ingenue profeſſus eſt celeberimus Probabiliſta Caramuel in ſua fundamentali Theologia, dum ſcripſit, n. 549. *Multa inconvenientia ſuboriuntur ex reſtrictionibus mentalibus: multa ex occultis compenſationibus: multa ex licentia occidendi injuſtum Judicem, & teſtes, quam nonnulli concedunt: multa ex ea opinione, quæ dicit de occultis non judicare eccleſiam: multa ex aliis*; qui tamen tot abſurditatibus nequaquam abſterritus præfatas ſcandaloſas opiniones ceu licitas aſſeruit, eo nomine, quod *ſint probabiles in terminis, quibus hodie traduntur in Scholis*, ſcilicet Probabiliſtarum.

Si hæc omnia attente conſiderent temporales Principes, nullatenus dubito quin validiſſime excitentur ad probabiliſticam doctrinam tot malorum parentem, quæ pacem, & tranquillitatem Reipublicæ perturbat, ſuiſque juribus, & poteſtatibus adeo perniencioſa eſt, a ſuis Regnis, Principatibus, ac Dominiis procul amandandam; & exemplum imitentur Ludovici Magni Galliarum Regis, qui probe novit perniciem, ac detrimentum, quod ſibi, ſuoque Regno timendum erat ex probabiliſtico ſyſtemate, ſi illud permiſiſſet in gente ſua dominari: unde ſui muneris eſſe cenſuit illud cohibere, & a toto ſuo Regno abigere, & exterminare. Hanc Magni Regis providam curam ex Quarnaccio diſcimus, ita ſcribente in vita Innocentii XI.: *Invicto animo Rex cohibuerat quorumdam Eccleſiaſticorum licentiam, qui noxias in vulgus opiniones emittebant. Serpebat enim in Regno nova controverſia, quæ Caſuiſtarum dicebatur, & quæ Probabiliſmi nomen rectius accepit. Audacter ajebant nonnulli ex eorum Theologis, quamcunque opinionem probabilem tuta conſcientia amplecti poſſe, atque illam etiam opinionem, quæ nonniſi probabiliter probabilis ſit: atque ad conciliandam opinionibus probabilitatem ſatis eſſe dicebant non modo quatuor, ſed & trium, imo & unius etiam Doctoris authoritatem. His Decretis inſtructi mali illi Doctores mirum prorſus eſt, quas in morum doctrina ſtrages ediderint, quas tenebras clariſſimis Dei legibus offuderint, quot nova, & inaudita protulerint. Ajebant enim ulterius, quod dum videmus tot diverſas ſententias in rebus moralibus circumferri, Divinam arbitramur providentiam elucere: quia ex opinionum varietate jugum Chriſti ſuavius efficitur &c. Nefarias has voces religioſo ipſius Regis imperio refrænatas maxime deteſtabatur Innocentius &c.* Hujuſce Regis zelum utinam ſibi ad imitandum proponant alii Principes, ut quies. tranquillitas, bonumque commune Reipublicæ, cui conſulendo curas ſuas tenentur impendere, ſartum tectumque conſervetur.

R E F L E X I O

Plura jam, eaque plane decretoria argumenta produximus, quibus evidentiſſime conſtat, quam ſit a veritate prorſus aliena recens invecta Probabiliſtarum ſententia. Sed ecce novum argumentum, quod, quantum etiam

etiam a dilectione, quam Deo noſtro debemus, aliena ſit, clariſſime oſtendit, ac piæ *Reflexionis* loco ſubjicimus. Profecto ſi omnes ſimul Probabiliſtas conveniamus, & *ab unoquoque eorum*, ut verbis utar S. Gregorii Magni, *requiramus, an diligat Deum? Tota* procul dubio *fiducia, & ſecura mente reſpondebit: diligo*. Quid enim aliud reſpondeat, quum neminem lateat illud S. Joannis: *Qui non diligit, manet in morte?* Et quidem ſe diligere Deum quilibet reſpondebit, ac reſpondeat oportet eo modo, quo Dei noſtri dilectio tam frequenter in ſacris libris nobis præcipitur: neque enim aliter poſſe divinum hujuſmodi adimpleri præceptum diffitebitur. Qua itaque phraſi, quibuſve verbis præceptum charitatis Dei in Sacris litteris nobis intimatur, atque inculcatur? Nemo id ſane Chriſtianorum ignorat, aut ignorare ſine culpa valet. *Diliges*, inquit Scriptura, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*. Quibus, quemadmodum exponit S. Thomas 2. 2. q. 44. art. 6. " præcipitur nobis, ut tota noſtra intentio feratur in Deum: quod eſt *ex toto corde*; & quod intellectus noſter ſubdatur Deo: quod eſt *ex tota mente*; & quod appetitus noſter reguletur ſecundum Deum: quod eſt *ex tota anima*; & quod exterior actus noſter obediat Deo: quod eſt *ex tota fortitudine*, vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere ". Uno verbo præceptum hocce dilectionis exigit, ut Deum ſuper omnia, ac præ cæteris omnibus diligamus, ipſique ſubjamus intellectum, voluntatem, appetitum interiorem, omneſque exteriores actus, adeo ut non affectu ſterili, ſed efficaci nobiſmetipſis, ac cæteris omnibus Deum præferamus, ejuſque voluntati, ac præceptis ſtudioſe, ac fideliter obſequamur. Nam, ut Ipſe apud Joannem ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Unde Sanctus idem Evangeliſta in Epiſtola ſua ad plurimorum illuſionem detegendam ſcribit: *Qui dicit: diligo Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Vere etenim*, ſubdit laudatus S. Pater, *Deum diligimus, & mandata ejus cuſtodimus, ſi nos a noſtris voluptatibus coarctamus*; adeo ut, quæ Deo placita ſunt, iis præferamus, quæ noſtræ voluntati, noſtriſque appetitionibus favent.

Nunc vero intimam, & a præjudiciis liberam Probabiliſtarum conſcientiam appellemus: & ab unoquoque ipſorum ſciſcitemur, num hoc modo vere *diligat Deum*, ac amandi ipſum præceptum tantopere commendatum impleat, an non potius ſe ipſum magis amet, qui in duarum opinionum concurſu, alteram, quæ præceptum actionem, aliquam prohibens urgere affirmat, & veriſimilius ab ipſo judicatur, ſponte deſerit, ut aliam ſequatur ſuæ voluntati, & cupiditati faventem, quam ipſemet cenſet minus probabilem, adeoque judicare debet divinæ potius voluntati contrariam? Nonne qui ita ſe gerit, voluntarie ſe exponit probabili, quin & probabiliori periculo id efficiendi, quod a Deo prohibetur? Nonne convincitur Dei voluntati anteferre proprium appetitum dum illud eligit, quod ipſi pergratum eſt, nullo reſpectu habito ad Deum, cujus præceptum facile tranſgredi poteſt? Et quomodo revera, & ex conſcientia dicere valet, ſe Deum diligere *ex toto corde &c., & ex omnibus viribus ſuis*, ſi potius illud exequi curat, quod ſibimet ipſi placet, ac prudenter, & probabilius timet, aut timeat oportet, ne Deo diſpliceat?

Quamquam hoc ſatis perſpicuum mihi eſſe videatur, nihilominus rem exemplo in ampliori luce ponamus. Fingamus animo perhumanum Principem, qui famulum ſuum exquiſito proſequatur amore, honoribuſque ac immenſis opibus auxerit, a quo redamari tantum velit, mutuæque benevolentiæ ſuæ hoc ſignum repoſcat, ut nimirum ſedulo, ac diligenter caveat, ne quid admittat, quod

ſibi diſpliceat, atque obſit honori ſuo. Si famulus ab iis duntaxat caveret, quæ certo ſciret Principi noxia futura, & ingrata, cætera vero, de quibus dubitat, parvi penderet, ageretque, quod ſibi magis libet, tametſi etiam veriſimilius fore putaret, ut Domino diſpliceret, Dominumne vere redamare, totoque affectu diligere dicendus eſſet? Quis hoc ſibi perſuadeat? Beneficentiſſimus Rex noſter Deus eſt, qui nos miſerrimos famulos ſuos immenſis naturæ, gratiæque theſauris locupletavit, cuique, quæ habemus, debemus omnia. Hanc a nobis repetit ille, exigitque viciſſitudinem, ut ipſum ex toto corde diligamus, nihilque ſtudioſe perpetremus, quod ſuæ voluntati contrarium ſit, aut ipſi diſplicere queat, prout exigit lex amoris. Si curemus tantummodo, ne quid agamus, quod *certo* novimus illi odioſum eſſe, libere vero perpetremus ea, quæ *certo* quidem haud novimus, ſed tamen odio ab ipſo haberi veriſimiliter, immo & veriſimilius judicamus; verene, & ex animo ipſum amare dicendi erimus, aut ſatagere, ut debitam amori ejus rependamus vicem, ejuſque mandata diligenter impleamus? Cui perſuaderi hoc, inquam, poterit? Quid hic aures imperitorum obtundunt Probabiliſtæ ſua diſtinctione *peccati materialis, ac formalis*? Numquid non peccatum *formale* exiſtimandum eſt ita ſe gerere, ut ponatur actio, quæ probabilius Dei opponitur voluntati? Numquid dilectio, quam exigit Deus, dum *toto corde* vult a nobis amari, non comprehendit, ut ab omni periculo probabili violandi præcepta ſua, quæ objectum, ſive legis materiam conſtituunt, caveamus?

Verum, ut, pie, ac prudens Lector, clarius inſpicias, quam decipiantur Probabiliſtæ, alioſque decipiant in re ſummi momenti, audi, quæſo, quid argumento noſtro repoſuerit inſignis inter ipſos Scriptor Lacroixius: *Famulus*, objicit ſibi p. 1. n. 396., *hominis attendere tenetur, ne per actionem ſuam cauſet Domino ſuo damnum etiam materiale tantum. Ergo ſervus Dei multo magis* (attendere debet), *ne committat peccatum materiale, & ponat objectum reipſa diſplicens Deo: ergo & tenetur ſequi illud, quod judicare poteſt eſſe veriſimilius*. Quid autem reſpondeat, audi: " Nego ultimam conſequentiam. Nam „ fatemur adhibendam diligentiam *mediocrem*, & *humanam* pro dignoſcenda veritate, & cavenda *materiali offenſa Dei*: majorem autem, aut exactiſſimam dicimus „ eſſe tantum *de conſilio*. Quando autem eo „ pervenimus, ut ſciamus non poſſe *certo* „ comperiri veritatem, quia nempe ſcimus „ pro utraque parte eſſe motiva gravia, negamus nos obligari ad veriſimiliora.

Perpendat, quæſo, unuſquiſque attento animo hujuſmodi reſponſionem; & clare perſpiciet, nedum eſſe ludicram, atque ineptam, ſed potius argumenti noſtri confirmationem. Famulus itaque Domini terreni ita ſe gerat oportet, Lacroixio judice, ut nullum Domino ſuo *cauſet damnum etiam materiale tantum*, nec ullum creato ejuſdem bono præjudicium inferat; quidni ergo eodem modo ſe gerat, opus erit ſervus Dei, ne *committat peccatum materiale*, præcepta ejus tranſgrediendo, *& ponat objectum reipſa diſplicens Deo* ſupremo Domino ſuo? Nonne eadem ſaltem ratio, quæ obligat ad cavendum damnum *etiam materiale tantum* temporalis Domini, obligabit etiam ad cavendum *peccatum etiam materiale* ſupremi Domini Dei, & non *ponendum objectum reipſa diſplicens Deo*? Quis id negare auſit? aut cur, admiſſo hoc antecedente, *negat* Lacroixius *conſequentiam*? Quia poſita, inquit, diligentia *humana*, & ordinaria ſervus Dei *certo* non comperit ſe *materialem offenſam Dei* incurrere. Egregie. At ſi *certo* hoc minime comperit, nonne *comperit* ſaltem probabiliter, imo & probabilius *materialem eamdem Dei offenſam ſecuturam*? Si ſervus hominis non quidem *certo*, ſed tamen, ordinaria dili-

Digitized by Google

diligentia præmiſſa ad veritatem comperiendam, veroſimilius cognoſceret, ex actione, quam ponit, ſe *materiale damnum* Domino ſuo inferre; nonne tamquam ſervus infidelis haberetur, qui magis commodi ſui, quam rerum Domini rationem haberet? Cur igitur idem dicendum non erit de ſervo Dei, dum, eadem adhibita diligentia, veriſimilius judicat, ſe *peccatum materiale committere, ac ponere objectum reipſa diſplicens Deo?* Deterior ne divini erit, quam humani boni conditio?

Verum, ut proxime, ac immediate ex ipſo præcepto charitatis revincamus Adverſarios, audi quoque, quid reſpondeat Lacroixius ad hoc argumentum, quod ſibi objicit n. 365.: *Si ſim medicus*, ait, *charitas erga proximum obligat me, ut ſequar pro ipſius bono magis probabilem* (ſententiam). *Ergo etiam charitas erga Deum* (obligat me), *ut pro ejus honore ſequar faventem legi*. Quid ille vero? *Nego*, inquit, *conſequentiam*. *Pro obligatione illa medici habemus aliunde certitudinem: pro altera obligatione non affertur ſufficiens motivum*. At unde habetur *certitudo de medici obligatione* pro eligenda probabiliore opinione? Lacroixius ſe remittit ad *lib.* 4. *n.* 1534., ubi argumenta promit hujuſce certitudinis his verbis: *Primo, quia eſſet contra charitatem proximi non facere alteri, quod velles tibi fieri*. Perbelle. Erit ergo & *contra charitatem Dei facere, quod non vellem mihi fieri*, minus ſcilicet probabilem opinionem deligi, quoties de meo agitur detrimento: teneor ſiquidem amare Deum nedum pluſquam proximum, ſed etiam pluſquam meipſum. *Secundo*, ſubjicit, *tacito pacto per ſuſceptum officium ad id medici ſe obligarunt*. Verum ex quo capite *tacitum* hocce Medici pactum reperit ille, aut reperiri poteſt? Non ex alio ſane, quam ex ipſa rei, ſive officii natura. Reponam igitur ego: in iis quoque, quæ ad Deum attinent, homines *tacito pacto* ex ipſa charitate orto, qua Deum diligere debent, pluſquam ſe ipſos, & proximos, *ſe obligaſſe* ad ſequendam in dubiis veriſimiliorem ſententiam. Tertio demum: *Medici opinio probabilis*, dum ſuppetit ex altera parte probabilior, *non poſſet removere damnum infirmi*. Sed neque *poteſt opinio probabilis* in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto *removere tranſgreſſionem legis*; nec efficere, ut homo *non ponat objectum* Deo reapſe ingratum, ejuſque honori infeſtum. Futilia itaque tria diſcriminis capita, nec minus ac Medicus, ad probabiliorem eligendam quilibet homo præcepto charitatis obſtringitur. Concludere ergo oportet, Probabiliſtam ex ſua ſententia operantem, dum interrogatur, num diligat Deum, nonniſi voce tenus reſpondere ſe poſſe: *diligo*. Neque enim, dum ita ſe gerit in actionibus ſuis, vere Deum diligit, ne quidem abſolute, multoque minus *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus ſuis*, prout omnium maximo præcepto tenetur.

FINIS TOMI PRIMI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google